8. 28. I. 16

PATRIS
F. CAROLI LANTERII
GENVENSIS,

ORD. MIN. REG. OBSERV. Prouinciæ Terræ Laboris Sac. Theol. Lectoris Iubilati, & Ex Miniſtri: totius Ordinis iam Diffinitoris Generalis, & ad præſens in Romana Curia Commiſſarij Generalis.

PHILIPPVS GRVTHER C.M.

PHILIPPVS GRVTHER C.M.

TRACTATVS DVO THEOLOGICI.

IN PRIMO DISPVTATVR

De Virtute Pœnitentiæ Sacramentalis.
De Viribus liberi arbitrij in omni Statu.
De Conceptu ſupernaturalitatis in ſe.
De Iuſtitia in ſe, & inter Deum, & Creaturas.
De Ratione formali peccati actualis, & habitualis.

IN SECVNDO TRACTATV DISPVTATVR

De Sacramento Pœnitentiæ.
De Lege naturali, & poſitiua, Diuina, & humana.
De Poteſtate Clauium Eccleſiæ, & de Iudicio in ſe.
De Abſolutione Sacramentali.
De Iniuria, Reſtitutione, & Satisfactione.
De Sigillo Confeſſionis.
De Remiſſione Venialium, & de eorumdem quidditate.

Comprato tom 2 giulij 15 20 Aprile 1670

EX NOSTRI SVBTILISSIMI

IOANNIS DVNS SCOTI

CELEBRATA DOCTRINA.

Cum triplici Syllabo de Diſputationibus, & Propoſitionibus: de Rebus notabilibus, & de Locis Sacræ Scripturæ.

ILLVSTRISS.^mo AC REVERENDISS.^mo DOMINO

D. HIERONYMO GASTALDO

CAMERAE APOSTOLICAE CLERICO,

Dohanarum, & Graſciæ Præſidi, ac Vrbis, & totius Eccleſiaſtici Status Commiſſario Generali.

ROMAE, Ex Typographia Fabij de Falco, M DC LXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſs.mo ac Reuerendiſs.mo Dño

D. HIERONYMO

GASTALDO

CAMERAE APOSTOLICAE CLERICO

Dohanarum, & Graſciæ Præſidi, ac Vrbis, & totius Eccleſiaſtici Status Armorum, & Militum Commiſſario Generali.

C·M·PHILIPPVS·GRVTHER

C·M·PHILIPPVS·GRVTHER

NON videbor fortaſſes, *Illuſtriſs. Domine*, opportunè ſatis cum oblatione mei de Pœnitentia codicis ad Tui Honoris aſylum confugere: cùm paria paribus offerre munera, & venerabilis ſemper aſſueuit antiquitas, & modernorum non inoleuit vſus. Quorum enim Pœnitentiæ lauacrum ad conſtantem Tuam per totius vitæ decurſum innocentiam, morumquè candorem? *Pœnitentiæ* (teſte Synaſio) *nullus in tranquilla anima locus eſſe poteſt*. Et ego equidem, ſi quid pretioſum in rebus reperire poſsim, Tibi præ multis offerre debui; ſiuè ad Tua reſpiciam merita, ſiuè meæ obſeruantiæ vincula. De Regno p. 10.

Re tamen penitiùs perpenſa, mihi videor, me meo nec defuiſſe Officio, nec Tuo derogare Honori, donum offerens Cælo, ſoloq; gratiſsimum,

Digitized by Google

ſecundam ſalutis noſtræ poſt naufragium tabulam. Cuius, ſi externa reſpiciatur facies exiguum: ſi interna, eximium. Donum, inquam, quo mentes obluüntur hominum, & ſuo, à quo receſſere, ſummo reconciliantur Opifici; *Fons patens domui Dauid in ablutionem peccatoris*: qui totum genus hominum vberrimis gratiarum imbribus abundè fœcundans, non abſimilis poſito in Paradiſo, irriganti *vniuerſam terræ ſuperficiem*. Fons certè ſaluberrimus, à quo veluti quatuor flumina Paradiſum permeantia, quatuor principales ſcaturiunt virtutes: quibus totius noſtri operis ædificium tamquam ſolidis innititur fundamentis. Hoc propterea Sacratiſsimum Lauacrum S. Auguſtinus hoc pulchro commendat elogio; *Pœnitentia languores ſanat, leproſos curat, & mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, gratiam conſeruat, claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit, & roborat.*

Zachar. 3.

Porrò lubet magis, quàm me pœnitet, Mecœnas optime, tribunal hoc Pœnitentiæ meæ, Tuæ iuriſprudentiæ exponere tribunali: cùm ſimilia ſemper ſimilibus gaudeant, & innatum cuiq; ſit ad ſuũ pleno curſu properare centrum. In Tuo nimirum iudex informatur, actor adducitur, reus accuſator. In meo pariter Eccleſiaſticus inſtruitur arbiter ſuique, peccator, accuſator, & actor, libertati datur, & declaratur innocens. In naturæ lege conſcientiæ viguit tribunal, tanquam *ſignaculum luminis vultus Dei*

clara

Digitized by Google

clara irradiatione doctrinam, & veritatem intellectui humano inſtillans. In noſtro, & hoc nouo gratiæ ſtatu pectoribus Sacerdotum poteſtatem illam iudiciariam impreſsit Dominus; in *qua incerta, & occulta Dei manifeſtantur, præceditque ſententia Petri ſententiam Cæli.*

Non abs re itaque, rerum humanarum, celeberrime Iudex, mei Tibi obſequij perſoluo vectigal, Pœnitentiam meam Tuo modo ſagaciſsimo ſubmittendo iudicio, & ſiſtendo tribunali: vt à Tui Nominis ſplendore lucem, & decorem mutuaretur. Et neſcio ſanè quem Te aptiorẽ ſeligeret Mecœnatem, in quo ſumma cum ſcientia, ſumma prudentia luceſcit. Quod non obſcurè teſtatur Piſana Vniuerſitas, quæ ob morum integritatem, & doctrinæ eminentiā, Te Academicū Vmbroſū, & V. Rectorem plauſibiliter elegit. Quo in munere quàm egregia dederis clari genij, & ingenij ſpecimina, magnæque ſufficientiæ ſigna, ad ardua pro communi bono obeunda munia, ipſi, quos prudenter rexiſti, non tacitè referunt. Mentem namque Tuam magni conſilij ſedem, eò lubentiùs iuriſprudentia in adoleſcentia apprimè imbuiſti, quo profundiùs tecum cogitaſti huius vtilitatem pro Republica Chriſtiana ritè, rectèque adminiſtranda. Nouiſti profectò ſine hac nec Regna poſse ſubſiſtere, nec Ciuitates: immò pace, belloq; æquos

habere rerum vices. Nouit optimè,& hanc Tuam prudentiæ magnitudinem, & fortitudinem pectoris, ſummus Vniuerſi *Moderator*, & *Rector* ALEXANDER VII. cùm ſuperioribus annis ſæuiſſima Vrbem infeſtaret lues, nulli aut ſexui, aut ætati parcens, Te S. Congregationi Sanitatis quantociùs adſciuit, Noſocomijs præpoſuit, & totius Vrbis miſerabiliter infectæ, & afflictæ *Generalem* conſtituit *Commiſſarium*. Quò dubitem an ſerius quiſpiā id muneris exequeretur. Quod pleno ore, & Roma referre poteſt, & ventura nunquam reticebunt ſæcula. Tu etenim communis quaſi Patris functus onere, non ſomno indulſiſti,non quieti, ſed in laboribus indefeſſus, in vigilijs aſsiduus, in viſitationibus frequens, cum omnibus miſericors habebaris. Quos enim vidiſti periclitantes, & non ſolabaris? Quos moribundos, & non deuotè animares? Quos conualeſcentes, & non vlterius adiuuares? Quos vel vlla egeſtate grauari, & non ſubleuares? Tanta planè in Te viguit pietas, tanta commiſeratio, vt non Xenodochia quantumuis infectis referta, non purulenta infectorum vlcera, non deflendos agonizantium gemitus vllatenus abhorreres: quin immò affluentèr ſingulis, & ſuppeditares annonam, & ſubminiſtrares medicamen. Teſtes appello Pharmacopolas,Chirurgos, Medicos, alioſque, (quorum interfuit ægris opitulari)

quos

quos de ſuo officio ſedulò obeundo, opportunè, & importunè admonere non deſiſti. Vt ſi qui ex tot infectorum numero euaſere incolumes, Tuæ indefeſſę diligentiæ eſt potius attribuendum, quàm vllis Medicorum præceptis, aut medicamentis. Quod liquidò conſtabit Tuum voluenti auro, lauroque dignum de Iuris-policia codicem. Pro tantis reuera, tamque arduis perfuſis ſudoribus in publici boni commodum (quod Tuo ſemper priuato prætuleris) non incongruè illud Lucani ad Brutum Tibi adoptari poſsit:

O' decus Imperij, ſpes ò ſuprema Senatus!
Extremum tanti generis per ſæcula nomen.

Hæc Tua hæroica facinora perſpicuè perpendens *Sanctiſſimus Orbis Paſtor*, ſacram temperare haud potuit vocem, qui Te gratioſis aſpiciens oculis, ſubiunctoque non modico encomio, *Liberatoris Vrbis* inſigniret titulo. Ac ne inter priuatos parietes Tua latitarent merita, Te varijs in officijs inſtituit, ſacris videlicet Congregationibus, Eccleſiaſtici Status leuaminum, Boni Regiminis, Baronum, Montium, atque ad Beneficia concurſus; Cauſarum vſque Vrbis Cameræ, Populique glorioſè Iudicis perfunctum munere, à quo non appellari licuit, demùm Apoſtolicæ Cameræ peruigilis Clerici decorauit honore.

Nam

Nam via virtutis dextram petit ardua callem:
Difficilemque aditum primum ſpectant bus offert:
Sed requiem prabet feſſis in vertice ſummo.

Præterea adhuc Te, tot, tantiſq; inuictum laboribus; *Vrbis Graſſiæ, & Dohanis* prouidè præfecit: ad maximum Senatus, Populique applauſum, qui Tuam & laudat æquitatem, & fœlicitatem admiratur. In tantum ſanè omnium Ciuium allexiſti animos exemplo morum Tuorum, ac rebus in agendis proſperitate: vt nemo habeat, quod in Te repræhendat; habeat autem, quod maximè miretur, laudetque, vt iuſtitiam cum pietate ad miraculum connexam, fulgentem cum humilitate ſcientiam, cum comitate facundiam, cum liberalitate modeſtiam.

Nec dum tamen Tuos indefeſſos *Sanctiſſimus Pontifex* ceſſat præmiare labores, quin tum iſtis officijs, tùm dignitatibus alios ſuperadderet honores, Te Suæ militiæ digniſsimum conſtituendo *Commiſſarium*: vt qui Ciuium optimè noueris reconciliare animos, & rei militari gubernandæ aptiſsimus reperiaris. Atque tàm aptè vtrique rerum ſtatui Te accommodas, vt vtri horum applicatus, ei ſoli appoſitè quadres: vnoque conatu duarum diuerſarum artium curam habes, coniungens ingenio paritèr ea, quæ natura ſunt ſeparata.

Taceo ſingularum Virtutum Tuarum enco-

mia

Digitized by Google

mia percurrere, cum modeſtia Tua longa rerum experientia perſpecta, ea potiùs refugiat, quàm admittat. Vnum idque veriſsimum Tuarum laudum inditium, laudari non velle. At verò ego me noſcens multis Tibi deuinctum titulis, ne ingratus ſilere videar, ingrati animi ſymbolum, & perpetuum meæ erga Te obſeruantiæ monumentum, plurima licet omittens, Te paucis commendare non erubui: & opuſculum hoc meum de Pœnitentia Theologicum Tuo Nomini conſecrare decreui. A quo illud ſpero omne decus mutuaturum, & ornamentum. Inter alia non me mediocritèr mouit, ad hoc qualecumque vectigal Tibi offerendum, innatus ille amor, quo Seraphicam noſtram Religionem totius Pœnitentiæ ſpeculum, & exemplar inceſſantèr proſequeris; quam in dies Tua munificentia foues, & ſingulis beneuolentia faues. Talem namque Te omnes inueniunt, qualem ſuum Auſonius deſcripſit Principem; *Lautis manibus, mente pura, immaculabili conſcientia, & quod in paucis eſt, cogitatione ſincera.* Init. paneg. Gratianum.

Suſcipe igitur, *Illuſtriſſime Domine*, has lucubrationes meas, eo, quo offeruntur, candore animi, Tibi de induſtria paratas, Tibi dicatas, Tibi debitas. Meque in numero clientum

Tuo-

Digitized by Google

Tuorum conſeruare digneris. Vale. Teque diù ſoſpitet DEVS ad magnum Reipublicæ incrementum.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Tuæ.

Humillimus Seruus

F. Carolus à Genua.

Digitized by Google

Frater Bonauentura Caballus Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ, Sac. Congregationis Rituum Conſultor, ac in Ciſmontana Familia Obſeru. ac Reform. Commiſſarius Gen. & Seruus. Dilecto Nobis plurimùm in Chriſto Adm R.P.F. Carolo à Genua eiuſd. Ord. Prouinciæ verò noſtræ Terræ Laboris de Obſ. Concionatori Generali, Lectori Iubilato, bis ExMiniſtro Prouinciali, totius Ord. iam Diffinitori Generali, & ad præſens in Romana Curia Commiſſario Generali. Salutem in Domino ſempiternam.

SCholaſticum quoddam Opus, egregium, & perutile, cui titulus eſt: *Tractatus Theologici de Virtute Pœnitentiæ Sacramentalis, & de nonnullis alijs* à Paternitate veſtra compoſitum, & elaboratum, cum à duobus Religionis noſtræ Theologis reuiſum, & approbatum fuerit, quibus id rei commiſimus: harum vigore facultatem ipſi, addito quoque ſalutaris obedientiæ merito, quam libentèr facimus, & elargimur, quatenus illud cum benedictione Dei Typis mandare poſſit; ſeruatis in reliquo Sanctionibus Apoſtolicis, noſtriq; Ordinis Conſtitutionibus. Beneualeat, Deumque pro Nobis exoret. Datum Romæ, in hoc noſtro Aracælitano Conuentu, die prima Aprilis 1666.

Fr. Bonauentura Caballus Commiſſ. Gen.

Locus ✠ Signi.

Regiſt. fol 189.

De mandato Suæ Reuerendiſſ. Paternitatis
Fr. Agnellus de Neapoli Secretarius Generalis.

Operis Approbatio.

NOS infraſcripti de mandato Reuerendiſſimi Patris Bonauenturæ Caballi in Ciſmontana Familia Obſeru. & Reform. Commiſſ. Generalis, & attentè, & magna animi noſtri voluptate percurrimus totum hoc eruditiſſimum Opus *De Pænitentia*, cui Titulus eſt, *Tractatus duo Theologici* Adm. R. P. Caroli Lanterij Genuenſis Ord. Minor. Reg. Obſ. Prouinciæ Terræ Laboris, Sac. Theol. Lectoris Iubilati, & ExMiniſtri totius Ordinis, iam Diffinitoris Generalis, & ad pręſens in Romana Curia Obſeruantium Cõmiſſarij Generalis. In quo Opere diligentiſſimè diſputatur primò *De Virtute Pænitentiæ Sacramentalis, de Viribus liberi arbitrij in omni ſtatu, de Conceptu ſupernaturalitatis in ſe, de Iuſtitia in ſe, & inter Deum, & Creaturas; de Ratione formali peccati actualis, & habitualis.* Secundò diſputatur, *De Sacramento Pænitentiæ; de Lege naturali, & poſitiua, diuina, & humana; de Poteſtate Clauium Eccleſiæ, & de Iudicio in ſe; de Abſolutione Sacramentali; de Iniuria, reſtitutione, & ſatisfactione; De Sigillo Confeſſionis; de Remiſſione venialium, & de eorumdem quidditate.* Quæ omnia ſiquidem catholicam redolent fidem; altum ingenij acumen tanti Authoris ſine fuco citra omne ſupercilium conſpicui demonſtrant, Scoticam obſtentant ſubtilitatem, facilitatem cum claritate, & claritatem cum eruditione coniunctam in difficultatibus enotandis mirabilitèr aſtruunt, dum erga animarũ ſalutem ſimul ſpirant modeſtiam, & pietatem. Quaproptèr conſentaneum reputamus, vt Opus tam dignum Typis tradatur ad communem omnium Theologorum, & Canoniſtarum vtilitatem. Data Romæ 8. Decembris 1666.

Fr. Claudius à Como, Prouinciæ Romanæ Obſeruantium Lector Iubilatus.
Fr. Romanus de Petrellis, Romanus, eiuſdem Ord. & Prouinciæ in Conuentu S. Mariæ de Aracæli Sac. Theol. Lector Generalis.

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatij Apoſtolici.

O. Archiep. Patrac. Viceſger.

Imprimatur.

F. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

DE POENITENTIA.

VOCIS POENITENTIA EXPLICATIO.

HÆRETICI noſtri temporis in eo ſunt peſſimo errore, vt pœnitentiam, nil aliud eſſe ſibi perſuadeant, quàm ceſſationem à peccato, emendationẽ, & reſipiſcentiam, nec vllo pacto audire volunt, eſſe dolorem internum caſtigãtem interiùs & exteriùs peccatum: hinc in eorum Biblijs vbicumque nomen *Pœnitentia* reperitur, trãſferunt, *reſipiſcite*. Cæterum, pœnitentia vocatur propriè pœna illa, quam Deus, à peccatore ad ſui deletionem peccati, exigit, vt diſertis verbis, & methodo aptiſſimè explicat *Scotus in 4.d.14.q.1.*

Pœnitentiam, ergo, non ſolùm *reſipiſcentiam*, ſed præcipuè, internam, externamq; caſtigationem, triſtitiam ſcilicet, affligendo voluntatem, & ſuſceptos labores, ieiunij, & huiuſmodi. quibus affligatur corpus, ſignificare, Probamus ex Sacra Scriptura, cui in more eſt (quotiès vocibus æquiuocis varias ſignificationes habentibus vtitur,) addere voces claras, quibus obſcuritas illarum vocum declaretur, reddatur clara, & ab omni dubitatione aliena: Hinc Lucæ 1. *Regnabit in Domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis*; Ponderandum hic, quod, quià illa vox *in æternum*, aliquandò temporalem, ſed non perpetuam ſignificat durationem, Sacra Hiſtoria ad æquiuocationem de medio tollendam, addit; *Regni eius non erit finis*, vt æternitatem Regni nunquàm terminandam, ſe intelligere, moneret. Documentum eſt Sancti Patris Auguſtini.

Videamus modò, & curioſè aduertamus ſtylum ſacræ Paginæ, dum de Pœnitentia ſermonem facit, & videbimus, quod numquam ponit *Pœnitentiam*, niſi adiunctis vocibus, *ieiunÿ*, *fletus*, *cilicÿ*, *&c.* quæ omnia punitionẽ, & pœnalitatẽ ſonant. Matth. 11. *Si in Tiro, & ſidone, factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cinere, & cilicio, pœnitentiam egiſſent*. Iob c. vltimo *Ago pœnitentiam in fauilla, & cinere*: obſeruandum hic, quod ſacra Hiſtoria punitionem cum pœnitentia ſemper adiunctam, & comitem habet: ergò peſſimè hæretici noſtri temporis opinantur *pœnitentiam*, ſolam *reſipiſcentiam*, & propoſitum melioris vitæ ſine de habitis peccatis dolere ſignificare: Eſt ergò punitiò comes inſeparabilis pœnitentiæ, illiuſque lateri ſemper adhæret. Requiri caſtigationem interiorem; docet Iſaias 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: Ioelis 5. *Scindite corda veſtra, & nõ veſtimẽta veſtra*: Requiri caſtigationẽ exteriorem, patet ex eo, quod dùm in ſacro Codice, de Pœnitentia habetur ſermo, ſemper coniuguntur tales voces.

Patres Orthodoxi in eodem ſignificatu à nobis aſſumpto, vtuntur hac voce, *Pœnitentia*. Sanctus Auguſtinus ſerm. 5. de lapſis: *Pœnitentia crimine minor non ſit*; hoc eſt quantum fuit peccatum, tanta ſit caſtigatio. Sanctus Auguſtinus epiſt. 108. ad Seleucianum: eſt Pœnitentia bonorum, & humilium fidelium pœna, in qua pectora tundimus, dicentes; *Dimitte nobis debita noſtra*: Item contra hæreticos eſt, quod Scriptura refert pœnitentes aliquos, qui inter pœnitendum, punitionem exercuerint in ſemetipſis: Hinc de Magdalena Lucæ 7. legitur, *quòd ſtans ſecus pedes Domini, lacrymis cæpit lauare pedes Chriſti*: Dauid de ſe ipſo ſermonem faciens pſalm. 6. ait: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo*: & pſ. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodiui legem tuam*: Marci 14. & Matth. 26. dicitur de D. Petro, quod exiens foras fleuit amarè; quinimò Clemens Romanus ait Diuum Petrum hac in vita, poſt abnegatum Chriſtũ, numquam audiuiſſe gallum cãtantem, quin ſtatim erumperet in lacrymas ob ſolam cognitionem de peccato abnegationis Chriſti, à ſe commiſſo. Ambroſius de Sacramentis

c.6. Audiant qui agunt pœnitentiam quomodo eam agere debeant, quo ſtudio, quo affectu, qua mentis intentione, qua interiori concuſsione viſcerum, qua cordis punitione. Origenes hom.2. in Leuiticum: Per duram, & laborioſam pœnitentiam remiſsio fit peccatorum: Lucæ ergo clariùs deducitur, & conuincitur ex ſacra Pagina, Sanctiſq; Patribus, Pœnitentiam sẽper habere comitem à ſe inſeparabilem triſtitiam, & dolorem de peccato commiſſo, ſicut & fletum, cilicium, &c. Qui pleniorem huius rei probationem deſiderat, legat Scotum d.14.q.1.

DISPVTATIO PRIMA.

De Pœnitentia Virtute.

Explicatur nomen Virtutis.

NOMEN Virtutis ambiguum eſt. Aliquandò ſumitur pro vi, & efficacia ad operandũ, ſic robur corporis dicitur eius virtus, & virtus Euangelij, Crucis Chriſti, verbi Dei ad perſuadendum Virtus appellatur à D. Paulo ad Rom. 1. & 1. ad Corinthios. Ex hac ſignificatione, reliquæ omnes dimanarunt; nàm hinc eſt, vt etiam ſignicet potentias ipſas operatiuas, vt virtus oculi, &c. præſertim ſi ex ſe determinatæ ſunt ad vnum: quia ex ſe, ſine vlla re addita, ſatis ſunt ad operandum. Aliquandò ſumitur pro effectu ipſius potentiæ, præſertim ſi ſit inſignis; Sic Marci 6. miracula, quæ ſunt effectus diuinæ potentiæ, virtutes dicuntur. Ab eadem etiam ſignificatione eſt deductum, vt virtus ſignificet diſpoſitionem quandam, qua potentia iuuatur ad eliciendum actum; ſolet etiam virtus id dici, vndè moraliter boni nominamur; cumque id ſit ſolum per habitus morales: idcircò habitus intellectus, hoc modo virtutes non ſunt. Denique, (quæ eſt huius loci ſignificatio) virtus ſumitur pro perfectione quadam potentiæ rationali, vt rectè operetur; vndè, in oppoſitum, vitium accipitur pro habitu eo, per quem rationalis potentia diſponitur, & incitatur ad prius operandum: Hocque vult etiam diffinitio illa celebris ex D. Auguſtino lib. 2. de libero arbitrio cap. 18. Virtus eſt bona qualitas mẽtis, qua rectè viuitur: Tandem, propria, ethymologia virtutis eſt, vt virtus à viro dicatur; Tum quatenus hæc vox ætatem, tum quatenus ſexum ſignificat: nàm virtus, uiris, & non pueris conuenit; & rurſus, viris potius conuenit, quàm fæminis.

Virtutis varias legimus apud Ariſtotelem diffinitiones 2. Ethicorum c.6. dicitur *Habitus ex quo, & bonus homo efficitur, & benè opus ſuum reddit*; quod quomodò fiat, conſequẽter explicat, nimirum, ſi paſsiones, actuſq; ſuos homo laudabili mediocritate rẽperet, quæ defectum ſimul, & exceſſum euitat: Hæc diffinitio communior eſt: nàm virtuti naturali, æquè ac morali cõgruit: virtus equi (inquit Ariſtoteles) & ipſum equum probũ efficit, & ad curſum idoneum facit. Rurſus ſecundo Ethicorum c.6. ita dicitur: Virtus eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens prout vir ſapiens determinauerit. Dicitur habitus: quia de virtute hic loquimur, quatenus principium quoddã rectè operãdi, permanens, & fixum ſignificat: undè probi denominamur, tametſi agamus nihil. Iterum dicitur habitus, quià cum duo ſint in nobis, vndè prodire noſtri actus valeant, ſcilicet facultas, & habitûs; Virtus, nec eſt facultas, ergò habitus; Quod facultas, haud ſit, patet: quia hæc nobis ineſt à natura. Secundò quia ſecundum illam, nec boni, nec mali dicimur; reſtat ergò quod ſit habitus. Secundò dicitur electiuus: quià eſt circà media, quæ nos ad finem vltimum conducunt, & ad illa liberè eligenda, nos inclinat: Deo virtuti non imputatur; quod ex naturæ neceſsitate, vel à coactione proficiſcitur: Dicitur in mediocritate conſiſtẽs, vt explicet materiam circa quam virtus moralis verſatur, nempè circà medium inter extrema, vt fortitudo inter audaciam, & timo-

timorem. Dicitur prout ſapiens determinauerit: quia medium virtutis nō eſt arithmeticum, ſed quod dicatur ſecundùm regulas prudentiæ; vndè ſicut in quolibet continuo dantur, plus, minus, & æquale, quod eſt medium; ità in moribus datur plus, & minus; hoc eſt, exuberantia, & defectus, in quibus vitia ſunt, & inſuper, mediocritas, in quam virtus verſatur. Medium rationis eſt id, quod nec redundat, nec deficit, quod congruit rectæ rationi, indicioq; prudentium; vndè medium rationis, id dicendum; quod penſitatis omnibus circumſtantijs, perſonæ, ætatis, Indolis, temporis, loci, congruit rectæ rationi.

Dices: inter extrema infinita non eſt dare medium: ſed vitia, quæ ſunt extrema virtutis, infinita ſunt: quippè vitia infinitis ferè modis fiunt: ergo virtus non eſt medium inter ipſa vitia. Adde, quod habens rationem extremi, non poteſt eſſe medium: ſed virtus inducit rationem extremi; ergo virtus non eſt medium, ſeù mediocritas inter exceſſum, & effectum. Minor probatur, quia virtus in ſententia Ariſtotelis eſt quid bonum: & bonum eſt extremum *oppoſitum malo*: etenim bonum, & malum opponuntur extremè: ergò virtus eſt extremum, & non medium, Facit etiam, quod medium inter extrema participat rationem vtriuſque extremj, vt patet de Tepido, & de coloribus medijs: ſed virtus non poteſt eſſe particeps extremorum vitiorum: nam liberalitas nequit participare prodigalitatem, & auaritiam.

His omnibus fiet ſatis ſi nouerimus medium ſumi ad præſens quatuor modis. Primo ſumitur pro eo, quod participat vtrūq; extremvm; hac ratione colores medij participant de albedine, & nigredine, & tepidum de calido, & frigido. Secundò ſumitur medium per negationem vtriuſque extremi, vt inter ſanum. & infirmum ſolet aſſignari medium per negationem illud videlicèt, quod neque ſanum, neq; ægrum. Tertio ſumitur pro medio in quantitate, quod ex æquo diſtat ab vtroque extremo. Quartò ſumitur pro medio formæ, ſcilicet pro illa forma, quæ eſt media inter duas formas, vt forma embrionis eſt media inter formam ſeminis, & formam hominis. Hinc dico virtutem non conſiſtere in medio in quantitate, ſeù in medio arithmetico, & ſecundùm proportionem, ſed in medio reſpectu noſtri. Hæc etiam virtus eſt medium formæ: quià licet fiat progreſſus à forma ſeminis ad formam hominis per formam embrionis: tamen ſi fiat mutatio ab vno extremo virtutis in aliud, v.g. ab auaritia ad prodigalitatem, non eſt neceſſitas tranſire per mediam virtutem, ſcilicet liberalitatem. Conſiſtit virtus in medio, non per participationem extremorum, ſed per negationem vtriuſq; extremi, quod eſt dicere: Virtus eſt medium inter vitia extrema, non per participationem illorum, ſed per negationem. Ex his patet ad obiecta in contrarium: Ad primum ergo, dicimus, inter extrema infinita non poſſe dari medivm per participationem, nec poſſe dari medium rei, ſeu medium arithmeticū, quod æqualitèr ab vtroq; extremo diſtet, poſſe tamen dari medium per negationem extremorum, qua ratione virtus eſt mediū per negationem extremorum, ad quod parùm refert, quod extrema ſint finita, vel infinita. Ad ſecundum reſpondeo virtutem poſſe conſiderari duobus modis. Primo ſecundum ſuam ſubſtantiam, & eſſentiam, & ſic, eſt quid medium, & eſt mediocritas inter exceſſum, & defectum. Secūdo poteſt conſiderari ſecundùm proprietatem, ſcilicet, quatenùs eſt, & ſic induit rationem extremi boni malo oppoſiti. Dices: Illud, quod eſt ſupremum non poteſt eſſe medium: ſed ſunt aliquæ virtutes, quæ obtinent locum ſupremi, vt patet in magnanimitate, ergo virtus non eſt medium, nec conſiſtit in medio inter extrema vitia. Reſpondemus: Illud, quod eſt ſupremum, non poſſe eſſe medium ſecundū eamdem rationem, benè tamen ſecundùm diuerſas: quarè magnificentia dicitur ſupremum in pecunijs diſtribuēdis, vel vtendis reſpectiuè ad liberalitatem: quiā magnificētia verſatur circa magnos ſumptus: videlicet magnanimitas dicitur ſupremum reſpectu cuiuſdam virtutis innominatæ, & quia verſatur circa magna; tamen non obſtat quominùs diuerſa ratione poſſint eſſe media reſpectu ſuorum extremorum, quæ ſunt exceſſus, & defectus.

Ariſtoteles 7. Phyſicorum tex. 17. dicit: *Virtutem eſſe diſpoſitionem præſtantiſſimi ad opus*. Quæ diffinitio, etſi propriè non ſit virtu-

Digitized by Google

virtutem, de quibus in præſenti, ei tamen accommodari poteſt, vt ſit ſenſus; Virtus eſt diſpoſitio præſtantiſſimi ſubiecti in ſuo genere, quod eſt natura rationalis ad optimam operationem, quæ eſt operatio ipſa virtutis, quæ optima eſt in natura rationali.

Scholaſtici ex varijs Sancti Auguſtini dictis, hanc colligunt virtutis diffinitionẽ; *Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, & quam Deus in nobis ſine nobis operatur*. Dicitur qualitas bona, (& fortè melius diceretur habitus) vt ſignificetur genus proximum virtutum. Ly bona, non ſignificat bonum tranſcendens, ſed bonum rationis, quoniam virtutibus homo diſponitur, vt ſecundum rationem rectam operetur, quod non fit, niſi ab aliqua bona qualitate mentis. Nomine mentis indicatur ſubiectum, quod vel eſt ipſamet mens, in qua eſt prudentia, vel id, quod participat mẽtem, ut ſunt aliæ omnes potentiæ, in quibus uirtutes reperiuntur: quoniam cum prudentia regula ſit omnium uirtutum, nihil poterit eſſe ſubiectum uirtutum, niſi pendat à prudentiã, & aliqua ratione participet mentem, qua recte uiuitur, hoc eſt, exercentur operationes, quæ ſunt ujta; quæ rectitudo operationum conſiſtit in conformitate ad legem, & rectam rationem. Dicitvr, qua rectè viuitur, & qua nemo malè utitur; ubi uita non ſumitur pro ſubſtantia, ſed pro operatione. Dicitur qua nemo malè utitur: nam etſi uirtutis actus queat uitari, nõ tamen uirtus reperitur. Dicitur infundi in nobis, ſine nobis, vt ſciamus cauſam eſſe Deum, &c. Fortè diffinitio iſta ſolis conuenit virtutibus Theologicis.

Ex dictis ſuppono omnem virtutis habitualis qualitatem peti debere ex actibus. vndè primò debet omnis virtus eſſe libera ſcilicet fluere ex electione: Ideò notat optimè Plato in Cratyllo, vitium omne inſtare tenaci cuiuſdam vinculi conſtringere ſolere potentias animæ, eaſq; impedire, ne liberè, & expeditè ad proprios, & conſentaneos actus progrediantur, eò autem impedimento liberari per virtutem. Secundo debet eſſe rationalis, ſcilicet conformis rectæ rationi: Ideò virtutem vniuerſam, in eo poſuit Plato, vt ipſi rationi, ideſt primæ, & puriſſimæ omnium rationabilium actionum regulæ conſentiat, obtemperetque. Tribus modis poteſt humana operatio rectæ rationi eſſe conformis. Primò aptitudine. Secundò habitu. Tertiò actu. Actio conformis rationi aptitudine, eſt ea, quæ ex ſe apta eſt dictari à recta ratione, tamen ab eo fit, qui caret prudentia: vt ſi amens inopinatè id ageret, quod editum ab homine ſano, laudabatur. Habitu dicitur actio conformis, quæ ſine vlla intentione procedit ab eo, qui habet habitum prudentiæ, nihil tamen influentem, nec vllatenús dirigentem, vt ſi vir, alioquin prudens actionem honeſtam ſolo naturali impetu, non ductu rationis eliceret. Actio conformis eſt, quam ratio actu dictat eliciendam.

Tertiò, Virtus eſt ſtabilis, ac conſtans: nàm poſſunt actiones alioquin honeſtæ ab homine peruerſo interdúm fieri; ſed quià non proueniunt ex habitu virtutis, ideò nec conſtanter illæ, nec perſeueranter ſimiles elicitæ; hinc ſecundúm Guglielmum Pariſienſem, virtus dicitur quaſi viri ſtatus, & certè à viro deriuatur (vt iam ſupra notaui) quod verè viros, ſcilicet viriles, fortes, & conſtantes homines facit. Hæ ſunt virtutis proprietates; alios plures habet ingenitæ nobilitatis titulos, vt quod ſit per ſe honeſta, iucunda, ſalutifera, vtilis homini ad ſuam beatitudinem obtinendam, &c.

Suppono etiam virtutem partitam eſſe in intellectualem, & appetitiuam. Pro hac diuiſione legendus eſt Scotus in 3. d. 34. §. vlterius, &c. vbi dicit virtutem eſſe diuiſam in habitum intellectualem ſubiectatũ tum in intellectu, & appetitiuum ſubiectatum in voluntate.

Habitus intellectualis acquiſitus diuiditur in ſpeculatiuum, qui inclinat ad actus ſiſtentes tantummodò in mera ſpeculatione; & in practicum, qui inclinat ad actus, qui ſunt praxes, ſeú operationes alterius potẽtiæ ab intellectu. Speculatiuus adhuc ſubducitur in realem, & rationis; realis verſatur circà ens reale, vt methaphyſica, Phyſica, & Mathematica. Rationis verſatur circà ens rationis, vt Logica, Rectorica, Grammatica. Practicus etiam ſubdiuiditvr in eum, qui eſt circa agibile, vt prudentia; & in eum, qui eſt circa factibile, vt ars. Et quodlibet in iſtis membris diuiſis, adhuc ſubdiuiditur (vt monet Scotus) in alia mẽbra antequã deueniatur ad ſpecies ſpe-

Digitized by Google

ſpecialiſſimas. Tertiò tandèm diuidit Scotus habitum appetitiuum acquiſitũ,in eum, qui diſponit appetitum in ordine ad alterũ & hic vocatur Iuſtitia, quæ adhùc diuiditur in alias ſpecies, vt patebit infra agendo de Iuſtitia; & in eum, qui diſponit appetitum in ordine ad ſe; & hic eſt duplex; vnus reſpicit appetibilia, quæ primò nata ſunt conuenire, & fugibilia, quæ primò nata ſunt diſconuenire. Hic vocatur temperantia, & ſpectat ad partem concupiſcibilem voluntatis. Alter reſpicit appetibilia, & fugibilia, non primò, ſed ratione primi appetibilis, & hic vocatur fortitudo, & ſpectat ad partem iraſcibilem. Ex his, hæc accipe documenta.

Firmum documentum:In intellectu ſunt ex habitus intellectuales; unus eſt per ſe infuſus, vt fides; reliqui ſunt acquiſiti, vt ſcientia, intellectus, ſapientia, ars, & prudentia.

Secundum documentum: In voluntate ſunt quinque principaliores habitus appetitiui: duo ſunt per ſe infuſi, ſcilicet ſpes, & caritas; reliqui acquiſiti, nempè iuſtitia, temperantia, & fortitudo.

Tertium documentum ex ijs habitibus acquiſitis quatuor, nimirùm Prudentia, iuſtitia, temperantia, & fortitudo vocantur Cardinales, (vt ſupra notaui) quia quemadmodum fores cardinibus ſubſtentantur, ita tota vita humana ab ijs virtutibus fulcitur, & de ipſis eſt expreſſa mentio. in ſapientiæ 8. ſobrietatem, & prudentiam docet, iuſtitiam, & virtutem, qnibus vtiliùs nihil eſt in vita hominibus. Per ſobrietatem intelligitur temperantia, & per virtutem fortitudo ex communi omnium Petrum conſenſu.

Circà vltimam diuiſionẽ in qua dicitur, quod iuſtitia diſtinguatur à temperantia, & à fortitudine per hoc, quod illa tendat in bonum alterius, & iſtæ in bonum proprium, occurrit duplex difficultas. Prima eſt: nam ſecundùm Scotum in 3.d.33.§.ad primum verſ. hoc probatur; Virtus nõ variatur per mihi, & tibi, ſiuè per meum, & tuum: ergo per eandem virtutem, nimirùm per eamdem temperantiam, vel iuſtitiam poteſt quis velle bonum ſibi, & alteri, adeòque non ſufficientèr diſtinguntur per illas tendentias. Reſpondetur diſtinguendò antecedens. Virtus non variatur per mihi, & tibi, ſi illud in quod tendit virtus appetatur ex affectu eiuſdem honeſtatis, concedo antecedens, nec aliud voluit Scotus; ſi autem appetatur ex affectu diuerſæ honeſtatis, nego antecedens; eodem modo diſtinguendum eſt vtrumque conſequens.

Itaquè, verum eſt, quod voluntas eodèm habitu inclinare poteſt ad appetendũ aliquod bonum ſibi, & alteri ſub ratione eiuſdem honeſtatis; at, ſi non appetatur ità, tunc eſt neceſſaria duplex virtus,quarum vnâ inclinetur voluntas ad appetendum bonum alteri, & altera inclinetur ad appetendum bonum ſibi; ſic eſt in propoſito: nàm iuſtitia tendit in bonum alterius, quod eſt, vt tale reduplicatiuè, habet ſpecialem honeſtatem ex obiecto, & temperantia tendit in bonum proprium, quod etiam vt tale reduplicatiuè, habet ex natura rei ſpecialem honeſtatem; adeòq; ex illis tendentijs optimè colligitur iuſtitiam, & temperantiam eſſe habitus diſtinctos.

Secunda difficultas in hac diuiſione,eſt, quod non ſit adæquata: nam certum eſt, caritatem naturalem eſſe virtutem moralem, & hæc non ſpectat ad iuſtitiam, quia per caritatem naturalem poteſt quis appetere ſibi bonum, neque ſpectat ad temperantiam, & fortitudinem: quia poteſt quis per caritatem appetere alijs bonum; ergò illa diuiſio non videtur adæquata; quia non compræhendit ſub ſe omnem virtutẽ moralem. Reſpondetur negando minorẽ: nam ſi loquatur de caritate naturali, qua Deũ naturaliter diligimus, vel alia bona, propter quę Deum naturaliter diligimus vel alia bona propter Deum, dico ſpectare ad iuſtitiam: quià propriè tendit in bonum alterius. Deindè ſi loquamur de caritate, qua diligimus alios; etiam ſpectat ad iuſtitiam propter eamdem rationem, ſi denique loquamur de caritate naturali, qua diligimus nos ipſos, vel qua appetimus bona nobis; tunc dicendum eſt, ſpectare ad temperantiam, & fortitudinem; quià inclinat voluntatem ad bonum ſibi proprium, & vtile.

DIF-

DIFFICVLTAS.

Quodnam ſit ſubiectum habitus temperantiæ; & fortitudinis, & omnium virtutum, quæ ad has reuocari ſolent.

RESpondemus, quod in voluntate ſunt ponēdæ virtutes morales: quia omnis potentia indifferens ad benè, vel malè operandum indiget habitu, à quo reguletur: ſed voluntas ita ſe habet: ergo in ea ſunt ponendæ virtutes morales. Minor probatur: quia voluntas aliquandò ſequitur appetitum ſenſitiuum contra dictamen rectæ rationis; ergò indiget habitu à quo reguletur ad operandum conformitèr rectæ rationi. Sit altera ratio: In homine perfectè ſtudioſo, voluntas debet obedire delectabilitèr rectæ rationi; ergo vt ipſa reddatur ad hoc prompta, ponendæ ſunt in ea virtutes morales diſponentes ipſam ad obediendum rectæ rationi delectabilitèr. Probatur conſequentia: quia de ratione habitus eſt facilitare potentiam ad operandum; ergo voluntas non poteſt reddi facilis, & prompta ad obediendum rectæ rationi ſinè virtutibus moralibus: quià effectus formalis eſſe non poteſt ſine forma. Accedat altera ratio: Appetitus mouet voluntatem, vt legitur ad Rom. 7. Sentio aliā legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & captiuantem me in lege peccati. Iacobi primo: Vnuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus: quæ verba explicans Auguſt. lib. 1. contrà Iulianum c. 5. Pariens ait eſt concupiſcentia, partus peccatum: ſed concupiſcentia non parit, niſi conceperit, non concipit, niſi illexerit. Secundò patet experientia motus inordinatos iræ, doloris, & huiuſmodi trahere poſſe voluntatem.

Monemus tamen hanc motionem non fieri per aliquèm influxum Phyſicum in voluntatem, aut per aliquod imperium. Ratio pro prima parte eſt: quia non ordinatur appetitus ad voluntatem, niſi mediante phantaſia, & intellectu (quia nihil volitum, quin præcognitum:) ſed intellectus non mouet phyſicè voluntatem, nec obiectum in intellectu; ergo nec appetitus. Sit altera ratio: Non magis efficax eſt appetitus ad mouendam voluntatem quàm obiectum clarè propoſitum voluntati: ſed hoc tantum mouet voluntatem metaphoricè; ergo: &c. Maior patet Nàm appetitus eatenus mouet volutatem quatenus allicit eam ad operandum circa idem obiectum ſuum, hoc autem fit mediante bonitate ipſius obiecti propoſita voluntati: ergo

Notandum etiam voluntatem poſſe repugnare appetitui. Nam vt definit Trid. ſeſſ. 5. de pecc. orig. can. vlt *Concupiſcentia relicta eſt ad agonem: nocere non conſentientibus non valet*, *&c.* Subinfero: ſed ſi phyſicè moueret voluntatem, voluntas eidem non poſſet repugnare, quia prior eſt naturaliter in operando; operatur enim operante phantaſia: ergo talis motus eius non eſſet in poteſtate voluntatis, ad quem merè paſſiuè ſe haberet. Altera pars noſtræ aduertentiæ patet: quia imperium eſt in potentia ſuperiori, voluntas autem eſt talis, reſpectu appetitus, & non è contra. Deindè imperium dicit libertatem; non ità appetitus, quia eam in ſe non habet.

Aliud documentum: Appetitus mouet voluntatem obiectiuè, & per ſimpatiam, quatenùs in ipſa voluntate eſt affectus commodi, & etiam affectus iuſtitiæ: iuxtà hunc ſequitur inclinationem rationis; iuxta illum inclinationem appetitus, & concupiſcentiæ, quæ fertur circa commodum, ſeù delectabile, vndè quando obiectum eſt præſens appetitui per imaginationem, fit ſtatim præſens voluntati per intellectum: ſimul enim tempore fit in intellectu, & in ſenſu, vndè illud: quandò intellectus intelligit, phantaſia phantaſiatur, & è contra, quando non impeditur vſus rationis, ex duabus ergo rationibus mouetur, ſeù trahitur voluntas ad operādum per appetitum. Prima eſt concordia omnium potentiarum, quæ radicantur in eadem anima, vndè quando vna operatur vehementèr, vel ſuſpendit operationes reliquarum, vel ſi natæ ſunt circa idem operari, trahuntur ad operationem ex ſympatia, tota enim virtus animæ quaſi exercetur mediante illa potentia, quæ vehementèr operatur. Hoc patet in ſpeculatiuis, in quibus virtus digeſtiua etiam ſuſpen-

Digitized by Google

ſuſpenditur à ſua operatione. Altera etiã cauſa eſt ex ſpeciali inclinatione voluntatis ad idem obiectum appetitus inferioris trahitur ad operandum, non per influxum ſed obiectiuè per ſuggeſtionem, interueniente quacumq; perſuaſione intellectus, quæ naſcitur ex vehementi operatione imaginationis circa obiectum appetitus, qui trahit ſecum phantaſiam, phantaſia intellectum.

De his duobus effectibus voluntatis agit Scotus pluribus in locis in 2. d. 29. vbi docet voluntatem non amare finem, niſi fiat ipſi delectabilior, quàm ſit objectum appetitus; iſta doctrina eſt etiam ſanctorũ Patruum; vt Auguſtini contra Pelagionos; in hoc enim primario ſiſtit infirmitas voluntatis, quod magis inclinatur ad appetitum, quàm ad rationem, neque offertur, niſi amore, vel delectatione vincente, & trahente ab oppoſito in quibus conſiſtit vocatio diuina, vel gratia excitans, quandò trahitur ad bonum: trahitur enim mediante amore, aut delectatione inſpirata, non per alia media; ſed de ha re, in materia de gratia. Videatur etiam Scotus in 3. d. 34.

Si ergo voluntas tantas patitur anguſtias in benè operando, rationabilitèr diximus ponendas eſſe virtutes morales in voluntate, vt illis virtutibus delectabilitèr operetur. Suadet etiam hæc ratio deducta ex Scoto §. præterea, & eſt talis: Voluntas eſt indeterminata non ſolùm ad oppoſita, ſed etiam in modo agendi, ſcilicet rectè, & non rectè: ergò indiget habitu inclinante, & determinante ſe ipſam ad rectè agẽdum: talem habitum appello virtutem moralem; ergò virtus moralis eſt ſubiectuè in voluntate. Vrgetur ratio: Ideò Aduerſarij ponunt ſubiectiuè temperantiam, & fortitudinem in appetitu ſenſitiuo, vt his mediantibus, diſponatur, & determinetur ad benè operandum; ergo idem diſcurſus concludit de voluntate: quippè voluntas poteſt velle quodcumque bonum, & circa illud rectè, vel non rectè operari; ne dicatur de nudata libertate, nec peccare poſſe.

Nec valet ſi dicatur voluntatem nõ indigere habitu, quò determinetur ad rectè operandum, ſed ſufficere, quod ratio recta ipſi oſtendat quid rectè agendũ ſit. Hanc reſponſionem vidit Scotus, & eam non approbat: tùm quia priùs intellectus deberet errare in oſtendendo, quàm voluntas poſſet peccare; & ſic prior eſſet pœna, & error in intellectu, quàm culpa in voluntate, & ita Adam peccaſſet ex ignorantia, quod non conceditur. Tùm quia voluntas etiam ſtante recta ratione dictante, magis eſt indeterminata ad rectè operandum, quã intellectus ad rectè iudicandum: cùm hic ſit potentia naturalis, & illa libera; ſed intellectus ex frequentatis actibus acquirit habitum, ſcilicèt prudentiam ad rectè iudicandum, etiam ſecundùm Aduerſarios: ergò multò magis voluntas ex frequentatis actibus acquirit habitum ad rectè operandum. Tùm denique, quia habitus nõ ſolùm ponitur in potentia ad rectè operandum, ſed etiam ad delectabilitèr, & prõptè operandum, ergò gratis conceſſo, quod voluntas non indigeat habitu virtuoſo ad rectè operandum, adhuc indiget illo ad delectabilitèr operandum.

In pœnitentia, de quâ vſque modo loquuti ſumus, quatuor potiſſimum inueniuntur. Primum eſt deteſtari peccatum. Secundum velle vindicare commiſſum. Tertium velle pœnam in vindictam peccati inflictam grauanter acceptare. Quartum deniq; velle pœnam acceptam, & inflictam patientèr ſufferre. Legatur Scotus in 4. d. 14. q. 2. Iſta quatuor eſſe inter ſe diſtincta, patet: nàm primum eſt incentiuum ſecundi, non enim vindicatur, niſi, quod putatur iniuſtum; vtrumque eſt cauſa, & motiuum tertij: quià ſi volo in me vindicare delictum, debeo, & acceptare pœnam, quam ſi virtuoſè acceptare volo, neceſſe eſt patienter feram, quod volens acceptari.

De his quatuor actibus poteſt dubitari, an ſinguli ſint actus virtutis, & in quonam ex illis magis principalitèr conſiſtat ratio propria pœnitentiæ virtutis. Veritatem dabunt, quæ ſubſequuntur propoſitiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Pœnitentia quocumque modo ex dictis quatuor conſiderata eſt virtus vera.

FAuet Scotus, & docet ratio. Primo, quia de pœnitentia in genere datur præ-

præceptum diuinum, Matth. 4. Pœnitentiam agite: ſed legislator præcipiendo intendit facere ſubditos virtuoſos, ergo pœnitentia præcepta, eſt vera virtus. Secundò. pœnitentia vera facit habentem bonum, quod ad virtutis rationem ſufficere, docet Ariſtoteles. Tertiò dictât recta ratio, ſicut complacendum in bono, ità diſplicendum in malo: Virtus autem ſecundùm Philoſophum 2. Ethicorum; *Eſt habitus ſecundùm rationem electiuus*. Quarto eadem ratio dictat, ſicut bonum eſſe acceptandum, & amandum, ità, & pœnam ad bonum reductiuam,ſimiliter acceptandam patientèrq; ſufferendam.

PROPOSITIO II.

Pœnitentia, prout importat vindicare peccatum à ſe commiſſum, ſeù pro illo voluntariè ſibi applicare pœnam eſt actus virtutis.

DOcet Scotus in 4. d.14.q.2.art.2.hoc modo ex ipſo Scoto formo ratione pro propſitione: vindicare in ſe peccatum commiſſum, ſibiq; pro illo pœnam applicare, eſt actus conformis rectæ rationi: at actus conformis rectæ rationi eſt actus virtutis; ergò pœnitentia, vt dicit vindicare in ſe peccatum commiſſum, eſt actus virtutis. Maior in qua difficultatis nodus ſtat, probatur. Secundùm rectam rationem Legislator fert legem ad vindictam contra tranſgteſſores illius, ac proindè Miniſter talem vindictam exequens, exequitur ſecundùm rectam rationem. Subinfero: at Deus ſupremus Legislator talem dedit legem ad vindictam pro peccatis, vt ipſe peccator, ſibi ipſi pœnam pro peccato à ſe commiſſo infliget: ergo peccator ſubminiſter huius vindictæ, ſecundùm rectam rationem in ſe ipſo exercet talem vindictam: ergò vindicare peccatum in ſe, ſibique pro illo pœnam applicare, eſt actus cònformis rectæ rarioni: Maior huius proſyllogiſmi decas obtinet partes: Prima eſt: quilibet Legislator ſecundum rectam rationem fert legem ad vindictam pro tranſgreſſione legis. Secunda eſt: Miniſter ſecundum rectam rationem, talem vindictam exequitur.

Quo ad primam partem probatur: Quilibet Legislator, recta ratione punit vitia, præmiatque virtutes: ergò etiam recta ratione dat legem vltricem vitiorum, & præmiatricem virtutem; Secunda pars ita oſtenditur: Rectitudo in actu ſubminiſtrationis, conſtitit in conformitate ad legem, cui Miniſter ſubminiſtrat: ergo ſi Legislator ſecundum rectam rationem fert legem ad vindictam exequendam, ſecunum rectâ rationem exequitur; Quod verò Deus legem dederit, vt Peccator in ſe ipſo puniat peccatum à ſe commiſſum; patet ex ſacra Pagina Lucæ 33. *Niſi pænitentiam egeritis,peribitis*: ergo Peccator applicans ſibi vindictam, vt Dei miniſter agit ſecundum rectam rationem, ac proindè pœnitentia, vt importat vindicare in ſe peccatum à ſe commiſſum, eſt actus virtutis.

PROPOSITIO III.

Pœnitentia prout importat vindicare in ſe peccatum commiſſum non eſt actus virtutis ad hunc modun, quod ſemper eliciatur à virtute præexiſtente.

DIcitur, ergò actus virtuoſus ad hunc modum, ſcilicèt eſt elicitus conformitèr ad rectam rationem, eſt aptus elici à virtute iam generata, & etiam quod in ſe aptus ſit generare virtutem. Veritas propoſitionis, ità oſtenditur: huiuſmodi actus eſt virtuoſus, quia conſors eſt rectæ rationi, ſed ad hoc, quod actus aliquis ſit rectæ rationis conformis non requiritur neceſſariò, quod eliciatur à virtute: poteſt enim tantum dictari ab ipſa ratione recta, eliciq; à voluntate, ergo, &c.

PROPOSITIO IV.

Pœnitentia, vt dicit deteſtationem peccati à ſe commiſſi eſt actus virtuoſus.

PRobatur: Deteſtari peccatum, vel diſplicentiam de peccato habere, eſt actus conformis rationi rectæ: ergo eſt actus

actus virtutis: Antecedens probatur: ſicut recta ratio dictat complacendum eſſe in bono honeſto, ità dictat eſſe diſplicendum in malo inhoneſto; at peccatum eſt malum: ergò recta ratio dictat eſſe deteſtandum, atque ità deteſtari peccatum à ſe commiſſum eſt actus conformis rectæ rationi, & virtuoſus.

PROPOSITIO V.

Pœnitentia, vt ſignificat gratantèr acceptare pœnam inflictam pro peccato, & etiam prout ſignificat patientèr, & placato animo tolerare pœnam, ſunt illi actus virtuoſi.

REcta etenim ratio dicit acceptandam pœnam inflictam pro peccato à ſe commiſſo, & illam pœnam patientèr, placatoq; animo tollerare.

PROPOSITIO VI.

Pœnitentia prout dicit habitum inclinantē ad elicitionem actuum enumeratorum eſt virtuoſus.

PRrobatur, quià actus bonus nequit eſſe ab habitu malo: quippè hoc eſt diſcrimen inter habitum, & potentiam, quod potentia eſt indifferens ad bonū, & ad malum, quocirca eſt impoſsibile, vt habitus non ſit bonus, ſi actus eſt bonus.

PROPOSITIO VII.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta ſuadentia pœnitentiam non eſſe virtutem.

PRimum argumentum: Actus virtutis eſt voluntarius, quia electiuus: ſed actus pœnitentiæ non eſt voluntarius: ergo non eſt virtus. Minor probatur: Pœnitētia eſt pœnalis: ergò inuoluntaria; etenim nullum pœnale eſt voluntarium. Confirmatur: Pœnitentia habet ſibi annexam inflictionem pœnæ, ac triſtitiæ; ſed pœna, & triſtitia ſunt circa ea, quæ nobis nolentibus accidunt; ergò pœnitentia non poteſt voluntariè acceptari, & ita minimè eſt actus virtutis; cum talis debeat eſſe voluntarius.

Vt reſpondeamus. Moneo tres à Theologis aſſignari pœnas correſpōdentes peccatis. Prima dicitur naturalis, ſeù correlatiua. Secunda inuoluntaria. Tertia voluntaria. Explicatur iſta doctrina illam dici pœnam naturalem, & correlatiuam, quæ ſtatim, & ſubitò naturaliter conſequitur ipſum peccatum, & indubitanter, quaſi fideliſſimus comes, ipſius peccati lateri adhæret, eſtq; naturalis pœna peccati hinc illud celebrè dictum cuiuſdam Poetæ,

——Pœnitet,
Et pro peccato torqueor ipſe meo.

Pœna inuoluntaria ea dicitur, quæ ab alio infligitur, & remurmurante voluntate ſuſcipitur. Pœna voluntaria eſt, cui aſſenſum voluntas præbet.

Pœnam naturalem, ſeù correlatiuam nō minuere delictum, nec pro peccato ſatisfacere, ſciunt omnes: quià, quæ à natura ſūt laudem nullam afferunt. De inuoluntaria idem patet in damnatis, etſi enim illa ſit intenſiuè maxima, ſiuè grauiſsima, necnon extenſiuè, cùm ſit n perpetuum duratura, tamen non expellit peccatum. Pœna voluntaria ſatisfacit pro peccato. Patet in pœna purgatorij, quæ quia voluntariè ſuſcipitur purgat; debet tamen ſuſcipi cum ſpe diuinæ miſericordiæ; alioquin non modò inutilis, quinimò damnabilis foret, vt in Iuda ſe ſuſpendente videre eſt.

Quod dixerim pœnam voluntariam; alicui impoſsibile, & repugnans non debet videri: quippè pœnam, quantumuis maximam, voluntariam, non ſolùm ſecundùm quid, ſed etiàm ſimplicitèr, itàut nec negatiuè, nec contrariè homo diſſentiat; docent Theologi in iſto 4.d.14. Probatur exēplo: in Naui exiſtens Mercator, ob naufragij periculum, merces ſuas proijcit in mare, volens voluntate ſimplicitèr, & non ſolùm ſecundùm quid: eligit namque voluntas actum elicitum dicens: volo proijcere Merces, & eligit actum imperatum: cùm imperet brachijs, & alijs membris proiectionem: & tamen certum eſt, auaro mercatori, maiorem pœnam imponi non poſ-

ſe. Quo fit, vt etſi pœna ſit inuoluntaria ob damnum, quod infert voluntati, voluntate ſequente affectum commodi, tamen non poteſt eſſe voluntaria ſimpliciter, voluntate ſequente affectionem iuſtitiæ, ſe ſubmittendo, videlicet diuinæ voluntati hanc pœnam præſcribenti. Ad ampliorem doctrinam pondero ex Scoto in 4.diſt. 14. q. 1. quòd cùm oppoſitorum eadem ſit ratio, phyl ſophandũ eſt de voluntario per oppoſitum ad inuoluntarium. Quo fit, vt cum inuoluntarium id dicatur, cõtra quod murmurat, & recalcitrat,& contradicit voluntas, voluntarium id cenſebitur, quod in ſociam non habet recalcitrationem, vel murmurationem, quinimò placato animo procuratur,acceptatur,& ſuſtinetur. Cùm ergò pœnitentia; etſi ſit contra inclinationem commodi, non tamen ſit contrà affectionem iuſtitiæ. reſtat, vt concludamus, illam eſſe voluntariam,ſecundùm affectionem iuſtitiæ, quidquid ſit de voluntaria ſecundùm affectionem commodi. Moneo ſecundò, quòd triſtitia, quæ ſecundùm D. Auguſtinum eſt diſſentio animi ab ijs, quæ nobis nolentibus accidunt, & intèr pœnas remittentes peccata, primũ ſibi vindicat locum, eſtque omnium potiſsima; poteſt eſſe voluntaria, non ſolùm quia patientèr toleratur; aut quia voluntariè acceptatur; ſed etiam eſſe poteſt voluntaria, vtpotè producta, & cauſata ab ipſa voluntate duplici cauſalitate, ſcilicèt remota, & propinqua.

Cauſatur remotè triſtitia à voluntate hoc modo: coniungit voluntas intellectum cum voluntate in ordine ad triſtitiam pro quanto illa imperat intellectui conſiderationem malitiæ, & turpitudinis peccati, & ſibimet mandat eiuſdem peccati deteſtationem, & odium, ad quod ſequitur triſtitia, veluti quædam connaturalis paſsio. Cauſat propinqua voluntas triſtitiam tunc cùm intellectus intelligit obiectum diſconueniens; & voluntas actu non vult exiſtentiâm illius mali ab intellectu illi. Pondero ergo, triſtitiam poſse duplici attendi modo. Primo in ſe formalitèr. Secundò in ſua cauſa. Si conſideretur triſtitia quatenùs neceſsariò concomitatur,& inſeparabilitèr eſt coniuncta cum odio peccati;ſic cẽſenda eſt omnimodè neceſsaria, vt proprietas, & paſsio nullo in caſu ſeparabilis ab odio, ſiuè in affectu, ſiuè in effectu; at inſpiciendo triſtitiam ſub eo reſpectu quo correlatè ſe habet ad voluntatem remotè illam cauſantem;hoc pacto triſtitia eſt liberè poſita in actu, & poterat non poni: quippè triſtitia pro tanto habet eſse, pro quanto ex voluntatis arbitrio applicatur intellectus ad inſpiciendam commiſsi peccati turpitudinem, & inhoneſtatem. Claudo diſcurſum: quòd cùm voluntas liberè applicet intellectum ad peccati commiſsi contemplandam deformitatem, etiàm liberè ponatur in eſse triſtitia iuxtà tritum, & vulgare axioma:quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.

Ad abundantiorem doctrinam pondero, quod triſtitia eſt in voluntate formali, & eſt qualitas quædam ſuccedens ad actum de obiecto nolito, ſeu diſconuenienti, ſicut delectatio de volito, & conueniente. Quatuor modis poteſt voluntas de aliquo obiecto triſtari. Primò quandò aliquod obiectum eſt diſconueniens ſimplicitèr,ſecundùm inclinationem naturalem; & ità voluntas Chriſti triſtabatur de paſsione,& morte, quam nolebat; quià paſsio, & mòrs eſt obiectum ſimplicitèr diſconueniens, ſecundùm naturalem inclinationem. Secundò quandò obiectum eſt primò appetitui ſenſitiuo diſconueniens, & per connexionem, & colligentiam potentialem, fit etiam diſconueniens voluntati, ſeù appetitui rationali; ſic etiam Chriſtus triſtabatur de ſua paſsione, ſecundùm appetitum rationalem; quia dolebat ſecundùm ſenſitiuum propter dolorem inflictum. Tertiò, quandò obiectum eſt liberè volitum, non abſolutè, ſed ſub conditione, ſcilicèt, quià nollet, ſi benè poſset; vt cum proijcit merces, & nollet, ſi poſset; proiectio mercium eſt liberè volita, ſed ſub conditione; ſic Chriſtus triſtabatur de paſsione, quia nollet, ſi poſset, ſed non poterat: quià ſi erat voluntas Dei Patris, & ſua; & hoc modo habebat triſtitiam de ſua paſsione; hinc dicebat: *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me Calix iſte.* Quarto modo, quandò obiectum eſt ſimplicitèr volitum, & abſolutè à voluntate, vt eſt libera, & hoc modo Chriſtus non triſtabatur; quià eius paſsio non fuit nolita ſim-

ſimplicitèr, & abſolutè, ſed volita voluntate efficaci, & ſic potiùs delectabatur. Ex hac doctrina patet, quo in ſenſu pœna ſit voluntaria, quod pètebat argumentum.

Breuioribus verbis dico ad argumentũ, pœnitentiam eſſe inuoluntariam ſi ſub ea contempletur ratione, qua reſpicit affectionem commodi; at ſecũdùm affectionẽ iuſtitiæ eſt voluntaria: quippè voluntas, eò uirtuoſius eligit malum, quò fortius aduerſatur affectioni commodi.

PROPOSITIO VIII.

Aliud Argumentum.

NVlla virtus eſt circa impoſſibile, at pœnitentia eſt circà impoſſibile, ergò pœnitentia non eſt virtus. Minor probatur; quia pœnitentia verſatur circa malum præteritum nolendo illud eſſe commiſſum: hoc autem eſſe impoſſibile eſt clarum vulgari, & celebri illo dicto: hoc ſolo priuatur Deus, ingenita facere, quæ facta ſunt.

Breuitati conſulendo; dico, quod actus *pœnitantiæ non poteſt eſſe*, vel efficax, & abſolutus de nolitione peccati præteriti: tamen ille actus poteſt eſſe conditionatus, & debet explicari hoc pacto: vellem, ſi poſſem peccatum non perpetraſse, & ità habetur diſplicentia de peccato præterito. Hinc nota, quod ſi pœnitentia accipiatur pro velle punitionem, ſeu vindicationem, iſta eſt poſſibilis, ſi verò ſumatur pro nolle peccaſse, reſpondeatur, vt ſupra. Placet etiam animaduertere, quod actus pœnitentiæ ſecundum alia multa in eo incluſa poteſt eſse efficax, & abſolutus. Primò quantum ad auertendam volũtatem ab affectu peccandi. Secundò quantum ad deſtruendum peccatum commiſsum. Ratio eſt: quia læthale peccatum habituale eſt ipſummet actuale phyſicè tranſactum, ſed moralitèr perſeueratum: hinc ſuo velle abſoluto poteſt voluntas cauſare triſtitiam, annihilatiuam peccati. Tertiò poteſt eſse efficax ille actus, quantum ad propoſitum emendandi id, quod contra Deum eſt cõmiſsum. Quarto poteſt eſse efficax euentum ad propoſitum non peccandi de cætero. Paratur ergo via facilis ad ſolutionem argumenti. Non erit vanum obſeruare pœnitentiam non eſse actum efficacem reſpectu obiecti in ordine ad aſsumẽda media, vt fiat, ne peccata fuerint, ſiuè hoc fiat abſolutè, ſiuè ſub conditione: nàm hoc appræhenditur, vt impoſſibilis, & ad impoſſibile minimè mouetur voluntas; eſt tamen efficax ex parte potentiæ, quæ abſolutè deteſtatur, & abominatur peccatum, ità vt illud ſimpliciter refugiat; ex qua ſimpliciter refugiat; ex qua ſimplici, & abſoluta fuga, & abominatione ſequeretur vitiatio, ſic eſset poſſibilis, & excludit omnem peccandi voluntatem, & hic actus explicatur per hac propoſitionem: nolle peccaſse, & etiã perfectum actum miſericordiæ habet pauper, qui vellet ſubleuare miſeriam alterius, ſi poſſet.

PROPOSITIO IX.

Aliud Argumentum.

POEnitentia eſt dolor, ſeù triſtitia de peccatis, ſed dolor non eſt actus virtutis, ſed paſſio ſubſequuta ex nolitione, & conſideratione praui: ergo pœnitentia non eſt virtus.

Thomiſtæ dicerent ad argumentum dolorem in appetitu ſenſitiuo eſse triſtitiam; non ita in appetitu rationali, quinimmò eſt actus; quò ſit, vt pœnitentia, actus cum ſit potentiæ rationalis, ſub virtutum catalogo veniat adſtribuenda.

Contra, quia cùm non ſit maior ratio de dolore ſedem habente in appetitu ſenſitiuo, quàm de illo cuius ſedes eſt voluntas; gratis, & ſine fundamento vnus dolor aſseritur paſſio, & non alius. Legatur Scotus in 3 d. 15. q. vnica littera A. Accedat pro nobis ratio. Hinc ſic argumentor oſtendendo dolorem, vel triſtitiam non autem potentiæ rationalis, ſed eiuſdem actus eſse paſſionem: Si delectatio, vel triſtitia forent voluntatis actus; à ſufficienti enumeratione, forent velle, vel nolle; neutrum horum ſunt; ergò non ſunt actus. Minorem probo: quia delectatio ſequitur ad velle, & triſtitia ad nolle: ergò delectatio non eſt velle, cum idem ad ſemetipſum non ſubſequatur. Accedat aliud argumentum: Omnis actus voluntatis

Digitized by Google

luntatis manet ſit tale producere, vel non producere: at in voluntatis arbitrio nō eſt facere quominus ad ſuum velle obiecti cōuenientis non ſequatur delectatio, ſicut quin nolle obiecti diſcōuenietis nō ſequatur dolor, ergo dolor, & delectatio non sūt actus volūtatis, erūt ergo qualitates quaſi paſſiones quoſdam actus voluntatis ſubſequentes ea ratione, qua ad Thomiſtarum aures, dolor in appetitu ſenſitiuo eſt paſſio.

Nos ergo cum Scoto reſpondemus argumento principali, quod pœnitentia minimè eſt formalitèr dolor, ſed ad ſummū eſt dolor cauſalitèr, modò infrà explicādo; pœnitentia ergò formalitèr ſumpta, eſt peccati commiſſi deteſtatio, vel vindicta. Vndè ſit cum actus conformis rectæ rationi, reſtat, quod ſit virtus.

Replicant Thomiſtæ oſtendendo triſtitiam eſse actum voluntati. Primo, quia gaudium boni præſentis in appetitu rationali non eſt paſſio. Secundo triſtitia, & delectatione meremur, & demeremur: ſed paſſionibus, nec meremur, nec demeremur ex Philoſopho; ergo dolor, & triſtitia in appetitu rationali, non ſunt paſſiones. Maior propoſitio ex eo redditur clara: quia delectatio de gloria Dei eſt actus caritatis, quo æternum meremur premiū; triſtitia de alterius bono, eſt peccatum inuidiæ, illaq; demeremur; ergò nec dolor, vel triſtitia, ſicut nec delectatio, vel complacentia in appetitu rationali eruntpaſſio; ſunt ergo actus. Tertiò quia ſi dolor eſset paſſio, ortum duceret ab obiecto diſconueniente præſente, tanquam à principio adæquato; at hoc non eſt: quippè ſicut ſæpè contingit delectari de bono, quod nondum eſt; ita contingit triſtari de malo, quod nondum eſt; ergo concludendum triſtitiam, & delectationem in appetitu ſenſitiuo, eſse paſſiones, & non in rationali appetitu.

Ad ſecundum dico, quod gaudio, & dolore formalitèr, nec meremur, nec demeremur. Ad probationem dico, quod delectatio de bono Dei, non eſt actus caritatis, quinimmò paſſio ex caritatis actu ſuum ducens ortum, & dolor de alterius bono, minimè eſt inobedientia, ſed odium de alrius bono. Ad tertium dico, quod gaudium, & dolor cauſantur à voluntate, & ab obiecto præſente per intellectum; nàm licèt nondum ſit obiectum in ſe, & ſecundum rem, eſt tamen intentionalitèr præſens, quod ſatis eſt ad excitandum dolorem in voluntate: Reſtat ergò, quod gaudiū, & delectatio, ſiuè in ſentiente appetitu, ſiuè in rationali ſint paſſiones, & non actus.

PROPOSITIO X.

Aliud Argumentum.

NVlla uirtus dicit actum ſuum cum dolore, & triſtitia: cúm virtus ſit ad facilitèr, & delectabilitèr operandum: ſed pœnitentia non ſuum elicit actum cū dolore; imò ſecus actus eſt dolor, ergo pœnitentia non eſt virtus.

Reſpondemus primò, pœnitētiam exercere dolorem, non tamen cum dolore, quinimò delectabilitèr, ita, & de ipſomet dolore gaudens. Breuiter obiectum, ſcilicet peccatum diſplicet, & dolet, & actus elicitus contrà tale obiectum, minimè diſplicet, quinimò eſt volitus à voluntate oporante ſecundum affectionem iuſtitiæ. & *ſic triſtitia non eſt de actu pœnitentiæ*, ſed de obiecto, ſcilicet peccato ad quod ille terminatur actus. Addo cum Eminentiſſimo Lugo diſp. 1. nu. 7. *Ly cum delectatione* poſitum in maiori propoſitione ſignificare promptitudinem, ſiuè facultatem, quam habet ille, qui operatur ex habitu, non autem ſignificare propriam delectationem.

Aliud argumentum: Paſſionibus, nec laudamur, nec vitupetamur, vt docet Phyloſophus: ſed pœnam tenendo, patimur: ergo pœnam tenere, non eſt actus virtutis. Reſp. diſtinguendo maiorem: Paſſionibus omninò inuoluntariè toleratis; nego: patet ergo ad argumentum.

PROPOSITIO XI.

Aliud Argumentum.

VIrtutes fuiſſent in ſtatu innocentiæ, & durationem habent in Patria: ſed pœnitentia vtriuſq; ſtatui repugnat: quippè obſtat, ſeu repugnat eius motiuum, quod eſt peccatum, ergò non eſt virtus. Reſp. primo Pœnitentiam pro ſtatu naturę lapſæ eſſe ordinatam, adeòq; non ſit mirum ſi in ſtatu

Digitized by Google

ſtatu innocentiæ minimè inueniretur. Secundò reſpondetur diſtinguendo minorē; quo ad actum, & de præſenti peccato concedo, quoad habitum inclinantem ad deteſtandum peccatum, vel in ſe ipſo, ſi eſſet, vel in alijs viatoribus, quibus ineſſet; nego.

Hinc dico, in Christo, Beata Virgine, in homine, in ſtatu innocentiæ, in beatis, & paruulis concedi debere vitutem pœnitentiæ, ità tenet Marſilius in 4.q.10.art.6.cum Argentina, Súarez &c. In primis quantum ad Chriſtum, de quo videtur eſſe maior dificultas, hoc ſuadet, quæ ſubſequitur ratio: Chriſtus Dominus habuit actum, quo voluit recompenſare offenſam factam Deo ab alijs hominibus; ſed hic eſt actus virtutis pœnitentiæ: ergo, &c. Reſpondet Vaſquez. Pœnitentiam debere verſari circa pactum proprium, & eius offenſam recompenſare; cumque Chriſtus non potuerit velle recompenſare propriam offenſam, quia nec peccauit, nec peccare potuit, ergò, &c.

Contrà: ad eandem virtuten pœnitentiæ, pertinet recompenſare offenſam propriam. & alienam; ergò *voluntas* ſatiſfaciendi in *Chriſto* pro toto genere humano erit à virtute pœnitentiæ. Antecedens patet: nàm voluntas ſatiſfaciendi etiam pro alienis peccatis ſolúm propter honeſtatem quæ in hoc obiecto eſt, ſcilicet in ſatiſfaciendo Deo, eſt actus virtutis, non alterius, niſi pœnitentiæ, ergò. Deindè non datur una virtus ad ſoluenda propria debita, & alia ad ſoluenda aliena debita in materia iuſtitiæ, ſed eadem virtus reducit ad æqualitatem proprium debitum, & alienū, ſi ſolúm attendatur honeſtas, quæ eſt in hoc, quod eſt reddere alteri, quod ſuum eſt, vt videtur omnis iniuſtitia, & inæqualitas: ſimiliter per eandem virtutem miſericordiæ, per quam gaudeo de actu eleæmoſynæ à me factæ, gaudeo etiam de actu eleæmoſynæ ab alio factæ ad ſubueniendū pauperi: ergo eadem virtus pœnitentiæ, quæ inclinat ad ſatiſfaciendum pro offenſa propria. & de hac ſatiſfactione gaudet, inclinabit etiam ad ſatiſfaciēdum pro alieno peccato. Ratio à priori eſt: quia honeſtas cuiuſcumque virtutis obiectuè ſumpta, per ipſammet virtutem amabilis eſt, vbicumque ſit talis honeſtas, ſiue in proprio, ſiuè in alieno ſubiecto: ſemper enim illa honeſtas placet virtuti, ſicut ex complacētia temperantiæ odio habet intemperantiam ab alio factam: quis enim neget recompenſationem offenſæ, ſecundùm ſe, maximè placuiſſe voluntati Chriſti ex hoc præcisè motiuo, etiam non adiuncto motiuo extrinſeco caritatis, & diſplicuiſſe illi obiectum contrarium, etiàm ſi Chriſtus non potuerit peccare: nam circà obiectum impoſſibile, ſecundúm ſe conſideratum, poteſt eſſe in voluntate actus ſimplicis complacentiæ, aut diſplicentiæ, vt notat Vaſquez prima ſecundæ. Vnde cum dicūt SS.Patres, in Chriſto non fuiſſe pœnitentiam, loquuntur de actu contritionis, & retractationis prioris vitæ, vbi ſupponitur peccatum.

Eiſdem rationibus patet: habitum pœnitentiæ ponendum eſſe in homine in ſtata innocentiæ: nàm etiàm antequàm peccaret, poſſet habere illum actum conditionatum; ſi peccaſſem, ſatiſfacere vellem. Et in Beatis etiàm, qui maximè gaudent, eò quod in via habuerint voluntatem ſatiſfaciendi, & ſatiſfecerint; gaudium autem de actu elicito ab aliqua virtute, ad eandem virtutem pertinet, ſi ſit ob motiuum formale talis virtutis, vt cúm gaudio gaudeo me exercuiſſe actum iuſtitiæ, ſoluendo debitum; tale gaudium eſt ab eadem virtute iuſtitiæ.

Ex dictis etiam colligo, in Angelis ponendum eſſe habitum pœnitentiæ. Primò quia mihi numquàm placuit aliquos Angelos incapaces eſſe pœnitentiæ: Poſſent enim de peccato cōteri, & dolere, ſi Deus ſuum auxilium illis non negaret. Secundò, quia etiam dato non poſſe corrigi, & mutare voluntatem, ſaltèm poſſunt habere actum conditionatum; ſi poſſent enim dolere (ſuppoſito peccato) dolerent, & vellent ſatiſfacere; Ex his patet quid de pueris baptizatis ſit dicendum.

PROPOSITIO XII.

Aliud Argumentum.

Secundùm Ariſtotelem 4. Ethicorum c.vltimo. Verecundia non eſt virtus: quià eſt paſſio hominis, habens adiunctam

muta-

mutationem corporalem, & quia non eſt diſpoſitio perfecta, cum ſit circa malum, ſed hoc totum habet pœnitentia; ergo pœnitentia non eſt virtus.

Reſpondet primò D. Thomas, quem ſequitur Caietanus 22. q. 144. artic. 1. & Scotus d.14. q. 1. art. 1. diſcrimen eſſe, quod verecundia reſpiciat turpè factum, vt præſens pro quo timet confundi. Pœnitentia verò reſpicit turpe factum pręſens non autem, vt habeat turpè factum præteritum.

Hæc reſponſio, vt iacet, non placet: quià verecūdia etiam eſſe poteſt circa turpè factum præteritum, quod de nouo ab alijs cognoſcitur, & obijcitur: Pœnitentia etiam poteſt eſſe de pręſenti, quod ſcilicet immediatè antè commiſit, vt contingere ſolet in verecundia. Itèm cur erubeſcere de turpi re præſenti non erit virtus? Item, cur contra virtutem eſt habere turpè factum præſens, de quo confundatur, & non habere turpè factum præſens, de quo confundatur, & non habere turpè factum præteritum?

Dicerem ego cum Riccardo. Ariſtotelem loqui de virtute ita perfecta, vt nihil ſupponat vituperabile eſſe, vel fuiſſe in virtuoſo: quare Ariſtoteles non negaret verecundiam eſſe virtutem, quando de ea loqueretur virtute, in cuius acceptione dicimus pœnitentiam eſſe virtutem, etſi, non illius ſit virtutis ſic perfectæ, quæ non ſupponat vituperabile in pœnitente. Secundò dico Ariſtotelem eſſe loquutum de verecundia, prout paſſio quędam eſt, vſum rationis anteuertens, ſeù præcedens: & hoc in ſenſu, nec etiam dolor de peccatis eſt virtus: cùm omnis illa debeat eſſet moralis, & voluntaria, vt indè cenſeatur laude, vel vituperio digna: Hinc actio potentiæ ſenſitiuæ ſecundùm ſe conſiderata non eſt virtus, cúm nec libera ſit, nec ex electione, ſi verò conſideretur, prout ſubordinatur rectæ rationi, & electioni, eſt etiàm virtus, ſeu actus virtutis: nàm ſi actus exteriores appellantur virtutes, & ſubordinantur rectæ electioni; multò magis actus potentiæ ſenſitiuæ, qui magis participant de ratione; verecundia ergò prout ſubeſt rectæ electioni, ſub virtutum cathalogo cōnumeranda eſt, idem dico de pœnitentia. Dic etiam, quòd verecūdia quādo procedit ex aliquo motiuo virtuoſo, tunc eſt actus virtutis; quando verò eſt ſolùm ex quodam impetu naturæ, tūc non eſt actus virtutis. Ariſtot. loquutus fuit de verecundia procedente ex impetu aliquo naturali, & non ex virtuòſo motiuo.

DISPVTATIO II.

Diſputatur vtrum Pœnitentia ſit Virtus ſpecialis.

PArtem negatiuam tenuit Altiſiodorenſis lib.4. ſum.trac. 6. q.3. & maior in 4. d. 14. q. 2. dubio 1. Mouetur ex eo, quia dolor de peccatis eſt generalis affectus ad quamlibet virtutem pertinens reſpectiuè: eiuſdem enim virtutis eſt gaudere de bono ſui obiecti, & dolere de malo contrario: ergo ex indigentia doloris, & pœnitentiæ de peccato, non cogimur conſtituere virtutem ſpecialem: poſſumus enim dolere de peccatis, nunc per vnam, nunc per aliam virtutem: v.g. ad virtutem iuſtitiæ pertinet gaudere de æqualitate inter proximos, & dolere de iniuſtitia furti, nam cui bona reſtitutio, & æqualitas in iuſtitia, & rapina mala eſt Similitèr ad temperantiam pertinet caſtè viuere, & dolere de turpitudinè actus libidinoſi, & ſic in cæteris virtutibus; nulla ergo neceſſitate conſtituirur virtus ſpecialis pœnitentia.

Contraria ſententia eſt communis apud diuerſos Doctores, quos referunt Suarez 3.p. q. 85. diſput. 7. ſeſs.2. & Vaſquez in præſenti dubio. Nos veritatem dabimus in ſubſequentibus propoſitionibus. Incipiamus à prima.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

Si pœnitentia ſumatur in ea ſingnificatione, vt idem ſit, quod vindicare peccatum à ſe commiſſum eſt virtus ſpecialis.

ITà docet Scotus d. 14. Accedat ratio; ille actus eſt ſpecialis virtutis, qui habet ſpeciale obiectum, & ſpecialès circũſtantias; ſed actus pœnitentiæ in hac acceptione habet ſpeciale obiectum, & ſpeciales circumſtantias: ergò eſt actus virtutis ſpecialis. Minor probatur; quia pœnitere habet pro obiecto (inquit Scotus) peccatum vindicabile, ſeú punibile, vt tale habet etiam particulares circumſtantias, vt rectè tendat in tale obiectum, ſcilicèt finem, qui eſt Deus, vt placabilis per vindicationem, ſeù ſatisfactionem.

Petes: Vtrum velle punire peccatum, ſit idem quod velle ſatisfacere pro peccato: ſeù ſit idem, ac velle compenſare iniuriam Deo factam. Reſpondeo affirmatiuè, & colligo ex Scoto in 4. d. 14. q. 2. §. & art. primum, & à *verſiculo per hoc*, verbis illis; *Deus* non vindicat principaliter de illo, vt reconciliet ipſum ſibi (vocando reconciliationem, reductionem in amicitiam priſtinam,) ſed vt reconciliatus, immunis a pœna debita, habeatur, ſoluta iam pœna illa; & verſiculo conſimilitèr verbis illis: *Dico*, quod vindicare non eſt principaliter propter correptionem vniti, licèt quandoque illa correptio ſequatur: ſed eſt per ſe; vt ordinetur culpa per pœnam, & vt obſeruetur lex punitiua, in qua tranſgreſsum eſt. Hæc Scotus.

Ex iſtis verbis deduco duplex motiuum interuenire in actu pœnitendi. Vnum motiuum ſe tenens ex parte virtutis pœnitentiæ, & eſt vt ordinetur cuipiã per pœnam, & vt obſeruetur lex punitiua. Alterum motiuum ſe tenet ex parte operantis, ſeú pœnitentis, & eſt: vt tranſgreſsor immunis habeatur à pœna debita. Dico ergo, quod in doctrina Scoti, velle vindicare peccatum, ſeú velle punire peccatum, nil aliud eſt, quàm velle Deo ſatitfacere pro iniuria, & recompenſare illam. Hinc fit, vt obiectum formale huius virtutis, in quo diſtinguitur ab alijs; ſit peccatum punibile per ſatisfactionem, ſeù recompenſationem diuinæ iniuræ; itaque punitio, vt eſt ſatisfactio, aut recompenſatio diuinæ iniuriæ pro peccato, eſt motiuum formale huius virtutis; hinc cùm hæc virtus habeat proprium motiuum formale, erit virtus ſpeciale.

PROPOSITIO II.

Pœnitentia, vt dicit deteſtationem, & dium peccatorum, non eſt actus alicuius ſpecialis virtutis, ſed cuiuſcumque virtutis moralis quatenùs omnes exercere valent pœnitentiam.

AD pleniorem intelligentiam, moneo propoſitionem noſtram eſse intelligendam de peccatorum deteſtatione, ſecundum propriam rationem deteſtationis cuiuſcumque peccati, nempè quatenús quodlibet peccatum habet peculiarem rationem deteſtationis, & odij. Hoc in ſenſu intelligo Scotum, eiuſq; cenſuram in alios dicentes deteſtationem peccatorum eſse actum ſpecialis virtutis moralis: ſi enim quodlibet peccatum conſideretur, ſecundúm propriam rationem deteſtationis non eſt virtutis quodlibet deteſtari, ſed pro ſingulis peccatis ſingulæ virtutes conſtituendæ ſunt: itaut quælibet virtus deteſtetur peccatum ſibi oppoſitum; hinc temperantia deteſtabitur intemperantiam; caſtitas, fornicationem, & ſic de alijs. Fundamentum eſt: quoniam ad eandem virtutem pertinet proſequi bonum, & deteſtari malum illi formalitèr oppoſitum propter maximam quam habent connexionẽ: nàm deteſtatio mali, oritur ex amore boni, vndè deteſtatio mali, eſt medium ad conſequendum bonum oppoſitum; quinimmò deteſtatio mali habet ſe vt receſsus à termino à quo, & proſequutio boni, eſt, vt acceſsus ad terminum ad quem, qui acceſsus eſt rectus, licèt fieri non poſsit per unam mutationem, vt contingit in motu locali, qui unus numero motus eſt à termino à quo recedendo, & ad terminum ad quem accedendo, quià utrumque eſt obiectum circa quod uerſatur actus animæ per ſe, & cõſequenter eſt obiectum circa quod uer-

Digitized by Google

verſatur actus animæ, per ſe, & conſequentèr vtrumque dat propriam ſpeciem actui; tamen quia habent formalem incompoſſibilitatem, & oppoſitionem, erunt actus procedentes ab eodem habitu, vel principio: ergò quæcumque virtus inclinat ad amandum, & amplectendum aliquod bonum, inclinat etiam ad deteſtandum malum oppoſitum illi bono: eiuſdem enim virtutis eſt fugere malum, & proſequi bonum: ſed cuicumque peccato, eſt oppoſita virtus: ergo ad pecularem virtutem ſpectat deteſtari peccatum ſibi oppotum: non ergò deteſtari peccâtum hoc in ſenſu eſt actus ſpecialis virtutis.

PROPOSITIO III.

Deteſtari peccatum propter malum noſtrum, vel proximi. quod indè punit, aut propter bonum, quod importat, non eſt ex virtute ſpeciali pœnitentiæ, ſed de illis, quibus proſequimur bonum noſtrum, vel proximi.

PRobatur: ſi deteſtor peccatum: quià priuatus ſum diuina amicitia, vt eſt mihi bona, ſeù vt Deus eſt mihi bonus; pertinebit ad virtutem ſpei, qua proſequimur Dèum, vt bonum nobis. Si deteſtor peccatum, quia fuit cauſa mali proximi, quem diligo propter Deum; pertinebit ad caritatem; ſi autem, quia peccatum proximo fuit iniurioſum, ſpectabit ad iuſtitiã.

PROPOSITIO IV.

Pœnitentia, vt dicit deteſtationem peccatorum, non ſecundùm propriam rationem deteſtationis cuiuſcumque peccati, ſed ſecundùm communem rationem deteſtationis omnium peccatorum, iſte actus eſt ſpecialis virtutis.

AD pleniorem intelligentiam aliqua præmitto. Primum: peccata omnia poſſe conuènire in aliqua ratione deteſtationis, ſub qua valeant ab aliqua virtute ſpeciali deteſtari. Documentum hoc docet Scotus in 4.d.14.q.2. art. 2. dicens; quod peccator in peccatis exiſtens poteſt deteſtari peccatum, vt offenſiuum Dei, ſcilicèt, vt contra legem diuinam, & vt receſsiuum à Deo, & vt impeditiuum Regni, & inductiuum Supplicij, & ſub multis talibus rationibus; vndè deteſtari peccatum vt eſt iniuria Dei, ſeù prout eſt contra ius diuinum, quod Deus habet in creaturas intellectuales, ne illum offendant eſt ſpeciale motiuum virtutis pœnitentię prout pœnitentia dicit deteſtationem peccati,

Præmitto ſecundo, quod peccata omnia quatenus prædictam communem rationem deteſtationis includunt, valet conſtituere obiectum illud formale, & ſpeciale, quod à ſpeciali virtute reſpiciatur, quo fit, quod cum omnia peccata conueniant in eo, quod ſint iniuria Dei, quoad ius diuinum, quod Deus habet in creaturas intellectuales, nè illum offendant, poterit dari virtus, quæ vna manens, ſit deteſtatiua omnium peccatorum. Non eſt ergò pœnitentia, vt dicit deteſtationem peccati, aggregatio multarum virtutum.

Veritatem hanc docet, quæ ſubſequitur ratio: quia aliàs, minimè poſſet pœnitens vnico actu elicito ex virtute pœnitentiæ deteſtari omnia peccata; conſequens eſt falſum: nâm ſicut omnia peccata conueniunt in ratione offenſæ contrà Deum, ità omnia debent poſſe vnico actu à virtute pœnitentiæ elicito, deteſtari. Sequela probatur: quiâ ſi pœnitentia non eſt vna virtus, ſed aggregatio multarum uirtutum, unaquæque uirtus habebit ſuum obiectum limitatum, & diſtinctum ab obiecto alterius: ergò non poterit una ſe extendere ad deteſtandum peccatum alterius. Sit exemplum. Temperantia non poterit ſe extendere ad deteſtandum peccatum iniuſtitiæ, nec iuſtitia ad deteſtandum peccatum intemperantiæ, & ſic de reliquis; vndè ad deteſtanda peccata requirerentur actus omnium virtutum. Vlteriùs ſequeretur, non poſſe peccatorem unico actu, & in inſtanti iuſtificari: quippe non poſſet iuſtificari, niſi media deteſtatione omnium peccatorum: non valeret autem omnia deteſtari peccata, niſi exercendo actus omniũ virtutum: ergo ſi ſic nequit exercere actus omnium virtutum in inſtanti, non poterit in inſtanti iuſtificari.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

Pœnitentia eſt virtus ſpecialis etiam ſi reſpiciat omnia peccata.

PRobatur: quià virtus non ſumit ſpeciem ex obiecto materiali,ſed ex obiecto formali: & concluſum eſt ſupra, pœnitentiam habere vnum obiectum formale, ſub cuius ratione deteſtantur omnia peccata; ergò pœnitentia, vt dicit deteſtationem peccati, eſt virtus.

Dices; Deteſtatio peccati pertinet ad quamlibet virtutem; quælibet enim virtus inclinat ad proprium bonum, & deteſtatur malum ſibi oppoſitum: Iuſtitia enim per eandem rationem inclinat ad iuſtum, & declinat ab iniuſto; ergò pœnitere, ſeù deteſtari peccata, non eſt actus ſpecialis virtutis; quinimò vagatur per omnes virtutes. Confirmatur, quià virtus ſpecialis nō poteſt opponi omni vitio; nàm ſicut habet determinatum bonum à quo ſpecificatur,ità determinatū malum,cui opponitur.

Reſp. diſtinguendo antecedens: etenim peccatum dupliciter deteſtari poteſt. Primò, & motiuo particulari, quatenùs eſt contrà talem virtutem, v.g; Temperantiā, Iuſtitiam, &c. Secundò ex motiuo vniuerſali quatenus eſt offenſiuum iuris diuini, quod Deus habet in creaturas intellectuales, ne ab illis offendatur. Ad argumentum dico, quod primo modo ſpectat ad quamlibet virtutem. Secundò verò, eſt ſolius pœnitentiæ. Ad confirmationem diſtinguo maiorem;non enim poteſt virtus ſpecialis opponi omni vitio ſub motiuo ſpeciali,ſub quò vnum vitium diſtinguitur ab alio,& ſingula opponuntur diuerſis virtutibus, ſed ſub motiuo vniuerſali, ſub quo omnia cōueniunt ſub vna ratione,quæ eſt læſio iuris diuini, quod Deus habet in creaturas intellectuales,ne ab illis offendatur, hoc modo opponitur pœnitentia omni vitio, quatenus omnia conueniunt ſub ratione offenſæ diuini iuris, quod Deus habet in creaturas intellectuales, ne ab illis offendatur.

DIFFICVLTAS.

Quodnam ſit ius proprium virtutis pœnitentiæ.

VT reſpondeamus. Præmitto. Deum eſſe primam rectitudinem moralem in ordine ad quam, quæcumque creata rectitudo,dicitur rectitudo; ſicut etiam Deus dicitur: bonitas phyſica, cuius dicitur participatio omnis bonitas creata. Moneo etiam, quòd ſicut ex eo, quod Deus ſit primum principium bonorum noſtrorum, dicitur Dominus omnis creaturæ, quoad eſſe phyſicum, vndè ſequitur in illo dominium quoddam quaſi phyſicum diſponendi pro libito, & de entitate creaturæ, & de actibus omnibus illis, quos poteſt, aut producere, aut annihilare prout voluerit, vt Author naturæ; pariformitèr eſt Deus Dominus quoad eſſe morale: vndè ſequitur dari in Deo dominium quoddam morale, quod in eo conſiſtit, vt habeat altiſſimum ius quoddam, quo exigat, vt omnis actus creaturæ, qui eſt capax rectitudinis & moris; in ea ipſa ratione morali dicat perfectiſſimam conformitatem, cùm diuina illa prima rectitudine. Rectitudo ergo diuina, eſt ius paſſiuæ immutabilitatis, & exemplabilitatis. cui tenentur omnes nōſtræ actiones morales conformari: hinc fit, vt ſi creatura liberè operans ſuis in actibus non habeat talem conformitatem, violat illud ius diuinum, & dominium morale, ſubtrahens ſeſe ab illo, quoad eſſe moris, adeò vt verè, & propriè inferat iniuriam Deo.

PROPOSITIO PRIMA.

Altiſſimum Ius, quod Deus ea ratione, qua eſt prima rectitudo, habet in actus noſtros, vt illi conformentur eſt proprium, & formale motiuum virtutis pœnitentiæ.

PRobatur, quia ſub hac ratione præciſa poſſumus,& debemus peccatū quodlibet retractare, & odiſſe(cùm ità ſuadeat recta ratio) ergò debet eſſe aliqua virtus,

quæ ſub ea ratione peccatum deteſtetur, & talis virtus eſt pœnitentia: ergo motiuum formale pœnitentiæ eſt reſarcitio Iuris illius, quod habet Deus; vt eſt prima, & fontalis rectitudo in actus noſtros morales.

Dices, recompenſationem, & deteſtationem talem ſpectare ad Caritatem:

Contrà: quia obiectum caritatis, ſiuè motiuum illius, eſt bonum Dei, vt reduplicatiuè tale: ſed hæc recompenſatio iniuriç non reduceretur ad hoc formale motiuum caritatis: ergò violatio talis iuris minimè recompenſatur à caritate: Minor probatur, quià talem iniuriam, ſeù violationem poſſumus dupliciter deteſtari, Primo, prout eſt malum quoddam contrà Deum, tamquàm ſummum bonum, & à nobis amabilem. Secundo prout eſt violatio quædam illius iuris, quod Deus, vt prima rectitudo habet ſupra actus morales creaturæ. Deteſtatio illius Iuris primo modo, pertinet quidem ad caritatem, cuius eſt velle Deo omne bonum, ex complacentia eiuſdem Dei ſub ea ratione, qua eſt vltimus finis; at ſecunda diſplicētia minimè ſpectat ad caritatem. Ratio eſt, quia ſicut in humanis, qui iniuſtitiam commiſit in aliquem, poteſt odio habere talem iniuſtitiam, vt talis eſt ex motiuo reſarciendi iniuriam factam, & conſtituendi æqualitatem; ità etiam malum iniuriæ illatæ Deo poteſt eſſe obiectum diſplicentię nulla habita conſideratione eiuſdem Dei; non ergo ſpectabit talis diſplicentia, vel etiam iniuriæ compenſatio ad caritatem. Confirmatur, quia, qui peccauit ſpeciali peccato inobediētiæ, aut idolatriæ contrà legem, poteſt dupliciter odiſſe peccatum illud; primò, vt malum quoddam Dei eſt, & ex complacentia perſonæ Dei, & tunc delectatio illa eſſet ſub motiuo caritatis. Secundò prout præcisè eſt tale ſpeciale malum, aut contra præceptum eius, qui habet Ius præcipiendi, aut contra cultum debitum Deo, quatenus eſt primum principium à quo bona cuncta proceſſerunt, & hæc deteſtatio non pertinet per ſe ad caritatem, ſed ad Religionem, quæ reſpicit Deum in ratione primi principij rerum omnium; ergò ſimilitèr ratio iniuriæ, vt tale malum iniuſtitiæ eſt, poteſt directè & per ſe diſplicere voluntati, ità vt ea deteſtatio minimè ſit ex ſpeciali motiuo caritatis: ergò eſt ex ſe ſufficiens ratio, & motiuum alterius virtutis diſtinctæ à caritate.

Dices odium peccati, vt eſt offenſa Dei, eſt odium illius, vt malum quoddam Dei eſt: ſed vt ſic eſt actus caritatis, ergò non pœnitentiæ, vt caritate diſtinctæ.

Reſp. *quod nomen illud offenſa* poteſt habere duplex ſignificatum. Primò poteſt ſignificare auerſionem ab amicitia Dei, tāquam à ſummo bono. Secundò iniuriam illatam Deo, ſiuè violationem illius iuris moralis Dei: Si primo modò accipiatur, ſpectat ad caritatem: quippe fit ex motiuo caritatis, qui eſt Deus ſummum bonum propter ſe acceptum. Si accipiatur ſecundo modo; tunc odium eiuſdem peccati, & offenſæ, abſtrahit, ſecunduùm ſe à motiuo ſummi boni, cuius amicitia violatur, & pertinet ad pœnitentiā, quæ reſpicit æqualitatem, ſiuè iuſtitiam illam Dei: quarè hic actus, omninò ſpecie diſtincti ſunt, licèt ex modo tēdendi in obiectum ſint ſimplices, quia fiunt propter Deum, ſed ſub alia, & alia ratione formali, ac motiuo.

Hic etiam nota, quod ſi argumentum concluderet, probaret multas alias virtutes diſtinctas non eſſe à caritate. Nam Religio vult Deo bonum obſequij, & tamen ideò tantum diſtinctæ virtutes ſunt à caritate, quia volunt illa determinata bona, & non ex motiuo caritatis, quæ eſt ſumma Dei bonitas propter ſe; ſed Religio vult illud bonum Deo, tamquàm in recognitionem debitam primo Creatori, & obedientia vult obſequium Summo Domino præcipienti. Quare eadem ratione pœnitentia poteſt velle ſatisfacere pro debito iniuriæ. & dolore de tali iniuria, vt eſt violatio ſummi dominij Dei, vt eſt prima directio, prima moralitas, & vt habet ius paſſiuæ immutabilitatis in omnibus noſtris liberis actibus. Conueniunt ergo omnes iſtæ virtutes cum caritate, quia habent Deū pro fine, cui volunt bonum, vel cultus, vel iuſtitiæ, vel obſequij: ſed caritas vult illi omne bonum propter ſe ex complacētia perſonæ; aliæ autem iſtæ virtutes volūt alia peculiaria bona eidem Deo, ſed ſub alijs motiuis.

PRO-

PROPOSITIO II.

Actus pœnitendi non eſt Theologica virtus.

PRæter Theologicas virtutes admittendas fore alias morales, eſt commune votum Doctorum,& pręcipuè illas quatuor, quæ Cardinales dicuntur, ſcilicet, Iuſtitia, Prudentia, Fortitudo, & Temperantia. Non ſufficere Theologicas Virtutes ad vniuerſalem hominis directionem, ex eo conſtat, quod non ſolùm deficere homo poſſit, in ijs, quæ ad Deum ſpectant, ſed etiam in proprijs actibus, atque in illis, quæ proximum reſpiciunt. Hinc fit, vt quemadmodum mandata primæ tabulæ, quæ hominem regulant ad Deum, neceſſaria fuere pro moderanda humana conuerſatione, ità præter Theologicas virtutes, quæ hominem perficiunt in his, quæ Dei ſunt,neceſſariæ ſunt morales virtutes quibus perficitur homo tàm reſpectu ſui, quàm proximi.

Quamuis ferè innumeræ ſint virtutes morales, illæ tamèn reducuntur ad quatuor.qui numerus ex eo probatur ſufficere quod homo, ſi conſideretur reſpectu alterius, ſufficiàt ei iuſtitia, quæ vnicuique, quod ſuum eſt tribuit, aut ſecundùm iuſtitiam punitiuam, aut præmiatiuam, aut commutatiuam, aut diſtributiuam. Si verò conſideretur reſpectu ſui; cùm tria tantùm habeat regulanda, ſeù moderanda, ſcilicet voluntatem, appetitum concupiſcibilem, & appetitum iraſcibilem; ſufficit ad moderandam voluntatem prudentia. Ad refrænandam concupiſcentiam,temperantia. Ad roborandum appetitum iraſcibilem, fortitudo. Idem ſuadebit hæc ratio: quatuor ſunt, quibus præcipuè indigemus: ſuccurre miſeris, hoc præſtat Iuſtitia. Cauere ab inſidijs, hoc facit Prudentia. Abſtinere ab immundis delectationibus,quod facit Temperantia. Expellere nocentes, quod præſtat Fortitudo.

Hinc hæ quatuor virtutes dicuntur Cardinales; à Ianuarum Cardinibus, vndè translata eſt metaphora, vt quemadmodũ quatuor Cœli puncta præcipua ab Aſtrologis metaphoricè Cardines Cœli appellantur, ità reliquorum virtutum Cardines ſunt iſtæ quatuor, & in iſtis circumfertur, & rotatur vniuerſa hominis vita.

Ad virtutem Theologicam quatuor ſunt neceſſaria, quantùm licèt colligere ex Scoto in 3. d. 26. & ex S. Thoma p. 2. q.62. art. 2. Primum. quod illam eſſe, ſolũ conſtet ex Deo reuelante,& non ex homine naturæ quomodò eſſe Fidem, Spem, & Caritatem conſtat per diuinam reuelationem. Secundum, quòd virtus Theologica habeat Deum pro regula, ſuorum actuum; at virtus moralis habet pro regula prudentiam: Fides enim pro regula, habet Deum reuelantem, & Spes, & Caritas, ſimilitèr pro regula habent fidem, ac proindè Deum ipſum: quia cùm fides ſit de Deo obiectiuè, proindè, qui vtitur fide, tamquàm regula, vtitur Deo. Tertium, quod habeat Deum pro obiecto;aliæ enim virtutes morales habent pro obiecto res creatas, in quibus regendis, & moderandis verſantur.

Iam probatur noſtra propoſitio: Virtus Theologica conſtituitur in eſſe talis per hoc, quod habeat pro obiecto Deum ipſũ: ſed obiectum virtutis pœnitentiæ non eſt Deus, ſed peccatum vindicabile; ergo pœnitentia non eſt in rigore virtus Theologica.

PROPOSITIO III.

Actus pœnitendi non eſt in rigore virtus moralis quinimò eſt media, ſcilicèt habens aliquid de virtute Theologica, & aliquid de virtute morali.

PRobatur; nàm de ratione virtutis moralis eſt non reſpicere Deum, vt finem intrinſecum ſuum,nec in illum tendere ſub aliqua ſpeciâli ratione: ſed pœnitentia (non loquor de pœnitentia naturali, qua, quis deteſtatur peccatum propter ſuam turpitudinem naturalem, ſed de ſupernaturali, qua peccatum deteſtatur, vt offenſum Dei ad reſarciendam diuinam iuſtitiã læſam) reſpicit Deum, vt finem intrinſecum, & in formali obiecto pœnitentiæ includitur; ergo pœnitentia non eſt virtus rigoroſè moralis.

Quòd verò ſit media inter virtutem rigo-

rigoroſè moralem, & Theologicam. Probatur; quia medium eſt illud, quod aliqualem rationem participat extremorum: ſed pœnitentia aliquid participat de virtute Theologica, & aliquid de morali; ergò eſt media.

Poſſes dicere cum fundamento, quòd pœnitentia magis accedat ad virtutem moralem, quàm ad Theologiam, & fortè hoc in ſenſu à pluribus pœnitentia aliquãdo dicitur virtus moralis. Ratio pro iſta parte ea eſt: quià medium ad illud extremum magis accedit, de quo plus participat: ſed pœnitentia plus participat de virtute morali, quàm Theologica (quippè de morali participat ordinem, quàm dicit intrinſecè ad ipſum Deum) ergo pœnitentia plus accedit ad virtutes morales, quàm ad Theologicas.

PROPOSITIO IV.

Actus pœnitendi, ſiuè accipiatur pro velle vindicare peccatum, ſiuè pro actu deteſtatiuo illius, non eſt virtus intellectualis, vnus ſcilicèt ex quinque habitibus intellectualibus, qui ſunt intellectus, ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars, ſed erit virtus moralis ſcilicèt voluntatis, ſedem habens in voluntate, eamque dirigens in ſua operatione.

ITA Scotus in 4.d.14.§.in iſta quæſtione Probatur, quia actus pœnitendi dicit imperium: at ſolius voluntatis eſt imperare, vt docet Scotus in 4. d.49. q. 4. & nos longo ſermone probauimus agendo de actibus humanis, ergo, &c.

PROPOSITIO V.

Falluntur, qui ſibi perſuadent actum pœnitendi eſſe actum virtutis amicitiæ.

ANimaduerto diuerſitatem inter amicitiam punientem, & iuſtitiam punientem; illa reſpicit ſolùm amici peccantis, & puniti bonum: iſta, parum, aut nihil curat de bono puniti, & caſtigati; ſed tota reſpicit commune, ſcilicèt totius communitatis bonum: vndè ſequitur actus pœnitendi, & caſtigandi iuſtitiæ, nequaquam dici poſſe actum amicitiæ. Documentum iſtud patebit magis, ſi diſcrimen poſuerimus intèr leges diuinas, & humanas, quod in hoc conſiſtit.

Cum triplex ſit bonum, aut poſſit eſſe à lege intentum, videlicet, Legiſlatoris, totius communitatis, & delinquentis. Lex humana ſolum reſpicit bonum communitatis: nàm etſi iſtius boni particeps ſit Legiſlator, non tamen vt Legiſlator, ſed vt membrum totius communitatis. Lex diuina reſpicit triplex bonum, ſed cum differentia; nàm bonum Legiſlatoris, nempè Dei, reſpicit directè, & primariò: eſt enim Deus cauſa finalis prima, ſicut efficiens prima, & omnia facit Deus propter ſemetipſum. Bonum communitatis reſpicit Deus ſecundariò, in quantum reducitur ad ſummum, & primarium bonum; bonum autem delinquentis, & puniti, aliquando reſpicit; vt in pœnis purgatorij, & prædeſtinatorum, quandiù in hoc ſæculo ſunt, videre licèt: aliquandò non reſpicit, vt in pœnis æternæ damnationis, & alijs in hoc etiam ſæculo videre eſt, vt cum aliquis morte à Deo afficitur in fragranti dolore depræhenſus,

Hæc cum ità ſint, dicimus, in actu pœnitendi, quem Deus à peccatore exigit, non attendi primò, vt directè imò nec ſecundariò, ſed tantùm remotè bonum peccatoris ſe puniendi, videlicèt illius reconciliationem, cùm Deo; ſed attendit primariò, & directè bonum Legiſlatoris Dei; bonum legis; bonum autem communitatis, ſecundariò: hinc colligere licèt actum pœnitendi non eſſe actum virtutis amicitiæ.

Obiicies in contrarium: Amicitia inclinat ad actum reconciliandi amico; ſed vindicta, quam de peccatis ſumimus, reconciliat nos Deo, igitur pœnitentia, vt dicit velle vindicare peccatum, eſt actus amicitiæ. conceſſa maiòre, & minore, notatur, quod licet per pœnitentiam, & peccatorum vindictam reſtituamur in priſtinam Dei amicitiam; tamen id non per ſe intẽditur per vindictam, quinimò ab ipſa, ſolùm reſpicitur correſpondentia pœnæ ad culpam, ſecundùm legem diuinam recipien-

Digitized by Google

pientem pœnam infligendam eſſe pro peccatis; verùm, quod per huiuſmodi vindictam, priſtinam Dei amicitiam recuperemus per accidens ſe habet; quò circa nequit huiuſmodi actus connumerari inter amicitiæ actus:

Sit aliud argumentum; Amicitiæ eſt corrigere amicum: ſed vindicta peccatorum corrigit peccatores, ergò vindicare peccata eſt actus amicitiæ. Conceſſa maiore, dico ad minorē; quod vindicare nō eſt principalitèr propter puniti correctionem, licèt quandoque ſequatur; vindicta ergo de per ſe expoſtulat, vt obſeruetur lex punitiua in illum, qui legem tranſgreſſus eſt.

Aliud argumentum: Vindicta, quàm quis ſumit. vt ſatietur, non autem vt reus corrigatur, eſt crudelitas, & contra rationem rectam, & conſequentèr non eſt actus virtutis: at vindicta peccatorū eſt actus virtutis; ergo intendit correctionem peccatorum, & proindè eſt actus virtutis amicitiæ. Reſpond. forè crudelitatem, quandò volens punitionem, nollet poſitiuè correctionem, ſeú emendationem, non verò quando de per ſe tantúm intendit ſatisfactionem, etſi poſteà aliquandò ſequatur emendatio. Dicimus ergò vindictam: de qua loquimur, eſſe actum virtutis, ſed non amicitiæ, ſed alterius; atque ità non primariò intendere correctionem puniti (quāuis huiuſmodi correctio concomitetur) ſed legis obſeruantiam, atque coſpondentiam pœnæ ad culpam, ſecundúm legem.

Obijcies. Ariſtot. 2. Ethicorum c. 12. docet correctionem differre à punitione, ex eo, quod correctio fit correcti gratia, vt nimirùm correctus emendetur; punitio autem, in rigore accepta, fit punientis gratia vt ſatietur; at punitio de peccatis, fit gratià peccatoris, igitur eſt correctio, atque ità eſt actus amicitiæ. Conceſſa authoritate Ariſtot. Ad minorem dicendum eſt vindicationem peccatorum primo. & principalitèr non fieri gratia correctionis peccantum, ſed cauſa obſeruationis legis præcipientis pœnam correſpondere debere delictis, quamuis (vt ſæpiùs notauimus) concomitetur correctio peccatoris.

PROPOSITIO VI.

Pœnitentia non eſt actus virtutis, quæ dicitur caritas, nec eſt actus alicuius alterius virtutis Theologicæ.

PRobatur, quoniam virtutum Theologicarum, Deus eſt proximum motiuū: huius autem actus proximum motiuum eſt iniuria diuina; hinc Deus non eſt motiuū *quod*, & immediatum, ſed *cui*, & in obliquo ad eum modum, quo Deus dicitur obiectum Religionis, quæ virtus moralis. Declaratur radicale fundamentum noſtræ propoſitionis: diuerſitas motiuorum formalium in virtutibus, concludit diuerſitatem virtutum: ſed caritati, & pœnitentiæ correſponderent diuerſa motiua formalia, ergò caritas, & pœnitentia ſunt diuerſæ virtutes. Minor probatur. Caritatis motiuum eſt diuina bonitas, & pœnitentiæ motiuum non eſt diuina bonitas increata, ſed vindicatio, ſeù recompenſatio iniuriæ illatæ Deo, quæ eſt aliquod creatum; ergò caritas, & pœnitentia habent diuerſa motiua formalia; ergò ſunt diuerſæ virtutes. Accedat aliud argumentum: vellæ bonum aliquod Deo ob aliud, & aliud motiuum, dicit aliam, & aliam virtutem: hinc velle reuerentiam latriæ Deo, vt eſt actio quædam moralitèr bona, quæ talem moralitatem habet in ordine ad Deum, qui eſt terminus illius reuerentiæ, ſpectat ad virtutem Religionis, & non caritatem, ergò ſimilitèr in noſtro caſu, velle vt reddatur Deo bonum, vt eſt bonum Dei ſpectabit ad caritatem: quià caritatis eſt velle Deo omne bonum, velle autem reddi Deo debitum, ſeù recompenſationem iniuriæ illatæ ſpectabit ad illam virtutem, quam appellamus pœnitentiæ. Item deteſtari peccatum, vt complacentiā bonitatis Dei, eſt actus caritatis; at deteſtari illud ex motiuo vindicationis, aut recompenſationis iniuriæ diuinæ, eſt actus à pœnitentia elicitus.

Dices: Caritatis eſt deteſtari malum, vt Dei offenſiuum: nàm hoc aliud non eſt, quàm nolle malum Deo, ad caritatē pertinet, quam docet velle bonum Deo. Nec recurrendum eſt ad determinatam boni rationem: nàm caritas omnia quaſi materialitèr

rialitèr

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

rialitèr reſpicit. & illa vult Deo, nec aſſignari poteſt determinata boni ratio, quã caritas vult Deo: quippè caritas omnia bona Deo vult; vndè caritatis eſt, vt Deus cognoſcatur ab omnibus, reuereatur, & ametur: &c. Reſpond. concedendo à caritate eſſe omnem actum, quo Deo volumus quodcumque bonum ob rationem in argumento adductam, & conſequentèr à caritate eſſe omnis oppoſiti mali deteſtationem; velle tamen aliquod bonum honeſtum, quod talem honeſtatem habeat in ordine ad Deum, pertinere poteſt ad aliam virtutem: ſic enim velle reuerentiam latriæ, vt eſt actio quædam moraliter bona; quæ talem ſuam moralitatem habet in ordine ad Deum, qui eſt terminus talis reuerentiæ, & à virtute Religionis, & non à caritate: à caritate tamen eſt velle reuerentiam illam, vt eſt bonum. Similitèr in caſu noſtro, velle, vt Deo reddatur debitum, vt eſt bonum Dei, pertinet ad caritatem: quia caritatis eſt velle Deo quodcumque bonum; velle autem reddi Deo debitum; vt reddi debitum, eſt quoddam bonum honeſtum, quod in Deum terminatur, aut nolle factum eſſe indebitum, vt eſt malum quoddam morale in Deum terminatum ad aliam virtutem pertinet, quam appellamus pœnitentiam.

PROPOSITIO VII.

Pœnitentia non eſt virtus Religionis.

PRobatur, obiectum formale, & motiuum pœnitentiæ, eſt diſtinctum eſſentialiter à motiuo formali virtutis Religionis: ergò pœnitentia, & Religio eſſentialitèr diſtinguuntur. Antecedens probo: motiuum Religionis eſt cultus Deo debitus in ſignum ſupremæ excellentiæ, & ſupremi dominij: at motiuum pœnitentiæ non eſt diuinus cultus formalitèr loquendo, ſed vindicatio, & recompenſatio iniuriæ illatæ Deo: ergò diſtinguuntur. Vrgetur ratio: quia actus Religionis non eſt quæcumque ſubiectio hominis ad Deum: (etenim ſubiectio etiam reperitur in humilitate, & obedientia) ſed eſt ſubiectio Deo exhibita, per modum ſpecialis cultus, ſcilicet in reuerentiam Dei primi authoris, & fontalis principij bonorum omnium, quę ratio in nulla alia virtute, ſed in ſolo obiecto Religionis, reperitur; ſubiectio verò pœnitentiæ non attendit hanc rationem excellentiæ, & fontalis principij bonorum omnium, ſed ſolam recompenſationem iniuriæ Deo factæ: vndè, ſi per impoſſibile Deus non eſſet primum principium bonorum noſtrorum, maneret tamen Princeps, & Legiſlator, tunc contrà eius voluntatẽ peccare poſſemus; maneret quidem virtus pœnitentiæ ſpecialis, tamen minimè reſtaret Religionis virtus: quià eo in caſu, Deus offenderetur per peccatum, & placaretur per pœnitentiam; ſed non poſſet coli per virtutem Religionis; quià non maneret ratio principij potentis tribuere, & auferre bona noſtra: ergò clarè deducitur alteram eſſe virtutem pœnitentiæ à virtute Religionis. Dicamus ità.

Actus, & habitus virtutum diſtinguendi ſunt pœnès motiua, ſub quibus eliciuntur: ſed motiuum Religionis, & pœnitentiæ non eſt vnum, & idem, ſed duplex: ergò neceſſario diſtinguit duas virtutes. Minor probatur, obiectum motiuum Religionis, eſt Deus ſub ratione principij, à quo omnia fluxerunt, & cui in recognitionem, debetur cultus, & adoratio; vndè, quia ſacrificium, oratio, & ſimiles actus eliciuntur à voluntate ſub motiuo colendi primum principium, ideò peculiares virtutes Religionis ſunt; at motiuum pœnitentiæ, vt viſum eſt ſupra, diſtinctiſſimum eſt à motiuo Religionis; ergò iſti habitus diſtinguuntur.

Dices, quod per omne peccatum tollitur honor Deo, & ideò omne tale eſſe contra Religionem, quæ intendit honorem Dei, & conſequenter deteſtationem peccati, & iniuriæ recompenſationem ſpectare ad Religionem. Reſp. primò ex tali argumẽtandi modo deſtrui cunctas alias virtutes: nàm omni actu bono, aliquo modo honoratur Deus, & tamen, non quilibet actus, eſt Religionis; ſicut igitur tantum is honor in particulari, qui redditur Deo tanquam primò principio effectiuo in recognitionem quamdam, pertinet ad Religionem; ità nec quælibet inhonoratio eſt contrà eamdem ſpecialem virtutem, ſed ea tantum, quæ fit ex voluntate non ſubijciẽdi ſe tali primo principio, ſed potius ſubtrahendi

trahendi

Digitized by Google

trahendi ſe ab illo, quæ eſt idolatria; ſic actus ſubtrahendi ſeſe ab imperio præcipientis ex contemptu præcipientis, eſt ſpecialis inobedientia.

Dices, quòd ex D. Auguſtino 10. de Ciuitate c. 4. Religio dicitúr à reeligẽdo: quia Deum, quem negligentes amiſimus, reeligimus; at hoc conuenit pœnitentiæ; ergò pœnitentia eſt virtus Religionis. Conceſſa authoritate D. Auguſtini, negamus conſequentiam: non eſt quippe inconueniens ſi ob conuenientiam repertam inter actus diſtinctarum virtutum, conuenire valeant etiam in aliquam nominis deductionem. Nec indè ſequitur, vt ſint eiuſdem virtutis. Rem declaro manuali exemplo: Plumbum ex eo; quòd aptum ſit lædere pedem, dici poſſet lapis, non tamen propterea eſt eiuſdem naturæ cum ſubſtantia, cui appropriatum eſt nomen lapidis. Dici igitur poteſt pœnitentia, Religio, quatenus reeligit ius diuinum, quod antea negligens cõtempſerat; non tamen proptereà erit eiuſdem naturæ cum illa virtute, cui Religionis nomen appropriatum eſt. Præterea reelectio vndè dicitur Religio, eſt reſpectu cultus, vt recognoſcat Deum, vt primum authorem, & fontalem radicem omnium bonorum noſtrorum: *Pœnitentia autem dicetur reelectio pro quanto eſt reſarcitiua iniuriæ Deo factæ.*

Sit argumentum Caietani exiſtimantis actum pœnitẽtiæ eſſe à virtute Religionis. Ita diſcurrit Caietanus: Nulla virtus exigit habentem ipſam eſſe, vel fuiſſe ſub virtutis oppoſito, vitio ſcilicèt, & peccato. Hoc confirmat: quippè virtutum ſemina, ità ſunt nobis inſita, vt poſſimus illas acquirere cum Dei auxilio, & recta ratione: ſemina autem, vt fructum habeant, non præxigunt fructum oppoſitum: ergò cum pœnitentia præexigat peccatum, minimè erit virtus per ſe diſtincta. Reſpondemus de ratione virtutis cuiuſcumque non eſt actus ab ea èlicitus; ſit qualis ſupponitur à Caietano. De ratione ergò virtutis eſt vt actus iſte bonus ſupponat actum malum cuius oppoſitum aſſumit Caietanus: ſunt enim in nobis virtutum ſemina, ſcilicèt vis quædam exercendi actus bonos, quando opus eſt: quare ſi opus eſt exercere quoſdam actus tantúm poſt peccatum ad illos ordinabitur vis noſtra naturalis; hinc colligitur infirmitas illius confirmationis: nàm, ſi quam haberet vim ea probaretur actum pœnitentiæ non ſupponere peccatum: quippè actus ſunt proprius fructus virtutum, quæ in nobis ſunt, & ab actibus deindè generantur habitus. Adde actum miſericordiæ ſupponere miſeriam in eo, cui compatimur: Medicina ſupponit infirmitatem: & tamen nemo dicit non eſſe actus virtutis.

Aliud argumentum. In humanis non eſt alia virtus, qua reddimus debitum, & qua compenſamus iniuriam, ergò ſimilitèr in diuinis. Vrgetur ratio: quia, quæ in humanis ad diuerſas pertinent virtutes, ad eandem pertinent in diuinis: In humanis enim obſeruantia, fidelitas, gratiarum actio pertinent ad diuerſas virtutes, cum tamen reſpectu Dei, ad vnam pertineant Religionem; nàm ſiuè conſideremus Deum, vt ſũmè excellentem, ſiuè vt benefactorem, ſiuè fidelitèr reddamus, quod voto promiſimus, ſemper Religionis virtute, id præſtamus. Reſp. ità eſſe, quando ſunt oppoſita ſecundum eamdem rationem, vt non furari, & reſtituere oblatum; ſecùs verò, quando ſecundùm diuerſam rationem: non ad eandem pertinet virtutem aſſurgere Patri, & reſarcire iniuriam, quam illi feciſti, cum percutiendo; nàm hoc pertinet ad iuſtitiam, quæ eſt à Deo ſtricta, vt obliget ad reſtitutionem, non ſic autem primum, quod omitti poteſt ſine vllo defectu, quando ſcilicet aſſurgere non eſt præceptum. Similitèr in noſtro propoſito, ad aliam virtutem pertinebit, liberè. & ſinè vllo præcepto, & obligatione, recitare Roſarium, & ad aliam audire Sacrum die feſto; nàm ex omiſſione recitandi Roſarium, nulla ſequitur iniuria; ex omiſſione autem audiendi Sacrũ, tanta oritur iniuria, vt etiàm ſoluatur diuina amicitia; & ſi in aliquibus non ſoluitur amicitia, ſemper eſt aliqua iniuria, vt contingit in peccatis venialibus; vndè licèt vouere, ſit actus Religionis, quatenús attenditur diuina excellentia, cui vouens ſe ſubijcit, tamen votum reddere ſub ratione debiti, eſt alterius virtutis.

Quod, ſi dicas, rationem hanc debiti pertinere ad obedientiam, & non ad aliam virtutem: quià qui die feſto non audit ſacrum, quod eſt præceptum, peccat contrà Religionem, & contrà obedientiam.

Contrà: quoniam alia ratio eſt ſpecificans obedientiam, & alià eſt ratio debiti,

de qua

de qua hic agimus : nàm ratio ſpecificans obedientiam eſt præceptum à ſuperiore habente poteſtatem ordinandi noſtras actiones : tamquàm Domino noſtro , & conſequenter omniũ noſtrorũ actionũ Domino . Rem explicare poſſumus exẽplo iuris,quod habet cõmunitas in ſuos ciuesquod;ius diſtinguitur à præcepto, quod ſpecificat obedĩetiã:nàm dùm Reſpublica præcipit Ciui, vt ſumat arma in Reipublicæ defenſionem, Ciuis facere poteſt actum obedientię exequendo, vt præceptum Superioris;& facere poteſt actum iuſtitiæ legalis , reddendò Reipublicæ debitum . Similitèr igitur homo exequens, quod à Deo præcipitur : vt exigit præceptum Superioris ; facit actum obedientiæ;vt autem reddit Deo debitum, facit actum iuſtitiæ , quæ eſt multò eminentior , quàm iuſtitia legalis .

Sit aliud argumentum ; Si numeremus omnes pœnitentiæ actus; ad caritatem, vel Religionem ſpectant : nàm tres ſunt actus ad culpam delendam . Primus eſt diſplicentia offenſæ in Deum,& hic eſt actus caritatis . Secundus, & tertius , eſt confeſſio peccati, non ſolùm exterior , ſed etiam interior facta Deo, & hic , cùm ſit actus ſubmiſſionis ad Religionem ſpectat . Actus autem , quo tollitur reatus, qui eſt ſolutio pœnæ, ad Religionem etiam pertinet quatenús eſt perfecta debiti ſolutio : Religio enim, Deo ſoluit debitum; & confirmatur nàm pſ.50. dicitur : *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, & cor contritum,& humiliatum Deus non deſpicies* . Tamen inter Religionis præcepta , ita ſunt ſacrificia , & orationes pro peccatis; ſicut pro beneficijs .

Reſpondeo , primum actum pertinere ad caritatem, ſi fiat propter bonum diuinum; ſi autem fiat, quia eſt diuina iniuria, pertinet ad pœnitentiam . Duo alij actus ſi fiant propter ſubmiſſionem in ordine ad diuinam excellentiam , pertinent ad Religionem ; ſi autem in recompenſationem diuinæ iniuriæ, pertinent ad virtutem pœnitentiæ, & ſic etiam de actu, quo ſoluitur debitum pœnæ . Ad confirmationem reſpondeo , contritionem dici poſſe ſacrificium largè quatenus omnis bona actio placet Deo, quod præcipua quadam ratione conuenit pœnitentiæ , quæ eſt peculiaris quodammodò ergà Deum, vt Religio . Tamdem dici poteſt propriè ſacrificium , quatenùs ſit , non in recompenſationem iniuriæ, ſed in Dei reuerentiam , quæ maxima eſt in actu illo;& dùm offertur ſacrificium pro peccatis , patet ſacrificium illud non eſſe pœnitentiam virtutem,ſed âctum Religionis , quæ imperat pœnitentiam pro remiſſione peccatorum , ſicut imperat actũ ieiunj , eleæmoſynas , &c.

DISPVTATIO III.

Examinatur ; vtrum Virtus Pœnitentiæ ſit ſpecies Iuſtitię, et vtrum inter Deum, et Creaturas dari valeat vera Iuſtitia .

AD explicationem vocum , pręmittuntur aliqua de Iure de Iuſtitia, & de Dominio. Omnia docebunt , quæ ſubſequuntur Propoſitiones . Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Declaratur nomen Iuſtitia .

MItto acceptionem Theologicã, iuxtà quam *iuſtitia* deſignat ſanctitatem, & compræhendit omnes virtutes, quia , vt ait S. Hieronymus in c. 66. Iſaiæ, cum Iuſtitiæ propriè ſumptæ ſit conſtituere æqualitatem in humanis actionibus , & contractibus,& omnes virtutes in quadam æqualitate, & proportione, ſecundùm regulam rationis; conſiſtant, à qua regula , ſiuè per exceſſum, ſiuè per defectum recedit vitium omnes etiam virtutes , nomen iuſtitiæ ſibi vſurpant ; & hæc iuſtitia, ſi ſit actualis,docet actum cuiuſcumque virtutis: ſi verò habitus omnium virtutum , & præcipuè habitum

bitum

Digitized by Google

bitum gratiæ, & caritatis, quo homo fit Iuſtus ſimplicitèr, & coram Deo, vndè etiam dicitur iuſtificatio; quando acquirimus habitum gratiæ, & caritatis, & hoc modo ſumi Iuſtitiam in ſcriptura, eſt euidens; ſatis ſit locus ille Lucæ 1. *In Sanctitate, & Iuſtitia coram ipſo* eodem modo docet Ariſtot. 5. Ethicorum cap. primo Iuſtitiam eſſe totam virtutem, & agit de illa Plato in Dialogo 1. & 2. de Republica.

Secundò ſumitur nomen Iuſtitiæ propriè quatenùs eſt vna v-rtus moralis, & Cardinalis, quæ reſpicit bonum rationis, quod dictat ratio ad alterum, itaut conſtituat æqualitatem, & vnicuique reddit, quod habet in contractibus ciuilibus, & in omni alio negotio, cum ciuibus, vel alijs quibuſcumque hominibus, qui nobiſcum verſantur; hoc modo agunt de Iuſtitia S. Hieronymus in c. 23. Iſaiæ, Sanctus Chryſoſtomus hom. 4. in Matth. & Salomon ſapient. 8. ponit Iuſtitiam in hoc ſenſu. De hac Iuſtitia ago in præſenti.

Mittimus autem hic alias acceptiones Iuſtitiæ, vt, quod ſignificat Iuſtitiam originalem, eò, quod illa poneret æqualitatem in omnibus paſſionibus hominis, & de illa diſputant Theologi agentes de prima hominis conditione. Hanc diuiſionem Iuſtitiæ in duo membra, alitèr explicant alij, inter quos eſt Molina in principio ſui tractatus de Iuſtitia, & Iure, nimirum, vt Iuſtitia, primò pro actu cuiuſcumque virtutis ſumatur, non quatenus talis eſt, ſed quatenus ordinatur ad bonum commune multitudinis, cuius eſt pars ille, qui talem virtutem exercet. Secundò, vt eſt particularis virtus in ordine ad alterum, cuius obiectum eſt iuſtum propriè ſumptum: ſicut enim Ariſtot. 5. Ethicorum c. 8. tàm in Ciue, quàm in Principe, ſeù Rectore Ciuitatis, duplicem diſtinguit prudentiam, alteram Monaſticam, quæ ſcilicèt præſcribit ſingulis, quatenùs ſingulares perſonæ ſunt, quid faciendum ſit; alteram politicā, quæ idem docet illos, quatenus ſunt perſonæ publicæ, & partes communitatis; quàm deindè diſtinxit in regnatiuam, ſeù architonicam, quæ eſt in Principem, & politicam, quæ eſt ſingulorum, vt ſunt particulares perſonæ, in ordine tamen ad bonum commune; ſicut ergò hæc dicuntur de prudentia, ità eadem de moralibus virtutibus dicenda ſunt, quomodo Ariſtot. 5. Ethicorum c. 1. & 2. Iuſtitiam appellat totam virtutem, vt ſicut caritas quamuis ſit ſpecialis virtus Chriſtiana, quià tamen in omni opere cuiuſcumque virtutis reperiur, dicitur eſſe vniuerſalis, & omnis alias cōplectitur, ità Iuſtitia ſit quidem virtus ſpecialis, quæ reſpicit bonum commune Reipublicæ: quià tamen per illam, opera aliarum virtutum ordinari debent ad bonum cōmune dicitur generalis virtus, & quoddammodo tota virtus, & hanc virtutem, Sanctus Thomas q. 58. art. 6. docet eſſe in Principem architectonicæ, quatenùs præcipit, quæ ad bonum commune pertinent; in ſubditis verò, tamquàm in mandantibus exequutioni id, quod ab illo præcipitur, & ideò hæc iuſtitia, legalis appellatur, & huius obiectum Ariſtot, c. 1. & 2. ait eſſe iuſtum, non quatenùs opponitur iniquo (hoc enim eſt obiectum iuſtitiæ particularis) ſed quatenùs eſt idem, quod legitimum, ſeu id, quod eſt in lege præceptum.

Hanc virtutem Ariſtot. ait eſſe præclariſſimam. In ſe omnes virtutes continere: & neque Heſperum, neque Luciferum eſſe ità admirabilem, & multò maiorem ſplendorem habere; vndè ad hanc virtutem pertinet moderari alias virtutes, & earū actus præcipere, & ad ſuum finem, ſcilicet commune bonum, dirigere, & ideò Vulpianus leg. Iuſtitia ff de Iuſt. & Iure, ait, Iuris præcepta ſunt hæc, honeſtè viuere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, quod idem habetur in Inſtitut. de Iuſtitia, & Iure §. Iuris, & §. Huius ſtudij; quare Iuſtitia hoc modo ſumpta, eſt virtus communis dirigens, & òrdinans omnes alias virtutes ad bonum commune, ſiuè illa ſit aggregatio ſola habituum cunctarum virtutum ſimul, ſiuè ſit habitus particularis ab omnibus alijs diſtinctus, ſiuè ſit habitus Iuſtitiæ Cardinalis, vt habet adiunctos habitus aliarum virtutum.

Hæc autem explicatio huius iuſtitiæ in hoc videtur differre ab alia, quod alia, nomine iuſtitiæ intelligit omne opus virtutis, quatenùs eſt debitum, ſecundùm regulam rationis illius particularis virtutis; hæc verò intelligit omne opus, quatenus ordinatur ad bonum commune, quæ acceptio videtur magis accedere ad propriam acceptionem iuſtitiæ; quod ſi iungamus vtramq;

ſimul, habebimus acceptionem perfectam iuſtitiæ communis, & hoc modo quodlibet opus cuiuſcumque virtutis dici poteſt opus Iuſtitiæ, hoc in ſenſu dicitur Matth. 5. *Niſi abundauerit Iuſtitia, &c.* Quare, iuſtitia, prout pertinet ad propoſitum dupliciter ſumitur; primò pro Iuſtitia illa communi, & generali. Secundò pro iuſtitia, quæ eſt virtus Cardinalis diſtincta ab alijs tribus, & de hac eſt ſermo in præſenti.

PROPOSITIO II.

Declaratur nomen Iuris.

NOuem ſolunt afferri acceptiones Iuris. Primò, vt ſignificet quidquid quomodocumque eſt bonum, & æquum, vt ſumit Paulus Iuriſconſultus l. Ius ff. de Iuſt. & Iure. Secundò vt ſignificat quidquid eſt legi cuicumque conforme, quod ab Ariſtot. 5. Ethicorum c. 1. dicitur legitimum, quomodo ſumit Ius S. Iſidorus 5. & 9. c. 3. vt exponit S. Thomas hic ad ſecundum. Tertiò ſumitur, vt ſignificat legitimam facultatem aliquid faciendi, vel poſſidendi. vel acquirendi, vel aliud ſimile faciendi; & hoc modo Iuriſperiti diſtinguunt Ius ad rem, quæ alicui debetur, quãuis ab illo non poſſideatur, & Ius in re, quã nimirùm iàm poſsidet. Quartò, vt ſignificat ſententiam Iudicis, ſiuè illa ſit iuſta, ſiuè iniuſta: quia ſententia illa ex natura ſua debet eſſe iuſta, vt ſumit Paulus Iuriſconſultus l. Ius. Quintò, vt ſignificat locum, vbi Ius dicitur. Sextò, vt ſignificat neceſsitatem aliquam, & coniunctionem, vt cognationes, vel affinitates, quomodò ſumit Martianus Iuriſconſultus l. non vmquam ff. de Iuſt. & Iure. Septimò, vt ſignificat idem, quod lex, ſeù dictamen prudentiæ, vel naturale, vel in habente authoritatem ad ferendas leges humanas, quomodò diuiditur in naturale, Gentium, & Ciuile. Ab Vulpiano de Iuſt. & Iure. Octauo vt ſignificat ipſam ſcientiam, ſicut ſumpſit Vulpianus l. 1.

Vltimò, vt ſignificat Iuſtum per æqualitatem quandam vnius cum alio, quæ acceptio videtur eſſe primaria, & ab ea reliquæ ſunt deriuatę, vt docet Ioannes Andreas in principio tituli de re indicata in ſexto. Quòd autem Ius principalitèr ſumitur hoc vltimo modo, probat Sanctus Thomas, quià Ius. & Iuſtum idem ſunt, vndè Sotus probabilitèr ait, Ius eſſe idem nomen, quod Iuſtum, per ablationem vltimæ ſyllabæ: Ius enim, & Iuſtum græcè eodem nomine nominantur, vt docet Ariſtot. 5. Ethicorum c. 4. de qua re, multa Sotus l.c. & ideò Ariſtot. l.c. ait, in Iuſtitia commutatiua eſſe ęquum quoddã proportione Arithmetica, ideſt omnimoda, & totali, in diſtributiua verò proportione Geometrica: quià non fit æqualitas omninò, ſed ſecundùm proportionem.

PROPOSITIO III.

Obiectum Iuſtitiæ propriè ſumptæ, eſt Ius vltimo modo.

PRobatur à priori ſupponendo primò breuitèr, Iuſtum materialitèr acceptum, dicere rem ipſam, quam alter poſtulat ex ſuo Iure, & alter debet, formaliter autem dicere ipſam æqualitatem, & commenſurationem Iuris ad debitum, quæ æqualitas fundatur in ipſa re, & ità res ipſa eſt obiectum materiale, in quo poteſt Iuſtitia cõuenire cùm aliis virtutibus (poſſunt enim verſari circà eamdem rem) vt exempli gratia, circa eamdem pecuniam Iuſtitia, ſi detur titulo emptionis: miſericordia, ſi detur ad ſubleuandam alienam miſeriam, & liberalitas, ſi detur àd liberalitèr beneficiendum; æqualitas verò eſt obiectum formale, per quod Iuſtitia primò diſtinguitur à cæteris omnibus virtutibus. Nunc accedat ratio pro noſtra Propoſitione.

Obiectum ad quatum cuiuſcumque habitus eſt illud, quod conflatur ex parte materiali, in qua communicat cum cæteris, & ex formali, per quam differt à cæteris: at huiuſmodi eſt Iuſtum in ordine ad iuſtitiam, ergò, &c. Maior eſt certa; minor probatur: quià Iuſtum dicit tùm rem, quæ fundat æqualitatem; tùm etiam ipſam æqualitatem: ſed in re (vt patet ex ſuppoſito,) Iuſtitia communicat cùm cæteris habitibus, & per æqualitatem differt; tùm etiam, cùm prætereà nullus alius habitus attendat formalitèr iſtam æqualitatem, cõcluditur Iuſtum eſſe adæquatum obiectum iuſtitiæ.

Digitized by Google

iuſtitiæ: Confirmatur ex Ariſtot. 5. Ethicorum c. 1. nàm ex communi conceptu, Iuſtitia eſt habitus inclinans ad iuſtum; ergo cùm habitus definiantur per habitudinem ad ſua propria obiecta, omninò ſequitur Iuſtum eſſe proprium obiectum Iuſtitiæ. Sit altera ratio: æqualitas importata per Iuſtum, eſt aliqua ſpecies honeſtatis: ergò ad ipſam tamquàm ad obiectum debet inclinare aliqua virtus: ſed vt patet inductione, nulla alia virtus præter iuſtitiàm, ad eam inclinat, ergò hæc eſt formale obiectum ipſius iuſtitiæ. Ex his accipe, quę deducuntur documenta.

Primum documentum: Ius acceptum pro lege, non eſt obiectum Iuſtitiæ particularis, quæ attendit iuſtum, vt ſic, & non prout eſt lege præceptum.

Nàm, vt eſt præceptum, pertinet ad virtutem obedientiæ, ſed eſſe tantùm regulā, à qua rationalis doctrina dirigitur, & obligatur ad proſequutionem Iuſti: lex enim naturalis eſt practicum dictamen rectæ rationis dirigentis, & obligantis naturam rationalem ad proſequutionem honeſti propter ipſammet honeſtatem. Quomodo lex naturalis ſit practicum dictamen rectæ rationis, declarabo agendo de legibus.

Lex verò poſitiua eſt practicum imperium, vel Dei, ſi ſit diuina, vel Principis, ſi ſit humana, ſimilitèr dirigentis, & obligantis propter bonum commune, ad quod omnis lex poſitiua dirigitur.

Secundum documentum: Ius acceptum pro peritia legum, non eſt obiectum iuſtitiæ.

Probatur, quia talis peritia eſt practica quædam ſcientia, quæ inclinat ad practicum Iudicium, quod hæc, vel illa operatio ſit, vel non ſit iuſta, & legibus conſentanea; atque adeò eſt habitus quidam applicans ipſam legem tamquam regulam ad diſcernendum opus iuſtum ab iniuſto, ipſa verò iuſtitia particularis eſt virtus inclinans ad ipſum opus iuſtum exequendū.

Hinc ſit tertium documentum; Ius, nec prout dicit ſententiam Iudicis, neq; prout dicit locum, in quo Iudex fert ſententiam eſt obiectum iuſtitiæ; ſententia enim Iudicis, eſt tantum quædam applicatio legis, ſeú regulæ ad diſcernendum iuſtum; locus autem Tribunalis, eſt aliquod moralitèr requiſitum ad talem applicationem.

Quartum documentum; Ius prout dicit moralem poteſtatem, non eſt formale obiectum iuſtitiæ.

Probatur: Iuſtitia inclinat ad honeſtatem iuſti, vt ſic, quod, vt ſic dicit formalitèr æqualitatem, ſeù commenſurationem iuris ad debitum; atquè adeò ipſa æqualitas eſt obiectum formale, quo ipſius iuſtitiæ particularis; Ius verò inadæquatè, ac proximè fundans talem æqualitatem, eſt proximum obiectum materiale inadæquatum; at Ius ſimul, & debitum adæquatè fundantia talem æqualitatem, ſunt proximum obiectum materiale adæquatum, res etiam ipſa fundans Ius vnius, & debitum alterius (quàm ſcilicèt alter legitimè poſtulat, alter debet,) eſt obiectum materiale remotum, & deniquè ipſa perſona, cui bona eſt, ſeù in cuius commodum cedit ipſa æqualitas, eſt obiectum formale cui.

Dices ex Patre Leſſio lib. 2. c. 2. dubit. 1. num. 7. Ipſum Ius eſſe obiectum formale cui: nàm ratio ob quam alteri debita eſt æqualitas, eſt Ius, quod habet in talem æqualitatem; ergò Ius eſt obiectum formale cui: debitum verò eſt obiectum formale, quod & dependet à iure, quia dicit ordinem ad Ius; omne enim debitum, alicui iuri eſt debitum, & vbi nullum eſt ius, nullum eſt debitum; ergo ex iure dependet debitum.

Negatur antecedens: nàm ratio cur alteri debeatur æqualitas, ſeù iuſtum, non eſt ipſum Ius: Ius enim, debitumque ſunt correlatiua, & ſimul natura; valetq; inter ipſa mutua ſubſiſtendi conſequentia; atque adeò, non magis verum eſt dicere, hic habet debitum, quià alter habet ius, quàm è contra, & ſic, nec Ius eſt radix debiti, neque è contra, ſed ambo ſimul reſultant ex alio titulo, prout variæ iuris ſpecies, puta dominium, vel vſusfructus, vel vſus, vel poſſeſſio reſultant ex varijs titulis, puta ex emptione, vel donatione, vel hæreditaria ſucceſſione, &c. ita tamen, vt ad eundem titulum ſimul natura reſultent, & Ius in vno, & debitum in altero.

Curioſè tamen obſeruo, quod Ius acceptum pro morali poteſtate diuiditur in Ius in re, & Ius ad rem. Ius in re eſt Ius circa aliquam rem ad quod res illa deuincta eſt, ità vt poſſet, qui habet tale Ius, habere actionem in rem illam vbicumq; ſit,

& res illa manente tali iure ad quemcumque transferatur, manet obligata illi, qui habet tale Ius; v.g. quis eſt Dominus alicuius rei, & habet Ius vtendi, fruendi, diſtrahendi, alienandi, & ſimilia faciendi circa illam, hic habet actionem illam in rem; & manente tali iure, ſemper poteſt hæc omnia facere.

Ius autem ad rem, eſt Ius circa rem aliquam, ad quod res illa nondum eſt deuincta, ita vt ratione huius iuris detur homini actio, non circa res, ſed circa perſonas; quæ illi debent præſtare illud, quod tali iure conceditur: Vndè, qui habet agrum v.g. aut quid tale, reſpectu agri habet Ius in re. Similiter in ordine ad fructus, qui jam exiſtunt, habet Ius in re: quia eo ipſo, quod exiſtunt, habet Ius ad rem: quia reſpectu rei, quæ non exiſtit, non poteſt eſſe ius in re.

Ius ergo in re, per ſe loquendo, non acquiritur ex nudo titulo, ſed ex titulo ſimul, & traditione; Ius verò ad rem, quod dicitur etiam perſonale, acquiritur ex nudo titulo in ordine ad rem debitam, & nondum obtemptam, vt exempli gratia; ſi quis tibi priús vendat equum, & deindè eum tradat non tibi, ſed alteri; Ius in re, ſeù dominium, & realem actionē in equū, habebit is, cui facta eſt traditio; Tu verò non habebis niſi Ius ad rem, ſeù perſonale, & perſonalem actionem dandi in venditorem; &ità is, cui facta eſt traditio, nullo modo tenebitur rem ipſam tibi venditam, & non traditam, cedere, vt patet de lege quoties C.de rei vendicatione.

Quod intellige, ſi alteri ſit tradita eſſet titulo gratuito, puta ex promiſſione, vel donatione, poſſes tu eam tibi vindicare; ſicut etiam valeres vindicàre, ſi tradita eſſet titulo oneroſo alteri ſcienti etiam tibi prius fuiſſe venditam, vt optimè notat *Leſſius* lib.2.c.3.dubitat.3.ex Couarruuias lib.2, variar. reſolut.c.19. num.5.

Conſequentèr ad hæc, dicerem ego, quod ſi res aliqua tibi quidem donetur, & non tradatur; alteri verò, deindè donatur, & tradatur; tunc Ius in re, erit pœnès ſecundùm donatarium, cui facta eſt traditio, ſine qua traditione iuxtà communiorem ſententiam non transfertur ius in re, ſeù dominium ex vllo titulo gratuito, ſiuè promiſſionis, ſiuè donationis; ſi verò ſecundus donatarius, cui res eſt tradita, fuerit conſcius ipſam rem tibi priùs fuiſſe donatam; tunc poteris ipſam rem tibi vindicare.

Dixi, Ius reale per ſe loquendo, hoc eſt, vt plurimum non acquiri ex nudo titulo ſine traditione; quia interduum, in octo potiſſimum càſibus (vt optimè notat *Leſſius* loc.cit.) transfertur dominium, & ius in re, ſine vlla traditione.

Primus caſus eſt in collatione beneficij; nàm poſita acceptione, ſine vlla traditione ſtatim acquiritur ius in re, vt clariſſimè patet ex c.5. ſi tibi abſenti titulo de præbendis in ſexto; vbi notat ex Rebello lib. 1, q.1.ſeſſ. 3.nu. 28. acquiri ius in re ex collatione beneficij acceptata; non autem ex electione ab beneficium: nam per electionem non acquiritur niſi ius ad rem.

Secundus caſus eſt in hæreditate, in quam ſiuè ex teſtamento, ſiuè ab inteſtato proueniat, acquiritur ius in re, & dominium per ſolam additionem, ſine vlla traditione, vt patet ex lege cum hæredes ff. de acquirenda, vel admittenda poſſeſſione, vbi clarè decernitur; quod pér ſolam additionem hæreditatis, omnia iura ad nos tranſeunt, quamuis non tranſeat poſſeſſio, niſi naturalitèr compræhenſa; additur autem hæreditas ſola voluntate, hoc eſt, acceptatione expreſſa verbo, vel facto, vt ibi Gloſ. ex inſtitutione de hæredum qualitate, & differentia §. finali; poſſeſsio verò non tranſit, niſi naturalitèr compræhenſa, hoc eſt in corpore compræhenſa; ratio huius rei redditur à Paulo de Caſtro in Rubrica: quia ſcilicet iura, quæ erant apud defunctum, & per mortem non fuerunt extincta, ipſo iure tranſeunt in hæredem; naturalis verò poſſeſſio non item: quia hæc extinguitur per mortem Teſtatoris, & ita hæres nouam poſſeſſionem appræhendat, neceſſe eſt. Petes: cur poſſeſſio extinguitur, & cætera iura non extinguuntur per mortem Teſtatoris? Reſpondeo: rationem reddi poſſe ex eo, quia vt diximus, cætera iura appræhenduntur animo, & voluntate incorruptibili: & ſic non corrumpuntur; naturalis verò poſſeſſio appræhenditur corpore, & ſic corrūpitur ad corruptionem corporis.

Tertius caſus eſt in legato; nàm ex lege additio ff. de furtis, ea, quæ legantur recta via, ab eo, qui legauit, ad eum, cui legata ſunt,

Digitized by Google

ſunt, tranſeunt; ergo omnia iura in rem legatam tranſeunt à legante in legatarium.

Quartus caſus eſt, quandò aliquod donatur, aut venditur, aut quomodolibet relinquitur Ciuitatibus, Eccleſijs, aut alijs pijs locis, aut in redemptionem captiuorum; tunc enim tranſit dominium, & Ius in re ad donatarios, & cætera, ſine vlla traditione, vt clariſſimè decernitur leg. vltimo, C. de Sacroſanctis Eccleſijs.

Quintus caſus eſt in contrâctu ſocietatis omnium bonorum, ex quo contractu ſinè vlla traditione transfertur in omnes ſocios dominium commune; imò etiam communis poſſeſſio omnium bonorum, vt clariſſimè conſtat ex leg. 1. ff. pro ſocio: nàm inquit Iuriſta, (quod in ſocietate omniũ bonorum, omnes res, quæ coeuntium ſunt, continuò communicantur: quià licèt ſpecialitèr traditio non interueniat; tacitè tamen creditur interuenire, & cætera) vbi Gloſ. inquit rationem eſſe: quia quod vnus ſuo priuato nomine poſſidebat, deindè per ſocietatem, incidit communi nomine poſſidere, & ità acquiritur in communi dominiũ, & poſſeſſio, vt colligitur ex lege quod meo ff. de acquirenda, vel admittenda poſſeſſione.

Sextus caſus eſt, ſi donatarius non præſtat donatori alimenta, quæ ex pacto præſtare tenetur; tunc enim donatio cenſetur reuocata, & ſine noua traditione, reddit dominium, & ius in re ad donatorem, vt expreſsè definitur lege 1. C. de donationibus, quæ ſub modo.

Septimus caſus, quando Princeps vendit, vel donat cum expreſſa, vel tacita voluntate transferendi dominium ſine traditione; tunc enim ſine vlla traditione transfertur ex communiſſima Doctorum ſententia, vt videre eſt apud Couarruuias lib. 2. variarum c. 19. num. 3. Dixi cum expreſſa, & tacita, &c. quia vt annotauit Couarruuias l. c. cùm Princeps contrahit cum alio, transfert dominium, ſine traditione, non quidem per purum contractum; nam in puris contractibus præſumendum eſt principem iuxtà iuris communis regulas, & deciſiones contraxiſſe, vel quando expreſſa eſt voluntas Principis de transferendo dominium per purum contractum ſine traditione; vel quandò dubia quidem eſt talis voluntas Principis; ſed tamen de facto, vel de iure vtitur priuilegijs in alicuius rei donatione. Nàm cùm de iure tantùm, & non de facto vtitur priuilegijs; tunc præſumitur in Principe tacita quædam voluntas transferendi dominium ſine traditione: qua voluntate poſita, ſtatim transfertur: quia (vt notat Couarruuias poteſt Princeps hoc facere:) nàm ſicut ex iure poſitiuo, & ex voluntate Principis oritur, vt non transferatur dominium ſine traditiòne, ità etiam ex eiuſdem voluntate fieri poteſt, vt transferatur ſine traditione.

Vltimus denique caſus, eſt in pignore, & hypotheca: nam ius hypothecæ, & pignoris, quod eſt ius in re tribuens actionẽ realem, acquiritur ex pura conuentione, vel legis diſpoſitione, ſine vlla traditione, vt colligitur ex leg. 1. ff. de pign.

PROPOSITIO IV.

Iuſtitia communitèr partitur in legalem, diſtributiuam, & commutatiuam.

AD pleniorem rei intelligentiam moneo ex D. Auguſtino 19. de Ciu. c. 4 proprium eſſe iuſtitiæ, tribuere vnicuique ius ſuum, ideſt, debere tribui iuxtà qualitatem debiti. Cum autem variæ ſint differentiæ debiti, ſicut & etiam diuerſi ſunt modi, quibus redditur debitum; hinc nonnullis modis ſumitur iuſtitię debitum, aliud eſt legale, & aliud morale. Primum dicitur, ad quod reddendum, quis aſtringitur lege; hinc dicitur debitum ſtrictum, & proprium. Morale debitũ id dicitur, ad quod reddendum aſtringimur ſolùm ex honeſtate virtutis.

Moneo debitum legale bipartitum eſſe; vnum dicitur generale, & correſpondet communitati: aliud ſpeciale, & habet pro termino perſonam priuatam. Obſeruandum etiam, quod debitum legale poteſt dupliciter contemplari; quippe aut eſt ad æqualitatem Arithmeticam, aut Geometricam: vocant æqualitatem Arithmeticã, quæ eſt inter duas quantitates, ſeù æqualitatem re, ad rem. Geometriam dicunt, quæ eſt inter proportiones quantitatum, ſeù rerum, ità vt ea ſit proportio alicuius ad ſuum correlatiuum, qualis eſt proportio alterius ad ſuum correlatiuum.

Hinc

Digitized by Google

Hinc, quià iuſtitia ponit iuxtà qualitatem debiti, & morale debitum, in ampla, & communiſſima acceptione dicatur debitum; hinc ea iuſtitia, in qua reperitur ſolùm debitum morale, pariformitèr ſolùm communiſſimè dicitur iuſtitia; Hancq; dicunt Doctores eſſe illam, quæ per omnes diuagatur virtutes, cuicumque illarũ tribuendo ſuum, ſeù quod ei rationis naturalis ductu, debetur. Cùm ergò debitum legale veram, & propriam rationem ſortiatur debiti. Iure merito ea iuſtitia in qua debitum legale reperitur ſtrictè propinquè appellandà venit iuſtitia,

Vt pleniùs partitio iuſtitiæ propriè ſumptæ in legalem diſtributiuam, & commutatiuam intelligentiam habeamus iuuat obſeruare documentum ex Patre noſtro Villalobos tom. 2. Tract. 7. difficultate 4. num.4.vbi ponderat, quod in Republica, tres reperiuntur ordines.

Primus eſt, quem partes dicunt ad totum, ſeù ad caput Reipublicæ (in quo eminentèr, ſeú interpræratiuè continentur voluntates totius Reipublicæ: proptèr quam continentiam, ſeù ſuperioritatem, Princeps ſupremus reputatur tota Reſpublicà, & condit leges) ſecundum quem ordinem ponitur iuſtitia legalis, vi cuius debent Ciues ſeruare leges Reipublicę, ſeù ſupremi Principis (hæc iuſtitia aliquando vocatur generalis: eo quod generalitèr obligat omnes inferiores.) Secundus ordo eſt, quem Reſpublica, ſeu Caput dicit ad ſuas partes; ſecundùm quem ordinem ponitur iuſtitia diſtributiua, vi cuius Reſpublica, ſeù Caput tenetur ſeruare rectitudinem, ſeù æqualitatem Geometricam in diſtribuendo bona Reipublicæ, ſeù communia. Hinc nequit illa pro habito conferre, ſed ad menſuram meritorum proportione ſeruata ad dignitatem perſonarum, & ad alias circumſtantias. Tertius ordo eſt, quem partes dicunt inter ſeſe; & ſecundùm iſtum ordinem ponitur iuſtitia commutatiua, vi cuius tenentur Ciues ſeruare reſtitutionẽ, ſeù æqualitatem Arithmeticam in ſuis cõtractibus emptionis, venditionis, &c. nulla attentione habita ad dignitatem perſonarum, aut ad alias circumſtãtias, ſed reddendo tantum pro tanto. Quare ſi contingat Rempublicam, ſeù eius ſupremum Principem celebrare contractum, emptionis, venditionis, promiſſionis, &c. cum aliquo Ciue, tenetur vi huius iuſtitiæ commutatiuæ reddere tantum pro tanto, non alitèr ac ſi eſſet particularis Ciues.

Commutatiua ergò iuſtitia verſatur in commutationibus, & contractibus. Diſtributiua verò in diſtributione commodorum, vel onerum communium inter partes communitatis; commutatiua ordinat partem ad partem, ſeù Ciuem ad Ciuem; diſtributiua ordinat communitatem, ſeù Rempublicam ad partes, ſeù ſingulos Ciues ſecundùm Geometricam diſtributionem bonorum, vel onerum iuxtà proportionem dignitatum, vel meritorum vniuſcuiuſque ità vt quo dignior ſit vna perſona præ altera, tantò plus in diſtributionem ei debetur.

PROPOSITIO V.

Iuſtitia diſtributiua diſtinguitur eſſentialiter, & ſpecie à commutatiua, & non ſolùm materialitèr.

EST Ariſtot. 5. Ethicorum c. 2. 3. & 4. & quamuis Buridianus dicat Ariſtot. vti nomine ſpeciei largè; hoc tamen vertit omnem authoritatem, quæ ex Ariſtot. ſumi poſſit: quià ipſe intendens hoc probat, & agit de illis, vt de diuerſis, & aſſignat in illis diuerſa media, nec vlla eſt ratio in contrarium, quæ conuincat. Probamus propoſitionem: Primò, Iuſtitia in genere ſumpta, conſiſtit in eo, quod reddatur alteri, quod ſuum eſt: ergò vbi eſt diuerſum ſpecie ſuum, & debitum, ibi erit diuerſa iuſtitia: in noſtro autem caſu hoc contingit, ergò, &c. Probatur minor, quia licèt omnis iuſtitia reddat alteri, quod ſuũ eſt, alio tamen modo eſſentialitèr, vt ſpecie eſt ſuum in iuſtitia diſtributiua, ac in commutatiua; ſicut enim alio modo eſt ſuum reſpectu Petri illud, quod actu poſſidet, alio, quod iure poſſidet; quod nimirum iure hæreditario, vel ob merita, vel alio titulo expectat poſſidendum, ità, & multo magis alio modo eſt ſuum, id quod ſimplicitèr, & abſolutè ſuum eſt, alio modo id, quod eſt ſuum ſecundùm quid; illud enim, quod Petrus actu poſſidet, vel poſſedit, ſed fuit illi oblatum, eſt ſimplicitèr,

&

Digitized by Google

& omninò ſuum;illud verò quod expectat: quià habet Ius ad illud, eſt ſuum ſecundum quid, & hæc duo genera ſui ſunt inter ſe diſtincta ſimplicitèr, & perfectè, & non ſolùm ratione, vel tamquam perfectũ, & imperfectum. Primum autem ſuum eſt in iuſtitia commutatiua, ſecundum in diſtributiua. Confirmatur: vbi eſt varius ordo tractandi res exteriores, ibi eſt diuerſa virtus; ſed inuenimus tres ordines in talibus rebus exterioribus eſſentialitèr inter ſe diſtinctos; ergò etiam tres erunt virtutes. Primus ordo eſt,vt partes benè ſe habeant erga totum, & hoc fit per iuſtitiam legalem. Secundus ordo eſt, vt totum benè ſe habeat ergà partes, ideſt, vt totum det partibus id, quod debet, & hoc pertinet ad diſtributiuam, quæ diſtribuit bona communia totius partibus Reipublicæ. Tertius ordo eſt, vt partes inter ſe benè ſe habeant, & hoc pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, quæ facit ciues omnes æquales in accepto; ergò ſicut ordines illi ſunt intèr ſe eſſentialitèr diſtincti,ita erunt diſtinctæ virtutes iuſtitiæ, quæ illos ordines reſpiciunt. Accedat altera ratio: Iuſtitia, vt ſic, reddidit, quod ſuum eſt, ſed hoc duobus modis eſſe poteſt: vnum enim debitum eſt ſimplicitèr, & hoc propriè eſt inter Ciues, & reſpicitur à commutatiua; alterum eſt ſecundùm quid, & quodammodò, & hoc eſt totius ad partes, & eſt obiectum iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ bona communia diſtribuit partibus,quæ non habent Ius ſimplicitèr, & abſolutè ſupra illa bona, ſed ſolùm ſecundùm quid, & quodammodo; vndè iuſtitia diſtributiua debet Ciuibus bona communia, non vt ſua ſimplicitèr, & propria illorum,ſed vt communia; commutatiua verò debet vt propria.

Sit altera probatio: iſtæ duæ iuſtitiæ habent obiecta eſſentialitèr,& formalitèr intèr ſe diſtincta: alia enim eſt ratio debiti in bono communi, quod diſtribuitur; alia in bono particulari, quod debet pars parti. Sit altera ratio:vbi eſt noua, & diuerſa difficultas, ibi eſt noua, & diuerſa virtus(quia virtus eſt circa ardua:) ſed in reddendo alieno eſt duplex difficultas; vna, qua redditur id, quod illius erat, & hæc eſt parua difficultas: altera, vt id, quod numquam fuit proprium,ſed erat commune, fiat proprium alicuius, & hæc difficultas eo maior eſt, quo communium bonorum minimè ſoleat eſſe vera: ergò ad ſuperandas has duas difficultâtes, duæ ſunt neceſſariæ virtutes eſſentialitèr diſtinctæ: fauet huic diſcurſui quod experientia videmus aliquos eſſe promptos ad nullo modo violandam iuſtitiam commutatiuam,qui tamen conſtituãtur Miniſtri publici, qui debeant diſtribuere bona communia, maximè ducũtur amore, vel odio, & violant iuſtitiam diſtributiuam, maximam difficultatem in illius obſeruatione ſentientes. Confirmatur, & etiam: quià iſtæ duæ virtutes habent vitia oppoſita omninò eſſentialitèr diſtincta; iuſtitiæ enim diſtributiuæ opponitur acceptio perſonarum; commutatiuæ verò, furtum, & ſimilia; nec dicas vni virtuti poſſe opponi multa vitia per defectus variarum circumſtantiarum: quia hæc eſt oppoſitio ſimplicitèr ex genere ſuo, non autem ratione tantùm circumſtantiarum. Tãdèm: ob hanc cauſam, omnes concedunt violationem iuſtitiæ commutatiuæ obligare ad reſtitutionem; violationem verò diſtributiuæ, multi negant ad hoc obligare, eo quod ſit diuerſum debitum.

Argumenta, quæ affert Buridanus pro ſua ſententia, ſolùm probant has duas iuſtitias conuenire in genere iuſtitiæ,& debiti, & diſtributionem, primo, & per ſe reſpicere dignitatem perſonarum, commutationẽ verò per ſe tantùm reſpicere æqualitatem. Moneò autem, quod dum diximus in iuſtitia diſtributiua non eſſe debitũ ſimplicitèr, minimè eſſe ità intelligendum, quaſi illud debitum,quod eſt in huiuſmodi iuſtitia, non ſit verè debitum; ſic enim,nec eſſet vera iuſtitia; Volumus ergò ſolùm excludere rationem illam debiti, quæ eſt in iuſtitia commutatiua ex actuali dominio,& poſſeſſione rei: quamuis enim ſpecies eiuſdem generis participent naturam illius, habent tamen ſuas proprias differentias inæquales inter ſe.

DIFFICVLTAS.

An Iuſtitia vindicatiua continuatur ſub his duabus.

ANgelicus Thomas q. 108. art. 2. ad primum ait iuſtitiam commutatiuã, vt eſt

Digitized by Google

vt eſt publica, ſeù in Principe, punire, & vindicare, atque adeò punire delicta, quatenus ad iuſtitiam publicam pertinet eſſe actum iuſtitiæ commutatiuæ; & 3. parte q.35.art.3. ad tertium; ait iuſtitiam vindicatiuam reſpicere perſonam Iudicis, & contineri ſub iuſtitia commutatiua, vbi Caietanus ait, iuſtitiam vindicatiuam eſſe ſpeciem iuſtitiæ commutatiuæ; Sotus lib.3. de Iuſt.&c. q.5. art.1. ad tertium ait, iuſtitiam vindicatiuam poſſe conſiderari dupliciter: primò, quatenùs pertinet ad iuſtitiam publicam, & refertur ad bonum commune, & ſic eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, imperatus tamen à legali, quæ eſt in Principe, & miniſtris illius. Secundò, vt refertur ad particularem Ciuem, quatenus per iuſtam vindicationem nititur iudex tollere nocumentum illatum parti læſæ, quodammodò Iuſtitia hæc non ſolum eſt in Iudice, ſed etiàm in Ciue priuato, qui ſeruato ordine poteſt petere vindictam, & ſic eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ; quæ eſt pars potentialis iuſtitiæ commutatiuæ.

Moneo vindicatiuam iuſtitiam poſſe cōſiderari in ordine ad diuerſas perſonas: Primò in ordinè ab perſonam publicam, quæ propter bonum commune debet vindicare iniurias,& delicta,& præterea etiam propter bonum partis læſæ. Secundo in ordine ad perſonam priuatam, cui eſt illata iniuria, & vult illam à ſe repellere, non propria, & priuata authoritate, ſed publica; hæc autem perſona læſa poteſt dupliciter ſe habere: primò, vt talis ſic, vt eius honor, & fama, ſint neceſſaria communitati, quales ſunt communitèr Prælati, ſiuè Eccleſiaſtici, ſiuè ſæculares, quos expedit Reipublicę habere bonum nomen. Secundò, vt ipſe ſolum lædatur, alij verò nihil ex eius famæ detrimento, patiantur; & ſecundùm has varias conditiones vindicatio iniuriæ ad varias virtutes poteſt pertinere. Ad rem ergò præſentem determinandam has do propoſitiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Iuſtitia vindicatiua, quæ eſt in Principe, vel Iudice, non ſolùm quatenùs reſpicit bonum commune Reipublicæ, ſed etiam quatenus reſpicit bonum particulare partis læſæ, quia nimirum nititur illam leuare iniuriam, & grauamèn, eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ.

PRobatur: quia in huiuſmodi actu redditur debitum delinquenti,& Reipublicæ delinquenti non debetur omni iure ſupplicium, & Reipublicæ ſatisfactio; ergò eſt actus iuſtitiæ, & non diſtributiuæ: quia hic nulla bona communia diſtribuuntur; ergò commutatiuæ. Confirmatur, actus iuſtitiæ commutatiuæ non ſolùm eſt,quandò facio, vt facias, vel do, vt des, vt contingit in emptionibus, & venditionibus: ſed etiam in eo,quod facio aliquod ex debito; quia feciſti, vt quando redditur merces conſtituta operario, qui laborauit; Iudex autem puniens, facit ex debito: quia reus fecit; ergò hæc eſt iuſtitia commutatiua. Secundò iuſtitia commutatiua ſeruat æqualitatem rei, ad rem: ſed in hac vindicatione hoc contingit, ergò, &c. Tertio Iudex ex Iuſtitia commutatiua tenetur non ſolum proſpicere bonum commune, ſed etiam particulare Ciuium, & ſeruare illos indemnes quantum fieri poteſt; ergò non ſolùm tenetur ex iuſta commutatiua punire malefactores propter bonum Reipublicæ commune, ſed etiam, vt pars læſa accipiat ſatisfactionem. Antecedens probatur: quia Iudex, ideò recipit ſtipendium à Republica, & à priuatis, vt non ſolum proſpiciat bonum commune Reipublicæ, ſed etiam ſeruet Ciues indemnes, & eorum iniurias vindicet; ergò ad hoc tenetur ex commutatiua.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Hic actus vindictæ quamuis eliciatur à commutatiua, imperatur tamen à legali, ſi referatur in bonum commune Reipublicæ.

NAM hoc eſt obiectum legalis, & ob hanc cauſam tenetur Iudex, & Princeps quamuis nullus inſtet in contrarium (ſi tamen ad notitiam eius peruenerit factum) iuridicè illum iudicare, & condemnare: quià ipſe eſt Cuſtos iuſtitię, & ad eum per ſe primò pertinet curare bonum commune, nec ſolùm Iudex, ſed etiam accuſator, & quicumque alius, qui propter commune bonum, & pacem Reipublicæ petit vindicari iniurias, & puniri malos, hoc petunt, & faciunt ex Iuſtitia legali: in huiuſmodi enim actu, eſt obiectum formale legalis iuſtitiæ; imò ſi in in vindicta nihil aliud reſpiciatur, quàm bonum commune, erit ſola iuſtitia legalis: quià tamen ſempèr ibi redditur æquale; & habetur ratio meritorum, elicitur actus ille à iuſtitia cõmutatiua, & imperatur à legali, quamuis ille, qui petit hanc vindictam, poſſit illam petere ſolum ex iuſtitia legali, quæ nimirùm ſolùm illum obligaret.

PROPOSITIO III.

Si ille, qui petit vindictam de iniuria ſibi illata, & reſtitutionem famæ, & honoris ſit perſona publica, aut alia, cuius honor, & fama redũdat in bonum Reipublicæ, ex quo ſequitur ipſum teneri ex iuſtitia curare honorem ſuum, neque alia via poſſit recuperare ſuum honorem, niſi per Iudicem, & vindictam iuridicam, tunc perſona illa petens hac vindictam petit ex iuſtitia vindicatiua.

PRobatur primò, quia talis perſona tenetur ex iuſtitia commutatiua exequi ſuum officium: illud autem non poteſt exequi, ſi careat fama, & bono nomine: ergò tenetur ex iuſtitia commutatiua illud curare. Confirmatur à ſimili: ſi quis teneretur ex iuſtitia commutatiua ſubuenire alicui, aut dare pecunias, nec poſſet hoc præſtare, niſi recuperando in iudicio pecunias illas; idem autem eſt proportionalitèr in caſu noſtro. Secundò ſicut Iudex poteſt lege cogi ad vlciſcendàs iniurias ciuium ab ipſis ciuibus; ita talis perſona poteſt cogi ab ĳs, in quorum vtilitate cedit fama illius, ad repetendam ſuam famam per vindictam, ſed in primo caſu eſt iuſtitia commutatiua, ergò & in ſecundo Antecedens probatur, quia ſicut Iudex tenetur ex iuſtitia commutatiua ſeruare Ciues indemnes, ità hic tenetur ex eadem Iuſtitia ſua fama, & honore ſubuenire alĳs.

PROPOSITIO IV.

Petitio vindictæ exercendæ per Iudicem in alĳs perſonis priuatis, quarum fama, non eſt neceſſaria alĳs non eſt actùs iuſtitiæ, de qua hic agimus, quæ vocatur iuſtitia Cardinalis, ſed eſt actus cuiuſdam virtutis, quæ eſt pars potentialis iuſtitiæ Cardinalis, & vocatur à Philoſophis moralibus iuſtitia vindicatiùa.

ITA docet Sanctus Thomas quæſt. 108 & quæſt. etiam 80. vbi ad hoc faciendum, ponit virtutem quandam, qua voluntas gubernatur, nè in exigenda apud Iudicem compenſationem, peccet per exceſſum, vel defectum. Et quamuis hæc virtus videatur eſſe ſpecies iuſtitiæ cõmutatiuæ) de diſtributiua enim non eſt difficultas, cùm hic non diſtribuantur bona communia, nec habeatur ratio perſonæ, ſed rei, vel operationis factæ, & fit omninò æqualitas) eo quod hic fiat æqualitas aliqua, & pars læſa hoc facit, quia reus illud fecit; non eſt tamèn propriè ſpecies iuſtitiæ commutatiuæ: quia iuſtitia Cardinalis reſpicit debitum ad quod poteſt quis lege compelli, perſona autem priuata non poteſt lege compelli ad petendàm hanc vindictam; vndè non dicimus hic eum, qui ſoluit vindictam illam, aut à quo petitur vindicta, non ſeruare iuſtitiam commutatiuam; ſed ſolũm dicimus illum, qui petit, non exercere actum iuſtitiæ commutatiuæ propriè dictæ: quare Iudex ſumendo vindictam, ſeruat iuſtitiam commutatiuam, &

Digitized by Google

legalem. Reus ſoluens vindictam ſoluit ex commutatiua; petens autem vindictam, ſi ſit perſona, cuius fama, & honor ſint aliàs neceſſaria, ſeruat eandem iuſtitiam; ſi verò non ſit talis perſona, exercet actum vindicatiuæ, & hoc totum explicari poteſt à ſimili in ſolutione alicuius debiti pecuniarij; omnia enim eodem modo ſe habent in illos: iuſtitia autem vindicatiua, quæ eſt virtus ſpecialis, vt docet Sanctus Thomas infra quæſt. 108. Artic. 2. ad primum, eſt ſpecies (intellige potentialis) quod etiam docet 3. parte quæſt. 85. Artic. 3. quia hic eſt veluti quædam commutatio: quantum enim damni, & iniuriæ intulit, tantum ſatisfactionis ab illo exigitur; quia tamen perſona priuata non tenetur ex debito exigere hanc vindictam; ideò non eſt ſpecies perfecta iuſtitiæ commutatiuæ; huius rei ſimilitudinem habemus in gratitudine, quæ quamuis reddat pro beneficijs æquale, quia tamen non reddit illud ex debito legali, ſed morali, indè fit vt non ſit ſpecies perfecta iuſtitiæ commutatiuæ.

Plura ſi quis deſiderat de iuſtitia legat 21. noſtram Diſputationem de Sacroſancto Incarnationis myſterio.

DE DOMINIO.

Quæ occurrunt dicenda breuitèr de dominio, præſtabunt ſubſequentes propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Dominium tribus potiſſimum modis ſumitur.

PRIMO in latiſſima ſignificatione, & ſignificat ius rei vel habitudinem ad rem, quamcumque, & in quocũq; illa ſit; ſiuè ſit illa res pars ſubſtantiæ naturalis; ſiuè ſit bonum commune, ſiuè particulare priuatum, ſiuè ſuperiùs, ſiuè inferiùs, & hoc modo Rex dicitur Dominus Reipublicæ: quià habet ius ad eam regendam, & gubernandam, & Ciues dicuntur Domini viarum publicarum, & fluminum: quià Ius habent incedendi per publicas vias, & potandi ex fluminibus, imò & ſeruus hoc modo dicitur habere dominium ſui hæris; quatenus habet Ius, vt ab illo alatur, & in hac acceptione dominium idem eſt, ac Ius, quamuis Ius ſignificat legitimam poteſtatem, qua quis in perſonam aliquàm, vel in re, fungitur: verùm hæc acceptio dominij valdè impropria eſt, vt oſtendit Sotus lib. 4. de Iuſt. & in quæſt. prima Artic. primo, quamuis Gerſon conſiderat. 13. de poteſtat. Eccleſiaſt. & Tract. de Vita Spirituali ſeſſione tertia, quem ex parte ſequitur Corradus Tract. 1. de Contract. quæſtione prima, & nonnulli ſcholaſti in 4. d. 15. velint acceptionem hanc dominij eſſe propriam: vndè definiunt dominium: eſt poteſtas, ſeù facultas propinqua aſſumendi res alias in ſui facultate, vel vſum licitum, ſecundùm Iura, rationabilitèr inſtituta; ab iſtis non multum videtur recedere, Silueſter verbo dominium, poteſtatem, ſeù potentiam; vndè affirmat dominium nihil aliud eſſe, quàm poteſtatem; & vt poteſtas duplex eſt, vna iuris, altera facti, ita, &c.

Verùm

Digitized by Google

Vtrùm hoc nihil valet; nàm falſum eſt, idem eſſe Ius, & Dominium: quippe Ius ſignificat, quod æquum, & iuſtum, at dominiū eſt poteſtas Domini in res, vel ſeruos, quibus pro ſuo arbitrio vtitur in ſuum commodum, vndè Ius latiùs patet, quàm dominium, & ſic eſt aliquid ſuperiùs. Deindè: quià multi habent Ius in rem aliquam, & tamen non ſunt Domini, vt Maritus in Vxorem,& è còntra. Secundo dominium magis ſtrictè accipitur, aut dicitur Ius ſuperioris ad inferiores,& hoc modo Rex reſpectu ſubditorum, Pater filiorum, Dominus reſpectu ſubditorum, Pater filiorum, Dominus reſpectu famulorum, & ſeruorum dicitur habere dominium, & in hac ſignificatione, dominium eſt quid inferius ad Ius nàm quicumque habet hoc modo dominium, habet Ius, non tamen qui habet Ius, habet dominium, vndè dominium addit ſupra Ius ſuperioritatē; hinc Antoninus 3.parte tom.3. c.3. §.4. Angelus, verbo dominium in principio, & multi alij definiunt: Dominium eſt Ius habēdi poſſidendi, & vtendi aliqua re ſimplicitèr pro libito voluntatis, vel ſecundùm aliquē determinatum modum ex quadam ſuperioritate, & authoritate; huius definitionis explicationem legite apud Antoninum loco citato.

Alijs tamen non placèt: nàm ad dominium proprium non ſatis eſt Ius, cùm ſuperioritate: alias; Pater eſſet Dominus filiorum, vt Rex eſſet Dominus ſubditorum, propterea confundunt iſti dominium cùm vſufructu. Tertiò, & vltimo ſumitur dominium propriè, pro iure, & facultate, qua quis vti poteſt re aliqua pro libito in propriam vtilitatem ipſius Domini quocumq; vſu lege permiſſo.

PROPOSITIO II.

Dominium à Soto lib. 4. de Iuſt. & Iure q.1.art.1.& Ledeſma 2.p.q.18.ar.1. dubio 1. ità diffinitur: eſt ius, ſeù facultas propria cuiuſcumq; in rem quā in ſuum commodum vſurpare poteſt quocumque vſu lege permiſſo.

DIcitur primò, *facultas* ſecundùm Gerſonem, vt denotaretur dominium eſſe poteſtatem licitè vtendi; nam facultas dicitur à *fas*; vndè facultas latronis vtendi aliena re, non eſt facultas; meliùs Sotus, inquit vocari facultatē, quaſi facilitatem, non dicitur autem poteſtas, quià poteſtas eſt quid ſuperius, & plura compræhendit quàm facultas: nàm Tyrannus habet poteſtatem ad vtendum bonis Ciuium, non tamen habet facultatem, niſi intercedat licentia, vel conſenſus ipſorum Ciuium; cùm ergò bona definitio, conſtare debeat genere proximò, & differentia vltima; propterea poſita eſt, *facultas*.

Dicitur ſecundò *facultas propria* ad differentiam meræ poſſeſſionis, vſus, & vſuſfructus, & ad differentiam facultatis, quæ non eſt propria, ſed ab alio dependet, huiuſmodi eſt facultas æconomi, & diſpenſatoris; eſt ergo dominium facultas propria, hoc eſt, proprietas ipſius rei. Vſus autem & vſuſfructus, quamuis includant facultatem, includunt tamen illam cùm dependentia à vero Domino.

Dicitur tertiò, *facultas in re, quam quis in ſuum commodum vſurpare poteſt*, ad differentiam aliarum ſpecierum iuris, in quibus ſuperior debet gubernare inferiorem, non in ſuum proprium commodum, & incommodum in inferioris. Dicitur quartò *quocumque vſu*, & per hoc dominium differt etiam ab vſu,& vſufructu: nam qui habet dominium,non ſolùm poteſt vti,& frui re, ſed etiam poteſt illam alienare, diſtrahere, donare, vendere, negligere,&c. Additur quintò, *l. permiſſo*, nàm Pupillus antè legitimam ætatem habet verum dominium ſuorum bonorum, & tamen non poteſt vti illis quocumque vſu: quià non poteſt illa vendere, neque alienare, ſed hoc prouenit ex eo, quod lege prohibetur. Similitèr etiam primogeniti habentes bona vinculata, vel annexa primogenituræ, quā Hiſpani vocant maioratus, de quibus Couarruuias lib. 3. variarum reſolutionum cap.5. reuera ſunt Domini illorum bonorum non poſſunt tamen illa bona alienare, quia prohibentur lege; quod autem ſint veri Domini bonorum illorum,patet: quia quando Rex concedit illis, vt vinculent ſua bona non adimit illis dominium ſuorū bonorum, & ſimilitèr, quando dat illis licentiam diſtrahendi illa bona, nullum concedit dominium talibus hominibus, non

Digitized by Google

non poſſunt tamèn illi vti quocumq; vſu, quià prohibetur lege.

PROPOSITIO III.

Titulus, & dominium diſtinguuntur.

TItulus dominij, eſt cauſa, origo, & fundamentum, vndè naſcatur dominium. Dominium verò eſt ipſum ius vtendi re, natum ex titulo tanquàm ex cauſa; v.g. habet quis fundum, vel domum donatione alterius acquiſitum. vel emptione, vel præſcriptione, vel teſtamento; tituli dominij poſſe eſſe duplicem; verum, & legitimum; & præſumptum, ſiuè probabilem.

Verus eſt, qui re ipſa conuenit; præſcriptus verò eſt, qui talis eſt ſola præſcriptione: v.g. habet quis Domum donatione veri dominij titulus eſt verus; quià donatio eſt vera; habet Iacobus gladium bona fide emptum à latrone, titulus eſt præſumptus: nàm hic intercedit emptio, & venditio, quià eſt titulus dominij; ſed quia emptio, & venditio, non eſt vera, & legitima; quoniam latro non potuit vendere gladium alienum; at verò Iacobus emit gladium bona fide. titulus eſt præſumptus, & probabilis; titulus verus, & legitimus, dat verum dominium, & legitimum; titulus verò præſumptus, non dat dominium, ſed poſſeſſionem, & fructum, licèt dici poſſit, quod dat quaſi dominium.

Legiſtæ diſtinxerunt dominium, dicẽtes, aliud eſſe directum, aliud verò vtile; directum dominium habet is, qui habet proprietatem rei; ille verò dicitur proprietarius, qui poteſt vti re tamquàm ſua. Vtile dominium, habet ille, qui habet vtilitates, & emolumenta rei, caret tamen proprietate rei.

PROPOSITIO IV.

Vſus eſt facultas tantùm vtendi re, ſalua ſubſtantia, Vſusfructus eſt ius vtendi, & fruendi re, ſalua ſemper ſubſtantia.

SCiendum tamen, quod vſusfructus diſtinguitur ab vſu. Primo: vſusfructus continet omne id, quod parit res, huius habetur vſusfructus; vſus autem, id tantùm, quod neceſſarium eſt vſuario. Secundò vſuarius non poteſt ius ſuum transferre in alterum, vſusfructuarius verò, poteſt. Tertiò, Vſuarius non habet ius fundi per ſe colendi, fructuarius verò, habet. Ex his ſequitur, quod qui habet vſumfructum agri, poteſt comedere fructus: poteſt ibi paſcere pecora ſuá: poteſt diſtrahere illos fructus, vendendo, donando, alienando, vel quolibet alio modo, imò poteſt locare alteri vſumfructum; at verò, qui habet nudum vſum, poteſt quidem comedere fructus, & ibi paſcere ſua pecora, non tamèn poteſt diſtrahere fructus, vendendo, vel donando, ſed ſolum ſibi ipſi vti.

Hæc ſufficiant pro explicatione vocum; plura ad rem præſentem ſpectantia, legi poſſunt diſp. 21. noſtri Tract. de Incarnat.

Examinatur difficultas illa principalis. Vtrùm inter Deum, & creaturam poſſit interuenire recta iuſtitia.

DIſputatur de Iuſtitia propriiſſima, & ſtrictiſſima, ſcilicet de iuſtitia, quæ attendit perfectam rationem debiti, quod ſecundùm æqualitatem poteſt reſtitui. Iuſtitia in hac acceptione, ſolum continet ſub ſe tres ſpecies, ſcilicèt iuſtitiam legalem, diſtributiuam, & commutatiuam.

Supponimus in Deo dari pactum de retributione præmij ſub conditione operis habentis meritum de condigno.

PROPOSITIO PRIMA.

Deus ſuppoſito peccato, & ipſius promiſſione remunerandi iuſtorum opera meritoria, tenetur ex vera iuſtitia; vndè intèr Deum, & creaturam verſatur vera iuſtitia.

VIdetur Scotus eſſe pro iſtá parte in 1. d. 17. q. 2. §. ſed tunc eſt vlterius, &c. vbi ſæpè repetit non habere rationem meriti de condigno completè, quouſque in opere, quod dicitur meritoriũ, reperiatur, quod ſit dignũ ex iuſtitia cõmutatiua, ſeù

ſeù diſtributiua, præmio, imò propter hanc dignitatem ex iuſtitia, quam requirit ad completam rationem meriti de condigno, deducit ad prædictam rationem meriti de condigno èxigi præter dignitatem operis, acceptationem, ſeù promiſſionem Dei. Fauet etiam in 4. d.46. q.1. vbi docet inter Deum, & hominem reperiri iuſtitiam propriè, & ſpecialitèr ſumptam, qualis eſt commutatiua, & diſtributiua, & quamuis ibi dicat iuſtitiam commutatiuam non poſſe eſſe ſimplicitèr inter Deum, & creaturam, eo quod non poteſt eſſe inter eos ſimplicitèr æqualitas, ſed poſſe eſſe æqualitèr ſecundum proportionem, ſicut inter Dominum, & ſeruum. Non rectè tamen indè licèt inferre Scotum negare veram rationem iuſtitiæ commutatiuæ inter Deum, & hominem; dicimus ergò tantùm velle aſſerere Scotum hanc rationem iuſtitiæ commutatiuæ in retributione præmij obſeruatam à Deo originem non trahere tãquàm ex prima radice ex ipſis meritis creaturæ, ſicut oriri ſolet in commutationibus, quæ fieri ſolent in duas particulares perſonas.

Voluit ergò Scotus, ius in creatura oriri ex liberali promiſſione Dei, qua voluit ſe obligatum ad retribuendum præmium pro merito, & in hoc tendet comparatio, quam faciunt Domini, & ſerui, inter quos non poteſt eſſe iuſtitia commutatiua ſimpliciter, & abſolutè, ſed ex ſuppoſitione, quod Dominus promiſerit ſeruo aliquod præmium ſub conditione alicuius operis condignum. Hinc, facilè crederem Scotiſtas non eſſe oppoſitos noſtræ propoſitioni (niſi loquantur de obligatione ex natura rei, iuxtà quam ego in Tract. de incarnat. d.21. negaui iuſtitiam inter Deum, & creaturam, & hoc in ſenſu declaratur me eſſe loquutum in ea diſputatione) ſolùm ego credo negandam iuſtitiam illam inter Deum, & creaturam, quæ faciat Deũ debitorem, primam radicem obligandi Deum, habendo ex nobis, aut ex noſtris operibus adhuc ex gratia factis; reducenda eſt ergò talis obligatio, ſeù ratio debiti in liberalem Dei promiſſionem, vt in primam radicem. Probemus iam noſtram propoſitionem.

Si implicaret Deum obligari creaturæ ex iuſtitia, maximè ex eo, quod non poſſit obligari, niſi ſuppoſito pacto, vel decreto ſuo. Secundò quod omnia opera creaturæ debentur Deo ex alijs titulis quamuis nihil promitteret propter ipſa opera. Tertiò quod creatura rationalis, cui ſoli poſſet Deus ſic obligari, nequeat habere ius exigendi aliquid à Deo magis, quàm filiusfamilias reſpectu Patris, aut Seruus reſpectu Domini, qui nullum ius ſecundum Philoſophum 5. Ethic. 6. habere poſſunt ad exigendum aliquid à Patre, vel Domino: ſed nullum ex his capitibus impediri poteſt quò minus obligaretur Deus ex Iuſtitia: ergò poſſet ſic obligari.

Non repugnare ex parte promiſſionis diuinæ oſtendo: quià ſæpè oritur obligatio iuſtitiæ inter aliquos propter aliquod factum ex promiſſione, ſeù pacto; patet de laborante in horto alicuius, & alijs multis exemplis; ergo pactum non impedit obligationem inducendam.

Non impedit etiam ſecundum caput, ſcilicet, quod opera ſint Deo debita ex alijs capitibus; quamuis enim Deus poſſit obligare creaturam ad exhibenda quæcũque opera propter alios titulos; non eſt tamen neceſſe vt ſic eam obliget, ſed ex ſua liberalitate, & miſericordia poteſt eam non obligare, niſi cum conditione præmij, & pœnæ propoſitæ, ſed hoc ſuppoſito, debitum creaturæ erga Deum, non impedit quò minus Deus poſſit obligari creaturæ ex ſuppoſitione operum, ſicut Dominus ſi non obligaret ſeruum ad aliqua opera, niſi ex ſuppoſitione pacti de tanto dando propter opus, obligaretur ad dandum tantũ, opere facto. Imò ſi Pater, aut Dominus dediſſet filio, aut ſeruo aliquas pecunias, & faceret pactum cum illis ad dandum illis propter obſequia præſtita per illas pecunias, aliquid aliud obligaretur ad dandum illud, aliud etiam ex iuſtitia, vt docet Praxis quotidiana.

Tertium caput, nec etiam obſtat: nihil enim impedit quominùs creatura poſſit (conſentiente ipſo Deo) habere ius exigendi aliquid à Deo. Accedat ratio, quãtum ad hanc vltimam partem: non obligatur homo pro ſemper ad præcepta affirmatiua, nec ad opera ſupererogationis. quinimò Deus omninò reliquit ipſi liberũ, illa exercere, vel non; ergò ſi facit iſta, non occurrente tempore obligationis ob præmium

mium promiſſum, debitum non impediet, quin Deus obligetur illi, non minus, quàm obligaretur Dominus ſeruo ex pacto laboranti pro tempore, quo relinqueretur ipſi liberum laborare, vel otiari.

Accedat ratio generalis pro noſtra propoſitione: ſi pactum, & promiſſio, aut idẽtitas Patris, & filij Domini, & ſerui, tolleret neceſſariò rationem iuſtitiæ; tolleret etiam rationem meriti, ſaltèm de condigno: (quia eadem prorſus eſt ratio:) ſed omnes fatentur filium habere poſſe meritum de condigno aliquid accipiendum à Patre, & certum eſt, quod creatura rationalis ſic mereatur aliquid à Deo, ergo, &c.

Fauet nobis Sacra Scriptura, in qua Deus dicitur iuſtus: Iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit æquitatem vidit vultus eius, manet in ſæculum ſæculi. Item ad Timotheum 4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex; vbi dicit Apoſtolus pro bono certamine, & curſu bene conſumato, repoſitam ſibi eſſe vitam æternam, tanquàm coronam iuſtitiæ, hoc eſt, tamquàm quid debitum bonis eius operibus ex iuſtitia, & conſequentèr, Deus reddens tantùm gloriæ, quantum merita requirunt exercet formalitèr iuſtitiam commutatiuã: quia ſeruat proportionem Arithmeticam, & cùm æqualitate, & quatenus in redditione gloriæ ſeruat proportionem Geometricam, ſeù inæqualitatem, ita vt quantum merita vnius excedunt merita alterius, tãtùm gloria vnius ſit maior gloria alterius, exercet iuſtitiam diſtributiuam.

De qua etiam iuſtitia intelligendus eſt Apoſtolus ad Corinth, 9. qui parce ſeminat, parce, & metet: Matth. 28. Dedit vnicuique ſecundùm propriàm virtutem. Nec refert, quod Deus gratis promiſerit vitam æternam pro meritis, & eam promittendo, exercuerit actum liberalitatis, & etiàm miſericordiæ (ſuppoſito pacto;) quià hoc non obſtante, facta ſemel promiſſione, & condonato pactu, poterat habere debitum iuſtitiæ, & exercere eius actum ſatisfaciendo iſti debito: vndè Bernardus de gratia, & libero arbitrio: promiſſum quidem (inquit) ex miſericordia; ſed ex iuſtitia perſoluendum, Auguſtinus Pſ.83. ait: Deum eſſe indulgentiæ largitorem, coronæ autem debitorem; indulgentiam tribuere, vt Patrem, coronam verò, vt iuſtum Iudicem; & de gratia, & libero arbitrio c.6. Cui redderet coronam Iuſtus Iudex, ſi enim donaſſet gratiam, miſericors Pater. Hinc Deus, paſſim dicitur debitor mercedis; ad Rom.4. Ei qui operatur, merces imputatur, non ſecundùm gratiam, ſed ſecundum debitum; ſuper quem locum Chyſoſtomus hom.8 ſic ait: Iuſtum debitorem habet Deum, non vulgarium rerũ, ſed magnarum, & ſublimium; Ciprianus ſermone de eleæmoſina in fine dicit: quod benè operans, Deum computat debitorem. Auguſtinus 4. contra Iulianum c. 3. Iniuſtus eſſet Deus, ſi ad Regnum Cœlorum iuſtos non admitteret.

Accedit etiam Arauſicanum ſecundum c.18. dicens; debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia Dei, quæ non debetur, præcedit, vt fiant. Ex his colligitur Deum habere aliud debitum dandi vitam æternam, vt præmium operibus iuſtorum, diſtinctum omninò à debito liberalitatis, fidelitatis, etiam reperitur in prima iuſtificatione, & collatione aliorum donorum (ſi detur gratitudo in Deo, quod non credo; quia gratitudo in ſuo conceptu formali imperfectionem ſupponit in perſona illius capaci:) ergo non debet formalitèr attribui Deo, ſicut propter eandẽ rationem non attribuitur ei Religio, &c. Vrgetur hic diſcurſus: nam officium gratitudinis, eſt beneficium acceptum recompenſare, & reſpicit alterum, & benefactorem, vt ex Cicerone, & Seneca docet Diuus Thomas ſecunda ſecundæ q. 80. & q. 106. artic.1. reſpicere autem benefactorẽ, imperfectio eſt repugnans Deo. Confirmatur, quia meritum hominis apud Deum, non eſt beneficium, quod homo faciat Deo ſed ad ſummum, eſt obſequium, & ſeruitium illi debitum; ergo remuneratio hominis apud Deum, non poteſt eſſe ex gratitudine: cum beneficium acceptum ſit materia, ſeù obiectum circa quod verſatur gratitudo, quo deficiente deficit ipſa gratitudo.

Dices, omnia adducta, debere intelligi de debito fidelitatis, non verò de debito iuſtitiæ.

Contrà: Vita æterna, magis debita eſt iuſtis pro ſuis operibus, quàm peccatoribus debita eſt remiſſio peccatorum: Imò quàm

San-

Digitized by Google

Sanctis Patribus debita erat incarnatio Verbi Diuini: ſiquidem vita æterna reſpectu operum iuſtorum; appellatur merces, & corona, quod nomen non ſortiuntur, nec remiſſio peccatorum reſpectu pœnitentiæ, neque incarnatio Verbi reſpectu Sanctorum Patrum, ſed remiſſio peccatorum, cum promiſſa fuerit à Deo pœnitentibus, & incarnatio Sanctis Patribus debita erant illis titulo fidelitatis: ergò vita æterna, operibus iuſtorum, pluſquam ex fidelitate erit debita. Accedat altera ratio: fundata in promiſſione acceptata ſub conditione operis æqualis, ſeu condigni præmio, oritur obligatio reddendi prȩmium in ſic promittente, ex iuſtitia ſpeciali, & propriè ſumpta; vt manifeſtè conuincit inſtantia de obligatione, quæ oritur in Patrefamilias reddendi denarium operarijs, conuentione facta cum ipſis, quæ in ſententia omnium, eſt iuſtitiæ, ſpecialitèr, & propriè dictæ, qualis eſt commutatiua: ſed Deus promiſit vitam æternam iuſtis ſub conditione operum, & ipſi eam acceptarunt eo ipſo, quod benè operantur, ergò, &c. Item opera Iuſtorum facta ex gratia ſuppoſita acceptatione Diuina, habent condignitatem cum vita æterna; ergò ex iuſtitia ſpeciali obligatus eſt Deus illam retribuere iuſtis pro meritis iuſtorum.

Accedat altera probatio, iuſtitia in ſua ratione formali dicit perfectionem ſine vlla imperfectione, imò eſt perfectio ſimplicitèr (cum in quolibet ſit melior ipſa, quàm non ipſa) ergò reperiri debet. Explicatur hæc noſtra ratio: Iuſtitia in ſuis intrinſecis, aliud non dicitur eſſe, niſi virtus, ſeù conſtans, & perpetua voluntas, Ius ſuum cuique tribuens; vel igitur dicit imperfectionem, quia virtus; & hoc non quippè iuſtitia, quæ virtus eſt directiua operationum rectarum, adeòque eſt formaliter ea, à qua rectæ operationes procedunt; id autem à quo rectæ operationes procedunt, non imperfectio, ſed perfectio eſt: vel diceret imperfectionem, quia eſt voluntas conſtans, & perpetua dandi vnicuique, quod ſuum eſt; & hoc non, quià voluntas de bono, ſcilicèt de tribuendo alteri, quod ſuum eſt, minimè imperfectio, ſed perfectio eſt: ſupponit enim in tribuente potẽtiam, & voluntatem tribuendi; vel tertiò diceret imperfectionem, quia ſupponeret in tribuente debitum tribuendi; & hoc nõ: tùm quià ſicut non eſt imperfectio debitũ fidelitatis (tale enim debitũ omnes agnoſcimus in Deo cùm Apoſtolo dicente: fidelis Deus, &c.) ità nec erit imperfectio debitum iuſtitiæ: tùm quià tale debitum, eſſet dependens à libera voluntate Dei, oriretur namque à iure, quod haberet creatura, & acquiſiuiſſet ex aliqua actione bona, ad quam Deus voluntariè concurriſſet, tamèn dando vim operandi creaturæ, tùnc concurrendo cùm ipſa ad operãdum; ſicùt igitùr poſito decreto libero Dei de faciendo, v.g. mundum, nulla eſt imperfectio in Deo debitum, quod ex vi talis liberi decreti conſurgit in ipſo faciendi Mũdum, ita poſita libera voluntate Dei de dãdo creaturæ eſſe rationali; & de concurrendo cùm ipſa ad opus aliquod bonum, nulla erit in Deo imperfectio complendi illud ius, quod ex tali opere bono, talis creatura rationalis acquireret.

Vel quarto diceret imperfectionem, quia in creatura, cui à Deo per actum iuſtitiæ explendum, eſſet ius, ſupponeretur tale ius, adeòque dominium, quod non eſſet ipſius Dei: ſi enim eſſet ipſius Dei, Deus per actum iuſtitiæ ſatisfacere illud nõ poſſet: nàm obiectum iuſtitiæ eſt ius, non quidem operantis iuſtè, ſed alterius ad quem tendit operatio iuſta, vt notauimus ſupra agendo de iuſtitia. Etiam contra eſt, quia tale ius, ſeu dominium haberet creaturam dependenter à Deo, nec Deus eſſet limitatè, & diminutè Dominus, cùm non ſe expoliaret eiuſdem iuris dominio, ſicut ex eo quod creaturæ potẽtes agere effectum aliquem, habeant veluti ſub ſuo dominio talis effectus exiſtentiam non indè fit, vt idem effectus ſub dominio Dei non ſit.

PROPOSITIO II.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta ſuadentia non dari in Deo iuſtitiam reſpectu creaturæ.

PRimum argumentum: Si Deus obligaretur creaturæ ex iuſtitia non eſſet eſſentialitèr, & perfectè Dominus vniuerſorum; ſed hoc dici nequit, ergò, &c. Probatur ſequela; quia ſi Deus ſic obligaretur,

poſſet

Digitized by Google

poſſet abdicare à ſe Dominium alicuius rei & transferre illud in creaturam: quia obligatio iuſtitiæ non poteſt oriri ex proprijs, ſed eadem eſt ratio de vna re, ac de omnibus. ſi autèm transferret dominiũ in creaturam, Deus non maneret perfectus Dominus: quia perfectum dominium eſt plena poteſtas motalis vtendi res ſua ſine iniuria alterius in ordine ad omnem, vt ſum ſimplicitèr poſſibile. Dixi ſine iniuria alterius: quià ſi ex aliquo alio capite oriatur, quod non poſſit vti res ſua in ordine ad aliquem vſum, adhuc poteſt eſſe perfectè Dominus; vndè qui non poteſt dare equum Petro, quia promiſit illum Paulo, adhuc eſt perfectus Dominus, quia poteſt illum dare ſine vlla Pauli iniuria. Dixi etiam ad omnem vſum ſimplicitèr poſſibilem, quià non debet, nec poteſt eſſe ad vſus impoſſibiles.

Formetur ratio hoc modo: ſubiectum capax alicuius habitus, non debet habere ex ſuis intrinſecis repugnantiam ad faciendam operationem, quæ eſt obiectum talis habitus, ſeù virtutis; alioquin enim virtutes, ſeù actus, non tenderent ex ſe ad habilitandum, ſeù perficiendum ſubiectum in ordine ad operandum, quinimò ad ipsũ deſtruendum (inclinarent namq; ſubiectum ad operandum id, quod cum operaretur, ſe ipſum deſtrueret;) ergò Deus nequit eſſe capax ad habitum iuſtitiæ non ponimus in Deo, quia obiectum talium habituum, eſt operatio, qua redditur cultus, & obſequium ſuperiori, ad quam operationem habet Deus ex ſuis intrinſecis repugnantiam: cùm Deus ex ſe ſit ens ſupremum, omnia habens ſub ſe, & non potens ſuperiorem agnoſcere, cui cultum, & obſequium præſtet. Modò tale ſit argumentum: Operatio iuſtitiæ, vt iuſtitiæ formalitèr, eſt operatio debita propter explendum ius, non quidem ipſius operantis, ſed alterius: Iuſtitia enim, non eſt ad ſe ipſum, ſed ad alterum: igitur reſpectu operantis, ſeù potentis operari ex iuſtitia, debet neceſſariò dari, ſeù poſſe dari Ius, quod non ſit, ſeù poſſit non eſſe operantis, ſed ſic alterius, & debeat ab operante expleri: at nullum eſt dabile Ius in altero extra Deũ, quod nõ ſit, ſeù non poſſit eſſe Dei (omne enim ius in altero extra Deum, eſt intrinſecè quid creatum, nulla ratione præſcindibile à ratione creati, atque adeò eſt intrinſecè exiſtens ſub dominio Dei, ità vt nulla ratione poſſit præſcindere, à ſubiectione ad tale dominium) ergò nulla eſt dabilis operatio iuſtitiæ, & iuſtitiæ formalitèr, quæ fiat à Deo: Deus enim, qua primum ens eſt, habens ex ſuis intrinſecis dominium vniuerſale omnis iuris, dicit repugnantiam ad talem operationem: etenim per talem operationem ſupponeretur Deus non habere tale dominium. Reducatur argumentum ad breuiores terminos: operatio iuſtitiæ, vt iuſtitiæ formalitèr ſupponit neceſſariò ius debitũ expleri ab operante, quod vt ſic, non vt ſit ipſius operantis, ſed ratione vniuerſalis dominij, quod habet Deus, qua primum ens intrinſecè eſt, nequit dari ius in altero, quod vt ſic, non ſit Deus; ergò operatio iuſtitiæ, vt iuſtitiæ formalitèr, repugnat ex intrinſecis Deo. & conſequenter repugnabit etiam ponere in Deo habitum iuſtitiæ (cum habitus, ſeù virtus operatio non ſit, poſſibilis in eo ſubiecto, quod ex ſuis intrinſecis dicit repugnantiam ad talis habitus operationem.)

Vrgetur ratio, vt detur iuſtitia inter Patrem, & filium, debet neceſſariò filius eſſe mancipatus, vel habere peculium caſtrenſe, ſeù quaſi caſtrenſe, ſcilicet, vt habeat Ius, quod non ſit Patris: ergò ad hoc, vt in Deo ſit iuſtitia, quæ eſſet in ordine ad creaturam (neque enim iuſtitia, quæ eſſet in Deo; poſſet eſſe in ordine ad ipſummet Deum) neceſſariò deberet eſſe Ius in creatura, quod non eſſet Dei, at implicat ratione dominij vniuerſalis, quod Deus neceſſariò habet, ita vt Deus eo ſe expoliare poſſit: ergò talis iuſtitia repugnat in Deo.

Fateor pulchrum eſſe argumentum; dico tamen non concludere contrà nos: nàm licèt ad iuſtitiæ commutatiuæ obligationẽ, quæ oritur ex vi dati, & accepti requiratur non ſolùm diſtinctio naturarum, vel voluntatum, ſed etiam dominium diſtinctum illarum rerum, quòd dominium non habet filius non emancipatus reſpectu Patris, nec ſeruus reſpectu Domini; tamen ad iuſtitiæ commutatiuę obligationem, quę oritur tamquàm ex prima ratione, non ex vi dati, & accepti, ſed ex promiſſione, & pacto, & conditione onerosa non requiritur diſtinctio inter dominia; ſed ſufficit diſtinctio

ſtinctio perſonarum, quæ verè reperitur inter Patrem, & filium, ſeruum, & Dominum. Ratio huius eſt: quia ad huiuſmodi iuſtitię obligationem,non requiritur datum, & acceptum cum abdicatione dominiorum;ſed ſufficit,quod fiat opus habens æqualitatem cum retributione, ſub cuius conditione promiſſa eſt retributio.

PROPOSITIO III.

Proponitur alterum medium ſoluendi difficultatem.

RESpondent nonnulli recentiores ad argumentum illud minimè concludere, quià non eſt neceſſarium Deum ſe expoliare proprio dominio etiamſi creatura habeat proprium dominium ſuarum rationum. Mouentur ad hoc, quia dicunt nullam eſſe repugnantiam, quod vna, & eadem res ſimul, & ſemèl habeat in integrum duos Dominos dominio proprietatis, vt patet pro eo ſigno. quo Iacobus dat librum Paſqualio; tunc enim pro eodem ſigno Iacobus dat, & Paſqualis recipit, & cùm Iacobus non poſſet dari,niſi eſſet Dominus, & Paſqualis nequeat recipere niſi ipſa acceptione reſtet Dominus; clarè ſequitur Iacobum, & Paſqualem pro vno, eodemq; ſigno habere dominium inſolidũ ejuſdem libri; ità diſcurrendum de Dominio Dei, & creaturæ.

Mihi non probatur hæc doctrina: quippè puto repugnare, quod pro vno eodemque inſtanti dentur duo Domini inſolidũ eiuſdem rei. Moueor ad hoc: quia dominium eſt ius iuſtitiæ, & facultas propria, qua quis poteſt vti rei ad vſum omnem ſine iniuria: ſed repugnat, quod quis vtatur ad proprium libitum re aliqua ſine iniuria alterius, ſi alter repugnat, & ſit Dominus: ergo repugnat, quod ſimul, & ſemel eiuſdem rei dentur duo Domini inſolidum. Vrgetur ratio: aliquem velle eſſe dominium rei, eſt velle in ſe manutenere dominium talis rei: velle dare dominium illius rei alteri, eſt velle ſe priuare dominio eiuſdem rei; ſed habitus, & priuatio eiuſdem rei nequeunt eſſe ſimul pro eodem ſigno; ergò pro eodem ſigno nequeunt dari duo Domini eiuſdem rei inſolidum. Confirmatur, & declaratur: introductio formæ, & expulſio formæ non valent eſſe ſimul pro eodem ſigno, ergò cum dominium in Petro ſit deſtructiuum dominij in Paulo, repugnabit dominium in Paulo cùm dominio in Petro, quià iſta duo dominia ſe habent ſicut introductio formæ, & eiuſdem formæ expulſio.

Melior ergò eſt noſtra reſponſio, non ſemper eſſe neceſſarium ad iuſtitiam vindicandam, vt in ſatisfactione interueniat abdicatio proprij dominij; hinc dicimus cum Suarez in opuſculo de Iuſtitia Dei ſeſſione 2. num. 24. illam doctrinam eſſe veram in ſatisfactione pecuniaria, non verò in ſatisfactione famæ, & honoris, vt patet in ſatisfactione, quæ fit inter homines: iſti enim quandò ſatisfaciunt honorando alium per proprios actus, non abdicant à ſe dominium illorum actuum: benè tamèn quando reſtitutio eſt pecuniaria.

Si autem velimus admittere illam doctrinam, quod Deus in caſu noſtræ propoſitionis deberet ſe abdicare dominium alicuius rei creatæ; reſtat adhuc nobis via perſiſtendi in noſtra propoſitione,& reſpõdendi ad argumentum in contrarium, vt res clarior fiat.

Moneo Theologos cum Scoto in primo d.44. Agnoſcere in Deo duplicem potentiam, ſcilicet abſolutam, & ordinariam; quarum ſola prima, Deum facit omnipotentem,qui propterea dicitur omnipotens, quia poteſt actu facere quidquid eſt poſſibile fieri, quod videlicèt neque eſt neceſſum eſſe,neque implicat contradictionem. Vnica eſt in Deo potentia: non enim plures illius patitur ſimplicitas; eam tamen ad maiorem elucidationem faciunt Theologi duplicem, ſcilicèt duobus modis conſiderandam docent; vel enim conſideratur diuina potentia antecedenter ad determinationem faciendi ea, quæ facit cum concurſu naturali ſecundarum cauſarum, & vt ſine illis agere poteſt: vel conſequenter ad determinationem,& poſtquam ſtatuit cum cauſis ſecundis facere, quæ poſtmodum videmus fieri ab illo.

Hinc ſuboritur diuiſio potentiæ diuinæ in Theologicam, & Phyſicam,in abſolutã, & ordinariam, in eam, quæ de facto, & de iure in eam, quæ eſt in ſenſu diuiſo, & in ſenſu compoſito. Primo modo cõſiderata

potentia, appellatur Theologica abſoluta, de facto, & in ſenſu ſimplici. Secundò modo cōſiderata appellatur Phyſica, ordinata, de iure, & in ſenſu compoſito; quæ cum per ſe pateant, dicimus Deum eſſe omnipotentem, non per potentiam ſecundo modo dictam, ea enim reſtricta, & limitata eſt: non quidem neceſſariò, & naturalitèr, ſed ex ſpontanea determinatione ipſius Dei, qui quas vult ſibi præſcribit leges, eaſq; immutabilitèr, (niſi ad maiorem illius gloriam in illis aliquando diſpenſet) ceſſante namque diſpenſatione, hoc ſolùm poteſt facere Deus, quod in ratione cauſæ primæ decreuit cùm cauſis Phyſicis, Phyſicè, & naturalitèr operantibus facere, & operantibus facere, & operari: hinc non poteſt prohibere Deus hac Phyſica, & ordinata potentia, ne ignis approximatam ſtuppam comburat, nèc ſine igne formali, aut virtuali illam comburere. Dicitur Deus omnipotens per alteram potentiam, ſcilicèt Theologicam, & abſolutam, quæ nullas nouit leges, ſed ex imperio omnia facit, ac poteſt impedire, & impediuit aliquando ne ignis rem combuſtibilem proximam combureret: hæc eſt illa potentia illimitata, & infinita, cuius vis extenditur ad omne poſſibile, quia illimitatio, & infinitudo potentiæ in tribus conſiſtit, ſcilicet in entitate, in mod agendi, & in obiecto, ſed potentia Dei eſt infinita in entitate cũ ſit ipſemet Deus: eſt infinita in modo agēdi: nam limitatio modi agendi in cauſis ſecundis prouenit ex earum limitatione, & imperfectione, vndè cauſæ æquiuocæ, quæ ſunt perfectiores vniuocis, minus ſunt limitatæ in modo agendi: ergo potentia Dei debet eſſe infinita obiectiuè, itá vt omne poſſibile, illius ſubdatur iuriſdictioni: quia omni, & cuilibet potentiæ paſſiuæ correſpōdet actiua potentia, vt docet Ariſtot. in Metaphyſicis (quomodo hoc dictum Ariſtotelis veniat intelligēdum, aliàs declaramus: videatur Scotus in prologo:) ſed omne poſſibile eſt in potentia paſſiua: ergò in aliquo debet eſſe omnipotentia actiua, ille autem alter excogitari non poteſt, quàm ipſe Deus.

Præmiſſa partitione potentię Dei in abſolutam, & ordinariam; putamus, quod per promiſſionem onerosam Deus vt onerosam Deus, vt operans ſecundùm potentiam ordinatam, poſſit obligari propria iuſtitia creaturis. Fauet Scotus in 4. d. 15. q. 1. l. D. monens, quod Deus conſiderans noſtram fragilitatem, & difficultatem ad bonum, noluit nòs regulariter obligare, niſi ad decalogum, & conſequenter, quod ſi potuiſſet homo opera ſupererogationis exercere, quæ aliàs ſibi eſſent indebita, & ſic ſaluaret totam rationem ſatisfactionis; Non minus eſt nobis fauorabilis, Scotus in 4. d. 22. q. 1. l. F. apud quem leguntur hæ formalia verba; Habenti bona merita in acceptatione diuina, mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum ius, quod correſpondet ad vitam æternam illis meritis, ſed non remanet actio, quàm dicit ille. qui eſt inimicus; etſi perpetuò ſit inimicus, perpetuò ceſſat illa actio; ceſſante autem inimicitia contracta per nouum peccatum mortale, non reddit nouum ius, ſed competit ei actio, ſecundùm ius antiquum. Ex his documentis Scoti talem do argumentationem: Deus ex maxima ſua miſericordia ſolùm obligauit nos ad exhibenda illa opera, quæ continentur in decalogo: ergò opera, quæ ſunt extra decalogum in ordine ad Deum non exigentem, non ſunt debita; ergò creatura talibus operibus indebitis, poteſt cum Deo operante ſecundùm potentiam ordinariam fundare contractum ex iuſtitia. Aliud argumentum: habenti merita mortificata per peccatum mortale, remanet totum ius, quod correſpondet illis meritis ad vitam æternam; quinimò ceſſante inimicitia cōtracta per peccatum mortale, merita reuiuiſcunt, & illi competit actio ad vitã æternam, ſecundùm ius antiquum: at non poſſet creaturæ habenti merita mortificata competere ius ad vitam æternam, & meritis viuificatis competere actio, ſecundùm ius antiquum, niſi Deus Dominus gloriæ haberet debitum iuſtitiæ retribuendi gloriam (cùm ius, & debitum ſint correlatiua) ergò Deus, ſecundùm potentiam ordinariam, poteſt obligari ex iuſtitia ad retribuendã vitam æternam. Patet ergò, quod licèt Deus vtens ſua potentia abſoluta ſēper retineat dominium actuum, & ſupremum cuiuſcumque creati, & nullo modo hoc in ſenſu valeat à ſe abdicare tale dominium; tamen nulla eſt implicantia, quod Deus dicatur expoliatus tali dominio, ſecun-

ſecundùm potentiam ordinatam, pro quando ex ſua miſericordia voluit, quod ipſius dona ſint noſtra merita iuxtà illud: tanta eſt Dei benignitas, vt voluerit eſſe noſtra merita, quæ ſunt ipſius dona. Et etiam id Auguſtini debitor factus eſt, non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod Dei placuit nobis promittendo; reſtat ergò nobis Deus debitor ex iuſtitia, quando operatur ſecundum potentiam ordinàriam, & ſic ſemper ſit ſupremus, & abſolutus Dominus, quandò vti velit ſua potentia abſoluta. Occurrit nobis exemplum in humanis maximè familiare apud Iuriſtas: dant enim iſti exemplum de donatione reuocabili intèr viuos: voluntque, quod quis Dominus poſſit dare dominium alicuius rei homini, cui ſibi placuerit; ea tamen lege, vt ſi aliquando vellet iſte donans vti ſuo ſupremo dominio, poſſet ſine iniuria denudare alterum eo dominio. Quo ſtante (aiunt,) quod certè ille, qui accepit dominium rei; verè conſtituatur Dominus, & talis perſeueret, niſi accedat reuocatio dominij: ſic in caſu noſtro: cùm Deus ex ſua benignitate ſibi complacuerit non obligare nos ad multa (etſi abſolutè poſſet,) reſtat apud nos ius in illa opera, niſi Deus vt ens ſuo ſupremo *dominio*, *ſtatuat* ea eſſe ipſius Dei, & non amplius ſub dominio creaturæ.

Dices, hoc dominium videri ridiculum: eſt enim titulus, ſine re; quinimò, vt philoſophatur quidam modernus, hoc dominium creaturarum; eſſet ſimile illi, quod haberet quis in rem alterius, quandò Dominus diceret illi: do tibi dominium in rem meam, & promitto tibi numquam vti manu mea ſiniſtra ad remouendam à te talem rem conſeruo autem mihi ius, & manu mea dextra, quandocumque mihi placuerit, auferri poſſim à te illam rem.

Reſpondemus (non curando pro nunc diſcurſum habitum inter homines) Alitèr tamen diſcurrendum de Deo: cùm enim homo certò certiùs ſciat diuinam voluntatem eſſe immutabilem, & diuinum decretum efficax, ſortiri ſemper ſuum effectum nulla occurrit ei ratio dubitandi, quin non ſemper ex diuina iuſtitia conſequatur præmium ſuis bonis operibus promiſſum, ſi benè operetur,

PROPOSITIO IV.

Altera reſponſio ad argumenta.

Poſſumus etiam dicere Deum reddere præmium ex iuſtitia: quia Deus acceptat opera merentis, ac ſi eſſent aliquid de bonis ipſius merentis, cauſando in ſe, & in ipſo etiam merente titulum iuſtitiæ; foret ergo acceptio boni alieni, pro quanto Deus ea intentione acceptat actum merentis, vt correſpondens velit illi reddere præmium. Hic noto, quod, etſi perſona præmianda non det Deo proprium actum, vt ſuum; diſpoſitiſſima tamen eſt ad dandum ipſi vt ſuum. Imò puta, quod ſi innoteſcente creatura, Deus accepiſſet illud opus Deo, vt proprium eiuſdem creaturæ.

Dices, vbi nulla eſt ex parte merentis condignè ſuper proprium actum quātumuis de condigno productum, dominium, & proprietas; nullus excogitari poteſt in illo titulus iuſtitiæ, qui ſolùm rei acceptæ, vel acceptandæ dominio, & proprietati neceſſariæ connectitur, ſicut ex ipſius commutatiuæ iuſtitiæ natura. manifeſtiùs liqueſcit. Contrà: quià non apparet, cur diuina acceptatio nequeat ſufficientem fundare titulum, cùm ſua libertate, ſitum ſit, ità memoratum acceptare actum, ac ſi propriè, & rigoroſè, ſub merentis dominio, & proprietate exiſteret.

PROPOSITIO V.

Alia Argumenta.

SI Deus poſſet obligari ex iuſtitia in terueniēte promiſſione ſua, & pacto poſſet ſimilitèr ex ſua promiſſione fieri ſeruus ſuæ creaturæ: ſed ſi poſſet fieri ſeruus, non eſſet perfectiſſimè, & eſſentialitèr Dominus; ſicut non eſſet verè Princeps, & Superior, ſi poſſet fieri ſubditus alicuius creaturæ: Hinc Theologi negant in Deo virtutem obedientiæ, quià nequit habere Superiorem, aut Principem, cui debeat obedire; ergò nec etiam poterit obligari ex iuſtitia creaturæ. Confirmatur, quia ſi Deus poſſet obligari ex iuſtitia ad faciendum vnum opus, volente creatura, ità poſſet obligari ad faciendum centum, &

Digitized by Google

mille: ergò poſſet obligari ad ſternendum ei lectum, ad condiendos cibos, ad miniſtrandum in menſa, & ad alia præſtanda, quæ voluerit ipſa creatura; hoc autèm eſſet ſeruire, & non habere dominium. Vrgetur argumentum, ſi quis in Religione approbata faciat votum ſolemne paupertatis, & poſteà paciſcatur cùm Religione, vt Religio teneatur illi dare aliquod quando ipſe operetur tale opus; & ſi Religioſus ille opus tale operetur, tamen nemo dicet illum Religioſum habere ius in Religionem, & Religionem obligari illi ex iuſtitia. Et ratio eſt, quià dominium proprietatis non poteſt ſtare cùm voto paupertatis; ergò à pari nèc etiàm poterit ſtare cùm titulo creaturæ, quod ipſa poſſit habere dominium iuſtitiæ ad exigendum aliquid habere.

Vt Reſpondeamus. In primis exemplum, quod adducitur de Religioſo, qui per ſolemne votum paupertatis, ità transfert omnia ſua iura in Religionem; vt non poſſit poſteà ex vllo contractu obligare ſimilitèr Religionem ad dandum ſibi aliquid quantumcumque Religio hoc promitteret etiàm ſub conditione operis laborioſi; hoc, inquam, exemplum, non facit ad propoſitum: quippè ſi Prælatus; vel Religio haberet facultatem diſpenſandi cùm ſuo ſubdito Religioſo in voto paupertatis, & obligatione, qua tenetur acquirere Religioni, quidquid acquirit, ita vt non maneret ad hoc obligatus, ſed liberum eſſet ipſi acquirere, vel non acquirere; ſicut Deus diſpenſauit cùm ſuis creaturis, ità vt non teneatur ſeruire ipſi, niſi propoſito præmio, nèc obligantur ad multa, etiàm propoſito præmio, ſed liberrimè poſſint illa facere, vel omittere; v. gr. Aliquis ſcit promiſſum ingredienti, & ſeruienti fidelitèr in ſtatu Religioſo, & tamèn adhùc liberum eſt ipſi ingredi Religionem, vel manere in ſæculo; Si, inquàm, Prælatus, vel Religio haberet huiuſmodi facultatem, tunc Religio poſſet cùm ſuis ſubditis facere cõtractum, deinde eiſquè ex iuſtitia obligari; cur autèm Religio non habeat hanc facultatem; conſulantur Doctores.

Ad aliud de ſeruitute negamus ſequelam, proptèr imperfectionem annexam ſeruituti, quæ imperfectio minimè eſt annexa cuicumque obligationi iuſtitiæ; licèt enim ſit imperfectio in Domino, quod poſſit fieri ſubditus, & ſeruus ſui ſerui; tamèn non eſt imperfectio in ipſo, quod poſſit ex ſua liberalitate, & promiſſione obligari ſecundùm iuſtitiam ad præmiandum ſuum ſeruum, & ſubditum. Per hæc patet ad reliqua adducta in fauorem argumentationis; nàm licet poſſit obligari ad centum, & mille opera facienda, ſicut ad vnum; ad nullum tamèn poteſt obligari, vt ſeruus: & licet poſſit obligari ad illa opera, qua in humanis poſſunt eſſe ſeruilia: non tamèn, vt ſeruus, propter imperfectionem coniunctam cum ſeruitute, ſi enim non reperiretur talis imperfectio in ſeruitute, obiectio nihil faceret ad propoſitum: quià tùm non eſſet abſurdum, quod Deus fieret ſeruus; ſi autem ſit talis imperfectio in ſeruitute, ſufficit pro diſparitate, quod Deus non poteſt obligari, vt Dominus, & Princeps ad præmia conferenda, & culpas remittendas. Quænam autèm ſit ſeruitutis imperfectio; legantur Doctores agentes de hac re. Dicerem tamèn, quod ſeruus, ità ſit ſubditus Domino, vt teneatur ipſi tamquàm ſuperiori obedire, & cogi poſſit etiàm inuitus ad ſeruiendum. Adde, quod ſeruitus ſempèr videtur ſuam primam radicem habere ex aliqua indigentia, vel impotentia, quæ imperfectiones (ſiuè ſeruitus habeat annexas alias, ſiuè non,) mihi ſatis ſunt, vt dicatur Deus non poſſe fieri ſeruus.

Aliud argumentum, deſumitur ex ſanctis Patribus, Anſelmo in proloquio, C. 10. Iuſtus es, non quià reddis nobis debitum, ſed quià facis quod decet te ſummum bonum. Bernardus ſerm. 1. de Annuntiatione: nequè talia ſunt hominum merita, vt vita æterna proptèr ea debeatur ex iure, aùt Deus iniuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Auguſtinus 1. Confeſſionum C. 4. Reddis debita, nulli debens. Et 3. de libero arbitrio C. 16. Deus nulli debet aliquid. Gregorius 9. moralium C. 14. Si opus virtutis exercuero, non ad vitam, non ex meritis, ſed ex venia, conualeſco.

Reſp. hos Patres ſolùm velle, quod Deus non obligetur, ſecluſa ſua ordinatione, & pacto, & quod opera noſtra conſiderata, ſecundùm ſe, & ſecluſo Dei pacto, cum non habeant vim obligandi Deum ad dandam vitam æternam intuitu ipſorum.

Digitized by Google

rum. Hoc fatemur nos, ſed indè nil habetur contrà nos. Sumus enim in ſententia, quod noſtra merita indigeant diuina acceptione ad hoc, vt verè ſint meritoria. Si autèm petas ex quo capite colligamus ſanctos Patres ità eſſe interpretandos. Reſpondemus nos id colligere ex modo loquendi aliorum Patrum ſuprà citatorum pro noſtra propoſitione, intèr quos eſt expreſsè tenens noſtram propoſitionem Sanctus Auguſtinus hic citatus: hinc nè ſint ſibi contrarij Patres, explicandi ſunt in ſenſu ſano.

PROPOSITIO VI.

Alia Argumenta.

Obijcitur ex Trident. ſeſs. 6.c.vltimo, ità dicente: benè operantibus vſquè in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tamquàm gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tamquàm merces ex ipſius Dei promiſſione ipſorum operibus, & meritis fidelitèr reddenda: ergò vita æterna redditur ex fidelitate, non verò ex iuſtitia oppoſita fidelitati.

Reſp. negando ſuppoſitum conſequentis, nimirùm quòd iuſtitia opponatur fidelitati: aliquid enim poteſt reddi fidelitèr, quatenùs redditur, ſecundùm quod promittitur, & poteſt reddi iuſtè, quatenùs redditur iuxtà quod debetur meritis; vndè etiàm ſeruus debens ex iuſtitia Domino obſequium debitum, etiàm auferre aliquid quod ſit ipſius & ſi facit cõformitèr dicitur fidelitèr ſit reddenda vita æterna, non impedit quin etiàm iuſtè ſit reddenda, & quidem, ſecundùm veram iuſtitiam.

Aliud argumentum. Si Deus obligaretur ex iuſtitia commutatiua, ſuppoſita promiſſione, ſequeretur: quod poſſet obligari abſque promiſſione, ſicut Dominus vineæ videns aliquem elaborantem in vinea, & non prohibens, tenetur abſquè vllo pacto dare illi præmium. Reſp. negando ſequelam, & aſſignando diſparitatem (ſi verum ſit, quod dicitur de Domino vineæ, quod iam parum refert) intèr Deum, & Dominum illum vineæ, nimirùm, quod Deus ex multis titulis poſſit exigere opera creaturæ abſquè collatione præmij; Dominus autèm vineę non poſſit exigere laborem iſtius, quem videret laborare in vinea ſua ob alium titulum, quàm ob præmium: ſi enim poſſit, tunc non obligaretur ſecluſo pacto expreſſo ad dandum ipſi mercedem.

Aliud argumentum: Qui dat aliquid alicui ex iuſtitia commutatiua, aliquid perdit; Deus autèm nihil admittere poteſt; ergo. Confirmatur: vt obligetur aliquis ex iuſtitia commutatiua, debet recipere aliquid, quod non eſt ſuum: Deus autèm nil tale poteſt recipere, ergo &c. Reſp. primò argumentum poſſe habere vigorem contrà iuſtitiam commutatiuam habentem radicē in donatione, & acceptione. ſicùt eſt in acceptione, & donatione pecuniaria; non verò circà iuſtitiã fũdatam in pacto, & promiſſione cùm conditione onerosa. Secundò Reſpondemus argumentum etiàm habere vim contrà Aduerſarios; ſequeretur enim contrà ipſos Deum non poſſe obligari ex gratitudine, vel fidelitate, aùt alio titulo, Reſp. 3. negando maiorem: ſufficit enim, quod det alteri tantum, quantum debetur, & tali modo, vt poſſit ipſi ſeruire tam benè, quàm quodcumque aliud, quod eſt ſuum. Ad confirmationem Reſp. primò negando maiorem: Sufficit enim, vt recipiat ſuum ex ſuppoſitione pacti, & laboris impenſi in dando ipſi ſuum:

Dices: Iſte labor, ſi non ſit ipſius, tunc recipit aliquid non ſuum, quià recipit laborem alterius; ſi autèm labor iſte ſit ſuus, non obligabit ipſum ex iuſtitia ad dandum præmium. Reſp. igitur 2. negando minorem: nàm opera liberè facta à creatura, antequàm producantur, non ſunt Dei, ſaltèm in actu 2. licèt ſint ipſius in actu primo: nèc Deus habuit iſtum honorem ijs non productis, quem habet productis, & hoc ſufficit, vt ſuppoſito ſuo pacto obligetur ex iuſtitia danti ipſi iſtum honorem.

PROPOSITIO VII.

Altera Reſponſio.

Poſſumus etiàm dicere Deum reddere præmium ex iuſtitia: quià Deus acceptat opera illa, ac ſi eſſent aliquid de bonis ipſius merentis; cauſando in ſe, & in

ipſo

ipſo etiam merente titulum iuſtitiæ; eſſet ergò acceptio boni alieni; quià reuera Deus, ea intentione acceptat actum creaturæ, vt, correſpondens, velit illi reddere præmium. Hic noto, quod etſi perſona præmianda, non det Deo proprium actum, vt ſuum; diſpoſitiſſima eſt tamèn ad dandum ipſi vt ſuum opus. Imo puto, quod innoteſcente creatura, Deum accepiſſe illud opus, vt opus creaturæ; ſtatim creatura daret illud opus Deo,vt proprium ipſiusmet creaturæ.

Dices vbi nulla eſt ex parte merentis condignè ſuper proprium actum (quãtumuis de condigno productum) dominium, & proprietas: nullus excogitari poteſt in illo titulus iuſtitiæ, qui ſolùm rei acceptatæ, vel àcceptandæ dominio, & proprietati neceſſariò connectitur, ſicut ex ipſius commutatiuæ iuſtitiæ natura maniſeſtiùs liqueſcit.

Contra: quià non apparet, cur Diuina acceptatio nequeat ſufficientem titulum fundare iuſtitiæ cum in ſua libertate ſit,ita memoratum actum acceptare, ac ſi propriè, & rigoroſè, ſub merentis dominio, & proprietate exiſteret.

PROPOSITIO VIII.

Peccator facit iniuriam veram Deo quandocumque peccat; hinc peccatum ex ſe continet veram iniuſtitiam, & creatura non ſolùm de poſſibili, quinimò etiam de facto obligatur Deo ex iuſtitia.

OPpoſitum docui in Tract. de Incarnatione diſp.21. vbi etiam notaui minimè intercedere intèr Deum, & creaturam veram iuſtitiam; cùm tamen in preterita diſput. dixerim probabilem opinionem admittentem de facto veram iuſtitiam intèr Deum, & creaturam, conſequentèr erit nobis probabilis iſta ſeptima propoſitio. Illam confirmo ſubſequentibus rationibus. Primò, quià in omni peccato Peccator vtitur re aliena inuito Dominio, ſcilicèt ſe, & ſuis operibus contrà voluntatẽ Dei; ſed eſt obligatio iuſtitiæ non vti re aliena inuito Domino: quia committitur iniuria contrà ius Domini, ergò ſumus obligati ex iuſtitia ad non peccandum. Confirmatur. In homicidio v.g.deſtruitur res aliena, nempè Dei contrà voluntatem ipſius Dei: ergo eſt obligatio iuſtitiæ non commitendi homicidium.

Eminentiſſimus de Lugo Reſpõdet peccatorem non vti re aliena inuito Domino formalitèr, vt Domino proprietatis; ſed vt ſuperiore, ad iniuriam verò requiri vſum rei alienæ inuito Domino formalitèr, vt Domino proprietatis. Contrà: gratis dicitur Deum non eſſe inuictum, vt Dominum proprietatis, quandoquidem habeat non ſolùm dominium iuriſdictionis, ſed etiam proprietatis omnium rerum, & poſſit eſſe inuitus, & præcipere, ac obligare ſuas creaturas, vt exigere ab ipſis res ſuas ex dominio proprietatis, & formaliter, vt Dominus proprietatis: cur enim dicamus fieri iniuriam propriè dictam alijs Dominis habentibus vtrumque dominium, proprietatis ſcilicet, & iuriſdictionis, ſi ipſis inuitis alij eorum rebus vtantur;& non dicamus fieri iniuriam Deo, quandò creaturæ vtuntur rebus ipſius ipſo inuito; aut quomodo conſtabit illos alios Dominos eſſe inuitos, vt Dominos proprietatis, & Deum non eſſe ſic inuitum; vel quomodo committimus iniuſtitiam contrà aliquem, niſi vtendo rebus, quas cognouimus eſſe ipſius contrà eius voluntatem,facimus ipſi iniuriam ſtrictè ſumptam.

Reſpondet Lugo, homicidium non tollere hominem à Dei poteſtate:quia adhuc manet interfectus, moralitèr in bonis Dei: cùm facilè poſſit Deus eum quoties voluerit reproducere. Contrà: hoc nil impedit: cùm Deus, non obſtante, quod poſſit hominem reproducere, habeat ius vt ſeruetur illæſum illud eſſe,quod deſtruitur in homicidio;quod ius læditur ab homicida; & cõſequentèr facit Deo veram iniuriam. Deindè non impedit quominus lædatur ius alicuius, & iniuria ſtrictè ſumpta, quod ipſe facile, & ſine vllo incommodo poſſit impedire damnum ne fieret, vel recuperare iàm illatum: aliàs minimè fieret iniuria Deo, quandò læderetur notalitèr eius exiſtimatio apud leuem, aut inhonoraretur grauiſſimè ex contemptu; nec orietur in Deo obligatio iuſtitiæ reparãdi illud damnum: quippè Deus poſſit ſine vllo incommodo impedire ne fieret ei talis iniuria, & faci-

Digitized by Google

faciliter reparare iam interrogatam; hoc autem eſt contra ipſum Lugo ſeſſ.4.in fine & ſeſſ. 7. obiectione 4.

Accedat aliud argumentum: peccatum eſt inhonoratio Dei: ergò Peccator obligatur ex iuſtitia ad non peccandum: conſequentia patet, quia inhonorando Deum, facit iniuriam contra eius honorem, ſicut fit iniuria homini, quando auſertur eius honor ſine eius licentia. Antecedens probatur, quià inhonoratio Dei opponitur obſeruantiæ, & reuerentiæ debitæ Deo.

Pater Lugo dicit, quod peccata, quæ fiunt ex contemptu Dei, vel indigna æſtimatione interna de Deo cùm intentione eius irreuerentiæ, ſeù inhonorandi eum, ſed ſola fragilitate propter delectationem, vel alios fines non continere iniuriam contra Deum. Contrà ſi hoc eſſet verum, ſequeretur, quod raro, aut numquàm fieret illum peccatum: nam ſicut Pater Lugo dicit non fieri iniuriam contra honorem Dei, nec conterandi legem eius, niſi quandò aliquis intendit formalitèr eius irreuerentiam, & inhonorationem, vel contemptum; ità alius poterit tàm benè dicere, neminem peccare, vel committere vllum malum, niſi intercedat peccatum formaliter, vt tale, vel vt eſt contra legem, vel formalitèr vt malum:, nam ſi non ſufficiat ad inhonorandum Deum, quod peccator videat rem eſſe contra honorem, & reuerentiam Deo debitam, niſi etiam ipſe intendat iſtam rē, vt eſt contra honorem Dei, ità etiam non ſufficiat quod videatur malitia eſſe rei annexa, aut res eſſe contra legem, niſi intēdatur illa malitia, vel res vt eſt contra legem; hoc autem eſt falſum: aliàs rariſſimè peccarent aliqui; parui quippè ſunt tàm peruerſi, vt vellent habere illas intentiones, imò quilibet deſideraret abeſſe malitiam, & actum non eſſe contra legem, & ſi faciat, cùm non obſtante, quod videat eſse malum, & contra legem. Itèm homo poteſt inhonorare alium hominem, non intendendo eius inhonorationem, quandò ſcilicet faceret aliquod, quod eſſet contra honorem alterius, licèt illud faceret; non ad inhonorandum alterum, ſed propter alios fines; ergò ſimilitèr poteſt aliquis inhonorare Deum faciendo aliquid contra honorem, & reuerentiam debitam Deo, licèt non intendat ſaltèm directè illam irreuerentiam, & inhonorationem. Dico (directè) quia ad hoc, vt dicatur aliquis indirectè intendere irreuerentiam, vel inhonorationē Dei ſufficit, quod directè intendat actum malū, & prohibitum: quià tunc videt talem actū eſſe contra honorem, & reuerentiam Deo debitam. Accedat altera probatio: Deus habet ſupremum dominium circa omnes res, & opera noſtra: ergò non poſſumus vti illis contra Dei voluntatem ſine iniuria, & iniuſtitia. Item: ſumus ſerui Dei: ergò ſicut ſeruus committeret iniuriam, ſi exigenter omnia eius opera nolit reddere, ità nos committimus iniuriam cōtra Dei Ius quando vtimur noſtris operibus contra eius voluntatem. Item Deus de facto impoſuit legem, & præceptum, vt Dominus; quod ipſe præcepta imponens, ſæpiſſimè inſinuat, vſurpando illa verba: *Ego Dominus*; ſed nos ſumus obligati ex iuſtitia ſeruire ipſi, quoties ipſe hoc vult, ſicut ſerui obligantur ex iuſtitia ad ſeruiendum Dominis; quandò Domini volunt; ergò habemus obligationem ex iuſtitia ad ſeruanda præcepta diuina, & ad ſatisfaciendum, quando tranſgredimur: Item homo obligatur ex iuſtitia ad non lædendum nōtabilitèr exiſtimationem proximi apud alios, & ad reſtitutionem, ſi lædat; ergò multò magis obligatur ex iuſtitia ad non lædendum notabilitèr exiſtimationem Dei apud homines, & ad reparandum quantum poterit, ſi lædat.

Fauent, & nobis ſcripturæ, & Patres dicentes obſequium noſtrum erga Deum eſſe ſeruitium; & nos ipſos eſſe ſeruos; Lucæ 17. cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles facti ſumus; quod debuimus facere fecimus; quibus ſignificatur obſequium, & ſeruitium fuiſſe iniunctum Apoſtolis, non vt ſubditis ſolùm, ſed vt ſeruis, & illos ratione ſeruitutis debuiſſe facere omnia: Ità Patres intelligunt illum locum; Sanctus Cyrillus apud Sanctum Thomam in Catena hoc docet, Dominus (inquit) quod ius poteſtatis Dominicæ, quaſi debitam ſubiectionem requirit à famulis; & infra: ſic etiàm Deus petit quidem à nobis famulatum iure ſeruitutis. Auguſtinus ſerm.3.de Verbis Domini: O magna bonitas Dei, cui pro conditione reddere debeamus obſequia

quia

quia, vt ſerui Domino famuli Deo ſubiecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit. Bernardus ſerm. de quadruplici debito: creator tuus eſt, tu creatura; tu ſeruus, ille Dominus, ille figulus, tu figmentum; totum ergo, quod ex illi debet, à quo totum habes. Eodem modo loquuntur alij plures. Nec eſt vllum fundamentum eos intelligendi de ſeruitio, & ſeruitute impropria: cùm enim ſimus nos ipſi proprijſſimè ſerui Dei, etiàm ſeruitium, & ſeruitus noſtra debet eſſe proprijſſima ſeruitus; ergò ſicut ſerui obligantur ex iuſtititia Domino, ità;& nos Deo. Deindè Patres, & Theologi dicunt communitèr, peccatum eſſe iniuriam contrà Deum: ergò ſicut obligamur ex iuſtitia non facere iniuriam vlli homini; ità obligamur ex iuſtitia non peccare contrà Deũ.

PROPOSITIO IX.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta incontrarium.

PRimum argumentum; qui nihil commodi, vel incommodi afferre poteſt alteri, nequit ergà ipſum exercere iuſtitiam, aùt iniuſtitiam: ſed nullum commodum, aùt incommodum afferimus Deo, nèc operando, nèc ab operibus ceſſando (nil enim patitur noſtris peccatis, nèc noſtris laudibus, & obſequiis beatior fit, aùt perfectior) vt habetur Ioa 22. quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris, aut quid ei confers, ſi fuerit immaculata vita tua? Et 25: ſi iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Probatur maior: iuſtitia ſeruat æqualitatem intèr commoda, & incommoda, Domini: ergò vbi nequit eſſe commodum, vel incommodum, ibi nequit eſſe iniuſtitia. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: qui nil commodi, vel incommodi,&c. quoad bona tàm intrinſeca, quàm extrinſeca; concedo maiorem, quoad bona intrinſeca tantùm; nego maiorem: ſufficit enim, quod poſſit afferri commodum, vel incommodum, quoad bona extrinſecè: quia circà huiuſmodi, Deus habet ius, quod lædi poteſt actibus noſtris, quibus auferetur Deo gloria, & exiſtimatio extrinſeca, quæ eſt æſtimabilis; & prudentèr appetibilis, & ipſe Deus illam ardentiſſimè ſibi deſiderat, & ad eam ordinat quæcumque operatur. Diſtinguo ſimiliter minorem: nullum commodum afferrimus Deo, quo ad bona intrinſeca, concedo; quo ad extriſeca; nego minorem. & conſequentiam. Hinc patet ad probationem maioris: non ſufficit poſſe ſeruare æqualitatem intèr commoda, & incommoda extrinſeca, & vitare damnum extrinſecum. Adde, quod ſi argumentum valeret, probaret etiàm hæc bona extrinſeca minimè eſſe materiam charitatis amicitiæ, aùt fidelitatis ergà Deum: nàm ſicut iuſtitia inclinat ad ſeruandum ius alienum circà commodum, & vtile, ſic amicitia ad deſiderandum commodum amici, & fidelitas adimplenda promiſſa circà vtile: non enim refert, quod impleatur, vel non impleatur promiſſio de re indifferenti.

Aliud argumentum: non poteſt fieri iniuria, niſi nolenti, & inuito: eſt enim vſurpatio alieni inuito Domino: vnde ſcienti, & nolenti, non fit iniuria. Idem eſt de potente impedire ſinè vllo incommodo: quià proindè ſe habet, moralitèr loquendo, ac ſi conſentiret; ſed nil poteſt creatura facere Deo nolente, & inuito: ergò non poteſt irrogare Deo iniuriam. Confirmatur primò: non poteſt eſſe iniuſtiria, vbi ius alterius lædi nequit: ſed ius Dei circà opera noſtra nequit à nobis lædi; quià voluntas noſtra magis eſt in Dei poteſtate, quàm in noſtra; nèc impedire valemus, ne vtatur operibus noſtris pro ſuo libito: quià poteſt nos efficacitèr mouere ad quemcumque actum. Confirmatur ſecundo: ſi Deus poſſet pati iniuriam; vel ius eius in noſtram operationem poſſet lædi; non haberet perfectiſſimum dominium noſtrarum operationum; ſed hoc eſt falſum: ergo &c. ſequela antecedentis patet: quippe de ratione perfectiſſimi dominij eſt non poſſe ab aliquo impediri in vſu ſuarum rerum: ſed Deus poſſet ex illa hypoteſi impediri per hominem, ergo &c. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: niſi nolenti, & inuito abſolutè, & efficacitèr nolitione emiſſionis ipſius rei ſuæ; nego; niſi nolenti, & inuito aliquo modo, & nolitione emiſſionis ſui iuris; concedo maiorem, & ſimilitèr diſtinguo minorem, & nego conſequen-

quentiam. Ad rationem igitur iniuriæ non requiritur in Domino voluntas abſoluta retinendi rem ſuam; aliàs non fieret iniuria ſoluendi vſuras, cùm non habeat voluntatem abſolutam eas reſtituendi.

Dices, requiri voluntatem retinendi, ſi commodè poteſt; & ideò ſoluens vſuras, patitur iniuriam, quià habet talem voluntatem. Contrà: qui ex mętu alicuius mali iniuſtè inferendi, donat copioſam pęcuniam, vt malum vitet, vellet retinere pecuniam ſi poſſe, & talem non patitur iniuriam ab accipiente, & retinente; ergò vt fiat iniuria, non ſufficit voluntas retinendi, ſi commodè poſſet; ſed requiritur voluntas abſoluta retinendi ius; quæ ſit abſit; licèt non detur voluntas abſoluta Dei, dari poterit iniuria. Vnde relinquens ex induſtria portam apertam, vt latronem intraeuntem capiat, & puniet; licèt poſſit tunc impedire furtum, & non impedit, ſed potiùs deſiderat, vt habeat occaſionem puniendi latronem; tamèn patitur veram iniuriam, & illud furtum, eſt verè furtum, & conſequentèr contrà aliquam Domini voluntatem, qua Dominus dicatur inuitus; fauet lex dicens: potentem *prohibere* furem, & non *prohibentem*, adhùc poſſe agere contrà furem actione furti &c. voluntas igitur Domini, cui opponitur iniuſtitia, non debet eſſe voluntas efficax rei allatæ, ſed ſufficit, quòd ſit voluntas retinendi adhùc ius ad ipſam rem, ſeù non cedendi iuri ſuo, quod habebat in illa re: quæ voluntas poteſt compati deſiderium, & gaudium de re ablata, v. g. furto; & multò magis permiſſionem, ablationis, & furti. Poteſt itaquè fieri iniuria Deo, quãuis poſſit abſolutè impedire quaſcumque actiones cuiuſcumque creaturæ, & efficacitèr impedire quamcumque creaturam ad quaſcumquè actiones competentes tali creaturæ; quia non obſtaute, quod ità non faciat, ſed potiùs ex ſua liberalitate, & bonitate concurrat cùm cauſis ſecundis iuxtà naturam & indigentiam ipſarum cauſarum; & conſequentèr cùm cauſis liberis liberrimè, ità vt poſſint operari, vel non operari; & operari hos actus, potiùs, quàm illos, quemadmodùm illis magis placet; non tamèn ceſſit iuri ſuo, ſed potiùs retinuit ius ſibi ratione ſupremi dominij debitum, in opera noſtra, ità vt ſi illis vtamur, contrà eius voluutatem faciamus ipſi iniuriam, & committamus iniuſtitiam: Quamuis poſſit hinc reſponderi ad vtramque confirmationem.

Reſpondetur tamèn in forma breuitèr. Ad primam, primò negando minorem: quamùis enim Deus poſſet mouere nos ità efficacitèr, vt non poſſemus reſiſtere. Habet tamèn eius ratione ſupremi dominij ad actus noſtros cum illis ſolis auxilijs, quæ de facto nobis conceduntur; Vndè quandò diſſentimus illi exigenti, vt cum tali auxilio eliciamus actum v. g. amoris, comittimus iniuſtitiam, & impedimus ipſum ab aliquo, quod ipſi ſecundum iuſtitiam debetur. Et hinc patet ad probationem. Ad ſecundam confirmationem Reſpõdetur negando ſequelam maioris, & diſtinguendo maiorem eius probationem, quandò illa potentia impediendi eſſet omninò independens à voluntate Domini, ita vt poſſit impedire Dominum efficacitèr volentem vſum ſuarum rerum; tranſeat; quando autèm dependet perfectiſſimè à voluntate Domini, ità vt non poſſit impedire Dominum in vſu ſuarum rerum, niſi tantum quantum ab ipſo Domino liberrimè permittitur, nego maiorem, & conſequentiam; Deus itaquè habet perfectiſſimum dominium cauſarum liberarum, non obſtante, quod voluerit, ne earum vſum excludere, concurrere cum eis iuxtà naturam & indigentiam earum; ità vt cùm auxilijs, quæ Deus ipſis exhibet, poſſent cooperare, non cooperari; nec perfectiùs dominium circà opinionem liberam excogitari poteſt; vnde dominium phyſicum perfectiſſimum Dei, non excludit poteſtatem phyſicam vtendi re ſua ſine libera cooperatione alterius; ſicùt nec omnipotentia includit poteſtatem producendi quemcumque effectum ſine cooperatione cuiuſcumque cauſæ ſecundæ. Et multo minus dominium morale includit talem poteſtatem phyſicam: ſufficit enim poteſtas moralis exigendi rem ſuam ſinè iniuria alterius, qualem habet Deus in omnes res, niſi, quandò ſua voluntas, & pactum impedit. vt ſupra diximus.

Digitized by Google

PROPOSITIO X.

Proponuntur, & ſoluuntur alia argumenta.

SI Peccator peccando læderet ius Dei, teneretur ſtatim ſatisfacere Deo pro iniuria illata; Sed hoc eſt falſum; ergò. Sequela patet: quià ideò tenetur quis ſatisfacere ſtatim alteri homini: quà lędit eius ius: ergo ſi lædit ius Dei, tenetur ſtatim ſatisfacere. Minor probatur: quià non tenetur ſtatim pœnitere; ergò multo minus ſatisfacere pro peccatis. Reſpondent aliqui cùm Suarez 3.parte Diſp.15.ſeſs.5.negando ſequelam maioris cùm ſua probatione; non ideò enim tenetur quis ſatisfacere ſtatim alteri homini, quià lędit ius alterius per ipſam ablationem; ſed quià res ablata, eſt alteri vtilis, & eius dilatio, eſt ipſi nociua; res autèm à Deo iniuſtè ablata non eſt ipſi vtilis, nec dilatio, eſt ipſi nociua. Pater lugo diſp. 3. ſeſſ. 4. numero 66.arguit contrà: quià Deus non accipit maius nocumentum ex ablatione, quàm ex dilatione reſtitutionis, ergò vtraquè eſt iniuſta, vel neutra; ſi vtraque eſt iniuſta; ergo ſicut intèr homines òbligat ſtatim reſtitutio, quià dilatio eſt iniuſta (continuatur enim nocumentum priùs illatum) ità iniuſtitia noſtra ad Deum obligauit ſtatim: nàm reſpectu Dei continuat nocumentum illud extrinſecum. Si neutra eſt iniuſta; ergo in prima ablatione, non fit iniuria, contra authores huius ſententiæ.

Ipſe lugo, quia admittit peccatum peccando aliquandò quidèm, ſed grauiſſimè faceret Deo iniuriam; Reſpondet, in eo etiàm caſu, quo homo eſt iniurius Deo, non teneri ad reſtitutionem ex obligatione iuſtitiæ: quià non poteſt reſtituere in indiuiduo illud, quod iniuſtè abſtulit. In genere autèm, ſeù in æquiualenti, non tenetur Dei iuſtitia, quià hoc poteſt Deus quotiès voluerit ſinè vllo incommodo recuperare; quod idem eſt moralitèr loquendo, ac illud in bonis habere; quarè ex dilatione reſtitutionis æquiualentis,non cenſetur Deus habere minus in bonis, quàm habere deberet, ſi fieret reſtitutio. Hæc ſunt propria verba Patris lugo. Hæc ſolutio minus placet: nàm ſi ideò homo non teneretur ex iuſtitia reſtituere, quià Deus poſſet damnum illatum, ſinè vllo incommodo recuperare, ſequitur, quod non fuerit obligatus ex iuſtitià ad damnum non inferendum proximo, quià Deus potuiſſet abſquè vllo incommodo, tàm benè impedire ne fieret damnum, quàm poſſet recuperare damnum illatum, ergò ſi peccator, non obſtante quod Deus poſſet illum ſic impedire, facit iniuriam Deo, non ponendo actum præceptum cùm ſolo auxilio de facto ipſi collato, aùt ponendo actum prohibitum, non obſtante auxilio, quod ipſi confertur ad euitandum talem actum, quià Deus ratione ſupremi dominij habet ius exigendi hæc obſequia ab homine cum ſolis illis auxilijs, negato quocumque alio; ità etiàm poteſt facere iniuriam Deo non reſtituendo, aùt non ſatisfaciendo pro iniuria illata cum ſolis auxilijs, quæ de facto habet, quamuis Deus poſſet ſinè vllo incommodo dare alia auxilia efficaciora, quibus mediantibus facillimè, & commodiſſimè reſarciret damnum illatum: ergo, ſi non obſtante, quod Deus poſſit illud ſic impedire ad non inferendam iniuriam, adhùc obligetur ex iuſtitia non inferre: ità etiàm obligari poteſt ex iuſtitia ad reſtitutionem, non obſtantè, quòd Deus abſque vllo incommodo poſſit efficacitèr ipſum mouere ad ponendum æquiualens; nec cenſendus eſt Deus ex dilatione reſtitutionis æquiualentis, non habere minus in bonis ſuis, quàm haberet, ſi fieret iſtà reſtitutio: quià habet ius exigendi iſtam reſtitutionem cum ſolis auxilijs, quæ homini ad ſatisfaciendum reſtant. Vndè.

Reſpondetur alitèr ad obiectionem, negando ſequelam maioris;ad cuius probationem, nego ſuppoſitum maioris, nimirum iuſtitiam intèr homines obligare ad ſtatim reſtituendum, hoc enim eſt falſum, niſi quando dilatio eſſet ità nociua, vt ex ea ſequeretur nouum aliquod nocumentum. Et ſi eſſet verum, adhùc negatur conſequentia. Diſparitas autèm eſſe poteſt: quod retentio rei alienæ, vel dilatio reſtitutionis intèr homines, præſumitur ſemper fieri inuito proprio Domino, ſicut prima ablatio; dilatio verò reſtitutionis reſpectiuè ad Deum, non fit ſempèr Deo inuito, ſicut fit prima ablatio, vel poſitio actus præcepti, vel prohibiti: alias ſignificaret nobis

Digitized by Google

nobis in ſcriptura,vel per Eccleſiam,ſtatim eſſe reſtituendũ, talem reſtitutionem nobis præcipiendo; ſicut ſuo præcepto ſignificauit quoſdam actus bonos ponendos, & à malis abſtinendum: nec nos, ſine tali ſignificatione debemus aggrauare iugum Domini,aut reddere eius legẽ grauiorem; vnde dico, quòd nocumentum extrinſecũ prius Deo illatum per iniuriam ipſi factam, non continuatur ſemper, poſteà ſi per hoc intelligatur, quod accipiat ſemper augumentum, vel iniuriam nouam, ſi verò intelligatur tantùm, quod nocumẽtum prius factum, non ſit reuocatum. vel reſtitutum. Verum eſt quòd nocumentum ſic continuatur: ſed hoc non ſufficit ad obligationem ſatisfactionis, ſeù reſtisutionis ſtatim faciendæ ex iuſtitia. Deinde omnes admittunt peccatorem habere debitum, & obligationem pœnitendi, & ſatisfaciendi ortum, vel ex iuſtitia,vel ex charitate ergà Deum: quæ ſicut obligat ad diligendum Deum, ità obligat ad tollenda amicitiæ cum Deo impedimenta,vel ex amore proprio, quo obligatur vnuſquiſque ad procurandam propriam ſalutem, cui opponitur peccatum graue non retractatum, vel certè, quod magis probabile eſt, hæc obligatio ſatisfaciendi oritur ex omnibus his debitis, & etiam ex debito gratitudinis, & aliarum virtutum, quæ dictant non decere hominem habere Deum rationabilitèr ofoffenſum, & auerſum à ſe; ſi ergo illa alia plura debita non obligent peccatorem ad ſatisfaciendum, & reſtituendum ſtatim,ità poſſet fieri, quòd debitum iuſtitiæ non obliget ipſum ad ſtatim ſatisfaciendum, niſi hoc Deus exigat, etſi id exigere ab illa alia debita, peccator eſſet obligatus ad ſtatim reſtituendum, quemadmodùm eſſet obligatus ad ſtatum reſtituendum. Deo ità exigente, ſi eſſet debitum iuſtitiæ.

PROPOSITIO XI.

Pœnitentia differt eſſentialitèr, ac iuſtitia humana commutatiua, & diſtributiua.

ITA dicendum cum Scoto in 4. d.14. quæſt. 2. §.In iſta quæſtione lit.M.quatenùs dicit quòd iuſtitia vindicatiua intèr homines reſpicit bonum communitatis illorum; at verò iuſtitia vindicatiua intèr Deum, & homines, reſpicit bonum ipſius legiſlatoris, ſcilicet Dei, quod eſt maius bonum, & excellentius. Propoſitionem iſtam probo. Ius diuinum eſt altioris ordinis, quàm omne humanum; ergò iuſtitia Diuina eſt alterius rationis à iuſtitia humana. Antecedens patet: quippè iuſtitia humana eſt intèr æquales, ſcilicet inter membra communitatis; ac iuſtitia intèr homines, & Deum, eſt inter ſupremum Dominum, qui nulla ratione poteſt conſiderari,vt membrum,& creaturam, cui nulla ratione competere poteſt ratio capitis in ordine ad Deum: ergò iſtæ iuſtitiæ diſtinguuntur: nam diuerſitas iuſtitiarum, optimè concluditur, ex diuerſitate Iurium.

PROPOSITIO XII.

Pœnitentia eſt pars quædam poteſtatiua iuſtitiæ.

ITA Scotus vbi ſupra. Probatur: omnis virtus, quæ ordinat hominem ad alterum in ratione debiti, eſt quædam iuſtitia: ſed pœnitentia ordinat hominem ad Deum in ratione debiti; ergò eſt quædam iuſtitia. Maior patet: quià virtutes morales, quæ diſtinguuntur à Iuſtitia, non ordinant ad alterum, ſed ad ſe, vt temperantia ad moderandas ſuas paſſiones, ſimilitèr fortitudo, &c. vel ſaltim non ordinant ad alterum ſub ratione debiti legalis: ſic liberalitas ordinat ad alios, quibus, facilè propter honeſtos fines erogãtur facultates, ſed tamen ſine debito legali; ergò virtus ordinans ad alterum ſub debito legali, eſt dicenda iuſtitia. Minor probatur; nàm quòd pœnitentia ordinet ad Deum, certum eſt; quod autem ordinet ſub ratione debiti, patet: etenim dupliciter quis fit debitor alicuius. Primò, quia aliquid ab illo recepit in commutationibus. Secundò quia aliquid iniuſtè ſubtraxit, aut ex bonis, aut ex fama, & honore; ac his modis homo eſt debitor Deo, & ratione acceptionis beneficiorum

Digitized by Google

(maximè citationis) & ratione iniuriæ illatæ per peccatum primo debito ſatisfacit Religione, quæ debitum cultum, & obſeruantiam Deo, vt primo effectori præſtat. Secundo debito fit ſatis per pœnitentiam; ergò vtraque virtus aliqua ratione pertinet ad iuſtitiam.

PROPOSITIO XIII.

Pœnitentia eſt virtus vindicatiua, ſeù punitiua, qua Pœnitens punit in ſe peccatum.

ITA Scotus in 4. d.14. q. 2. lit. E. verſic. reſpondeo. Pro iſta propoſitione, hanc do rationem. Munus vindicatiuæ iuſtitiæ, eſt punire peccatum per correſpondentiam pœnæ ad culpam: at hoc præſtat pœnitentia: ergo pœnitentia eſt virtus vindicatiua, ſeu punitiua peccati.

PROPOSITIO XIV.

Pœnitentia meliùs reducitur ad iuſtitiã cõmutatiuam, quàm ad diſtributiuam.

FAvet Scotus in 4. d. 16. q. 2. §. hic intelligendum lit. G. item in 4. d. 46. q. 1. §. hic primo lit. B. vbi inquit, quod commutatiua propriè reſpicit punitionem, & permutationem, vt ſcilicet pro meritis, quaſi commutando, reddantur præmia, & pro peccatis, ſuppliciat. Probatur: in punitione peccatorum. ſolùm intenditur vincere peccatum, conſtituendo æqualitatem pro debito quantum fieri poteſt, & hoc ſecundùm proportionem Arithmeticam; ergò iſta iuſtitia, eſt magis commutatiua.

Quuandò ergò Scotus in 4. d. 14. lit. V. verſic. ad confirmationem, dicit, quod iſte actus iuſtitiæ punitiuæ, quæ diſtinguuntur à iuſtitia commutatiua, & etiam contra amicitiam. Dico, Scotum tantum vellet, quod Pœnitentia diſtinguatur à iuſtitia cõmutatiua, prout commutatiua conſiſtit in commutatiua humana. Videantur quę dixi in ſuprapoſita propoſitione, & iuxtà ibi dicta, diſcurratur.

DISPVTATIO IV.

De Supernaturalitate Virtutis Pœnitentiæ.

DE hac re pluries ſermonem habuimus, adhærentes ſententiæ docenti illam eſſe ſupernaturalem, quoad ſubſtantiam; licet nobis minime appareat omnimodè improbabilis opinio docens ſufficere ſupernaturalitatem quoad modum. Quia tamen videmus, haberi non poſſe integram intelligentiam tantæ difficultatis, niſi præmittatur clarior intelligentia ſupernaturalitatis in ſe; hinc placuit examinare omnes ſententias circa conceptum ſupernaturalitatis in. Sit ergo.

De Conceptu ſupernaturalitatis in ſe.

VAriæ ſunt huius dictionis (ſupernaturale) ſignificationes, atque acceptiones. vnaquęque enim ſcientia, & nomine vtitur, vt ſuo aptat inſtituto. Theologum eſt commune votum, quod ens ſupernaturale ſit, vel importet elationem ſuperantis, vel excedentis naturam, vt ipſum nomen præſefert. Deinde, videndum quot modis ſumatur natura, vt inde inferatur reſpectu cuius debeat habere exceſſum, & ſuperantiam, ens ſupernaturale.

Natura, non vno modo ſumitur: principales ſignificationes ſunt hæ. Primo ſumitur pro cuiuslibet rei eſſentia, hinc diffinitio,

Digitized by Google

ſinitio, eſſentiam, & naturam rei explicare dicitur. Secundò pro ſubſtantia completa, cui pro termino, & complemento debetur ſubſiſtentia; Vnde ſubſiſtentia terminus naturæ appellatur, & animus Verbum diuinum aſſumpſiſſe naturam. Tertiò pro ſubſtantia completa, & materia, s. & forma, vt ſunt principia motus, & quietis. Quarto ſumitur pro aggregato illarum rerum, quod ab ordine ſupernaturali exceditur, & diſtinguitur: hæc acceptio eſt propria Theologorum, & ſic vnio hypoſtatica; Gratia, fides, & ſpes dicuntur ſupra naturam, ſeù ſuperantia entia naturalia.

Vox (naturale) æquiuoca cum ſit; non vno, quinimò multis dicitur modis: hinc quis ſit illius conceptus, operæ pretium eſt noſcere; Videatur Scotus in 4. diſt. 43. q. 4. Primò accipitur prout apponitur violento; hoc in ſenſu attenditur non per ordinem ad efficiens, ſed per reſpectum ad formam recipiendam, ac proinde nullus locus eſt ſupernaturalis, ita viſibilis viſio eſt potentiæ viſiuæ naturalis; legatur Scotus q. 1. prologi; hac doctrina præſuppoſita, tale ſit pro nunc argumentum; forma recipienda, vel eſt conſona, & conformis poſtulantiæ ſubiecti, *vel contraria*, vel mixta, ſcilicèt nec conſona, nec aduerſa, ſi conſona, erit potentia receptiua naturalis: nàm teſte Philoſopho 2. Phyſicorũ Teſt. 3. & 8. Phyſic. Teſt. 32. tunc paſſum mutatur naturalitèr, quandò mutatur ſicut aptum natum eſt mutari; ſi forma aduerſatur receptibilitati ſubiecti; tunc habebitur violentum; ità aqua violentatur ad calorem; ſi verò tertium dicatur, tunc potentia cenſenda neutra; vt eſt videre in ligno in ordine ad ſtatuam Iouis, vel Cæſaris naturale in hac acceptione nullum concedit locum ſupernaturalitati.

Secundò accipitur naturale, vt opponitur contra liberum. Naturale ità acceptũ dicitur illud principium, quod de ſe eſt determinatum, ad vnum agendi, nec poteſt in contradictoria, etſi valeat producere diſparata, quinimmò, & oppoſita contraria, vt Sol, licet non habeat potentiam liberam, ad agere, & non agere, poteſt tamèn producere ſerpentem, ranam, &c. Ita intelligendus Auerroes 12. Metaphyſ. Comment. 44. dicens: ab vno in quantùm vno non procedere immediatè, niſi vnum, eſt ſenſus, quòd producit agens naturale, niſi vno modo agendi; ſic intelligitur illud aliud principium; natura eſt determinata ad vnũ, ſcilicet ad vnum modum producendi; non ad vnicum productum. Teſte Scoto quodl. 2. lit. F. §. de tertia ratione: in primo diſt. 28. q. 3. ſub litera K. ad argumenta principalia.

Agens liberum appoſitum agenti naturali, eſt id quod habet in poteſtate ſua actionem, & modum agendi, & ſeipſum determinat ad agendum, De hoc agente libero Scotus in primo diſt. 39. q. 1. ait Voluntatem creatam eſſe liberam ad appoſitos actus cõtrarios, & cõtradictorios, ad oppoſita obiecta. Vnde voluntas poteſt velle, & nolle, velle, & non velle album, nigrum. &c. Principia re per modum naturæ & liberè. teſte Scoto in primo diſt. 2. q. 7. lit. M. habet, ait oppoſitos modos principiandi, eſſe inter ſe. adeò ſpecificè diſtinctos, vt repugnantia ſit eidem formalitèr ſumpto conuenire (includit quippè contradictoria;) quòd enim per modum naturæ, eſt ratio principiandi ex ſe naturalitèr inclinatur, nec de ſe determinatur. Hic autem producendi modus cum alio, ſtare non poteſt etiàm reſpectu diuerſorum; errant quippè aſſerentes noſtram voluntatem liberè ſe habere circa media, & neceſſariò circà finem, nàm vt acute obſeruat Scotus, in primo diſt. 1. q. 4. noſtra voluntas tàm circa finem, in particulari, quàm circa finem, in communi omninò liberè ſe habet, ſaltem in exercitio actus, etſi in ſpecificatione actus circa bonum non poſſit habere contingentiam, hoc eſt, quòd ſi appræhendat bonum ſub ratione boni intellectus, & nulla in eo appareat, ratio mali, non poteſt voluntas habere niſi velle, non autem nolle, ſed illud idem velle poteſt non elicere, & ita reſpectu boni ſic appræhenſi, quamuis non habeat libertatem contrarietatis, habet tamen libertatem cõtradictionis. Videatur Scotus quodl. 16. & in 4. diſt. 40. q. 6.

Nota tamen neceſſitatem, ac contingentiam non ægrè pugnare, ſicùt modus agẽdi per modum naturæ, & liberè, ità Scotus quodl. 16. art. 2. lit. M. Vbi inquit, quòd non eſt eadem diuiſio, in principium naturale, & liberum, & in principium neceſſarium actiuè, & contingenter; aliquid enim natu-

naturale poteſt contingenter agere, quia poteſt impediri; igitur pari ratione poſſibile eſt aliquod liberum ſtāte libertate agere neceſſariò. Huius rei etiam poteſt reddi ratio: quia rationes formalitèr appoſitæ, in eodem ſunt incompoſſibiles; modi autem diſparati, non ſunt incompoſſibiles; actiuum verò liberum, & per modum naturę, ſunt rationes formales principij actiui; neceſſitas verò, & contingentia ſunt modi agendi, & ideò hi compoſſibiles ſunt, non illi.

Quod autem in eodem agente naturali compoſſibilis ſit vterque modus indè demonſtratur: quia ex ſe non poteſt non agere; ergò neceſſariò agit; contingentèr verò dicitur agere: quia eius actio poteſt non ſubſequi, vel quia impediri poteſt, vel ex libertate agentis: actio verò agentis naturalis impediri poteſt, vt de facto factum eſt in Camino fornacis Babilonjcæ; ergò idem agens poteſt agere neceſſariò, & cōtingentèr. Videatur Scotus in primo diſtinct. 8. q. vltima in fine. Obſeruandum tamen, quòd ab alio capite habet voluntas, quòd neceſſariò producat, & ab alio, quod liberè producere convenit illi, quia voluntas eſt, quippe de intrinſeca ratione voluntatis eſt libertas; hinc dicebat Magnus Pater Auguſtinus, aut voluntas non eſt, aut libera dicenda. Neceſſario verò producere, vel ferri in obiectum; conuenit illi, quia infinita eſt, & infiinti obiecti; nec vnum ſine altero ſatis eſt. Voluntas quippe Diuina, etſi infinita, tamen contingentèr creaturas diligit: & voluntas noſtra, licèt per intellectum habeat obiectum infinitum ſibi præſentatum; tamèn quantum eſt de ſe, contingenter elicit actum; Voluntas verò Diuina reſpiciēs obiectùm infinitum, nempè ſuam diuinam eſſentiam, cùm non poſſit non eſſe recta ſe neceſſariò diligit; contingentèr verò creaturam.

Tertio ſumitur (naturale) in ordine ad agens; Vnde ſi intellectus comparatur ad agens, quod producit in eo notitiam, aut concurrit cum eo ad productionem cognitionis. Vel illud agens mouet naturalitèr intellectum, (tale eſt Phantaſma: tales ſpecies intelligibiles: talis intellectus agens), & tuuc illa notitia eſt naturalis. Vel illud agens eſt naturam tranſcendens, ordiniſq; ſuperioris ità vt non agat via communi, ſed via inſolita, & ita eſt agens ſupernaturale.

Quartò capitur naturale proùt contradiſtinguitur à ſupernaturalitate, de qua Sacra Concilia, Sanctiq; Patres, & Theologi Scolaſtici diſputant. Vertimus primò in dubium, in quo conſiſtat ratio formalis ſupernaturalitatis communis omni enti ſupernaturali. Vnum moneo, quod lys (natura) ſuprà quam ens ſupernaturale collocatur, minimè ſit eſſentia, & quidditas rei; quippè ens ſupernaturale, ſibi propria quidditate, & eſſentia gaudet, Secundò per lys (natura) non intelligi Deum: etenim nulla dabilis (natura) creata ſuperans naturam diuinam. Tertiò nec etiam per lys (natura) intelligi vniuerſitatem rerū creatarum, cùm intèr entia creata numerentur entia ſupernaturalia, Fides, Spes, & Caritas: his ſtantibus veritatem dabunt ſubquentes Propoſitiones; incipiamus à Prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Conceptus ſupernaturalitatis non eſt deſumendus ex connexione cum gratia ſanctificante.

Contrarium habemus Martinum de Ripalda diſput. 4. de ente ſupernaturali ſeſſ. 4. noſtram tamen Propoſit onem tenentur defendere adhærentes Scoti doctrinæ, ad aures cuius in 3. diſt. 2. §. ad argum. principalia; Vnio enim hypoſtatica non habet intrinſecam connexionem cum gratia ſanctificante, nec reddit hominem ex ſua natiua virtute impeccabilem; quinimò eſt ſufficientèr ſatiata per hoc, quòd vniat humanitatem cum verbo, & ſic de ſe nullam habet repugnantiam, vel oppoſitionem contrariam, nec contradictoriam, nec priuatiuam ad peccatum. Hinc, cum vnio hypoſtatica ſit ens ſupernaturale, nec tamen dicat intrinſecam connexionem cū gratia ſanctificante; redditur clarum, ſupernaturalitatem in doctina Scoti minimè deſumendam pœnès ordinem, & connexionem, ad gratiam ſanctificantem, Accedat ratio: illa non eſt formalis conſtitutiua ſupernaturalitatis, qua circumſcripta

imò

Digitized by Google

imò repugnante, adhuc haberetur ens ſupernaturale: at repugnante gratia ſanctificante adhuc ſaluatur ens ſupernaturale: ergo ſupernaturalitatis conceptus non debet collocari in ſola connexione ad gratiã ſanctificantem; Minorem probo: quando repugnantiam inuolueret gratia ſanctificans; non indè per locum intrinſecum concluderetur repugnantia hypoſtaticæ vnionis, naturæ irrationalis cum Deo, & tamèn ea vnio foret ſupernaturalis; ergò pereunte cõceptu gratiæ ſanctificantis, perſeueraret ratio entis ſupernaturalis, ergo quidditatiua illa ratio conſtitutiua entis ſupernaturalis minimè eſt connexio ad gratiam ſanctificantem. Vrgeo difficultatem. Omnes Doctores vnico conſenſu aſſerunt quòd data Vnione hypoſtatica, liceat deducere, dari ens ſupernaturale; Acutiores tamen negant, indè deduci dari gratiam ſanctificantem, vel connexionem ad gratiam ſanctificantem; ergò alius eſt conceptus ſupernaturalitatis, & alter eſt conceptus connexionis ad gratiam ſanctificantem: ergò dabitur conceptus ſupernaturalitatis, ſine intelligentia connexionis ad gratiam ſanctificantem. Item repugnante gratia ſanctificante, adhuc foret poſſibilis penetratio duorum corporum in eodẽ loco, & poſitio vnius corporis in pluribus locis adæquatis, ſed iſta ſũt ſupernaturalia: ergò habemus conceptum ſupernaturalitatis, adhuc repugnãte gratia ſãctificãte

Sit altera ratio: Deus de facto conſeruat ſine ſubiecto accidentia in Sacramento Altaris, & poteſt reliqua accidentia manu tenere ſine beneficio ſubiecti; at talis poteſtas accidentium eſſet ſupernaturalis; ergò ſupernaturalitas haberetur, non habita connexione cum gratia ſanctificante. Item (vt benè Scotus in ſecundo de cognitione Angelorum) Angelis in puncto creationis infuſa fuit ſpecies abſtractiuè repræſentans Diuinam Eſſentiam; ſubinfero: at talis ſpecies non habet connexionem cum gratia ſanctificante (fortè enim de facto reperitur in Angelis damnatis) ergò à negatione connexionis cum gratia, non benè deducitur argumentum ad deſtructionem ſupernaturalitatis. Itèm vellem ſcire ab illis Authoribus, ex quo capite habeatur, quòd ipſa gratia ſanctificans ſit ſupernaturalis. Itèm libentèr intelligerem ab eiſdem; Vndè habeat gratia ſanctificans tale prædicatum, quod non ſit commune reliquis attributis. Item repugnante gratia, certè adhuc diuinitùs poſſet vniri vna natura creata alteri naturæ creatæ, & ita natura ſpoliata propria ſubſiſtentia, poſſet ſubſiſtere ſubſiſtentia aliena; quis hoc negabit? ergo habetur ratio ſupernaturalitatis, adhuc repugnante connexione cum gratia ſanctificante.

PROPOSITIO II.

Supernaturalitas non conſiſtit in participatione Diuinæ Eſſentiæ, & diuinarum perfectionum, vt in Deo ſunt.

Nobis aduerſatur Cutiel. p. p. q. 100. art. 1. dub. 1. Probatur noſtra propoſitio: Primò: quia videtur ſupponere Deũ eſſe formalitèr ſupernaturalem, cuius appoſitum infra demonſtratur: Accipe pro nunc iſtam rationem: ex infra dicendis; ens ſuperuaturale dicit reſpectũ ad extrinſecum agẽs; ità quod ſupernaturale in ſubſtantia ſit illud, quod vt doctè notatur à Scoto quæſt. prima Prologi. expoſtulat ſecundùm rationem ſuam ſpecificã, & quidditatiuam produci ab authore ſupernaturali ſupernaturaliter agente, & talis reſpectus repugnat Deo: ergo Deus non eſt ens ſupernaturale, & conſequenter ſuperuaturalitas non non conſiſtit in participatione Dei, vel dictorum de Deo. Secundò vel per participationem intelligit aſſimilationem ad Eſſentiam Diuinam, & attributa, vel veram, & realem participationem.

Primum dici non poteſt. nàm Angelus perfectius aſſimilatur Diuinæ natræ quàm ſpes, & Charitas: etenim Angelus eſt ſubſtantia completa, ſubſiſtens, ſpiritualis, cognoſcitiua, volitiua, occupatiua loci, tota in toto, & tota in quauis parte, quæ omnia conueniunt Deo, non vero ſpei, Charitati, &c. quæ tamèn ſunt ſupernaturalia entia: ergò ſupernaturalitas minimè ſtat in maiori aſſimilatione ad Diuinam naturam, & attributa. Nec dici poteſt ſecundum, videlicet, ſupernaturalitatem conſiſtere in participatione Diuinæ eſſentiæ in ſe, & attributorum: quià Charitas in Deo eſt ipſamet ſubſtantia *Dei*; in Creaturis verò eſt euidens: lumen gloriæ in Deo eſt

Digitized by Google

eſt ipſamèt facultas vitalis appræhenſiua Dei, qua ſe ipſum inſpicit; in Creaturis verò non eſt aliqua vitalis facultas, ſed accidens quoddam ſupplēs defectum naturæ ad videndum Deum. Itèm ſpecies non eſt participatio deitatis, vt in Deo eſt, cùm in Deo nulla ſit affectio proùt tendit in bonum non poſſeſſum, & tamèn in nobis ſit affectus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

Itèm Character non participat Deum in sè, etenim talis ratio ſigni ſpiritualis non reperitur formalitèr in Deo. Itèm præſentialitas Corporis Chriſti(etiàm apud Aduerſas) eſt ſupernaturalis intrinſecè, & tamen non eſt participatio præſentialitatis Diuinæ, vt in Deo eſt. Itèm penetratio duorum corporum, & poſitio vnius corporis in pluribus locis, eſtens ſupernaturale; cùm tamèn minimè cenſeatur participatio deitatis, vel dictorum de Deo. Itèm perſeitas accidentium in Sacramento Altaris, eſt ens ſupernaturale, & tamèn ibi nulla reperitur deitatis participatio. Itèm vnio vnius naturæ creatæ cùm alia in ordine ad ſubſiſtendum, eſt ens ſupernaturale, & tamèn ibi nulla reperitur participatio deitatis, vel dictorum de Deo.

PROPOSITIO III.

Supernaturale non eſt dicendum per immediatam attingentiam ſupernaturalis finis obiectiui, qui eſt Deus.

OPpoſitum noſtræ Propoſitionis defendit noſter Pater Smiſinch. de Viſione Dei fol. 131. fallitur tamèn hic doctor; Primò; quià vbi Euchariſticum eſt ſupernaturale, & tamèn non dicit immediatam coniunctionem cùm Deo; antecedens ex eo oſtenditur, quià nulla vi creata fieri poteſt, vt corpus quantum ſit totum, in toto, & totum in qualibet parte. Nec eſt, quod dicatur, vbi Angelicum eſſe perfectius, vbi Euchariſtico, cùm tamèn vbi Angelicam minimè ſit ſupernaturale: nàm nil concludit diſcurſus iſte: etenim gratis conceſſo, quòd vbi Angelicum ſit perfectiùs, nil habetur contrà nos: nam ſupernaturalitatis ſignum, nequaquam habetur ex maioritate affectionis: quippè omnis ſubſtantia creata perfectior eſt accidente, & tamèn, licèt non detur ſubſtantia ſupernaturalis, de facto tamèn reperitur accidens ſupernaturale. Nota, quòd poſſet Deus ponere corpus meum totum in toto, & totum in qualibet parte: quo in caſu poſitio mei corporis, eſſet cenſenda ſupernaturalis, nèc tamèn habetur coniunctio cùm Deo: fallitur etiàm; quià eſt poſſibilis amor Dei naturalis ſupèr omnia, vt cum Scoto defendo probabilitèr in Tratt. de Charitate. Snbinfero: at, per talem actum coniungimur Deo fini obiectiuo, & tamèn talis actus non eſſet connumerandus intèr entia ſupernaturalia, ergò ſupernaturalitas non conſiſtit in coniunctione cùm Deo fine vltimo.

Opinioni Smiſinch. fauet Pater Hurtadus, qui vt comunitèr ab authoribus citatur, credit ens ſupernaturale id, eſſe quod pertinet ad ordinem viſionis Dei. Impugnatur tamèn primò: quià, ſi per locum intrinſecum repugnaret viſio Dei, adhùc daretur ens ſupernaturale ergò, &c. Aſſumptum probo: In caſu poſito foret poſſibilis penetratio duorum corporum in eodem loco, ſicut, & poſitio eiuſdem corporis in duobus locis: at penetratio, & poſitio eiuſdem corporis in pluribus locis ſunt entia ſupernaturalia: ergò &c. Secundò: foret poſſibilis Hypoſtatica vnio intèr duas naturas creatas, & vnius naturæ irrationalis cùm ſubſiſtentia Diuina, ſiue abſoluta, ſiuè reſpectiua: ergò tunc haberetur ratio ſupernaturalitatis repugnante ratione ad viſionem Dei. Vrgeo difficultatem: natura incapax viſionis Dei poſſet vniri hypoſtaticè Deo; ergò illa vnio eſſet ſupernaturalis; cùm tamèn nullus ibi inueniretur ordo ad viſionem Dei.

Itèm vellem ſcire cùr id, quod pertinet ad viſionem Dei dicatur ſupernaturale, non verò id, quod alterum diuinum predicatum reſpicit: Nota, quod Hurtadus reliquit inſolutam quæſtionem: etenim reſtat interrogandus Hurtadus; Vndè habet viſio Dei, vt titulo ſupernaturalitatis gaudeat. Itèm, viſio Deo, valeret voluntas ſiſtens in puris naturalibus diligere Deum, vt doctè habet Scotus, in Primo diſt. 17. §. ad Argumenta pro opinione Magiſtri: nam proponeretur obiectum infinitè bonum, & ſine

Digitized by Google

ſine vmbra mali ſubinfero: at illa dilectio cenſeretur ordinis naturalis; ergò Deus in ſe attingeretur actù naturali: non ergò ratio conſtitutiua entis ſupremi; collocanda venit in attingentia Dei, quatenùs obiectum eſt.

PROPOSITIO IV.

Ens ſupernaturale non eſt appellandum id, quod indebitum eſt omni entitati ſubſtantiali creatæ, & accidentibus ipſi debitis.

ADuerſatur huic Propoſitioni. Vaſquez. 1.parte, diſp. 42.cap. 2. Granado part. 2. tract. 4. de gratia; Arrubalſalus, Bernal. de Incarnatione diſput. 1. num. 63. qui omnes, ſunt opinati, id vocitandum ſupernaturale, quòd eſt indebitum omni entitati ſubſtantiali creatæ, & accidentibus ipſis debitis; vel vt verbis vtar Bernal; quòd ſecundùm ſuum eſſe intrinſecũ ſuperat omnis ſubſtantialis entitatis creabilis, & accidentium ipſi debitorum, natiuam exigentiam, capacitatem, & vim.

Perez in ſua laurea ſalmantina, enucleans talem opinionem, dicit ſupernaturalitatem conſiſtere, in non eſſe natiuam, ſeù in non eſſe naturale, aùt debitum naturæ. Vndè concludit, quòd ſupernaturalitas conſiſtit in eo, quòd aliquid fiat, & ſit extrà naturæ debitum, & abſquè naturali exigentia. Breuitèr; vult iſta opinio, quòd ens ſupernaturale habeat has conditiones: Prima, quòd ſit aliquod negatiuum; ſecunda, quòd ſit indebitum. Tertia, quòd ſit ſuprà capacitatem. quarta; quòd ſit ſupra vim.

Impugnatur hæc opinio circà primam conditionem.

QVuia ſupernaturalitatis conceptus non coſiſtit in negatione, qui nimmò dicit poſitiuum conceptum: Probatur: quià, ſupernaturalitas, vt ſic, eſt quædam perfectio rerum, quæ ſupernaturales dicuntur (quamuis, vt oſtendam infra, non ſit perfectio ſimplicitèr) ſub infero: at perfectio dicit conceptum poſitiuum: ergò ſupernaturalitas minimè collocanda eſt in negatione exigentiæ. Item naturalitas, vt ſic in omnium ſententia eſt quid poſitiuum; ergò, & ſupernaturalitas; conſequentia patet a paritate.

Impugnatur quantum ad ſecudam Conditionem.

QVia non eſt de ratione intrinſeca ſupernaturalitatis ratio îndebiti. Probatur. Primò: relatio identitatis, vel ſimilitudinis vnius gratiæ cùm alia, eſt entitas ſupernaturalis, quoad ſubſtantiam, non minùs quàm fundamentum, & terminus talis relationis, & tamen, ea relatio eſt naturalitèr debita, & connaturalis rei creatæ. Item intellectui eleuato lumine gloriæ, eſt debita viſio beatifica, & tamen viſio illa eſt ſupernaturalis. Adde, quòd licèt inconueniens ſit enti naturali eſſe debitum aliquod ſupernaturale; tamen nil obſtat, immò maximè rationi conſentaneũ eſt, quòd enti ſupernaturali debeatur proprietas ſupernaturalis: hinc in ſcola Thomiſtarum, gratiæ debetur Caritas veluti proprietas, & tamen Caritas eſt ens ſupernaturale. Item proprietates debent commenſurari cum propria quidditate, quò circa quidditati naturali debentur proprietates naturales, ergò entitati ſupernaturali ſunt debitæ proprietates ſupernaturales, ergò negatio debiti, ſeù exigentiæ non eſt ratio conſtitutiua ſupernaturalitatis.

Dices cum Vaſquez, nullum eſſe abſurdum, imò multum neceſſarium, vt ſupernaturale debeatur accidenti ſupernaturali, vt conuincit argumentum de Caritate connaturali gratiæ, at quòd ſupernaturale ſit debitum ſubſtantiæ, hoc ratio abhorret.

Contra primo, ergò iam datur; quòd ratio debiti, ſeù negatio debiti minimè ſit ratio formalis ſupernaturalitatis: ſecundò ſi diuina natura foret ſupernaturalis, (vt docent iſti Doctores) certè diuinæ naturæ attributa, & proprietates, minimè forent excludendæ à catalogo ſupernaturalium, iuxtà illam regulam, quòd proprietates debent ſapere naturam ſuarum quidditatum. Cur quæſo quidditati naturali

adſcribuntur attributa naturalia, & quidditati ſupernaturali, non correſpondere attributa ſuperaaturalia? Item ferè communis conſenſus Theologorum cum noſtro ſubtili Scoto, docet Deum abſolutè enargia eleuare poſſe potentias ad ſupernaturalitèr operandum ſine præuia infuſione habitus ſupernaturalis in potentia; addunt tamen Deum ordinariè non vti ea facultate, ſed velle agere præmiſſa infuſione habitus, & hoc propter connaturalem modum agendi ipſarum potentiarum; hinc deduco minimè eſſe contrarium conceptui entis ſupernaturalis connaturalitèr eſſe debitum quandoquidem actus Fidei, Spei, & Caritatis ſunt ſupernaturales, & tamen ſunt cõnaturalitèr debiti potentię eleuatę per habitum.

Quod omne indebitum ſupernaturale non ſit.

PRobatur: ſi peccatum lætale dimitti poſſet tantùm per formam intrinſecè inhærentem, vt contra Scotum, & veritatem defendunt multi; nulli dubium eſt, quòd tale peccatum per infuſionem formæ naturalis expelli valeret; nàm ſi homo in ſtatu puræ naturæ peccaret; illius peccatum expellerètur per formam ordinis naturalis; ſtante hac doctrina, ita argumentor: forma ea non eſſet dicenda debita (quippè peccatorum condonatio eſſet à Deo gratioſa, & liberalis) & tamen illa forma non diceretur ſupernaturalis, ergò ſupernaturalitas in forma non eſt attendenda ex parte indebiti; ergò aliqua forma eſt indebita, & tamen non ſupernaturalis. Item homini ruſtico, & peſſimæ qualitatis, non debetur corona imperialis, & tamen nullus ſanæ mentis diceret collationem illius formæ eſſe ſupernaturalem. Item ſpecies concreatę Angelis, minimè illis debitę erant (cùm beneficio intellectus agentis potuiſſent Angeli, eas ſibi comparare) illæ tamen ſpecies inter entia ſupernaturalia, minimè eſſent comparandæ; concludendũ ergò, quòd non ſit deſumendum argumentum ſupernaturalitatis ex ratione indebiti.

Fallitur etiam iſta opinio, dum ait, ſupernaturale eſſe ſupra capacitatem ſubiecti.

DEſumitur veritas iſta ex D. Auguſt. de Prædeſtinatione Sanctorum c. 5. vbi, vt pulcrè animaduertit Scot. q. 1. Prologi; Sanctus Doctor habet hæc verba: *Poſſe habere fiden, ſicut poſſe habere caritatem natura eſt hominum: habere autem fidem ſicut & habere caritatem gratia eſt fidelium.* hæc Sanctus Doctor. Patet ergò ad mentem Sancti Doctoris in ordine ad fidem, & caritatem, quòd habeatur in ſubiecto naturalis capacitas. Pro hac veritate conſultatur Scotum in 3. diſt. 14. q. 2. in 4. diſt. 47. q. 11. Probatur exemplo hypoſtaticæ vnionis in Chriſto; gratiæ ſanctificantis in puero, & luminis gloriæ in beatis; in quibus omnibus enumerata ſupernaturalia immediatè incipiuntur. Audiamus rationem. Nam ſi in ſubiecto naturali non daretur capacitas ad formã ſupernaturalem, recipiendam, talis potẽtia receptiua deberet reddi capax; non per formam naturalẽ, vt de ſe patet; ergò per ſupernaturalem. Nunc ita diſcurro: Vel potentia ad illam primam formam ſupernaturalem, habet capacitatem, vel non; Si primum dicas: iam concedis capacitatem naturalem ad ſupernaturalia; Si ſecundùm, minimè vitabis proceſſum in infinitum; ergò iure meritò, ne in iſta incurramus inconuenientia, reſtat, quòd dicamus dari in natura capacitatem paſſiuam ad ſupernaturalia.

Supernaturalitatem non eſſe deſumendam ex parte ſubiecti demonſtratur.

ARgumentum ſit tale: Si ratione potentiæ receptiuæ foret attendenda ſupernaturalitas; illa quidem eſſet in ordine ad ſubiectum potens potẽtia neutra, vel violenta (ſuppono ex Scoto q. 1. Prologi potentiam in ſe, benè, & adæquatè tripartitam; in potentiam naturalem, violentam, & neutram:) cum ergò ad aures Doctorum, contra quos diſputamus, veniat de medio tollenda potentia naturalis; ſolùm remanebit potentia neutra, vel violenta. hinc cùm nulli dubium ſit, formam ſupernaturalem minimè eſſe contra inclinationem naturæ, relinquitur, quòd in ordine ad illam formam, ſola perſeueret potentia neutra

Digitized by Google

neutra; ſubinfero; at in conparatione formæ in ordine ad receptiuum potens potentia neutra, non datur ſupernaturalitas (alias omnis forma neutra eſſet ſupernaturalis; quòd falſum eſt, vt patet in motu locali Cæli, & aliis ſimilibus formis:) Item ſignum de ſe eſt in potentia neutra ad imaginem Cæſaris, vel Caroli, nec tamen illa imago eſt ſupernaturalis; ergò in comparatione formæ ad ſubiectum receptiuum, nulla cognoſcitur ſupernaturalitas. Item Patres, & Conc. ponunt comunitèr ſupernaturalitatem potentię in gratuita eius donatione per ordinem ad Deum excitantẽ, vocantem, & operantem in nobis, ſine nobis, adiuuantẽ ad ea, ad quæ infirmitas noſtra non ſufficit: hinc damnatur poſſe hominem viribus naturæ operari bonum; diligere, credere, ſperare, prout oportet. Vide Conc. Trid. ſeſſ. 6.

Hinc dicitur præparari cor à Deo; nos ſaluari per gratiam, & caritatem, quæ per Spiritum Sanctum diffuſa eſt in cordibus noſtris; ex his locis ponderandum, quòd talia ſupernaturalia ſemper nobis explicantur per ordinem ad efficiens, & nullibi habetur explicari per ordinem ad ſubiectum. Conſiderandum, quod dicitur à Patribus & Concilijs, eſſe collata ſupernaturalia, quia actus excedunt vires naturæ, & facultatem noſtram efficientem, quæ conſiſtit in potentia actiua, non paſſiua, vt definit Trident. Seſſ. 6. ergò quòd gratia ſit ſupra naturam intelligendum venit, quoad efficientiam, non autèm quoad receptionem in ſubiecto; ſit ergò ad aures Sanctorum Patrum ſupernaturalitas nobis proponitur, & explicatur per ordinem ad agẽs, & ex alia parte rationem ſupernaturalitatis non poſſumus deſumere ex argumẽto metaphyſicali; (ſupernaturalia quippè ſunt credita) vnde concludendum ſupernaturalitatem minimè eſſe deſumendam per reſpectum ad ſubiectum receptiuum. Ratio etiam eſt nobis in promptu: præciſo ordine ad ſubiectum, adhuc remaneret in forma ratio ſupernaturalitatis, ergò. Probo antecedens: præciſo ordine ad ſubiectũ, adhuc eſſet verum dicere de forma, in ea reperiri prædicatũ, quò ex ratione ſua ſpecifica talitèr expoſtularet produci ab Authore ſupernaturali, ſupernaturalitèr agente, quòd nullo in caſu poſſet produci ab agente ordinis naturalis, ergo per tale prædicatum cõcluderetur de illa forma, ipſà eſſe ſupernaturalem, etſi nulla habeatur conſideratio reſpectus eiuſdem formæ ad ſubiectum.

PROPOSITIO V.

Supernaturale non indè dicendum, quòd habeat connexionem cum Deo, vt Trino; naturale verò, quòd ordinetur ad Deum, vt Vnum.

Apud Patrem Arriagam in prima par. tom. 1. Trac. de Viſ. Dei diſp. 3. ſeſſ. 2 nonnulli ſunt opinati cũ Zamello pirma 2. tom. 2. q. 110. diſp. 2. art. 4. illud eſſe ſupernaturale, quod habet connexionem cum Deo, vt Trino; naturale verò, quod ordinatur ad Deum, vt Vnum.

Noſtra Propoſitio eſt vera in Doctrina Scoti, ad cuius aures in primo diſt. 1. q. 2. & vbicumque in ſua Doctrina, non repugnat, quin Deo volente foret viſa eſſentia Diuina non intuitis relationibus, quæ in Scoti ſententia. quodl. 5. nec finitæ, nec infinitæ ſunt cenſendæ. Tunc ità formo argumentum: Si videretur eſſentia, non viſis relationibus; ea viſio foret ſupernaturalis; ergò ſine reſpectu, vel connexione ad Trinitatem, habetur ſupernaturalitatis conceptus. Conſequentia eſt euidens, antecedens ſuppono ex tract. de Viſione Dei. Vrgeo difficultatem: Si Deus non eſſet Trinus, ſed tantùm Vnus in Eſſentia, & in perſona, adhùc foret obiectum quietatiuum intellectus creati, ergo eius viſio, & fruitio, foret ſupernaturalis: quippè fruitio beatifica nequit non eſſe ſupernaturalis. Item actus ſupernaturalis attingit Deũ vt Vnum; v.g. actus fidei, & caritatis, quo credimus Deum eſſe Vnum, Summum Bonum, atque Sapientem, & Deum ita apprehenſum diligimus; nulla facta mentione Trinitatis. Talis autem ſupernaturalis eſt, & tamen non fertur in Deum, vt Trinum. ergo ratio differentiæ inter ſupernaturale, & naturale non eſt, quia ſupernaturale reſpiciat Deum, vt Trinum, & naturale Deum, vt Vnum. Item ſi natura creata vniretur ſubſiſtentiæ abſolutæ Diuinæ Eſſentiæ, talis vnio foret ſupernaturalis, & tamen non haberet pro termino Deum, vt Trinum.

Digitized by Google

Dices, quòd Deus quatenus vnus in natura ſit author naturalis, quatenus verò Trinus in Perſona ſit Author ſupernaturalis, & quòd res dicantur naturales prout habẽt proportionem, & aſſimilationem cum Deo Vno; iſtæ verò ſupernaturales, pro vt habent proportionem, & aſſimiliationem cũ Deo Trino; quo fit, vt pro tanto res dicatur ſupernaturalis, pro quanto reſpicit Deum, vt Trinum. Non placet hic diſcurſus: nàm aùt per Authorem naturalem, vt Vnum, & ſuper naturalem, vt Trinùm, intelligunt, quòd Deus, quatenùs Vnus, ſit ens naturale in ſe, & quatenùs Trinus ſupernaturale; vel intelligunt quòd Deus, quatenus, vnus producat res naturales, & quatenus trinus, res ſupernaturales, ſi primum, expreſsè falluntur: nam ſi Deus eſt ens ſupernaturale (de quo infra) eo quòd excedat totum naturalem ordinem; id non prouenit ei à relationibus, ſed à ſua ſimpliciſſima natura, vndè, vt vnus, eſt obiectũ noſtræ beatitudinis ſupernaturalis. Addè quòd neceſſitatem ſupernataralem minimè deduxere Concilia, & Patres, vt attingeretur Deus qua trinus tantùm, quinimò quà vnus.

Secundum dici non poteſt: quandoquidem omnibus eſt principium irrefragabile, quòd Deus, vt vnus, author ſit rerum cunctarum, ſiue naturalium, ſiue ſupernaturalium: cùm omnia per omnipotentiam produxerit; quę omnipotẽtia cõuenit Deo, vt vno, nõ vt trino (eſt enim quid eſsẽtiale & nõ notionale) Occurrit, quòd ſi Deus, quà trinus foret ſupernaturalis, id quod eſſet ſupernaturale, deberet participare Deũ trinum, cuius oppoſitum patet: cum gratia, fides &c. Sint entia ſupernaturalia. nec tamen participent eſſe in tribus.

Dices, habitus illos ordinari ad attingendum Deum vt trinum. Friuola reſpõſio: quia quando Deus non foret trinus, ſed vnus in eſſentia, & in perſona; adhuc beatificaret nos, & conſequenter illa fruitio diceretur ſupernaturalis; & ſi non reſpiceret Deum vt trinum. Item penetratio duorum corporum in eodem loco; ſicut, & poſitio vnius corporis in pluribus locis adæquatis, eſt ſupernaturalis, & tamen non reſpicit Trinitatem. Item actus, quò Hæreticus credit Trinitatem, eſt naturalis, & ſi ille actus reſpiciat Deum trinum. Item ſi quis neget Trinitatem; negatio illa, habet pro termino Trinitatem, & tamen eſt naturalis illa negatio. Item vnio vnius naturæ creatæ ad alteram naturam creatam ad ſubſiſtendum, foret ſupernaturalis; & tamen non haberet pro termino Trinitatem. Item Gentilis audiens aliquem aſſerentem Trinitatem, & ſciens hominem illum eſſe doctum, & veracem, probatæque vitæ; valeret elicere actum credulitatis circa Trinitatem propoſitam; & tamen ille actus elicitus ſolis naturæ viribus, non foret ſupernaturalis. Item ſi Deus cum primo creauit Angelum, ei reuelaſſet Trinitatem, nõ præbendo ei auxilium ſupernaturale, quo eleuaretur intellectus Angelicus; tunc Angelus ille ſciens certò Deum eſſe infinitè ſapientem, infiniteque bonum, & conſequenter nec fallere, nec falli poſſe; daret aſſenſum Trinitati reuelatæ: qui tamen aſſenſus, & ſi haberet pro termino Trinitatem: quia tamen fuit habitus ſola natiua energia naturæ, eſſet naturalis. Concludo ergo, quòd reſpectus omnis ad Deum qua trinus eſt, non ſit ratio concluſiua ſupernaturalitatis, ſicut & etiam, quòd negatio reſpectus ad Deum trinum non ſit argumẽtum concludens negationem ſupernaturalitatis.

PROPOSITIO VI.

Errant aſſerentes, id eſſe ſupernaturale, quod ſolum Deum agnoſcit ſui productiuum.

Oppoſitũ opinatur Toſtatus 2. Regum. 24. q. 28. Probatur noſtra propoſitio. Primo: quia multa in catalogo ſupernaturalium ſedem habent, quæ in eorum productione agnoſcunt pro principio productiuo vna cum Deo creaturam. Patet de actibus virtutum Theologicarum, qui, & ſi ſupernaturales, tamen potentiæ animæ in illos præbent actiuum influxum. Facit pro noſtra opinione, quòd inter Angelos etiàm ſupremus, à ſolo Deo ſuum recepit eſſe: cum tamen nullus dixerit Angelum eſſe ens ſupernaturale. Idem dici deberet de materia prima, & tandem de ipſo Mundo, ſicut de omnibus immediatè creatis â Deo.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO VII.

Errant dicentes, ſupernaturale id eſſe, cui repugnat viribus naturæ produci, & cognoſci; vndè dicunt illud eſſe ſupernaturale, quod eſt ſupra vires naturæ, tàm actiuas, ſiue phyſicas, quàm intentionales.

CONcludunt ergò, quod licet Angelus naturæ viribus nequeat produci. Tamen quia ſola energia naturæ eſt cognoſcibilis; meritò excluditur â ſerie ſupernaturalium. Probatur tamen noſtra prupuſitio: quia, vt ſuppono ex dictis in Tract de Angelis cum Scoto, miſteria gratiæ in eſſe poſita, cadunt ſub naturali obiecto intellectus creati: ſunt enim entia finita, limitata, abſoluta &c. Videatur Scotus quolib. 14.

PROPOSITIO VIII.

NOſter Pater Briſenjus controuerſia 9. de viſione Dei Diſp. 1. ſub ſect. 2 Artic. 1. dicit, quòd ens ſupernaturale, ſit forma illa, quæ intrâ nullius entis creati eminentiam, vel cauſalitatem præhaberi queat. Fundamentum ſumit ex Scoto in 4. d. 1. q. 5. ſupra A. vbi, ſubtiliſſimus Doctor ait, quòd forma ſupernaturalis minimè educibilis ſit de potentia naturali ſubiecti recipientis.

Fallitur hic Doctor.

PRimo; qniâ multa ſunt ſupernaturalia, quæ educuntur de potentia ſubiecti, & non creantur: patet de actibus virtutum Theologicarnm: patet de vbi Euchariſtico. Patet de penetratione duorum corporum: patet de vnione hyſpoſtatica: patet de perſeitate accidentium. Secundò mihi valdè probabile eſt habitus ſupernaturales educi de potentia ſubiecti; & hoc: quia nullum reperio prædicatum in habitibus ſuperuaturalibus, ratione cuius repugnat illis eductio, & debeatur creatio: quippè prædicata in ipſis habitibus reperta ſunt; ratio, qualitatis, ſpiritualitatis; & ſupernaturalitatis. Subinfero: at ex nullo horum capitum deducitur habituum creatio; ergò nulla vrget neceſſitas ad illos dicendos terminos creationis; In primis: ratio qualitatis, hoc non euincit: quandoquidem aliqua qualitas non creatur: ratio ſpiritualitatis, non officit, vt patet in ſpeciebus intelligibilibus, quæ tamen educuntur de potentia ſubiecti: ratio ſupernaturalitatis non concludit; vt patet in viſione beatifica, amore Dei ſupernaturali &c. Itèm formã educi ex ſubiecto, nil aliud importat, niſi formam illam ex virtute ſubiecti recipientis, educi in lucem: at de habitibus ſupernaturalibus præſto nobis eſt indiciũ, quòd in lucem prodeunt ex virtute ſubiecti, ergo nõ debemus eos dicere terminos creationis. Minorem oſtendo: magnum indicium eductionis, eſt, viderè quòd naturaliter exiſtere nequeat habitus ſine ſubiecto. Rem declaro: ideo inhærendo Phyloſophicis documentis. dicimus, quòd Anima rationalis ſit terminus creationis, & nõ educta de potentia ſubiecti; quia credimus eã conſeruari naturaliter ſine corpore; at habitus ſupernaturales taliter videntur affixi ſubiecto, vt vi naturæ manuteneri nequeãt ſine ſubiecto: ergo hoc erit nobis ſignum, quòd tales habitus ſint termini eductionis & non creationis. Diſcurſum iſtum, nobis præbet Scotus in 4. d. 1. q. 1. littera H.H. vbi dicit formâm materialem, ſeù eductam de potentia ſubiecti, eſſe eam, quæ ex natura ſua, naturaliter inclinatur, vt ſit actus materiæ: ſenſus eſt: formam illam educi de potentia ſubiecti, quæ naturaliter nequit conſeruari ſine materia. Subinfero: at certo certius eſt habitus ſupernaturales cõſeruari non poſſe viribus naturę ſine adminiculo ſubiecti: ergò opere prætium eſt, concludamus habitus illos collocandos in catalogo rerum eductarum de potentia ſubiecti.

Dices, eſſe magnum ſignum creationis (gratię V. g.) quòd gratia habitualis eleuat hominem ſupra totum eſſe naturæ: conſequenter videtur, quòd nulla præhabeatur potentia naturalis ex qua educatur. Vrget hæc etiam difficultas, quòd ſciamus nullam dari diſpoſitionem ad gratiam quãtumcumquè remotam; ergò ſi nulla dabilis diſpoſitio naturalis ad gratiam; certe, multo minus, nulla dabilis potentia naturalis ex qua educatur. Fauet huic diſcurſui,

Digitized by Google

ſui, quòd maior ſit dependentia formæ à ſubiecto, ex quo educitur; quàm à diſpoſitione: ergò qua ratione diſpoſitio naturalis ad gratiam, neganda potentia paſſiua nuturalis, ex quà gratia educatur. Fateor diſcurſum iſtum plauſibilem, non tamen conuincit: nam etiam actus ſupernaturales eleuant animam ſupra totum eſſe naturæ, cum tamen, minime, dices actus illos eſſe terminos creationis. Ergò idem dicam, & ego de habitibus.

Quòd opponitur de diſpoſitionibus naturalibus, nec etiam facit ad negotium: quippe, anima rationalis, ad ſui productionem requirit veluti diſpoſitionem neceſſariam, corporis organizationem: cùm tamen nulli ſit dubium, ex illa proexigentia non poſſe inferri eductionem animæ ex potentia ſubiecti; ergò nec etiàm licebit concludere habitus illos non eſſe terminos eductionis ex eo, quia illorum intuitù nulla datur diſpoſitio naturalis: vndè commune dictum (forma ſupernaturalis nequit præcontineri in cauſa naturali) intelligi debet de genere cauſæ efficientis, non verò in genere ſubiecti, ſeu naturalis cauſæ. Replicabis gratiam dici qualitatem infuſam animæ, hinc illud Rom. 5. Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris; ergò non educitur de potentia animæ. Conſeguentia firmatur authoritate Auguſtini, ita definiētis virtutem infuſam: virtus infuſa eſt bona qualitas mentis, quam Deus in nobis ſine nobis operatur; ſubinferes: ſed ſi gratia educeretur de potentia animæ, non operaretur Deus illam in nobis ſine nobis, ergò &c. Dico habitus infuſos dici, non quia ſint termini creationis; ſed pro quāto creatura in ſe conſiderata, nullam habet completam virtutem illorum effectiuam.

PROPOSITIO IX.

QVibuſdam placuit ſupernaturalitatē deſumendam eſſe ex eo capite, quòd ſupernaturale, ſit ſupra naturam; inde cōcludunt, illud eſſe ſupernaturale, quòd nec eſt natura, nec includit naturam. Notant vlterius ab Ariſtotele 2. Phyſicorum, naturam eſſe definitam, quòd ſit principium motus, & quietis. Addunt, quòd etſi cōmuniter natura ſit principium motus ſenſibilis; tamen extenſo vocabulo poteſt, applicari etiam ad motum ſpiritualē, vt etiā comprehendatur natura Angelica. Hinc concludunt, ens illud eſſe naturam, quòd eſt principium in ſe propriarum actionum, & proprietatum; ſubinferunt, quòd ſupernaturale illud ſit, quod non eſt in ſe principium propriarum actionum, & proprietatum.

Errant iſti Doctores

PRimo, quia vt Scotus in 2. d. 18. & vbicumquè in ſna doctriua; natura, quæ definitur 2. phyſicorum, non eſt id naturale, quòd opponitur ſupernaturali, ſed eſt id naturale, quòd opponitur violento; & ita Scotus q. 1. prologi dedit tripartitam potentiam paſſiuam in ordine ad fauorem; vnam dixit naturalem; & eſt, quando forma eſt conſona naturæ, & de ipſa natura loquitur Phyloſophus 2. phyſicorum. Altera potentia, eſt violenta, quæ tunc datur, quando forma recipienda, aduerſatur potentiæ receptiuæ; potentia iſta violenra, eſt oppoſita naturæ, de qua Phyloſophus ſupra, ergò cum natura definita 2. phyſicorum, reſpiciat violentum, & non ſupernaturale; diſcurſus illorum Doctorum, nullam hahebet veritatem. Accedat ratio probans falſitatem diſcurſus illorū Doctorum: ſupernaturale, eſt principium ſuarum operationum, & proprietatum: ergò Doctores iſti aberrant à verò, dum aiunt ſupernaturale, contradiſtingui à naturali: quia naturale ſit principium propriarum operationū, non item ſupernaturale. Probo: nàm ſi aqua eſt principium propriæ frigiditatis; ita gratia eſt principium, radix, & origo ſuarum proprietatum, V.g. caritatis. Item, ſi Deus eſt ens ſupernaturale (vt putant iſti Doctores) negabit nemo Diuinam eſſentiam eſſe redicem, & fontem Diuinorū attributorū: ergo ſi ſupernaturale eſt principium propriarum operationum, non datur ratio diſtinctiua ab iſtis Doctoribus inter naturale, & ſupernaturale, dicendo naturale, eſſe principium propriarum operationum, non ita tamen ſupernaturale.

Opinio Scoti.

SCoticam ſententiam declarabunt, quę ſubſequuntur propoſitiones. Incipiamus à prima.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO PRIMA.

Supernaturalitatis conceptus deſumendus eſt pœnès reſpectum ad agens extrinſecum ſupernaturalitèr cauſans.

ITa Scotus quæſt. 1. prologi littera L. & in 4.d.43.quæſt.4.§.intelligendum eſt. Fundamentum pro ſua aſſertione, ſtatim nobis præſtat Doctor ſubtilis in 4. d. 43. eſtquè tale: poſita relatione ad efficiens, habetur ſupernaturalitas: ablata relatione, de medio, tollitur ſupernaturalitas; ergò co nceptus proprius conſtitutiuus ſupernaturalitatis in ſe; eſt relatio ad agens extrinſecum. Fauent Patres diſputantes contra Pelagianos, qui Patres, ſicut infirmitatem noſtram agnoſcebāt in viribus efficientibus, circa ea, quę erant neceſſaria ad ſalutem; ita etiam ſupernaturalitatem gratiæ ſtatuunt in ordine ad Deum excitantem, adiuuantem: ſeù operantem in nobis per auxilia gratiæ. Nec vnquàm curarunt Patres de ſupernaturalitate in ordine ad ſubiectum, de qua nulla erat diſputatio cum Pelagianis; ergò tota ratio ſupernaturalitatis communis omni enti ſupernaturali, eſt attendenda pœnès exigentiam agentis ſnpernaturalis, & ita benè conclndit Scotus qu. 1. prologi, quòd ens ſupernaturale, ſit illud, quod excedit virtutem actiuā. Adde quòd circūſcriptio omni prædicato à gratia V.g. & ſolo perſeuerante eo prædicato intrinſeco, quo ex ratione ſua ſpecifica; & quidditatiua expoſtulat produci ab authore ſupernaturali, ſupernaturaliter agente, haberetur in gratia conceptus ſupernaturalis; ergò de primo ad vltimum, verum eſt dicere, quòd ratio efficientiæ inferat effectū eſſe ſupernaturale. Itèm ad aures omnium Theologorum, ens ſupernaturale dicit exuperantiam, & excellentiam; Subinfero: at iſta excellentia conſiſtere nequit in eo, quòd ens ſupernaturale ſit perfectius ente naturali: quippè ſubſtantia quæcumque, in perfectione excedit omne accidens (cùm tamèn nulla detur ſubſtantia ſepernaturalis & ſi detur accidens ſupernaturtle:) ergò exuperantia, & excellentia entis ſupernaturalis ſuprà ens naturale, erit in eo, quòd ens ſupernaturale in ſua ratione ſpecifica petet efficiens ſupernaturalitèr cauſans: Doctus eſt etiam diſcurſus Scoti in 4.d.10. quæſt.8.§. Reſpondeo, Verſiculo contra rationem: ille effectus eſt naturalis, qui prouenit ab aliquo agente via communali, & concurſu ordinario; ergò à contrario ſenſu; ille effectus, qui ſecundum rationē ſuam ſpecificam exigit produci ab authore ſupernaturali ſupernaturalitèr agente, erit ens ſupernaturale: ac proinde, reſpectus ad agens extrinſecum ſupernaturale; concludit ſupernaturalem in effectū.

Ex dictis collige, non benè eſſe phyloſophatos ſcotiſtas docentes neceſſitatē gratiæ tantùm eſſe ad ſupplendum obiectum; quaſi potentia in ſe habeat vires ſufficientes poſita applicatione obiecti; errarunt inquam iſti Doctores: etenim Patres dixeruut cum Paulo ſalutem noſtram non eſſe ex natura, aut lege. Subinfero: at applicatio obiecti ſufficientèr habetur ex lege mediante reuelatione diuina, teſtimonio Eccleſiæ &c. Ergo in hac parte errarunt. Vrgetur diſcurſus: Sacra pagina docente: neque, qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus: ſenſus eſt (docente Auguſtino,) quòd non iuuat vox exterior, & propoſitio obiecti, & credendorum, quandò à Deo non præparatur voluntas interiùs, & detur ipſum credere; hinc definitum habemus, gratiam eſſe neceſſariam ad credendum, ſperandū; diligendum &c. Pro vt oportet. Videatur Trid. ſeſſ. 6. Si quis dixerit hominem ſine pręueniente ſupiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio &c. ergo non ſufficit quodcumque motiuum, ſeù miraculū, vel applicatio obiecti.

Hinc dico actum ſupernaturalem, eſſe ſupra naturam duplici ex capite. Primò quia, obiectum non eſt in ſe naturalirèr præſens, & potentiæ applicatum, nec continetur in virtute obiecti naturaliter motiui potentiæ, vt diſcurrit Scotus q, 1, prologi. Secundò, quia etſi obiectum, foret præſtans, tamen non proindè haberet virtutem completam, & ſufficientem attingendi obiectum, niſi eleuetur. Eſt pro iſto diſcurſu Scotus in 4.diſt. 49. q. 11. de Viſione beatifica: in 3. diſt.23. & 27. de habitu fidei infuſæ, & in 1.diſt. 17. q. 2. vbi monet dari habitum caritatis ſupernaturalem, vt principium neceſſarium ad actum

& vni-

Digitized by Google

& vniuerſalitèr affirmat actus prędictorum habituum non poteſt fieri viribus naturæ.

Proindè, etſi Scotus concedat ſæpè Deũ, vt obiectum, eſſe ſupra naturam noſtram quia liberè per ſe ipſum applicatur, & ex hac parte, actus in Deum ſit ſupernaturalis: tamen non indè negat Scotus eleuationem potentiæ eſſe neceſſariam: quippè in 4. diſt. 49. q. 11. expoſtulat præter concurſum ex parte obiecti ad viſionem beatificam, lumen gloriæ, & in potentiam, ſemper refundit neceſſitatem habituum ſupernaturalium ad adiuuandam imperfectionem potentiæ actiuæ, vt videre eſt in 3. diſt. 23. §. ad quæſtionem, & §. alitèr poteſt poni, vbi reprobat modum dicendi eorum, qui ponunt habitum, vt ſuppleat, ſeù repreſentat obiectum. legatur Scotus in primo diſt. 17. vbi docet, quòd ſi Deus, ſe præſentaret intellectui non eleuato lumine gloriæ; tunc intellectus, vtique intueretur Deum; tamen talis viſio ob defectum eleuationis intellectus, non foret integrè ſupernaturalis. Patet ergò, quòd iuxta mentem Doctoris ad ſupernaturalitatem minimè ſatis ſit propoſitio obiecti, quinimò vlterius requiratur eleuatio potentiæ per habitum, vel aliud gerens vices habitus.

PROPOSITIO II.

Ens ſupernaturale eſt bipartitum, ſcilicet in ens ſupernatnrale quoad ſubſtantiam, & in ens ſupernaturale quoad modum.

COmmunis eſt partitio hæc. Supernaturale, quoad ſuaſtantiam; ſunt habitus fidei: habitus ſpei, habitus caritatis; actus virtutum Theologicarum; Viſio beatifica; vnio hypoſtatica, &c. Vt vnico verbo dicam: ens ſupernaturale in ſubſtantia nullo pacto continetur in virtute actiua effectiua naturæ, niſi inchoatiuè, & radicalitèr, pro quanto illa natiua virtus poteſt eleuari per auxilium ſupernaturale. Supernaturale quoad modum, eſt quòd ſecundum modum, quo producitur, ſeu acquiritur, vniuerſam naturam tranſcendit. Talis eſt ſubita reſtitutio viſus, inſtantanea recuperatio ſalutis, & alia conſimilia.

Claram notitiam ſupernaturalitatis in ſubſtantia habebimus, ſi ante oculos nobis proponamus doctrinam illam, quam habet Scotus in 3. diſt. 1. q. 1 vbi vult, triplicem eſſe dependentiam: vnam actualem, ſcilicet, quando res actualitèr dependet: aliam potentialem, & eſt poſſibilitas, ſeù non repugnantia dependendi. Tertia eſt aptitudinalis, & dicit exigentiam, & expoſtulantiam dependendi, ortam ex rei natura, vt graue exigit eſſe in centro. Ad propoſitum ſupernaturalitas quæcumque conſiſtit in exigentia, & dependentia aptitudinali (loquor de ſupernaturalitate in ſubſtantia) ſupernaturalitatem ergo quoad ſubſtantiam, eam dico, quæ eſt exigita, & expoſtulata ex propria quidditate, & natura ſpecifica, itaut ſecundùm rationem ſpecificam exigit agens ſupernaturale, ſupernaturalitèr cauſans. Vndè relatio aptitudinalis dependentiæ entis ſupernaturalis in ſubſtantia eſt radicata in eſſentia rei, & orta ex illius ſpecifica ratione. Res verò ſupernaturalis quoad modum, minimè dicit talem reſpectum ortum ex intrinſeca ſui quidditate: nam quidditas illa, non expoſcit ſecundùm quidditatem ſuam ſpecificam habere eſſe ab authore ſupernaturali ſupernaturalitèr agente, ſed tantùm, pro quanto ſubeſt illi modo productionis; itaut, quamuis natura per tempus longum potuiſſet illum præſtare effectum, nõ tamen ita ſubitò, vt dixi de ſanitate ſtatim recuperata.

PROPOSITIO III.

In Supernaturalitate dantur gradus.

IN primo gradu ſunt gratia, & gloria: Vnde fides, & ſpes, prout comparatæ ad gratiam, & gloriam dici valerent entia naturalia, quamuis prout conferuntur cum alijs donis, appellari debeant entia ſupernaturalia: Caritas enim aliquem habet gradum ſupernaturalitatis; quo non gaudent fides, & ſpes; vnde iſte duæ virtutes ex eo capite, quo opponuntur caritati, deberent nuncupari naturales; caritati, ergò debetur ſpecialis acceptatio: quippè eſt forma virtutum, qua mediante delentur peccata, & Spiritus Sanctus per modum inhabitantis

Digitized by Google

bitantis eſt in anima;vi illius Deus acceptat perſonas, & ipſius ratione opera redduntur digna vita eterna:hac de cauſa ſubtiliſſimus Scotus in 1. diſt.17.vocat caritatem perfe-ctionem ſimpliciter,non ita tamen eſt fides, & ſpes, & hoc propter rationem limitatio-nis perfectionis,nec sūt in Deo formaliter.

In ſecundo gradu reperiuntur fides,ſpes, & lumen gloriæ. Hinc collige, quòd Viſio beatifica comparata ad fidem, ſpem, & lumen, rationabiliter poſſet nuncupari naturalis ;ratio eſt: quia reſpectu habituum ſupernaturalium, & luminis gloriæ, nulla datur virtus, vel inchoata, vel incompleta in creatura; at reſpectu viſionis gaudet creatura virtute inchoata. Videatur Scotus in 3. diſt. 14. Adde quòd habitus ſunt efficienter à ſolo Deo,actus verò recipiunt influxum natiuum à potentijs eleuatis. Pro iſta inequalitate ſupernaturalitatis: legatur Scotus in 1.diſt.17. q. 2. §. ad argumenta pro opinione, quæ imponitur Magiſtro. Vide etiam in reſponſione ſecunda ad tertium.

In tertio gradu collocantur actus virtutum Theologicarum: vltra enim, quòd ſunt à principio ſupernaturali, etiam ſpectant ad ordinem gratiæ, & gloriæ, quamuis nō ſint ſupernaturales per modum actus primi, vt docet Scotus in 1. d.17. q.2. ſub litera PP.

In quarto gradu ponitur ſpecies illa,quā Scotus in 2. diſt.3. q.9. arbitratur infuſam fuiſſe Angelis in puncto creationis; hac ſpecie Angeli intuebantur quidditatiuè Diuinam eſſentiam, non quidem intuitiuè, ſed tātùm abſtractiuè: ſpecies iſta in Catalogo ſupernaturalium erat collocanda, vtpotè, tota natura non erat ſufficiens ad iſtam producendam;deficiebant tamen illi multi gradus ſupernatnralitatis,inter quos vnus erat, quòd non ſpectabat ad ordinem gratiæ, & gloriæ. Audiantur verba Scoti in 2.diſt.3. q. 9. ſub littera B. *Tamen non videtur negandum, quin poſſit naturalitèr habere cognitionem eius arbſtractiuam; hoc modo intelligendo, quòd ſpecies aliqua diſtinctè repræſentet iſtam eſſentiam, licèt non repræſentet eam, vt in ſe præſentialitèr exiſtentem: benè quidem poſſibile eſt habere cognitionem diſtinctam licèt abſtractiuam, nam abſtractiua diſtinguitur in confuſam, & diſtinctam pænes rationem aliam, & aliam cognoſcendi, & iſtam talem ſpeciem repræſentantem Eſſentiam Diuinam intellectui Angelico, non videtur inconueniens ponere intellectui Angeli inditam eſſe à principio, ita quòd licèt ipſa non ſit naturalis intellectui, hoc modo, quòd iſte intellectus poſſit ex naturalibus ſuis eam acquirere, neque etiam quod poſſit eā habere ex ratione alicuius obiecti agentis naturalitèr, quia non poteſt eam habere præſentialitate alicuius obiecti finiti mouentis, niſi Eſſentiæ Diuinæ tantùm, quæ nihil aliud à ſe cauſat naturaliter, naturali cauſatione, tamen ſicut perfectiones data Angelo in ſua prima creatione (licèt non neceſſariò ſequantur naturam eius) dicerentur naturales diſtinguendo contra merè ſupernaturales, ſcilicet gratiæ, & gloriæ: ita iſta perfectio data intellectui Angelico, qua eſſentia Diuina eſſet ei præſens diſtinctè, licèt abſtractiuè, poteſt dici naturalis & ad cognitionem naturalem Angeli pertinere. Ità quod quidquid cognoſcit Angelus de Deo virtute huius ſpeciei, aliquo modo cognoſcit naturalitèr, & aliquo modo non naturaliter: naturaliter in quantum iſta non eſt principium gratuiti actus, nec glorioſi, non naturalitèr autem in quantum ad iſtam non poſſet pertingere ex naturalibus, neq; aliqua actione naturali.* Hucuſque Scotus. Ex iſta doctrina habetur, quòd cū nō ſpecies hæc pertineat ad ordinem gratiæ, vt gloriæ ſit in inferiori grdu ſupernaturalitatis. Reſtat ergò, quòd dentur gradus in ſupernaturalitate.

PROPOSITIO IV.

Ad mentem Scoti dantur entia ſupernaturalia in ſubſtantia.

Veritatē iſtam colligo primò, ex quæſtione prima prologi littera N. vbi ſubtiliſſimus Doctor proponens duplicem notitiam reuelatam; vnam huius myſterij: Deus eſt Trinus & vnus; alteram Geometriæ; concludi, quòd notitia reuelata myſterij Trinitatis, ſit in alia linea ſupernaturalitatis ab illa in qua eſt notitia illa Geometriæ. Rationem adducit, quia reuelatio myſterij Trinitatis, ſupplet vices obiecti non naturalitèr motiui noſtri intellectus; è contra verò, notitia Geometrica poſſet eſſe ab obiecto naturalitèr motiuo noſtri intellectus, Nunc ita dico: *notitia infuſa Geometriæ, eſt ſupernaturalis quo ad*

Digitized by Google

modum; ergò cùm reuelatio huius imperij, Deus eſt Trinus, & Vnus, ſit ad aures Scoti in alia linea ſuperioris ſupernaturalitatis, clarè deducitur vltra ſupernaturalitatem, quoad modum, dari ſupernaturalitatem, quoad ſubſtantiam. Item Scotus in 2. diſt. 3. q:9. ſub litera D. docet ſpeciem abſtractiuam Diuinæ Eſſentiæ, cùm non pertineat ad ordinem gratiæ, & gloriæ, non fore dicendam merè ſupernaturalem: è contra verò gratiam, & gloriam eſſe merè ſupernaturalia; iſta verba certè demonſtrant gratiam, & gloriam eſſe in ſupremo gradu ſupernaturalitatis; hinc deduco, quòd ad minus gratia, & gloria, in doctrina Scoti debeant dici entia ſupernaturalia quoad ſubſtantiam. Pro firmiori fulcimento propoſitionis, videatur Scotus in 4. diſt. 49. q. 11. de Viſione beatifica, in 3. diſt. 23. & 27. de habitu fidei infuſò, & in 1. d. 17. q. 2. vbi docet dari habitum caritatis ſupernaturalis, vt principium neceſſarium ad actum; & vniuerſalitèr affirmat actus prædictorum habituum, non poſſe fieri viribus naturæ. Item in 4. d. 49. q. 11. requirit præter concurſum ex parte obiecti ad viſionem beatificam, lumen gloriæ, vt potentia agat; & ſemper refundit neceſſitatem habituum in imperfectionem potentiæ actiuæ Hinc in 3. d. 23. §. ad cognitionem, & §. alitèr poteſt poni reprobat modum dicendi eorum, qui ponunt habitum, vt ſuppleat, ſeù repræſentet obiectum. Ex hac doſtrina ſecundùm quam concludit ſubtiliſſimus Scotus infundendos habitus ſupernaturales, vt potentiæ ſic eleuatæ producant actus; concludo, dari entia ſupernaturalia in ſubſtantia: etenim ad aures omnium Theologorum, habitus ſupernaturales dantur propter actus ſupernaturales in ſubſtantia.

Iem, ſi Scotus præberet aliquod motiuũ, ex quo deduci valeret ad aures ipſius non fore danda entia ſupernaturalia in ſubſtantia; id eſſet; quia docet ſupernaturalitatem deſumendam per reſpectum ad agens extrinſecum. Subinfero: at motiuum iſtum nullius eſt roboris, ergò. Minorem demonſtro: Tum quia etiam in opinione Aduerſariorũ ſupernaturalitas ſumitur in ordine ad agens; ita Suarez, Salas, Egidius, &c. & tamen iſti Doctores concedunt entia ſupernaturalia in ſubſtantia; cur ergò non ita dicendum de Scoto? Item Vaſquez, etſi deſumat ſupernaturalitatem pœnes ordinem ad ſubiectum, nihilominus, ſtat pro ſententia docente, dari entia ſupernaturalia in ſubſtantia, iuxta doctrinam Scoti, etſi ad mentem ipſius ſupernaturalitas veniat accipienda per ordinem ad agens extrinſecum? Adde, quòd vnio hypoſtatica tranſubſtantiatio, perſeitas accidentium in Sacramento Altaris: caracter ſacramentalis, ſunt ex communi ſentẽtia Theologorũ entia ſupernaturalia ſecundùm ſubſtãtiam. Subinfero: at in ſchola Scoti, ſine vllo ſcrupulo conceduntur omni enumerata: ergò ſi illa ſunt ſupernaturalia in ſubſtantia (vt vere ſunt) nullus reſtat ambigendi locus de mente Scoti circa ſupernaturalitatem in ſubſtantia.

PROPOSITIO V.

Proponũtur Argumenta pro ſententia docẽte ſupernaturalitatẽ eſſe deſumendã ex parte principij paſſiui, & ſoluuntur.

PRimum argumentum: Poteſt eſſe tanta excellentia formæ, vt ſuperet vires actiuas naturæ; ergò non eſt dabilis forma ſupernaturalis, quæ non ſuperet vires paſſiuas naturæ; ergò rationabiliter dicetur ſupernaturalitatem deſumi pœnes ordinem ad potentiam paſſiuam. Conceſſo antecedenti, negatur, quod aſſumitur; Ratio, quia formæ nobiliſſimæ, ſunt habitus ſupernaturales, & tamen illorum reſpectu potentia paſſiua eſt naturalis; quinimò potentia dicit naturalem propenſionem ad illos habitus.

Nota quod iſta inclinatio, & paſſiuitas potentiæ, non dicit aliquid ſupra naturam ſubiecti recepturi; nec eſt aliquid ab ea diſtinctum realiter, nec eſt actus elicitus, vt bene docet Scotus in 3. diſt. 17. lit. C. appetitus ergò hic naturalis, vt Scotus aſſerit in 4. diſt. 49. q. 10. eſt idem omninò realiter cum natura. Hoc ex eo fit clarum: ſi appetitus naturalis eſt quid realiter diſtinctum à re, cuius eſt appetitus; tunc in eodem poſſent eſſe duo contraria: nam naturali appetitu deſideramus vitam, & mortem abhoremus; fieri autem poteſt (vt in Martyribus pro Chriſto morientibus accidit) quòd vitam nolunt, & mortẽ velint; ergò

ergo ſimul in eodem eſſent duo contraria reſpectu eiuſdem. Habet ergò homo potétentiam ſuſceptiuam naturalem formalitèr, quinimò realitèr inclinatam reſpectu actuũ ſupernaturalium, vt videre eſt apud Scotum q. 1. Prologi in corpore quæſtionis vbi expreſſiſſimè inquit intellectum poſſibilem, quacumquè cognitione naturalitèr perfici, & ne aliquis diceret perfici naturalitèr, ſcilicèt non liberè, vt aliqui Scotiſtæ interpretantur, cum Bargio ſupra Prologum, & Herrera primo tomo diſp. 1. q. 8. Errarunt tamen iſti Scotiſtæ: Vndè ſubtiliſſimus Scotus, notat eundem intellectum ad quamcumquè cognitionem naturalitèr inclinari. Fauet ratio: quia omnis potentia cognitiua, dicit realem propenſionem ad ſuum primarium obiectum, vt patet de viſu reſpectu coloris, & cuiuslibet coloris; ſed ens eſt obiectum adæquatum noſtri intellectus; ergò ad illud naturalitèr inclinatur; & ad quodlibet ens; ergò rectè dicebamus nos Intellectum noſtrum, naturalem capacitatem hàbere, & potentiam naturalem ſuſceptiuam ſupernaturalium. Min. probamus ex Scot. in 1. diſt. 3. q. 3. ſi ens non eſſet obiectum adæquatum ex natura potentiæ, tunc non poſſet intelligere omne ens, ſed ſolum illud, quod continetur ſub obiecto (quamuis enim pro ſtatu iſto obiectum motiuum ſit quidditas rei ſenſibilis) terminatiuum tamen eſt ens in quantum ens. Confirmo hoc idem: intellectus naturalitèr ſcire deſiderat ex premio metaphiſicè, ergò perfectiorem cognitionem, perfectiſſimè, & ſummè appetit: Perfectiſſima verò cognitio eſt illa ſupernaturalis de Deo Optimo Maximo; ergò iſtam maximè deſiderat intellectus. Item intellectus pro tanto tendit naturali propenſione in cognitionem obiecti; quia hæc eſt eius perfectio: at cognitio ſupernaturalis, eſt maxima perfectio intellectus; ergò maximè ad eam inclinatur. Item materia prima naturalitèr inclinatur ad formam, & quamlibet formam: ergò intellectus ad cognitionem, & quamcumq; cognitionem. Antecedens concedunt Philoſophi cuncti adhærẽtes Ariſtoteli dicenti, materiam appetere formam æquè, ac fœmina virum appetit. Adde, quòd neque materia naturalitèr ſine forma eſſe poteſt, ergò eam maximè appetit. Item, eſſe ſubſtantiale habet ex forma (licèt non habeat à forma eſſe proprium entitatiuum,) ergò ad formam eſt naturalitèr propenſa. Diſcurſus probatur: perficitur enim æquè intellectus cognitione, ſicut materia ſua forma.

Nec dicas cum Patre Errera primo tom. diſp. prima quæſt. 1. v. materiam naturaliter tendere ad formam in communi, eſſe verò in potentia neutra ad formam ſpecificam: eris quippè alienus à mente Scoti, & habens in contrarium rationes. De Scoto res eſt clara: nàm in primo diſt. 1. q. 1. in ſolutione vltimi argumenti; & 9. metaph. q. 4. in ſolutione ad quæſtionem, docet oppoſitum. Fauet etiam nobis ratio, & eſt quòd ex eo materia naturalitèr reſpicit formam; quia eſt eius perfectio; at maior eſt perfectio formæ ſpecificæ, quàm formæ genericæ, ergò ad illam magis, quàm ad hanc eſt propenſa, & inclinata. Concludo ergò: quòd in natura ſit naturalis capacitas, imò, & propenſio ad ſupernaturalia, & conſequentèr ſupernaturalitas non eſt deſumenda pœnes ordinem ad potentiam paſſiuam.

Secundum Argumentũ dàtur formæ ſupernaturales, quæ ſolũ poſſunt eſſe à principio ſupernaturali: at repugnat dari potentiam paſſiuam naturalem, in ordine ad actus, ſeu formas potentes habere eſſe a ſolo principio ſupernaturali; ergo dantur aliqua dona ſupernaturalia, ad quę ſuſcipienda, nõ datur in ſubiecto naturalis potentia. Minor Probatur: vt efficiens operetur ſupernaturaliter; oportet ipſum non agere iuxta exigentiam ſubiecti naturalis ſed vltra id quod natura ſubiecti expoſtulat.

Reſpondetur: quòd agere ſupernaturaliter, ſit agere ſupra vires actiuas naturæ non vero ſupra paſſiuas: quinimò, potentia paſſiua eſt indita à natura reſpectu cuiuſcumque perfectionis; hinc ſubtilis Doctor in 4 Diſt. 49. quæſt. 10: aſſerit Deum clarè viſum eſſe finem naturalem, quoad inclinationem, & propenſionem naturæ intellectualis; eſſe vero ſuper naturalem quantum ad aſſequutionem. Aſſumpta in iſto diſcurſu ſufficientèr ſuadent, quæ ex Scotico fonte desũpſimus, per ea, quæ ſunt dicta in ſolutione primi argumenti. Illis adde, quòd homo eſt particeps beatitudinis, quia eſt immago Dei: ſubinfero; ſed homo naturaliter habet imaginem Dei, ergo naturali

 turali

Digitized by Google

turali propenſione fertur in beatitudinem.

Dicens ex Molina in 1. part. S. Thomæ quæſt,12.Art.1. Diſ.2. quòd maior propoſitio eſt intelligenda de perfectione naturali; non vero ſupernaturali. Debilis iſte diſcurſus, quia beatitudo eſt perfectio naturalis hominis, ſi comparetur qua forma ad ſubiectum. Probo aſſumptum: ſubiectum non eſt in potentia neutra ad beatitudinem, nec in potentia violenta: cùm ſit noſtræ naturæ maxime conſentanea,& eiuſdem naturæ perfectiua; ergo natura noſtra cenſenda in potentia naturali reſpectu beatitudinis. Item homo naturaliter fertur in ſupremam beatitudinem; ergo natura noſtra nō minus reſpicit beatitudinem ſupernaturalem, ac naturalem. Pro antecedente eſt Phyloſophus 1. Eticorum docens; *bonum eſt quòd omnia naturaliter appetunt*, ſubinferō; ergo quò magis bonum,magis appetitur, at ſuprema beatitudo eſt maximū bonum: omnis ergo, ex maximè naturaliter appetitur. Fauet argumentum, 13.de Trinit.cap.3 docens: *bonum non poſſe nos non velle*: at id intelligi nequit de appetitù elicito, vt pote Voluntas eſt, libera eſt circa bonum libertate contradictionis, & ſi non libertate contrarietatis; hoc alijs Verbis dicitur; ſcilicèt eſſe liberam circa bonum, quo ad exercitium actus: non quoad ſpecificationem. Et Teſt. S. Auguſt. 1. Retractationum cap.9.& 22. *nihil eſt tàm in poteſtate Voluntatis quàm ipſa voluntas*, quod nō intelligitur, niſi quantum ad actum elicitū. Videatur Scotus in 1 Diſt.1. quæſt.4. contra primum Art. Concludo ergo; quòd ſi non poſſumus, non velle bonum, nec bonum, nec beatitudinem, hoc non eſt niſi propter inclinationem naturalem, quà ad ſupernaturalia tendimus.

Tertium Argumentum, nulla datur potentia naturalis paſſiua,cui non conreſpondeat aliqua potentia naturalis actiua, qua reducatur ad actum, vt docuit Ariſt. 3. de Anima cap. 5. probans, eo argumento, dari intellectum agentem,quia dabatur intellectus. paſſiuus. Item potentia naturalis non eſt admittenda reſpectū effectus impoſſibilis: Impoſſibilis vero eſt naturaliter effectus, vbi potentia naturalis actiua repugnari, ergo neganda eſt potentia paſſiua naturalis in ordine ad formas ſupernaturales.

Occurrimus negando Maiorem Propoſitionem: nàm in corpore organico, inuenitur potentia naturalis receptiua Animæ; & tamē in tota natura,nō datur virtus productiua Animę rationalis. Videatur Scotus q.1. Prologi; ergo reſtat quòd, & ſi, in natura non habeatur virtus actiua completa in ordine ad formas ſupernaturales: ſit tamen aſſerendum in natura eſſe propenſionem ad formam ſupernaturalem. Suadet etiam hoc; quòd vnumquodquè fertur naturaliter ad ſuam perfectionem; erga vbi habetur maioratio perfectionis ibi erit maior appetitus naturalis appetens: ſubinfero: at maxime ſaluatur ratio perfectionis in beatitudine ſupernaturali, ergo ad illam maximè eſt propenſa natura. Item finis Vltimus naturalis cuiuſcumquè rei, ille eſt cenſendus, quò obtento, res illa quieſcit, vt patet de lapide quieſcēte in cētro ad quod naturaliter fertur. Videatur Scotus in Primo diſt. 1. quæſt. 5. ſubinfero: ſed inclinatio appetendi Voluntatis noſtrę in ſolo Deo clarè viſo quieſcit (nam ſi cœtera obtineat, non conſequuto Deo, adhuc amplius deſiderat, vt experientia teſtatur; & clarè conſtat ex 1. & 2. cap. Eccleſiaſtes.) ergo inclinatio appetendi reſpicit Deum vt finem:ergo eſt finis noſter naturalis,quoad inclinationem. Videtur Auguſt.1.Confeſſionum cap.1. ita dicens; *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec perueniamus ad te.*

PROPOSITIO VI.

Proponuntur Argumenta ſuadentia ſupernaturalitatem deſumi pænes ordinem ad Deum Trinum; & ſoluuntur.

DEus, qua Trinus ad aures omnium Doctorum, non eſt congnoſcibilis viribus naturæ;cognoſci tamē poteſt opere naturæ vt Vnus; ergo, indicium clarum eſt Deum eſſe ſupernaturalem qua Trinus eſt, & non qua Vnus. Reſp.1. quòd Deus formaliter, nec qua Vnus, nec qua Trinus eſt ſupernaturalis; ſed tantum eminenter, & excellentia quadam vt oſtendam inferius. Do ergo gratis, Deum ex viribus naturæ non poſſe cognoſci qua Trinus, cum eum de-

Digitized by Google

demonſtrare non valeamus, nec à priori, nec à poſteriori per effectus, vt vidimus in Tratt. de Trinit. Moneo tamen, non benè deduci Argumentum ſupernaturalitatis, vel congnitionis ſupernaturalitatis ex eo quòd, res ſit naturaliter cognoſcibilis, vel non cognoſcibilis. Primò, quia in ſententia Scoti myſteria gratiæ in eſſe poſita.ſunt viribus naturæ cognoſcibilia ab intellectu ſeparato; & tamen ſunt ſupernaruralia. Secundò: ſecreta cordis in ſchola D. Th. neque ant naturaliter eſſe intuita, nullus tamen debet dicere illa eſſe ſuperneturalia In ſchola etiam Scoti; relatio Creationis paſſiuæ in Creatura, per nullam virtutem naturalem, valet naturaliter inſpici, cum tamen depenedntia illa ſit ens naturale: poſſe ergo cognoſci vel non poſſe cognoſci quid impertinens eſt, ad indagundam ſupernaturalitatem.

PROPOSITIO VII.

Proponuntur Argumenta pro ſententia defendente ſuperaturalitatē eſſe deſumendam ex connexione cum gratia ſanctificante, & ſoluuntur.

SI ſupernaturalitas non foret deſumenda pœnes connexionem cum gratia ſanctificante, id eſſet quia, vbi Euchariſticum eſt ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & tamen non dicit connexionem cum gratia ſanctificantæ, ſed Aſſumptum eſt falſum, ergo &c. Probo falſitatem: Vbi Encharisticum verè inuoluit connexionem cū grátia ſanctificante ergo. Probo: Præſentialitas Chriſti ordinatur ad conſtituendum Euchariſtiam qua continet in ſe fontem gratiæ; & Chriſti præſentia datur, vt per illā adſit corpus Chriſti ad conferandam gratiam dignè ſuſcipientibus tale ſacramentū; ergo talis preſentialitas dicit connexionē cum gratia ſanctificante.

Reſpondemus, diſcurſum iſtum eſſe ſpurium, & conſequenter nihil concludere, ratio eſt quia; & ſi de facto præſentia Chriſti eo habetur fine, vt inde reſultet ſacramentum, & conferatur gratia; tamen, hoc totum non eſt intriſeca imbibitum in præſentialitate Chriſti: vnde non repugnantia, dicimus, aſſerendo, potuiſſe Corpus Chriſti poni ſub ſpeciebus, non eo fine, qui intenditur de facto: quandoquidem potuiſſe poni ob alia motiua, hoc in caſu; præſentialitas Chriſti, non foret minus miraculoſa, quàm ſit de facto; ergo præſentialitas, non eſt propriè appellanda ſupernaturalis, ex eo capite, quòd dicat connexionem cū gratia. Adde, quòd poſſet Deus ponere corpus meum totum ſub tota hoſtia, & totum ſub qualibet parte, & tamen talis prçſentialitas cenſeretur miraculoſa, & ſupernaturalis in ſubſtantia, & ſi non diceret ordinem ad gratiam ſanctificantem.

PROPOSITIO VIII.

Proponuntur Argumenta pro ſententia volente ſupernaturalitatem conſiſtere in participatione Diuinæ naturæ Diuinorum attributorū &c. & ſoluuntur.

DIuina natura, eiuſquè Proprietates ſunt ſupernaturales; ergò ſupernaturalitas creata conſiſtit in participatione Diuinæ naturæ, & Diuinorum. Antecedens patet: nam ſupernaturale dicit maximam perfectionem; at omnis perfect io reperta in Creaturis, debet eſſe formaliter in Deo; ergò Deus, & de ſe ipſo dicta, ſunt cenſenda ſupernaturalia. Itèm gratia noſtra ſantificans, eſt ſupernaturalis in ſubſtantia; ergò, & natura Diuina. Conſeq; Probo: gratia ſantificans, eſt participatio Diuinæ naturæ, iuxta Axioma D. Petri, *Per gratiam efficimur conſortes Diuinæ naturæ*; ergò ſi gratia noſtra, eſt ſupernaturalis, quia eſt participatio Diuinæ naturæ; à fortiori, Diuina ipſa natura, cenſenda eſt ſupernaturalis. Hijs, ſimilibus Argumentis fiet ſatis infra agendo, de ſupernaturalitate Dei Verum Deus in ſe ſit ſupernaturalis in ſubſtantia.

PRO-

PROPOSITIO IX.

Proponuntur Argumenta pro ſententia docente ſupernaturalitatem ſtare, eo quod ſupernaturale ſuperet vires potentiæ creatæ intellectiuæ, & ſoluuntur.

PVtat hæc ſententia quòd ens ſupernaturale illud ſit. quod viribus naturæ nequit cognoſci.

Primum Argumen. quando modus eſſendi obiecti ſuperat modum eſſendi potẽtiæ cognoſcentis, etiam ſuperat modum cognoſcendi eiuſdem potentiæ; ſi quidem modus in potentia cognoſcendi, ſequitur modum eſſendi; & ſupernaturalia habent ſuperiorem modum eſſendi modo eſſendi potentiæ naturalis; ergò ſupernaturalia obtinent modum cognoſcendi ſuperiorem, modo intuendi naturæ; ergò concluditur quòd ſupernaturalia, quoad ſubſtantiam minimè cadant ſub cognoſcibilitate naturali potentiæ naturalis. Diſcurſus iſte, & ſi prima facie videatur habere aliquam apparentiam, ex eo principio quod res, *eo modo quo ſe habet ad eſſe, iſta ad cognoſci*; tamen (re bene cõſiderata,) nihil habet farinę. Ratio: quia modus eſſendi potentiæ, non eſt ita cenſendus adæquatus modo eſſendi obiecti; nam anima ſeparata eſt inferior Angelo, & tamen anima noſtra viribus ſuis intuetur Angelos. Item Angelus ſupremus excedit modum eſſendi Angeli inferioris, & his non obſtantibus poteſt Angelus inferior vidère intuitiuè Angelum ſuperiorem; hinc, & ſi ſopernaturalia obtineant modum eſſendi ſuperiorem modo potentiæ cognoſcẽtis, nil obſtabit illi potentię, quę ſua natiua energia inſpicere valeat ſupernaturalia. Addè quòd ſi veritatem aliquã in ſe clauderet fundamentalis horum Doctorum ratio, liceret nobis inferre intellectum non poſſe aliquam inſpicere ſubſtantiam. Aſſumptum ita ſuadeo: Intellectus (cùm in ſchola Angelici Doctoris ſit accidens) habet modum eſſendi inferiorem modo eſſendi ſubſtantiæ; ergò ſi ex perfectiori modo eſſendi obiecti ſupra modum eſſendi potentiæ; concluditur potentiam non valere attingere obiectum illud; euidentiam habet noſter diſcurſus.

Dices intellectum poſſe cognoſcere ſubſtantiam, quia, etſi ſubſtantia excedat, quantum ad ſuam perfectionem, intellectũ, tamèn iſta excedentia non eſt excedentia ſupra materiam vel ſupra potentialitatem; quo fit, cum Angelus ſuperet ſubſtantiam ſenſibilem quantũ ad materialitatem, non poterit anima ſenſitiua videre Angelum. Diſcurſus iſtè tanto ſtudio elaboratus, nil prorſus habet contra nos: In primis; non nocet quantum ad excedentiam in immaterialitate. Ratiò fauet: quia ſi ſupernaturalia ſunt ſupra materiam, etiam Angelus eſt extra materiam: excedentia quantũ ad potentialitatem, minimè nocet: quippè ſi Angeli agnoſcunt dependentiam in ſè, etiã ſupernaturalia ſunt dependentia. Addè dari aliquod ſupernaturale quoad ſubſtantiam, quod tamèn eſt materiale, ergò ſaltem hoc poterit cognoſci. Enucleatur iſta Veritas in vbi Euchariſtico (quod cum recipiatur in corpore proculdubio, cenſendũ quid materiale,) & tamen vbi, eſt ſupernaturale in ſubſtantia. Addè quòd vnio hypoſtatica recepta in natura humana, certè cenſenda materialis, & tamèn communi Voto dicitur ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam; ergò ruit fundamentum Aduerſariorum.

Secundum Argumentum dedit occaſionem Aduerſarijs, vt indè putarent ſe triũphare contra nos, ſed re vera nil lucri ex eo habent. Reſpondemus ergò, quòd cognoſcibilitas ſequitur entitatem hoc in ſenſu; quòd nimirum, res eſt intelligibilis, quia habet entitatem; non vero imitatur modum eſſendi, talitèr vt res ſupernaturalis, modo dumtaxat ſupernaturali cognoſci queat; quia aliàs foret dicendum, ens natu tale ſolum poſſet cognoſci naturaliter Addè quòd ſi valeret diſcurſus Aduerſariorum, concludere liceret Angelum non poſſe terminare cognitionem animæ; non ergò valebit anima cognoſcere Angelum; hoc non eſt dicendum; ergò concedendum poſſe viribus naturę cognoſci ſupernaturale finitum, & limitatum poſitum in eſſe, vt vt bene docet Scot. in 4. Diſt. 10. quæſt. 8. Moneo tamen; nos non habere ſermonem de intellectu coniuncto corpori; loquimur ergò de intellectu Angelico, & dè humano ſeparato à corpore.

Pro clariori totius rei intelligentia moneo,

Digitized by Google

neo, obiectum adæquatum intellectus ſeparati eſſe in duplici diſcrimine. Adæquatum vnum; proportinatum alterum. Primum, eſt, quòd talem adæquationem ſeruat cum potentia, vt in nihil exſtra illud tendere potentia poſſit, & nihil contineatur ſub illo in quod occupari nequeat potentia ſuis, vel alienis viribus; Proportionatum dico illud in quod poteſt potentia ſine eleuatione, vel alieno auxilio. Moneo etiam ex Scoto in 4. Diſt. 1. quæſt. 1. Triplicem rationem inueniri in obiecto ſcilicet motiui; menſuratiui; & terminatiui, quà motiuum phyſicè concurrit vt cum cauſa per ſe, vel per ſuam ſpeciem ad producendam ſui notitiam; vt terminatiuum, non cauſat, ſed terminat reſpectum attingentię vel tendentię potentię in ipſum. Differentiæ iſtæ ſunt claræ; patet in intellectù Diuino, cuius motiuum, eſt ſola eſſentia, vt benè Scotus in Prologo, & vbiquè, at terminatiuum, eſt etiam Creatura. Itèm motiuum dicit relationem realem ad intellectū in quem producit effectum; terminatiuum verò, tantùm dicit reſpectum rationis. Itē Moneo ex Scoto Quodl. 14. §. de Tertio, quòd ens abſolutum, finitum, & limitatum, eſt naturale obiectum intellectus ſeparati, ſeu coniuncti corpori glorioſo, ipſiquè proportionatum, ſiue id ſit naturale, ſiue ſupernaturale; hinc intellectus Angelicus, ſicut etiam intellectus humanus ſeparatus à corpore, ſiue exiſtens in corpore glorioſo, valet naturalitèr attingere omne ens finitū, & limitatum, abſolutum vel reſpectiuum, cuius terminus non eſt Deus.

Ex His Accipe hæc Documenta.

PRimum; Viribus naturæ, intuitiuè cognoſci poſſunt entia illa, quæ tantùm ſunt ſupernaturalia quoadmodum. Ratio eſt, quia non licet in dubium reuocare, Angelos fuiſſe nàturaliter intuitos, Lazarum reſuſcitatum, & viſum datum cæco, quæ omnia ſunt ſupernaturalia quo ad modum.

Secundum; viribus naturalibus, cognitione probabili, ſeù per coniecturam, non repugnat viribus naturæ eſſe cugnita entia ſupernaturalia quoad ſubſtantiam; Ratio: quia Angeli vidẽtes humanitatem Chriſti, potuerunt natiua energia viderè illam humanitatem carerè ſubſiſtentia creata, ſiuè propria, ſiuè aliena: ergò non repugnat, eos habuiſſe aliquod Dubium, vel aliquã ſuſpectionem, ſaltem paruam, quòd humanitas talis ſubſiſteret ſubſiſtentia increata; at vnio hypoſtatica, cum ſuperet omnẽ efficientiam creatam, eſt ens ſupernaturale in ſubſtantia; ergò Angelus naturaliter valuit congnorere coniecturalitèr per ſuſpectionem entia ſupernaturalia quoad ſubſtantiam.

Tertium, habitus ſupernaturalis Fidei, Spei, & Caritatis homini iuſto inhærentes, actus beatificos beatis inexiſtentis, poſſe intellectum Angelicum, & humanum ſeparatum iutuitiuè cognoſcere. Videatur Scotus in 4. Diſt. 10. quæſt. 8.

PROPOSITIO X.

Proponuntur Argumenta contra noſtram ſententiam, & ſoluuntur.

PRimum Argumentum, creatio Animæ excedit vires actiuas naturæ, & tamen animæ creatio non eſt ſupernaturalis; ergò ſupernaturalitas, non eſt deſumenda ex eo, quòd effectus expoſtulet cauſam agentem ſupra vires actiuas naturæ. Noſter Pater Faber. Diſp. 3. Prologi, & Diſp. 8. Cap. 2. non abborret concedere creationem animę eſſe ſupernaturalem, quoad ſubſtantiam, Error tamen, & contra veritatem, & contra Scotum, qui in 2. diſt. 1. quæſt. 2. §. contra 4. art. quod Deus infundens animam, eſt agens naturale; quippè agit communi cõcurſu naturæ, legite Scotum in 3. Diſt. 44. §. contra eſt, Verſ. contra quia, ibi enim aſſerit animam eſſe naturalem. Ad Argumentum ergò in ſe dico; quòd id ens, eſt ſupernaturale in ſubſtantia, quòd excedit vires actiuas, & phyſicè diſpoſitiuas naturæ; cum ergò, natura de ſua virtute diſpoſitionem Phyſicam; ad quam ſuſcipitur anima; fit clarum, quòd animæ creatio reſtet in ordine, naturalium.

Secundum Argumentum; Cœlum dicit habitudinem ad agens ſupernaturale; & tamen Cœlum non eſt ſupernaturale; ergò ſapernaturalitas minimè collocanda in habitudine ad agens ſupernaturale. Breuiter fit ſatis prępoſitę difficultati, negãdo quòd Cœ-

Digitized by Google

Cœlum reſpiciat Deum vt authorē ſupernaturalem, ſupernaturalitèr agentem.

Tertium argumentum. Licèt ſpecies abſtractiuè repræſentans Trinitatem, Angelis in via, producatur ab agente ſupernaturali agente ſupra totum ordinem cauſarum naturalium; tamen ſecundum Scotum in 2. diſt. 3. q. 9. §. Ad quæſt. talis ſpecies eſt aliquo modo naturalis; ergò ſupernaturalitas non habetur ex habitudine ad agēs ſupernaturale; Reſpondetur, quòd talis ſpecies dicatur à Scotó naturalis; non quia in ſubſtantia ſit verè naturalis; ſed tantùm dicitur naturalis, pro quanto non ſpectat ad ordinem gratiæ, & gloriæ. Videantur quæ notaui in propoſitionibus poſitis pro Scoti ſententia.

DIFFICVLTAS.

Vtrum Deus ſit ſubſtantia ſupernaturalis.

ARubal. diſp. 21. ex doctrina Dionſij, & Damaſceni (vt ait ille) aſſerit Deū intrinſecè, & formalitèr eſſe ens ſupernaturale in ſubſtantia. Alij recentiores credentes habere pro ſe D. Auguſt. Vgonem, Victorinum, & alios; affirmant Deum in ſe manere in linea entis naturalis: Veritatem docebunt; quæ ſubſequuntur propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

SI nomine agentis ſupernaturalis intelligatur, id quod in agendo, non agnoſcit dependendentiam à materia, quinimò poteſt agere, & agit independentèr ab illa, & conſequentèr ex nihilo; Deus iure merito, dicendus eſt author ſupernaturalis per oppoſitum; potentiæ animæ, vt ſunt eleuatæ per habitus ſupernaturales, hoc in ſenſu erunt compræhenſæ ſub Catalogo principiorum naturalium, ſemper enim agunt dependentèr à materia.

PROPOSITIO II.

SI nomine agentis ſupernaturalis id intelligi velimus, cui non correſpondet ſphæra determinata ad agendum; ſicut, nec etiam eſt determinata ſpecies, vel præfixū genus, quinimò valeat attingere omne producibile: Deus, omnium voto eſt appellandus author ſupernaturalis, per oppoſitum nullum agens creatum, cuiuſcūq; ſit ordinis, & dignitatis, erit dicendū agens ſupernaturale; omne quippè agens naturale eſt determinatum, & in ſpecie, & in genere.

PROPOSITIO III.

DEVS eſt dicendus extrinſecè, & efficientèr ſupernaturalis, quia Deus in nobis cuiuſcumq; ſupernaturalis; eſt efficiēs, vel totale, ſicut in habitibus, vel partiale ſicut in actibus ſupernaturalibus.

PROPOSITIO IV.

NVlli licet in dubium reuocare: Vtrū Deus ſit ſupernaturalis in genere cauſæ finalis. Patet, quia omnia noſtra ſupernaturalia in Deum authorem ſupernaturalium referuntur.

PROPOSITIO V.

DEVS in ſe ipſo gaudet ſupernaturalitate aliqua ſibi intrinſeca, priore omni effectu, vndè vltra ſupernaturalitatem extrinſecam deſumptam ab effectibus ſupernaturalibus, habet ſibi propriam, & intrinſecam. Ratio eſt: quia Deitas ſecundùm ſe, eſt talis perfectionis, & eminentiæ, vt non poſſit attingi operatione aliqua, ſeù attingentia aliqua, ita condigna, proportionata, & commenſurata, qualem in ſe expoſtulat Deitas: ergò talis Deitas de ſe, & antecedentèr ad omnem operationem creatam, importat aliquam ſupernaturalitatem intrinſecam ipſi.

PROPOSITIO VI.

DEVS in ſe ipſo non eſt ſupernaturalis ſupernaturalitate intrinſeca, & formali. Ratio à priori in doctrina Scoti eſt, quia ad aures ipſius ſupernaturalitas formalitèr dicit, vel ad minùs explicatur per reſpectum ad agens extrinſecum: at omnis talis reſpectus rapugnat Deo: ergò Deus non eſt formalitèr ſupernaturalis. Item pro tanto *Deus* foret ſupernaturalis; quia ad aures Doctorum docentium Deum

poſita

Digitized by Google

eſſe ſupernaturalem; ſupernaturalitas eſt poſita, & conſiſtit in ratione entis Diuini; Subinfero: at ſupernaturalitas non eſt poſita in ratione entis Diuini, ergò, &c. Aſſumptum probo: nam eſſe diuinum dicit, vel habere formalitèr in ſe naturam Diuinam, vel eſſe aliquid realitèr identificatum cum Deo, at ens ſupernaturaturale creatum, non habet in ſe formalitèr naturam Diuinam ea ratione, qua illam habent Perſonæ Diuinæ; nec identificatur realitèr, qua identitate identificantur Deitati attributa Dei: ergò ex nullo capite Deus eſt cōcludendus formalitèr in ſe, & intrinſecè ſupernaturalis. Adde quòd vulgaritèr, ens ſupernaturale, explicatur per relationem excedentiæ, & exuperantiæ ad ens naturale; at quicumque reſpectus Dei ad creaturas repugnat; ergò concludo, quòd nullo modo Deus ſit formalitèr, & intrinſecè ſupernaturalis; ſed ſolùm habeat ſupernaturalitatem excellentiæ, dignitatis, & ſublimitatis cauſalitatis actiuæ, pro quanto eſt potens attingere omne ens ſupernaturale, & nullum tale datur independentèr à Diuino influxu, ſeù à Deo authore ſupernaturali, ſuperaturalitèr agentè.

PROPOSITIO VII.

Proponuntur argumenta probantia Deum eſſe intrinſecè formalitèr ſupernaturalem, & ſoluuntur.

PRimum argumentum: noſtra gratia ſanctificans, eſt ens ſupernaturale in ſubſtantia: ergò & Diuina natura. Antecedens ſuppono. Conſequentiam probo: nam gratia noſtra, eſt participatio Diuinæ naturæ iuxta illud D. Petri: *maxima, & pretioſa nobis donauit, vt per hæc efficiamur Diuinæ conſortes naturæ*. Qui locus vulgaritèr accipitur, & intelligitur de gratia noſtra ſanctificante: ergò ſi per gratiam noſtrā efficimur conſortes, ſeù participes Diuinæ naturæ, concludendū, quòd Diuina natura formaliter, & intrinſecè ſit ſupernaturalis.

Reſpondetur gratiam noſtram ſanctificantem dici participationem Diuinæ naturæ; non quia formaliter, & intrinſecè participet Diuinam naturam, ſed ex quadam ſimilitudine reperta inter Diuinam naturam. Similitudo ſtat in hoc, quod ſicut Diuina natura eſt fons, radix, & origo perfectionum Diuinarum, v.g. viſionis, & fruitionis, quibus Deus redditur beatus; ita gratiā ſanctificans eſt fons, radix, & origo noſtrarum operationum ſupernaturaliſ, ſcilicet viſionis, & fruitionis, quibus reddimur formaliter beati.

Secundum argumentum, Deus debet conſtitui in nobiliſſimo ordine, & gradu entium, ſed gradus nobiliſſimus eſt ordo ſupernaturalis, ergo in illo ordine debet eſſe Deus, ergò Deus eſt formaliſſimè ſupernaturalis. Reſpondetur, quòd licet ordo ſupernaturalis, ſit ordo ſupremus, altæq; dignitatis; tamen habet adiunctam imperfectionem, quæ conſiſtit in eo, vt ſupernaturale dicat reſpectum dependentiæ ad agens extrinſecum.

Tertium argumentum: natura propria ſumpta, eſt ſubſtantia creata, vel creabilis cum accidentibus illi debitis: at Deus nec eſt ſubſtantia creata, nec creabilis, neque habet accidentia illi debita, ergò diuina natura non eſt collocanda in ordine entium naturalium: erit ergò in ſuperiori, ſcilicet ſupernaturalium. Reſpondetur, ens ſupernaturale propriè eſſe illud, quod ex ratione ſua ſpecifica, & intrinſeca expoſtulat produci ab authore ſupernaturali ſupernaturalitèr agente. Vel dicas cum authoribus nobis contrarijs, quòd ſupernaturalitas conſiſtit in relatione ſuperantiæ ad naturam; in quocumque autem horum duorum ſenſuum accipiatur ſupernaturalitas, in nullo poteſt reperiri in Deo. In primis nequit ſupernaturalitas admitti in Deo per relationem illam ſuperantiæ, & excellentiæ ad naturam creatam: quippè relatio ad creaturas repugnat Deo. In ſenſu etiam, quo explicatur ſupernaturalitas, nimirùm quòd dicat reſpectum ad genus extrinſecum; luce clarius ſcitur ſupernaturalitatem hoc in ſenſu repugnare Deo: Deo enim omnis ratio effectus repugnat: cum ſit ens à ſe.

Quartum argumentum: Deus eſt cauſa principalis totius ētis ſupernaturalis creabilis (quia connaturalitèr, & ſine eleuatione cauſat omnia entia ſupernaturalia) ergo Deus in ſe eſt ſubſtantia ſupernaturalis. Vrgetur difficultas; nam contra rationis entis ſupernaturalis eſt connaturalitèr cauſari ab aliquo, niſi il-

Digitized by Google

lud ſit etiam ſupernaturale. Reſpond. indè tantùm concludi, Deum eſſe ſupernaturalem eminentiſſimo modo, & ſupremo, & virtuali, pro quanto valet in omne ens ſupernaturale,ſuum preſtare influxum; non indè tamen ſequitur, quòd Deus ſit formaliſſimè ens ſupernaturale,&c. hac ratione, Sol producit ranam, & aurum in viſceribus terræ,cum tamen,Sol non ſit rana, nec ſit aurum; ſimilitèr Deus producit accidens, & corporeum, & ſpirituale; & tamen Deus non eſt formalitès accidens; ità in caſu noſtro diſcurrendum.

DISPVTATIO V.

De Inſufficientia liberi arbitrij ad actum Virtutis Pœnitentiæ eliciendum.

VTrum ad illam habendam ſingulare Dei auxilium requiratur, hoc opus, hic labor eſt. Veritatem docebunt quæ ſequuntur propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Docebit hæc propoſitio nonnulla documenta ad difficultatis ſolutionem, & diſputabit: Vtrum humanæ vires in ſtatu naturæ abſquè originali iuſtitia valtiores fuiſſent, quàm ſunt poſt deperditam originalem iuſtitiam.

STatus definitur à Scoto in 1. d. 3. q. 3. §. ſed reſtat vnum dubium, quòd ſit; Stabilis permanentia legibus Diuinæ Sapientiæ firmata. Retenta hac ſtatus definitione; triplex tantùm fuit naturæ humanæ ſtatus. Primus. Innocentiæ, in quo Protoparens Adam creatus fuit. Secundus: Peccati, & pœnalis, ad quem per peccatum optimi hominis humana natura deuenit. Tertius gloriæ,ſeù termini. Quartum poſſumus imaginari ſtatũ puręnaturę.

PROPOSITIO II.

Declaratur ſtatus innocentiæ.

STatus iſte ex communi Theologorum voto, eſt natura, quæ præter integritatem ex naturalibus perfectionibus debitis reſultantem, dicit aliam integritatem, ſcilicet perfectionem quandam, ſecundùm quam appetitus inferior perfectè rationali ſubijcitur, vt contra ſuperiorem non moueatur, nec præueniat rationem; ac proindè ſit carentia fomitis, & nimiæ concupiſcentiæ, vndecumque hic ſtatus prouenirer,ſiue ſolum ab extrinſeca Dei prouidentia, & quaſi protectione, ac manutenentia, ſiuè partim ab intrinſecis donis ſuperadditis, partim verò à Dei manutenentia. Hunc ſtatum eſſe poſſibilem, conſtat: quia illum habuit, & in illo conditus eſt Adam primus omnium parens, vt communis eſt Thèologorum omnium ſenſus,, & conſtat ex Patribus præſertim Auguſtino pluribus in locis, ac præcipuè 14. de Ciuitate,c. 10. & 17. & ſupponit Tridentinum ſeſſione quinta, dum definit concupiſcentiam, ac fomitem ex peccato eſſe, & ad peccatum inclinare: vndè ſine hac perfectione ſuperaddita, pura natura, explicata, admittit appetitum ſenſitiuum, ſua natura tendentem ad ſenſibilia,delectabilia, & trahẽtia ad peccatum, etiam cum præuentione rationis, & indeliberatione, ex quo conſtat, ſtatum innocentiæ, non eſſe connaturalem, vel debitum puræ naturæ conſideratæ præcisè ſecundùm phyſicas perfectiones illi debitas, neq; eſſe conditionem debitam naturę,vt malè ſenſit Michael Baius; ſed indebitam, & ratio eſt, quia ex intrinſeca natura ipſius hominis, & ex potentijs illi connaturalitèr debitis, oritur connaturalitèr

Digitized by Google

ralitèr contrarietas, & repugnantia inter appetitum ſenſitiuum, & rationalem: ergò tollere hanc repugnantiam in actu ſecundò, eſt præter rei naturam, & non illi conformem: fuit ergo officium originalis iuſtitiæ.

Originalem iuſtitiam in primis parentibus fuiſſe donum ſupernaturale à Deo infuſum per modum permanentis qualitatis naturæ additum, pulchrè declarat Scotus in d.29. q.vnica ſub, A, vt tamen omnis de medio tollatur æquiuocatio, moneo, quòd præter alias acceptiones, quibus ſumitur naturale, quantum ad noſtrum facit negotium, quatuor modis ſumitur. Primo pro omni èo, quod naturæ eſt conſentaneum, & quod habet inclinationem, aut propenſionem naturalem tanquàm ad perfectionem ſibi conuenientem: hinc habitus fidei, ſpei, & charitatis licet ſint in ſe ſupernaturalia dona, tamen dici valent naturalia, quatenus natura habet ad illa propenſionem, & naturalem inclinationem, tanquàm ad perfectiones ſibi conuenientes. Secundò ſumitur naturale pro principio contradiſtincto à principio gratuito, eleuante; ſcilicet hominem ſupra ordinem naturæ; hoc in ſenſu omne id appellari debet naturale, quòd nō eſt principium actus gratuiti, hac de cauſa Scotus in 2. d.3.q.9. ſpeciem impreſſam Diuinæ naturæ Angelis, & primis parentibus in eorum creatione infuſam, naturalem perfectionem dicit. Tertiò ſumitur pro quacunque forma à natiuitate habita. Tandem ſumitur pro quacunque parte naturæ, vel pro quacunq; re profluente à principijs naturalibus, aut pro illo, ad quod attingendum ſufficiunt vires naturæ. In præſenti ergo puncto minimè in dubium vocatur; an iuſtitia originalis ſit donū naturale in illis tribus prioribus acceptionibus: quippè tanquam certum volumus eſſe naturale ſecundùm illas acceptiones. Punctus ergò difficultatis ad hoc reſtringitur, nimirum; an ſit aliquid naturale in vltimo ſenſu, hoc eſt, an ſit aliqua pars naturæ, vel aliquid profluens à principijs naturalibus, an verò donum ſit ſupernaturale à Deo gratioſè infuſum. Hanc vltimam partem amplectimur, & ſuademus ipſam ratione: Nullum donum naturale poteſt reddere bonum ſpirituale, & ſupernaturale delectabilius voluntati vnitæ ſenſui, quàm præſtet bonum ſenſibile; ſed iuſtitia originalis reddit Deum, qui eſt bonum ſpirituale ſupernaturale delectabiliorem voluntati, quàm quodcunque bonum ſenſibile: ergò iuſtitia originalis collocanda in linea ſupernaturalium. Noſtrum hoc dictum impugnant quæ ſequuntur.

Primò: ſi iuſtitia originalis eſſet donum ſupernaturale, concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritum connumeranda foret inter proprietates naturę humanæ connaturales: hoc nemo dicet: ergò iuſtitia originalis minimè ſedem habet inter ſupernaturalia dona. Maior propoſitio, hac redditur clara ratione: quia dona ſupernaturalia dantur in ſupplementum defectus naturæ, vt patet de fide, ſpe, & charitate, & conſequentèr, quando inter dona ſupernaturalia connumeranda foret iuſtitia originalis, iſta daretur in ſupplementum naturæ; ſed defectus naturę ſunt proprietates conſequentes ipſam connaturalitèr: ergò ſi iuſtitia originalis eſſet donum ſupernaturale, concupiſcētia ad cuius refrenationem fuit collata, eſſet proprietas connaturalis naturæ humanæ, quòd nemo dicet. Confirmatur: Omnis proprietas connaturalis naturæ cōcreatur à Deo cum ipſa natura: ſed concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritum, non fuit à Deo cauſata, teſte D. Ioanne in Epiſtola 2. cap.2. aſſerente, non eſſe ex Patre, ſed ex mundo ortam: ergò minimè dicendum concupiſcentiam connumerari inter proprietates naturæ: non erit ergò iuſtitia originalis ſupernaturale donum.

Conceditur maior prioris ſyllogiſmi: Concupiſcentia enim carnis vtique fuit conditio naturæ humanæ, eique indeffectibilitèr inhærens ſecūdū partem inferiorem & ſenſitiuā: vndè negatur minor. Ad cuius probationem do maiorem, nego minorem. Ad auctoritatem Apoſtoli dico ipſum non intendere dicere concupiſcentiam in actu primo, & quatenus eſt aptitudo, ſeù poteſtas naturæ ad concupiſcendum, non eſſe à Deo, ſed ſolùm vult, quod illa in actu ſecundo, & quatenus actualitèr opponitur ſpiritui, appetendo effrenatè bonum delectabile, ſenſibile contra affectionem iuſtitiæ, ſic minimè ſit à Deo. ſed à peccato; cui veritati etiam nos libentèr damus votum. Replicabis: Nullus defectus

ctus naturæ eſt à Deo; ſed concupiſcentia prout eſt in actu primo, & quatenus eſt poteſtas appetitus ad concupiſcendum, eſt defectus naturæ: ergò concupiſcentia etiã in actu primo minimè eſt à Deo. Diſtinctione maioris propoſitionis ſoluimus difficultatem. Nullus defectus naturæ non exigitus ab ea intrinſecè, & non neceſſariò pro ſua conditione non expoſtulatus à natura, eſt à Deo, concedo maiorem. Deffectus exigitus ab ipſa natura pro ſua conditione, eſt à Deo,nego: Cum enim ex rebus creatis, aliæ ſint alijs imperfectiores, imperfectio illa,qua ſunt imperfectiores,eſt veluti proprietas earum connaturalitèr ab ipſis intrinſecè pullulans; Cum auté Deus quamlibet rem creauerit iuxta exigentiam talis rei, & cum omnibus illis conditionibus; & proprietatibus, quas pto ſua conditione petit ab intrinſeco;ſequitur creaſſe defectum exigitum ab ipſa natura rei:quia licet connumeretur inter deffectus, eſt tamen conueniens naturæ pro ſua conditione. Vndè concupiſcentia in actu primo,& vt eſt poteſtas naturæ ad concupiſcendum exigitur à natura humana ſecundùm parté interiorem, & ſenſitiuam, cùm ſecundùm hanc partem petat poſſe ferri in bonum delectabile, & ſibi conueniens. Adde poſſe dici, quòd concupiſcentia in actu primo non ſit abſolutè defectus, aut imperfectio, quinimò perfectio quoad partem ſenſitiuã; quippè concupiſcentia in actu primo aliud eſt nihil, quàm aptitudo aut poteſtas naturæ ad tenendum ſuum obiectum, & ita potius vocitãda perfectio, quàm imperfectio, aut defectus. Sit aliud argumentum: Concupiſcentia eſt pœna peccati: ergò nõ eſt proprietas, aut naturalis conditio naturæ humanæ. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: Concupiſcentia in actu ſecundo, & vt actualitèr, fortitèr, & acritèr pugnans contra ſpiritum;eſt pœna peccati concedo antecedens: concupiſcentia in actu primo nego antecedens; Concupiſcentia namque, vt eſt naturæ facultas,aut aptitudo ad concupiſcendum,per iuſtitiam originalem fuit impedita ne exiret in actũ ſecundum, ſeù reactualitèr arma ſumeret contra affectionem iuſtitiæ. Cum igitur iuſtitia originalis fuerit ablata in pœnam peccati, ſequitur, quòd concupiſcentia in actu ſecundo, ſeù, vt actualiter pugnans aduerſus ſpiritum, ſit pœna pèccati.

Aliud argumentum. Omne donum ſupernaturale conſtituit hominem extra ordinem naturæ, & in quodam eſſe ſupernaturali, vt patet de gratia, ſpe, & fide: at iuſtitia originalis minimè conſtituit hominem extra ordinem naturæ, aut in aliquo eſſe ſupernaturali: ergo originalis iuſtitia minimè collocanda in cathalogo ſupernaturalium. Conceſſa maiori, negatur minor: Etenim licet inſtitia originalis non conſtituat hominem intra ordinem gratiæ gratũ facientis: illum tamen conſtituit in quodam eſſe ſupernaturali; cum ipſa ſit forma ſupernaturalis. Aliud argumentum;Omne donum ſupernaturale infunditur à Deo, vt auctore gratiæ, ſed iuſtitia originalis non fuit à Deo infuſa,vt ab auctore gratiæ: ergo errant qui dicunt iuſtitiam originalem donum ſupernaturale. Reſpondetur diſtinguendo maiorem: omne donum ſupernaturale infunditur à Deo, vt auctore gratiæ ſtrictè, vel largo modo ſumpto; Concedo maiorem: omne donum ſupernaturale infunditur à Deo vt auctore gratiç ſtricto,& rigoroſo modo ſumpto,nego. Hinc non nocebit obſeruare, quòd ſicut gratia duplicitèr ſumitur: primò ſtrictè pro gratia gratum faciente: Secundò pro quocumque effectu gratis dato; ita auctor gratiæ poteſt capi duplicitèr: primò pro auctore gratiç gratum facientis; ſecundo modo pro auctore gratiæ ſcilicet effectus gratuiti. Ad rem noſtram; omne donum ſupernaturale infunditur à Deo, vt auctore gratiæ in aliquo ex dictis acceptionibus; non enim eſt neceſſarium, quòd omne donum ſupernaturale infundatur à Deo ſpecialitèr,vt auctore gratiæ gratum facientis.

Infunditur ergò iuſtitia originalis à Deo vt auctore gratiæ, ſumpto pro effectu gratis dato.

Huius magnificæ qualitatis, ſcilicèt iuſtitiæ originalis, vt videantur effectus; præmittendum eſt hominem conſtare ex duabus partibus diuerſæ rationis, nempè ex parte negatiua, & ex parte rationali: ratione prioris partis eſt propenſus in bonum ſenſibile conueniens appetitui ſenſitiuo: ratione poſterioris eſt propenſus ad bonũ ſpirituale; & habet appetitum liberum per voluntatem dirigibilem ad aſſecutionem illius à recto dictamine rationis; hinc

Digitized by Google

hinc in homine ſuam trahit originem quędam pugna, quòd ſcilicèt ſpiritus concupiſcat aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum: Etenim ſpiritus inclinat ad obiectum bonum ſpirituale; caro autem, ſeu pars ſenſitiua ad bonum ſenſibile ſibi conueniens. Ex hac pugna reſultat in homine facultas quædam agendi virtuosè, nempè retrahendi à bono ſenſibili, & amplectendi bonum ſpirituale: nam cum voluntas ſit coniuncta appetitui ſenſitiuo, ſic nata eſt illi condelectari in ſuo bono ſenſibili, vt applicata obiecto ſenſibili in quod fertur appetitus, difficilè ſeipſam ab eo retrahit, & ad bonum ſpirituale conuertit. Curiosè petes: Cur nempè Voluntas potius condelectetur appetitui ſenſitiuo in bono ſenſibili quàm appetitus ſenſitiuus voluntati in ſuo bono ſpirituali. Dicimus duplicem dari huius rei rationem: prima eſt, non ſolum bonum ſpirituale, ſed etiam bonum ſenſibile poteſt mouere voluntatem ſic, ſicut nō ſolum obiectum ſpirituale inſeſibile, ſed etiam obiectū ſenſibile, & corporeum poteſt mouere intellectum ad ſui cognitionē; at verò bonum ſpirituale minimè poteſt mouere appetitū ſenſitiuum: cum ſit extra ſpheram ſui obiecti adæquati: cum igitur obiectum appetitus ſenſitiui poſſit voluntatem mouere, & obiectum voluntatis nequeat mouere appetitum, voluntas potius condelectatur appetitui in ſuo bono ſenſibili, quàm appetitus voluntati in ſuo bono ſpirituali. Sit altera ratio: De bono ſpirituali in quod fertur voluntas, nequit eſſe niſi delectatio ſpiritualis; appetitus autem ſenſitiuus, cum ſit materialis, & corporeus, eſt incapax ſpiritualis delectationis; at voluntas poteſt ſpiritualiter condelectari in bono ſenſibili, & ideo potius voluntas condelectatur appetitui ſenſitiuo in ſuo bono ſenſibili, quàm appetitus voluntati in ſuo bono ſpirituali.

Effectus ergò adęquatus originalis iuſtitiæ, erat internum bellū, & pugnam partis ſenſitiuæ aduerſus rationem prohibere, & vt Scotus loco ſupra citato declarat, hunc effectum præſtabat, reddendo bonum ſpirituale delectabilius voluntati quocunquè bono ſenſibili conueniente appetitui, & conſequenter auertendo appetitum ſenſitiuum ab inordinata tendentia in ſuum bonum ſenſibile, vt ſic obedientiam præſtaret particulari ſuperiori; nā per hoc, quod volūtas firmiter adhæret bono ſpirituali, & in eo nimium delectatur, appetitus ſēſitiuus propter naturalem connexionem quam habet cum ipſa, à ſuo bono ſenſibili auertitur, ſicut manifeſtè patet de extaſi, in qua quia facultates ſpirituales pœnitus adhęret ſubiecto ſpirituali, & in eo plurimum delectātur, facultates corporeæ à ſuis operationibus ſuſpenduntur, propter naturalem connexionem, quam habent cum facultatibus ſpiritualibus; ſic ſi volūtas iuſtitia originali ſuffulta, firmitèr bono ſpirituali adhæret, in eoquè plurimum delectatur, appetitus ſenſitiuus ab inordinata tendentia in ſuum obiectum ſenſibile, auerteretur. Accedat ratio: Effectus iuſtitiæ originalis ille cenſendus, qui ponitur, poſita iuſtitia originali, & qui ea ablata, auſertur: ſed poſita originali iuſtitia ponitur ceſſatio pugnæ, & belli, inferioris partis, aduerſus ſuperiorem; quia quamdiu homo haberet iuſtitiā originalem non ſentiret huiuſmodi pugnā, & ea ablata ponitur pugna, & bellum inter partem ſuperiorem, & inferiorem: ergò effectus adæquatus originalis iuſtitiæ, eſt tale bellum, illamquè pugnam prohibere.

PROPOSITIO III.

Originalis iuſtitia diſtinguitur realiter à gratia Sanctificante.

PRobatur primò: Iuſtitia originalis ſanctificabat hominem in ordine ad Deū finem naturalem ideoquè dicitur donum naturæ vel data ad reformandos effectus naturales: ſed gratia gratum faciens rectificat in nobis, & in Adamo in ordine ad Deum finem ſupernaturalem: ergò gratia ſanctificās, & iuſtitia originalis diſtinguuntur realiter. Item per pœnitentiam recuperauit Adam gratiam gratum facientem; non tamen recuperauit iuſtitiam originalē: ergō ſunt habitus realiter diſtincti: quippè ad inuicem fuerunt ſeparatæ. Moneo tamē quòd iuſtitia originalis minimè fuit vnus habitus ſimplex, quinimò multiplex, ſubordinatione quadam id eſt includens multa dona ſubordinata. Suadetur hac ratione: Quæcunquè diſtinguuntur ſubiecto, & in plu-

Digitized by Google

pluribus realiter ſubiectis reperiuntur,ſunt plura diſtincta realiter,ſed ſic ſè habet iuſtitia originalis; quia reperitur in pluribus ſubiectis numero diuerſis: ergò eſt multiplex habitus. Minor probatur: In appetitu ſenſitiuo, iraſcibili, & concupiſcibili debuit dari habitus, vel donum, vt non contradiceret voluntati, quinimò illi obedientiam præſtaret cum facilitate, & decretatione: etenim ille Status innocentiæ erat maximæ tranquillitatis, & obedientiæ. Deinde in voluntate quæ eſt præcipua potentia etiam debuit dari donum, vt eſſet omnimodè ſubiecta Deo maxima cum obedientia, & gaudio. Præterea in intellectu ſine dubio fuerunt habitus infuſi, quibus poſſet intellectus cum perfectione, promptitudine, & ſine erroris periculo intelligere veritates;ſed omnia huiuſmodi dona, & habitus pertinebant ad iuſtitiam originalem:ergò &c. Non me latet poſſe aliquē dicere probabiliter, quòd ſolus habitus iuſtitiæ originalis exiſtens in anima,vel voluntate poſſet præſtare huiuſmodi effectus, ſcilicet conuertere appetitum ſenſitiuum ad Deum, & alia. Verum, niſi me meum fallat iudicium, tunc appetitus ſenſitiuus triſtaretur, vel eſſet affectus aliqua difficultate, cum auerteretur à ſua inclinatione naturali. Iure ergò merito melius eſt dicamus, in quolibet appetitu poni proprium donum confortans, & facilitans. Contra noſtrā reſpōſionem oppones primò, quòd in Concilio Tridentino ſeſſione quinta,canone primò,& ſecundò dicitur, quod Adā per peccatum amiſit iuſtitiam, & ſanctitatem: ſed ſola gratia gratum faciens eſt quæ facit homines iuſtos,& ſanctos: ergò ſignū eſt eſſe eundem habitum. Reſpondetur ſolum ſequi eſſe habitus inſeparabiles in Adam, vel quia fuerunt ſimul producti,vel quia vnus dicit ordinem intrinſecum ad alium; ſunt tamen diſtincti, propter diſtinctos effectus aſſignatos. Sit aliud argumētum: Iuſtitia originalis præſtabat tres rectitudines, ſcilicet rationis ad Deum, & virium inferiorum ad rationem, & per conſequens ad animam, quamuis ordine quodam.ſed gratia gratum faciens præſtat primam rectitudinem; per eam enim ratio ſubditur Deo: ergò ſignum eſt eſſe eundē habitum. Reſpondetur vt iam diximus iuſtitiam originalem diuerſo modo à gratia tribuere rectitudinem:quia iuſtitia origina- lis præſtabat rectitudinem in ordine ad Deum finem naturalem; gratia verò in ordine ad Deum finem ſupernaturalem: hinc merito dicimus eſſe habitus realiter diſtinctos. Scito etiam, quòd pueri tunc nati fuiſſent cum iuſtitia originali: dixit enim Deus Geneſis primò: creſcite, & multiplicamini, & dominamini piſcibus maris, & beſtijs terræ &c. ergò fuiſſent geniti tunc pueri domini, & rectores rerum om nium, beſtiarum, & animantium: ſed dominium eſt effectus iuſtitiæ originalis: ergo fuiſſent creati in iuſtitia originali: nunc autē, quia naſcimur filij iræ, beſtiæ ſunt nobis contrariæ, quæ in ſtatu innocentiæ ad præſentiam cuiuſlibet paruuli expaueſcent, & illum veluti dominum cognouiſſent. Naſcerentur etiam pueri cum gratia gratum faciēte: quia qualis Adam fuit,tales filios genuiſſet: etenim accepit dona Adam pro ſe, & ſuis filijs:ſed Adam fuit productus cum iuſtitia, & gratia: (vt ſuppono) ergò ſimiliter genuiſſet filios. Dices contra nos: ſi filij naſcerentur cum iuſtitia originali, & gratia: ergò iuſtitia. & gratia eſſent habitus naturales, quòd eſt falſum, vt vidimus ſupra; ergò dicendum eſt, non fuiſſe naſcituros cum iuſtitia, & gratia. Negatur ſequela: non enim ſunt naturales, quaſi ex principijs naturæ, vel transfuſi per virtutem ſeminis; ſed à Deo infuſi; largo tamen modo dici poſſunt naturales:quia à Deo infunderentur,cum primò paruulus haberet animam rationalem.

PROPOSITIO IV.

Declaratur ſtatus naturæ lapſæ ſeu peccati

STatus naturæ lapſæ, per ſe, ac præciſe dicit naturam cum omnibus intrinſecis perfectionibus connaturaliter debitis, & ſolum ſuperaddit lapſum ſiue peccatum quia peccatū per ſe neque deſtruit, neque minuit intrinſecas naturæ perfectiones,ſed ſolum per accidens impedire poteſt rectam operationem, vel producendo habitum inclinantem ad peccatum, vel ratione indignitatis, ac demeriti, quatenus reddit hominem indignum aliquo dono, ac beneficio quòd naturæ alioquin conferretur. Hic autem ſtatus eſſe poteſt cùm reſpectu natu-

Digitized by Google

naturæ puræ, quia ea peccare poteſt, tùm reſpectu naturæ integræ, nam hæc etiam in Adamo peccauit.

PROPOSITIO V.

Agitur de ſtatu puræ naturæ.

STatus iſte duo dicit, alterum poſitiuũ, alterum negatiuum: poſitiuum eſt natura ipſa rationalis cum omnibus perfectionibus naturaliter illi debitis tàm ſecundũ animam, quàm ſerundum corpus; ac proindè potentias omnes tàm rationales, quã ſenſitiuas cum omnibus alijs accidentibus connatnraliter debitis. Negatiunm eſt, vt nil habeat naturę ſuperadditum non ei debitum, ſiuè malum, ſine bonum, ac proinde dicit negationem gratiæ, & aliorum donorum, quæ naturæ minimè ſunt debita, & negationem peccati, & aliorum conſequentium formaliter ad peccatum, vt negationem reatus pœnæ, & ſimilium; cum peccatum non ſit naturæ debitum, ſed ſit potius naturæ defectus, & corruptio: In hoc vero ſtatu, licet natura rationalis creata non fuerit, cum de facto fuerit ordinata ad ſupernaturalem beatitudinem naturæ indebitam, & illi data fuerint media proportionata ad eam conſequendam, quę etiã naturæ indebita ſunt, potuit tamen ſimpliciter, & de abſoluta potentia creari in tali ſtatu: ratio eſt, quia ordinatio ad ſupernaturalem beatitudinem fuit mera Dei liberalitas gratis exhibita, & nulla ratione debita naturæ.

PROPOSITIO VI.

Vires humanæ quales erat in ſtatu innocẽtiæ, per peccatum imminutæ ſunt.

COnueniunt hac in parte Theologi cuncti, contradicitquè hæreſi Pelagij. Fauet nobis Chryſoſtomus homilia trigeſima ad populum Antiochenum, vbi habet hæc verba: ex peccatis duplicia ſunt mala, vnum quidem, quod offendimus; ſecundum vero, quòd peiores euadimus. Idem aſſerunt duo Concilia, Arauſicanum, & Tridentinum: In Arauſicano cap. primo dicitur: Si quis per offenſam præuaricationis Adæ non totum, id eſt ſecundum corpus, & animam in deterius dicit hominem commutatum &c. Pelagij errore deceptus aduerſatur ſcripturæ &c. In Tridentino ſeſſione quinta, canone primò ita legitur: Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei primum in Paradiſum fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & iuſtitiã in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe, &c. totumquè Adam per illam priuationis offenſam ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe, anathema ſit.

PROPOSITIO VII.

Vires humanæ per peccatum gratuitis ſpoliatæ fuerunt.

CItra vllam contrauerſiam à Catholicis contra Pelagium, & quoslibet negantes iuſtitiam originalem, recipitur noſtra Propoſitio. In fauorem noſtræ Propoſitionis ſatis ſit meminiſſe cõſtitutionis Pij quinti, & Gregorij tertij decimi definire quod iuſtitia originalis erat perfectio ſupernaturalis donum gratuitum, & excellentia ſuperaddita perfectioni naturali hominis; quemadmodum dicimus diuitias, & felicitates hominis ſani, facere ad tuendam valetudinem, & ad præſtantiorẽ benè viuendi rationem.

PROPOSITIO VIII.

Vires humanæ per peccatum quod naturalia vulneratæ ſunt.

PRobatur authoritate Ambroſij de Vocatione gentium libro 1. capit. 3. ita dicente: omnes homines in primo homine, ſine vitio conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ incolumitatem eiuſdem hominis præuaricatione perdidimus. Audiatur Cõcilium Tridentinum ſeſſione quinta, Canone vltimo; vbi cum dixiſſet tolli peccatũ per baptiſmum, & totum id quod veram, & propriè peccati rationem habet, ſubintulit: Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & ſentit, quæ cum ad agonem relicta

relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter pro Chriſto Ieſu gratiā repugnantibus non valet; quinimo qui legitimè certauerit, coronabitur: hanc concupiſcentiā, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatū nuncupari, quod vere, & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat; ſi quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.

PROPOSITIO IX.

Vires humanæ mentis, ſi fierent in puris naturalibus, perſpicaciores eſſent, quàm poſt peccatum.

QVod vires humanæ fuiſſent validiores ante peccatum, quàm nunc, etiā dempta iuſtitia originali docet D. Thomas 1. p. 85. q. 85. artic. 1. vbi cum, quæſiſſet: Vtrum peccatum diminuat bonum naturæ, ſic reſpondet affirmatiuè, & dicit: bonum naturæ humanæ poteſt tripliciter dici: primò, ipſa principia naturæ ex quibus ipſa natura conſtituitur, & proprietates ex his cauſatæ, ſicut potentiæ animæ, & alia huiuſmodi: ſecundo, quia homo à natura habet inclinationem ad virtutem, ipſa inclinatio ad virtutem, eſt quodam bonum naturæ: tertio modo dici poteſt bonū naturæ donum iuſtitiæ originalis, quod fuit in primò homine collatum toti naturę: primum igitur bonum naturę, nec tollitur, nec diminuitur per peccatum; tertium verò bonum naturæ, totaliter eſt oblatum per peccatum primi parentis, ſed medium bonum naturæ, ſcilicet ipſa inclinatio naturalis ad virtutem diminuitur per peccatum, per actus enim humanos fit quædam inclinatio ad ſimiles actus: oportet autē per hoc, quod aliquid inclinatur ad vnum contrariorum, diminuatur inclinatio eius ad illud; Vnde cum peccatum ſit contrarium virtuti ex hoc ipſo, quòd homo peccat, diminuitur bonum naturæ, quod eſt inclinatio ad virtutē &c Et articulo ſequenti confirmat eandem doctrinam. Ad cuius aures poteſt dici, quod vires humanæ ratione peccati diminuūtur per appoſitionem impedimenti. non per ſubtractionem radicis. Item S. Doctor in 2. d. 31. quæſt. 1. art. 1. inquirendo, an per baptiſmum tollatur peccatum originale, reſpondendo, ait: dicendum quod ex actu peccati duplex effectus in peccāte relinquitur, ſcilicet priuatio gratiæ, ex auerſione à fine, & diſpoſitio quædam ad ſimilem actum, quā actus peccati inducit &c. primùs effectus tollitur per baptiſmum, ſecundus non.

Scotum eſſe pro hac opinione, conſtabit inſpiciendo, quæ habet in 14. qu. quol. vbi quærit: Vtrum anima ſuæ naturali perfectioni relicta, poſſit cognoſcere Trinitatē perſonarum in Diuinis; in corpore quæſtionis diſtinguit triplicem ſtatū noſtrę naturæ ſcilicet ſtatum naturæ inſtitutæ, deſtitutæ, & reſtitutæ; & diſtinguit etiam de perfectione naturali; alia eſt enim, quam ex neceſſitate naturæ requirit, alia, quæ ad perfectionem naturalem ſupremam pertinet, de qua ſic ait: ad perfectionem naturalem ſupremam in ſolo tertio ſtatu attingit, in quo non tantum habebit ſupernaturalem perfectionem gloriæ; ſed etiam perfectionem ſupremā ipſius naturæ, & ſequitur: poſſet igitur intelligi quęſtio, vel de illa perfectione naturali, quę ſemper habetur, vel de iſta ſuprema, & tunc in primo intellectu bene propriè dicitur anima relicta &c. Iterum in 1. q. prol. dicens. In iſta quæſtione videtur eſſe controuerſia inter Philoſophos, & Theologos; tenent enim Philoſophi perfectionem naturæ, & negant perfectionem ſupernaturalem: Theologi vero cognoſcunt defectum naturæ, & neceſſitatem gratiæ, & perfectionum ſupernaturalium: diceret ergò Philoſophus, quod nulla eſt cognitio ſupernaturalis homini neceſſaria pro iſto ſtatu, ſed quod omnē notitiā ſibi neceſſariam poſſet acquirere ex actione cauſarum naturalium &c. Inutilis eſſet diſputatio cōtra Philoſophos, niſi concederetur à Theologis tanta perfectio naturæ, quanta eſt capax naturaliter, & hac data oſtenderent perfectionem ſupernaturalem adhuc deſiderari; quando etiam Scotus reſpondit argumento pro ipſis, quod homo habet naturalem potentialitatem ad omnem perfectionem, ideo deberet quoquè habere actiuitatem naturalem; quia omni potentiæ paſſiuæ naturali correſpondet actiua naturalis. Reſpondendo, dicit primò, quòd vera eſt de potentia

tia

Digitized by Google

tia paſſiua, vt comparatur ad actiuam, non autem, vt comparatur ad actum receptum. Secundò negat illam, quando ſcilicet natura propter ſuam excellentiam ordinatur naturalitèr ad recipiendam perfectionem, ita eminentem, quòd non poſſit ſubeſſe cauſalitati agentis naturalis; Homo naturaliter non inclinatur ad maiorem perfectionem, qnam aſſequatur pro ſtatu iſto? Quomodo igitur euacuaretur argumentum ipſorum, niſi ponendo maiorem perfectionem, quam poſſimus naturaliter aſſequi & oſtendendo adhuc ſupereſſe nobis maius poſſibile dari, ſed non per vires naturę ſolius poſſibile adipiſci? In ſecunda etiam diſtinctione primi, quæſtione ſecunda, oſtẽdens Deum eſſe infinitum ens, & quod conceptus entis infiniti ſit perfectior, qui de Deo poſſit haberi pro ſtatu iſto, & quod proprietatibus relatiuis entis infiniti, nempè eminentia cauſalitatis, efficientis, & finis, naturalitèr pro ſtatu iſto cognoſcitur. Et q. 3. eiuſdem diſtinctionis, quod vnitas Dei poſſit naturalitèr demonſtrari: conſequenter non oſtendit infirmitatem virium humanarum poſt peccatum excedere infirmitatem earumdem in puris naturalibus? Cur enim errauit tanta gentium multitudo in multitudine deorum? Cur cecidit, adeò præceps in idolatriam humana iufirmitas? Cur prudentiores indulſerunt rudioribus in hoc errore; quomodo errauit Ariſtoteles? Idem in 2. d.9.q.2. oſtendẽs, quod Angelus non poſſit immediatè, & vt cauſa totalis cauſare intellectionem in homine, imò nec ſpeciem aliquam intelligibilem, quia intellectus noſter eſt paſſiuum determinatum ad actiuum determinatum, ſcilicet ad phantaſmam, & ad intellectum agentem, &c. vnde autem hoc ſit, tactum eſt (inquit) d.3. primi, ſcilicet, ex ordine potentiarum, qui ordo non eſt merè ex natura hominis, vndè homo, quia tunc non eſſet alius ordo in beatitudine: vel igitur ex culpa, vel ex iſto ſtatu propter aliquid pertinens ad culpam, cuius cauſa quæratur. Et ſi examinęmus naturalia Angelorum, eoſdem in naturalibus vulneratos reperiemus in doctrina Scoti. De malis Angelis loquens Dyoniſius 4. de diuinis nominibus, inquit: Nec Angelica munera his tributa, aliquando permutata, ſed integra ſunt, pœnituſq; conſpicua; quo loco Marſilius Phicinus explicãdo ſcripſit: Sicut nocturnus aer tenebroſus, nõ quia, vel rem nouam ſubeat, vel naturam amittat ſuam; ſed quia deeſt ei Solis lumen, quod rem per ſe tenebroſam, efficit lucidam, ſic animus, & dæmon malus cognominatur, non propterea, quod vel naturale quidquam perdat, vel ſuſcipiat alienum, ſed quia deficit à beneficio Dei munere. Quod ergò vulnerati ſint in naturalibus, vndè patet apud Scotum in 2. d.9. q.1. quod non deberent ſibi occultare actuales intellectiones alterius Angeli, quæ tamen ſic occultanrur, vt poſſit Angelus loqui diſtanti, abſque hoc, quod audiatur ab altero, & vnus poſſit occultare ſuam intellectionem alteri, maximè Dæmoni. Et in 4. d. 10. q,8. in reſponſione ad tertium principale, inquit; Ad tertium principale de malis Angelis dico, quod ſi abſolutè permittatur quicumque Angelus malus vti ſua potentia cognitiua naturali poteſt intelligere quodcumque intelligibile cauſatum, & per conſequens poſſet intelligere cogitationem cordium, & myſteria gratiæ ex quo poſita ſunt in effectu; ſed ſicut dicit Magiſter lib.2.d.7. multa poſſunt ex natura ſua, quæ non permittuntur eis, & ita ſupponitur, quod non permittitur malo Angelo videre ſecretum cordis, & hoc modo, & non alio poſſet videre corpus Chriſti in Euchariſtia, &c. Si vulneratus eſt Angelus in naturalibus, mirum eſt, quod dicatur vulneratus homo? Angelus non amiſit naturalia vulnetatus tamen eſt, non mutilatus, ſic etiam homo. Item in 2. diſt.35. poſtquam probauit, quod peccatum ſit corruptio boni, quia eſt corruptio rectitudinis in actu ſecundo, quę deberet ei ineſſe, & non ineſt. Qui diſcurſus poteſt applicari ad propoſitum.

In 2.d.29. q. vnica non dicit Scotus abſolutè, quòd illa tranquillitas in anima fuerit effectus iuſtitiæ originalis, ſed loquitur conditionalitèr, vt patet legenti verba eius. Secundo loquitur ibi de perfecta tranquillitate; in puris naturalibus fuiſſet quidem aliqua tranquilitas propter inclinationem naturalem ad virtutem, ſed non perfecta tranquillitas.

3. Noſtræ propoſitioni dat etiam votum D. Bonauentura in 2. d.30. art.1.q. prima, vbi quærit: an corruptio humanæ naturæ

 inſit

Digitized by Google

inſit à ſui conditione: an ex peccati meritò. Reſpondet, quod non ex ſui conditione, ſed ex peccati merito: quia à ſumma æquitate, & iuſtitia, nulla procedit curuitas, vel obliquitas, ſed humana natura non ſolum corrupta eſt, corruptione pœnalitatis, verum etiam corruptione carnis, quæ eſt corruptio culpabilis, quia videmus homines in corruptione ſibi indita inclinari ad malum. Et q. 2. ibidem oſtendens, quod humana natura meritò primæ tranſgreſſionis fuerit pœnalitèr, & culpabilitèr corrupta, inter alias rationes, inquit: Erubeſcentia etiam rationis hoc manifeſtat; nullus enim rationabiliter erubeſcit de his paſſionibus, quas habet à natura, niſi inſit ei per aliquam culpam; ſed omnis homo naturalitèr erubeſcit ex genitalium membrorum motu: ergò, &c. Accedant rationes ſuadentes, quòd vires humanæ mentis ſi fierent in puris naturalibus; perſpicaciores eſſent quàm poſt peccatum; facillimè homo cecidit in idolatriam intantum, vt de populo hebræo perſæpè conquireretur Dominus, quod pronus eſſet àd ipſam, etiam poſt acceptam legem: ergo vires humanæ mentis infirmiores ſunt modo, quàm fuiſſent in puris naturalibus. Conſequentia probatur; vndè iſta facilitas; nonne à peccato? Certè ita. Confirmatur: Non eſſet etiam impium dicere humanam mentem ad idolatriam credendam, fuiſſe inclinatam à Deo? Fuiſſet quidem mens neſcia, & tanquam tabula nuda, & indiguiſſet, vt Ariſtoteles docet 2. Ethicorum cap. 1. tempore, & experientia; at fuiſſet etiam in appræhenſione veri perpicacior, quàm modo, poſteaquam homo perinuia, & deuia, duce peccato, delapſus eſt in ambages. Quis contradixit philoſophicæ illi aſſertioni: Omnes homines natura ſcire deſiderant? Si deſiderant poſt vitiatam naturam, nonne magis deſideraſſent incorrupta natura? Deſiderium verò ex natura proueniens, eſtnè ad impoſſibile? eſtnè fruſtra? hinc Chryſoſtomus hom. 4. in Ioannem, non naturæ, ſed peccato ignorantiam tribuens, ait: Sicut enim in tenebris, nec amicus, nec inimicus agnoſcitur, ſed omnia pœnitus ignorantur, itidem in peccato vſu venit. Quæ hanc impugnant propoſitionem accipe.

Primò, obedientia carnis ad ſpiritum non fuit in primo homine ſupernaturalis, & gratuita? ergò dempta iuſtitia originali vires humanæ æqualitèr fuiſſent infirmæ, ſicut modo, & eòuſque perueniſſent, quò nunc ex naturali temperantia peruenire poſſunt, non alterius. Vt reſpondeamus, moneo dari gradus in obedientia, & quòd plena obedientia carnis ad ſpiritum, ideſt ſine difficultate mentis regulantis, & ſine reluctantia carnis obedientis fuit gratuita; non tamen obedientia quædam inferior ad hanc, & ſuperior ad obedientiam præſentis ſtatus, ſicut enim in corporalibus, qui numquã laborauit ex pedibus robuſtior eſt ad ambulandum, quàm qui euaſit ab ægritudine; ita mens antequam erraſſet fuiſſet perſpicacior ad intelligendum, quàm poſt errores; & voluntas ante electionem mali promptior fuiſſet ad electionem boni. Sit aliud argumentum: Inordinati motus non fuiſſent in homine, niſi donum ſupernaturale habuiſſet? hos modo non experimur? ergò &c. Reſpondetur vt ſupra, quod non fuiſſet adeò vehementes, acriores autem ſunt poſt amiſſam gratiam, Tertium argumenrum: quis negabit tunc non futuram concupiſcentiam tranſcendentem limites rationis? Quis etiam negabit modo concupiſcentiam tranſcendere limites rationis, ſic, vt captiuari ſe ſentiat voluntas in lege peccati? Reſpondetur, quòd fuiſſet; tamen non ita diſtractus fuiſſet ſenſus, vt modo, à concupiſcentia abſtractus, & illectus.

Diſcurritur de diuerſitate concupiſcentiæ ex peccato procedente, & de ſe ipſa concepta in homine exiſtente in puris naturalibus.

MOneo hic, quod licèt cocupiſcentia, ex peccato procedens, ſit eadem numero cum ſe ipſa, concepta in homine exiſtente in puris naturalibus, phyſicè loquendo; multùm tamen diuerſa eſt ab eadem moralitèr loquendo; prior enim nullum dicit ordinem ad peccatum; poſterior verò dicit ordinem ad originale peccatum, vt ad propriam cauſam, & ex alio ordine acquirit, ſecundùm eſſe formale, moralem entitatem, quam ſuperaddit ſibi ipſi conceptæ in puris naturalibus; vndè ſit, vt prior

Digitized by Google

prior ex natura rei; poſterior verò aliundè reperiatur in homine.

Dices: per te concupiſcentia, vt ex peccato procedit, nil ſuperaddit ſibi conceptæ in puris naturalibus, niſi ordinem, & habitudinem ad originale peccatum: ergo per originale peccatum nihil noui ponetur in poſteris ab alio; quod eſt manifeſtè contra Trid. in præcitato loco, vbi determinat ex peccato derelinqui in poſteris ab alio concupiſcentiam, & fomitem, qui licèt non ſit formalitèr peccatum: tamen ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si Concilium intellexiſſet per concupiſcentiam, & fomitem, illam eandèm numero concupiſcentiam, quæ concipitur in puris naturalibus; vtique tunc nihil noui dixiſſet, & declaraſſet: quia concupiſcentia, etiam vt ex peccato nulla ratione diuerſificatur à ſe ipſa concepta in puris naturalibus; & tamen Concilium omninò intendit decernere; derelinqui in nobis ex peccato concupiſcentiam, & fomitem relictum ad agonem, & inclinantem ad peccatum, qui quatenùs talis ſit diuerſus à fomite, concepto in puris naturalibus.

Reſpondeo, & fateor, omninò ſubſtinendum eſſet de mente Concilij Trident. concupiſcentiam derelictam in nobis ex peccato, non ſolùm reſpectiuè, & moraliter, ſed etiam abſolutè, & phyſicè eſſe diuerſam à ſe ipſa, concepta in puris naturalibus, quod euidenter colligitur ex eodem Concilio ſeſſ. 6. cap. 1. vbi declarat, quod licèt liberum arbitrium non ſit per peccatum extinctum in homine; viribus tamen remanſit in ipſo attenuatum, & inclinatum; ſed euidentius ex eodem Concilio ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali can. 1. vbi decernit, & declarat, totum Adam per præuaricationis offenſam ſecundùm corpus, & animam in deterius commutatum fuiſſe: Si igitur remanſit in homine, & in ipſo Adamo per peccatū ipſius attenuatum, & inclinatum viribus, liberum eius arbitrium; imò verò totus Adam, & ſecundum corpus, & animam ibi indeterius: cur non ponetur non ſolum reſpectiuè, & moralitèr: ſed etiam abſolutè, & phyſicè diuerſa concupiſcentia in Adamo poſt peccatum, & in homine, in puris naturalibus conſtituto? Non enim ea, & tanta incurreret mala, homo conſtitutus in puris naturalibus. vel homo, qui prius habuerit originalem iuſtitiam, & quà poſteà, non per proprium demeritum, ſed ex beneplacito Dei priuaretur, in quæ, & quanta incurrit Adamus, ex vi ſuæ præuaricationis; quandoquidem nec homo conſtitutus in puris naturalibus, nec homo denudatus originali iuſtitia ex ſolo beneplacito diuino, diceretur verò priuari originali iuſtitia, & per conſequens, nec diceretur, vt ſic, vulnerari in naturalibus, & priuari gratuitis; at verò Adamus, poſt peccatum, fuit ità denudatus originali iuſtitia, vt illa denudatio propter eius demeritum contigerit illi; vndè factum eſt, vt remanſerit verè priuatus gratuitis, & paritèr vulneratus in naturalibus; & licèt, Scotus dicat in 2. d. 29. quæſt. vnica arguendo contra Henricum, & reſpondendo de mente propria ſub litera A, quod homo conſtitutus in puris naturalibus, eandem, ac modo peccator ſentiret, & experiretur rebellionem in potentiis ſuis; illud tamen non eſt intelligendum de omnimoda, & adæquata identitate: nam, vt alia pro nunc diuerſitatis capita ſubticeam, illud tamē aſſerere ſufficiat, quod homo in puris naturalibus conſtitutus, vel homo ex ſolo diuino beneplacito originali iuſtitia priuatus; non eo ignorantia morbo laborat, quo nunc naturalis filius Adæ laborat; & per conſequens longè rectiùs, & perfectiùs ille, quàm iſta greſſus ſuos ex proprijs naturalibus regere, ac dirigere potuiſſet, inferiores vires cohibendo, illaſque, rationis dominio ſubdendo, ac per conſequens, non eam, quàm naturalis filius Adæ ſentiret in potentijs ſuis rebellionem, & per conſequens non eam, quàm naturalis filius Adæ in ſe ipſo, imo aliam, longè diuerſam, experiretur concupiſcentiam.

Omnes conſequentiæ patent. Antecedens eſt D. Auguſt. 15. de Trinit. cap. vlt. vbi inquirens cauſam, cur pro ſtatu iſto nequeat intellectus videre lucem ipſam acie fixa; vel vt Scotus exponit in 1. diſt. 3. quæſt. 3. ſub litera G. & in 2. d. 3. q. 8. ſub litera I. inquirens cauſam cur intellectus noſter pro ſtatu iſto, nequeat immediatè, ſed ſolùm dependenter ex phantaſmatibus intelligere vniuerſalia, & ſinceras veritates, inquit loquens in ſe ipſa; quæ cauſa cùr ipſam lucem acie fixa videre non poſ-

Digitized by Google

ſis? niſi vtique infirmitas: & quæ cauſa infirmitatis, niſi iniquitas? &c. ex quibus verbis euidenter deducitur hominem conſtitutum in puris naturalibus, vel ex mero beneplacito diuino priuatum originali iuſtitia, poſſe acie fixa videre ipſam lucem, & cognoſcere ſinceras veritates, ſpeculatiuas, & practicas naturales; ad quam cognitionem concludit idem Scotus contra Henricum in 1. d.3. q.4. non requiri ſpecialem illuſtrationem, ſed ſufficere ſolum generalem influentiam: quia neuter ipſorum eam haberet ſubordinationem, & dependentiam, quam pro ſtatu iſto experimur cognoſcendo naturales veritates: quæ dependentia ortum ducit ex illa infirmitate, quam nobis adduxit. Imò verò ſine vlla dependentia, & cum omni libertate à phantaſmatibus, immediatè cognoſcere, & fixa, & neutiqnam palpitante, acie, lucem ipſam; hoc eſt ſinceras veritates agnoſceret. Alitèr non ſubſiſteret id. quod inquit Auguſtinus, infirmitatem illam in cognoſcendo, ex iniquitati Adami inductā eſſe in poſteros eius; & licèt in præcitatis locis videatur reuocare infirmitatem illam etiam ad ordinem, & concordiam potentiarum; inquit tamen, ordinem talem non competere potentijs, niſi pro ſtatu naturæ lapſæ.

Proponitur difficultas contra iſtam doctrinam.

HOmo exiſtens in puris naturalibus, vel alius ex mero beneplacito diuino priuatus originali iuſtitia, tandem aliquando peccaret: vt patet; ergò tunc eſſent æquales in concupiſcendo immoderatè cum naturali filio Adæ. Ad hoc breuitèr reſp. negando in primis antecedens, quia ſi probabilitèr ſubſtinetur poſſe hominem in ſtatu naturę lapſę ex naturalibus ſuis ſeruare omnia præcepta naturalia; quantò magis, id aſſerendum eſſe de homine conſtituto in puris naturalibus: ſi verum eſt id, quod ſupra de ipſo concluſum fuit ad mentem Auguſtini.

Reſp. deindè negando conſequentiam; nam dato, quod homo exiſtens in puris naturalibus, tandem aliquando peccaret; non tamen colligeretur indè æqualitas cōcupiſcentiæ in ipſo, & in naturali filio Adæ, tùm quia naturalis filius Adæ habet in inſtanti ſuæ conceptionis, quando contrahit originale peccatum cauſam ſuæ imbecillitatis in cognoſcendo, & homo exiſtens in puris naturalibus, nōniſi poſtquam perueneri ad annos diſcretionis, quando poſſet peccare actualitèr, & forſan poſt multum temporis ſpatium à puncto diſcretionis; quia poſſet, licèt non ſemper, ſaltem per aliquod tempus ſeruare ſe immunem ab omni præceptorum tranſgreſſione, tùm quia peccatum hominis exiſtentis in puris naturalibus, non includeret Theologicam, ſed ſolum moralem malitiam: quandoquidem non eſſet trangreſſio impoſitæ, ſed naturalis legis dumtaxat; & per conſequēs non incurreret incommoda, damna, & pœnas illas, quas per peccatum; quod fuit diuini præcepti trangreſſio, Adamum incurriſſe, declarat Conc. Triden. ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali can. 1. dicens, ipſum vltra ſanctitatem, & iuſtitiam amiſſam incurriſſe inſuper per offensam præuaricationis iram, & indignationem Dei mortem, captiuitatem ſub poteſtate Diaboli, ac tandem ſecundum ſe totum in deterius iuiſſe.

Nullam etiam incurreret ſub poteſtate Diaboli captiuitatem, quam ex tranſgreſſione impoſiti Diuini præcepti ad A damū incurriſſe declarat, decernitque Concilium in loco citato; hinc fit, vt homo exiſtens in puris naturalibus, omninò immùnis, & liber ſimul exiſteret ab vniuerſis Diaboli tentationibus, quibus non ſolum ſollicitari, ſed etiam impelli multoties conſueuit naturalis hominis pronitas, & concupiſcentia, quam habet ad appetendum immoderatè delectabilia. Imò inſuper, concupiſcentia in puris naturalibus, quia ex peccato non eſſet, non diceretur ad agonem relicta, quemadmodum in citato loco fatetur Concilium Trid. relinqui in poſteris Adami; nec etiam ad peccatum inclinaret ſub illis rationibus, quas intendit Concilium ibi: quia non inclinaret ad peccatum, vt ſollicitata Diabolicis tentationibus, & per conſequens remiſſiùs, nec inclinaret ad peccatum, quod eſſet inductiuum damnorum, quæ ſuperiùs can. 1. enumerat Concilium ibidem.

Nec demum homo exiſtens in puris natura-

tura-

Digitized by Google

turalibus diceretur, & ſecundum corpus, & animam in deterius commutari, ſaltem ſub ijs rationibus, ſub quibus ex præuaricatione ſua, Adamum commutatum fuiſſe fatetur Concilium vbi ſupra. Quantum ad animæ, vel potius quantum ad potentiarum eius deteriorationem patet; & primo reſpectu actuum naturalium: quia vt ſupra probatum ſit de mente Auguſtini hominem exiſtentem in puris naturalibus, non habere in cognoſcendo naturales veritates ſpeculatiuas, & practicas, dependentiam, & ſubordinationem illam ad phantaſmata, quam habet pro ſtatu iſto naturalis filius Adæ; ſole limpidius luceſcit, longè perfectiorem, & ſublimiorem eſſe ſtatum, & vſum potentiarum animæ hominis exiſtentis in puritate naturæ, quàm hominis exiſtentis in ſtatu deſtitutæ naturæ; & conſequenter eſſe longè remiſſiorem facultatem, & vſum concupiſcentiæ hominis illius, quàm hominis iſtius; eò, vel maximè quia pronitas appetitus intellectus, non haberet cum illo; ſicut in iſto, coniunctionem, & connexionem illam cum appetitu ſenſitiuo, quàm peccatum induxit; non haberet tunc, vndè intellectiuus appetitus natus eſſet condelectari appetitui ſenſitiuo, ſicut natus eſt condelectari ſibi pro ſtatu iſto, vt plnribus in locis fatetur Scotus; ac per conſequens non ſentiret, nec quaſi neceſſariò pateretur tot ſtimulationes ad actus inordinatos, quot ex vi prædictæ connexionis, & colligantiæ cum appetitu ſenſitiuo ſenſit, & patitur pro ſtatu iſto, & per conſequens pronitas eius ad concupiſcendum immoderatè delectabilia, non eſſet ita frequens, nec etiam ita vehemens, ſicut in modo eſt, vel concurrente ſenſitiuo appetitu.

Reſpectu verò actuum ſupernaturalium; puto, quòd non rectè poſſunt ad inuicem comparari: quia cum homo exiſtens in puris naturalibus ex vi proprij ſtatus, nullum diceret ordinem, & habitudinem ad actus ſupernaturales, nullum etiam ſupernaturale tribueretur ſibi auxilium ad illorum productionem, & per conſequens, ex vi proprij ſtatus, eſſet ſimpliciter impotens ad attingendum ſupernaturalium actuum productionem, & per conſequens licèt eſſet omni ſupernaturali auxilio deſtitutus, non tamen diceretur quantum ad hoc commutatus in deterius: quia nec vmquam fuiſſet, nec, ſuppoſito quòd producendus eſſet in puris naturalibus ſuis, potuiſſet eſſe in alio ſtatu, à cuius perfectione diceretur feciſſe tranſitum in defectum, & prauitatem alterius, ſicut contingit Adamo, & poſteris eius; & licèt poſteri non tranſeant, quemadmodum tranſiuit Adamus ex ſtatu inſtitutæ in ſtatum deſtitutæ naturæ, adhuc poteſt etiam de ipſis propriè verificari, non tranſitus, qui re ipſa fiat; ſed tranſitus, qui præuenit ex peccato, quod ſecum in vtero materno deducunt.

Hinc fit, quod licet de nobis optimè verificetur id, quod ſeſſ. 6. cap. 1. decernit Concilium Trid. hominis videlicet arbitrium eſſe ex vi peccati viribus attenuatum, & inclinatum, quod intelligendum eſt, non ſolum de viribus ſupernaturalibus, & præcipuè de dono originalis iuſtitiæ, ſed etiam de viribus ſupernaturalibus, ſicut ſupra probauimus, & euidenter poſtea; nulla tamen ratione poſſet illud verificari de homine conſtituto in puris naturalibus; quia, cum ex vi proprij ſtatus, nullum diceret ordinem ad actus, & auxilia ſupernaturalia, non propriè dici poſſet attenuatus, & diminutus, ſeù inclinatus, quantum ad ſupernaturales vires, niſi accipiendo diminutionem, vt coincidit cum ſimplici negatione.

Demonſtratur quomodo naturalis filius Adæ, eſſet longè deterior, quantum ad potentias corporales homine conſtituto in puris naturalibus.

EGO puto [hominem conſtitutum in puris naturalibus non fore ſubijciendum omnibus ijs incommodis, & afflictionibus, quas pro ſtatu iſto patitur, ac ſubſtinet in corpore ſuo naturalis filius Adæ. Ratio eſt: quia omnia incommoda, & cuncta pœnalia fuerunt inflicta Adamo, & poſteris eius propter Diuini præcepti tranſgreſſionem, & propter idem commiſſum peccatum, fuit etiam eiectus de Paradiſo terreſtri, vt euidenter patet Gen. 3. Vndè non obſcurè colligitur, quod ſi produceretur homo in puris naturalibus, non deberet habere communem cum poſteris Adami Vallem hanc lacrymarum, in quam

fuerunt

fuerunt eiecti proptèr primi parentis peccatum: quia enim ratione deberentur homini conſtituto in puris naturalibus pœnè præſentis ſtatus, ſi nullo modo haberet in ſe culpam illam, cuius intuitu, & motiuo, huic lacrymarum Valli mancipauit Deus Adamum,& poſteros eius? omninò dicendum igitur, quod homini conſtituto in puris naturalibus, alius diuerſus competeret ſtatus, ab eo in quo nunc collocantur deſcendentes ab Adamo; quod ſi verum eſſet, ſicut probatum eſt; tunc conſequenter aſſerendum foret, corpus hominis conſtituti in puris naturalibus, nôn futurum obnoxium tot violentis paſſionibus, quot nunc ſubduntur corpora poſterorum Adami; & per conſequens; longe perfeſtiores eſsent in illo corporales potentiæ, & vſus ipſarum, quam eſſent in iſtis; quia non remitterêtur, & impedirentur ſicut nunc. ex violentia extrinſecarum paſſionum; quò fit, vt poſteri Adami, veluti graui violentarum paſſionum frequentia, non poſſint nunc ita expeditè, ſicut poſſet conſtitutus in puris naturalibus, vti corporalibus potentijs,& retrahere illas à proprijs delectabilibus. Imò hinc deducitur inſuper, quod etiam ſi conſtitutus in puris naturalibus haberet rationales potentias connexas, & ſubordinatas in operando potentijs ſenſitiuis, ſicut habent eas poſteri Adæ: adhuc habere illas expeditiores, & validiores in operando, quàm habeant eas poſteri Adę; & ratio eſt: quia cum anima rationalis in illo, & iſtis penderet in operando à potentijs ſenſitiuis, eò eſſet in operationibus intellectiuis expeditior, & validior in illo, quàm in iſtis; quò ſenſitiuæ potentiæ eſſent perfectiores, & expeditiores in illo, quàm in iſtis: ſed ita eſſet de facto, ergò &c.

Confirmatur, quòd huomini conſtituto in puris naturalibus diuerſus competeret ſtatus ab eo, qui nunc de facto datus eſt poſteris Adæ: quia data hypoteſi, quòd Deus ex beneplacito ſuo nullo præcedente demerito priuaſſet Adamum originali iuſtitia; licèt tunc, non fuiſſet Adamus in eo innocenriæ, & perfectionis ſtatù, in quo extitiſſet antecedenter ad oblationem originalis iuſtitiæ; non tamen debuiſſet ex vi eiuſdem ablationis, gratis inflictæ, expelli de Paradiſo Terreſtri, & per conſequens nec ſubijci incommodis, & paſſionibus, quibus ſubditus fuit ex ui ſuæ præuaricationis poſt eiectionem ex Paradiſo Terreſti; ergò à ſimili, cum nulla præexiſtens culpa in homine conſtituto in puris naturalibus; quantumuis denundatus eſſet originali iuſtitia;alius ſibi deberet cõpetere ſtatus ad illo, qui nunc ex peccato Adami competit poſteris eius.

Etſi dicas, qualis poſſet ſibi competere ſtatus, ſi nec ſtatus naturæ deſtitutæ, nec inſtitutæ naturæ ſibi congrueret? Ad hoc Reſpondendum eſt; debere ſibi congruere ſtatum medium inter ſtatum inſtitutæ, & deſtitutæ naturæ, ſicut mediam habe ret exiſtentiã inter exiſtẽtiã hominis innocẽtis, & hominis lapſi. Quis tamen,& qualis eſſet ille medius ſtatus, Deus nouit, qui nouit etiã quis,& qualis eſſet homo producẽdus in puris naturalibus. Nos verò cogimur admittere, & fateri,id, quod ratio euidenter, vel ſaltem probabiliter conuincit.

DIFFICVLTAS.

Quæ, & qualis interceſſiſſet differentia quantum ad eorum impeccabilitatem inter homines, ante, & poſt illorum confirmationẽ in iuſtitia, & ſanctitate.

Dicendum eſt, quod ante confirmationem non fuiſſent impeccabiles, nec impeccabilitate, excludente mortale: quia de facto primi parentes peccauerunt mortaliter, nec impeccabilitate excludentẽ veniale. quia vt probat Scotus in 2.d.21.q.1. perfectioni ſtatus innocentiæ, non fuiſſet incompoſibilis culpa venielis. Poſt verò confirmationem fuiſſent impeccabiles impeccabilitate excludente mortale. An autem excludente etiam veniale, dubium eſt in ſententia Scoti. Ratio dubitandi eſt: quia Scotus, mouens dictam quæſtionem, videtur reſtringere illam ad tempus ante confirmationem; mouet enim eam ſic: *an videlicet peccatum hominis primum in ſtatu innocentiæ,potuit fuiſſe veniale &c.* Loquens igitur de primo peccato Adami, non poteſt loqui, niſi de peccato ante confirmationem: quia loquens de ipſius peccato,vt primo, non loquitur de illo abſolutè; ergo loqui-

Digitized by Google

loquitur de illo, vt reſtricto ad aliquam determinatam temporis differentiam, quæ nequit eſſe illa, quæ ſubſequitur confirmationem: quia primum Adami peccatum, quatenus primum, neceſſariò debuiſſet contingere ante confirmationem, quando ea tentatione probandus erat, vt ſi tentationi occurrenti reſtitiſſet, fuiſſet confirmatus; quòd minimè contigiſſet, ſi tentationi ſuccubuiſſet.

Contra tamen eſt; quia rationes, quibus vbi ſupra Scotus probat, ſtatum innocentiæ non extitiſſe tantæ perfectionis, vt excludere debuerit etiam veniale, id manifeſtè probant de ſtatu innocentiæ etiam ſi ſubſequuta fuiſſet primorum parentuum confirmatio in ſanctitate, & iuſtitia; quia etiã ſi confirmati fuiſſent in eo; ſtatus ille fuiſſet poſt factam confirmationem ſtatus viatorum; ergo numquam pertingens ad eam impeccabilitatis perfectionem, quàm ſecum claudit ſtatus comprçhænſorum, qui ex vi perfectionis illius ſtatus tenentur operari ſemper meliora, & optima; Inde omninò dicendum eſt, quòd non tanta extitiſſet tranquillitas in omnibus viribus inferioribus, & ſuperioribus illorum, qui extitiſſent in ſtatù innocentiæ, etiam poſt illorum confirmationem in gratia; quanta exiſtit in viribus ſuperioribus, & inferioribus comprçhænſorum; ergo non tanta impeccabilitas.

Confirmatur hoc; quia ex eo, quòd beati vident Deum ſicuti eſt facie ad faciem, habent per conſequens obiectum, non in aliena, ſed in ſua propria naturali exiſtentia præſens, quod omnem defectum bonitatis excludit, & quod includit omnem poſſibilem, & imaginabilem rationem bonitatis; ergo non habet voluntas, vnde ferri poſſit in illud aliter, quàm ſit in ſe ipſo; ergo nõ habet ex hoc capite, vndè deficere poſſit à rectitudine, tendendo videlicet in illud ſecundum aliquam rationem, ſeù circumſtantiam, quæ ſit oppoſita rationibus, & circumſtantijs ex natura rei repertis, & exiſtentibus in ipſo obiecto. Claram hanc Dei viſionem nõ habuiſſent extituri in ſtatù innocentia (alias non fuiſſent Viatores, ſed comprçhenſores) ergò non vidiſſent Deum præſentem in ſua propria naturali exiſtentia; ergò non vt excludentem omnẽ boni defectum, & vt iucludentem omnem boni rationem, & veritatem; ergo potuiſſent apprçhændere illum ſub aliqua ratione, & circumſtantia, oppoſita rationibus, & circumſtantijs, quas re ipſa ſecum includit; ergo ex hoc capite, ideſt, quantum ad modum tendendi in Deum, potuiſſent deficere à rectitudine, eidem tendendi modo debita.

Dices: extituri in ſtatù innocentiæ, diſtinctè vidiſſent Deum ſicuti eſt in ſe ipſo; ergo vidiſſent illum. vt excludentem omnem defectum boni, & vt includentem omnem boni rationem, & veritatem; ergo noo ſub aliqua ratione, & circumſtatia, oppoſita rationibus, & circumſtantijs, ex natura rei repertis in ipſo; ergo non habuiſſent vnde ex hoc capite, ideſt vnde deficere potuiſſent à rectitudine debita ipſorum tendentiæ in Deum. Omnes conſequentiæ patent ex terminis ipſis. Antecedens probatur: extituris in ſtatù innocentiæ, præſtita fuiſſet ſpecies, diſtinſte repreſentantes eſſentiam diuinam; ergo vidiſſent Deum ſicuti eſt in ſe ipſo. Conſequentia patet. Antecedens etiam patet: quia præſtita fuit Angelis viatoribus exiſtentibus in ſuo innocentiæ ſtatu; ergo etiã ex hominibus extituris in ſtatu innocentię. Antecedens eſt Scoti. Conſequentia patet ex eo, quod nulla poterit vnquam aſſignari ratio diſparitatis, cur potius Angelis, quàm hominibus præſtari debuerit, ſi vtrique à Deo recti creati ſunt.

Dices, quod quantumuis extituti in ſtatù innocentiæ habuiſſent ſpeciem, diſtinctè repræſentantem eſſentiam diuinam, & virtute illius perconſequens vidiſſent Deum ſicuti eſt; non tamen per hoc habuiſſent Deum ſibi præſentem in ſua propria naturali exiſtentia, ſed in aliena, nempè ſpeciei: ergo cognitio, quam habuiſſent de Deo per ſpeciem illam, fuiſſet abſtractiua, non autem intuitiua; ergo quantum cumque virtute illius vidiſſent Deum ſecundũ omnes rationes, & circumſtantias incluſas in ipſo; & per conſequens, ſub nulla illis oppoſita; vnde factum fuiſſet; vt ex iſto capite non potuiſſent deficere à rectitudine debito, modo, ſecundum quem tendendũ erat eis in Deum; poterant nihilhominus deficere ab illa ex ea parte, qua notitia abſtractiua, deficiens eſt ab intuitiua in reprçſentando obiectum; & quamuis dicta ſpecies

cies eſſentiæ diuinæ diſtinctè repreſentabat illam; & non minus ex parte obiecti; quam repreſentat ipſum notitia intuitiua; cum intellectus non minus percipiat de obiecto per notitiam abſtractiuam, quàm per notitiam intuitiuam, ſi ſpecies eius diſtinctè, & ſecundum omnem eius rationem repreſentet illud; quia tamen notitia obiecti habita per ſpeciem obiecti, etiam ſi ſpecies deſumpta ſit ab ipſo obiecto, nimis deficit à perfectione intuitiuæ notitiæ, quæ non ab intentionali repreſentatiuo; ſed à reali, & propria eiuſdem obiecti entitate dependet, non repreſentat illud ſecundum eam repreſentationis perfectionem, ſecundum quam repreſentat ipſum notitia intuitiua, cuius exceſſus ſupra notitiam abſtractiuam, & defectus notitiæ abſtractiuæ ſub intuitiua in repræſentando obiectum, non aliunde, nec ex alio capite attendendus eſt, niſi ex eo quod intuitiua eſt ex præſentia obiecti in ſua reali, & propria exiſtentia; abſtractiua verò in intentionali, & aliena. Vndè ſumitur ratio à priori, cur intuitiua, & abſtractiua, ſint omninò alterius rationis.

Diuerſitas iſta repreſentandi obiectum, nedum contingit in notitijs, quæ alterius, ſed in illis etiam quæ eiuſdem rationis, & generis ſunt; in notitijs videlicet intuitiuis, vel etiam abſtractiuis: nam: ſit coloratum aliquod viſibile, vt octo, quod videatur ab Aquila, & ab alio Animali; eo tamen hincindè intercedente diſſidio; vt Aquila videat illud, *vt octo*, aliud verò animal, *vt quatuor*: tunc quantumuis vtraque viſio ſit intuitiua, vt ea, quæ eſt alterius animalis ab Aquila, ſit repræſentatiua obiecti ſecundum omnes & ſingulas illas rationes viſibilitatis ipſius, ſecundum quas repræſentatiua eſt illius viſio etiam Aquilæ; ſemper nihilhominus viſio alterius animalis ab Aquila, dicenda eſſet deficere ab ea perfectione in repreſentando obiectum, qua repręſentaret illud viſio Aquilæ: viſio enim Aquilæ attingeret obiectum totum, & totaliter; altera verò viſio totum; ſed non totaliter.

Ex alio etiam capite notitia, quam extituri in ſtatu innocentię habuiſſent de Deo per ſpeciem, diſtinctiſſime alias repræſentantem, ex eo videlicet, quod nullum pœnitus obiectum, nec Deus quidem ipſe, clarè viſus, facultatem habet, quatenus obiectum eſt, determinandi, & immobilitandi ad alteram partem voluntatem creatam; quæ inquit Scotus, ea potitur, & gaudet libertate, vt, ſibipſi dimiſſa, facultatem habeat ſuſpendēdi actū volendi Deū, clarè viſum: quantumuis enim voluntas creata determinatiſſima ſit ad ſpecificationem actus volendi Deum clarè viſum; omninò nihilhominus indeterminata eſt ad exercitium eiuſdem actus; vt propterea præſentato ſibi tali obiecto, excludente, videlicet omnem bonitatis defectum, & includente omnem perfectionis rationem; adhuc ex innata libertate, ſi ſibi diminuatur, facultatem habet abſtinendi ſe à productione actus volendi ipſam. Verum ſicut ex infinite perfectionis obiecti determinatiſſima eſt ad ſpecificationem actus volendi illud; ita etiam ex eadem infinita obiecta perfectione limitiſſima eſt ad negationem actus volendi ipſam.

In ſententia igitur Scoti, voluntas comprehænſorum, non ſimpliciter, & abſolutè determinatur ad bonum, & immobilitatur in eo ex ſola ſibi præſentia obiecti beatifici in ſua propria, & naturali exiſtentia; nec per conſequens redditur ſimpliciter, & abſolutè impeccabilis ex vi dictæ ſolius præſentię Dei clarè viſi; licèt enim, ſibi dimiſſa, non habeat, vndè poſitiuè deordinari poſſet ex ea circa ipſum clarè viſum; habet tamen, ſibi dimiſſa, vndè id poſſet, ſaltem negatiuè. Rem declaro: licèt data hypotheſi, quod comprehænſorum voluntas ſibi dimitteretur non haberet vndè poſſet deordinari circa Deum clarè viſum deordinatione poſitiua, ſeù peccato commiſſionis; ex innata tamen ipſius libertate haberet vndè deordinari poſſet circa ipſum deordinatione negatiua, ſeù peccato ommiſſionis; circa tamen alia obiecta creata, nedum in genere proprio cognita; ſed in ipſo etiam obiecto beatifico viſa, poſſet poſitiuè, ſeù commiſſiuè, & negatiuè, ſeù ommiſſiuè, culpabiliter deordinari. Omnimoda igitur, & abſoluta voluntatis comprehænſorum impeccabilitas, neceſſariò reuocari debet ad aliquid aliud ab ipſo obiecto beatifico, clarè viſo; hoc autem abſolute, & ſimpliciter immobilitans in bono comprehænſorum voluntatem, & reddens illam per conſequens abſolute, & ſimpliciter impeccabilem, non eſt, nec eſſe poteſt aliud, niſi vnica, & ſola diuina voluntas, præueniens com-

Digitized by Google

compræhenſorum boni, Voluntates, vt ſemper continuent actum fruendi. Quò fit, vt quatenus ſic præuenta, reddatur proximè impotens ad negationem, ſeu ſuſpenſioné actus fruendi, & per conſequens ad peccandum ommiſſiuè circa Deum, clarè viſum; & commiſſiuè circa alia obiecta quomodolibet nota, vel viſa; voluntatis enim determinato ad alteram partem, tollit ab eâ proximam potentiam ad alteram; ſeù non relinquit illam proximè maximè expeditã ad exercitium actus alterius partis. Videas optimam hanc, & ſubtiliſſimam Scoti doctrinam in 4. dict. 49. quæſtione 6. ſub littera F, & G.

DIFFICVLTAS.

An primus Parens meruerit iuſtitiam originalem.

RAtio dubitandi eſt: quia fuit ipſi pręſtita in primò inſtanti ſui eſſe, ſeu fuit ipſi cõproducta; ergo non habuit tunc: quomodo mereri potuerit eam. Antecedens patet; quia dicitur in Sacro eloquio: *Creauit Deus hominem rectum.* Conſequentia patet; quia comproductum, ponitur in illo eodem inſtanti, in quo ponitnr principalius productum; ergò ponitur in eſſe, quando principalius productum, nequit erumpere in actum.

Contra tamen eſt: quia optimè potuit Adam, liberum actum producere in eo inſtanti, in quo præſtita fuit ipſi originalis iuſtitia; ergò habuit, vndè potuit mereri originalem iuſtitiam; ergò habuit vndè meruit illam. Prima conſequentia patet. 2. etiam patet: quia nulla poteſt aſſignari ratio, cur de facto non meruerit eam, ſi habuit vndè proximè potuerit. Antecedens probatur. Adam in inſtanti productionis habuit proximam, & expeditam potentiam vtendi ratione, & voluntate; ergò habuit vndè tunc producere potuit liberum actum ergò habuit vndè mereri originalem iuſtitiam. Conſequentiæ patent. Antecedens etiam patet: quia in omnium ſententia, primus parens fuit à Deo productus cum expedita, & immediata facultate vtendi ratione. Et quamuis dicta facultas, & actualis vſus rationis concurrerint cum Adamo in inſtanti productionis eius; Adam nihilominus, ſecundum eſſe primum ipſius ſpectatum, naturaliter præceſſit ſe ipſum proximè, & immediatè, vti potentem ratione. Et quamuis etiam originalis iuſtitia fuerit ipſi comproducta; id tamen contigit, ſaluo ſemper naturalis prioritatis, & poſterioritatis ordine inter actum primum, & ſecundum.

Præterea: non videtur ſatis probabile, prius Deum præſtitiſſe Adamo iuſtitiam originalem, quàm iniunxerit ipſi præceptũ de non comedendo lignum, quod erat in medio Paradiſi: quia ſuppoſito, ipſum habuiſſe in primò inſtanti ſuæ productionis perfectum, & expeditum vſum rationis, non apparet, cur Deus noluerit iniungere ſibi tunc memoratum præceptum: ergò de facto iniunxit illud ipſi tunc; ergo iniunxit illud ipſi, proximè, & immediatè potenti vti ratione; ergò iniunxit illud ipſi proximè, & immediatè, mereri potenti originalem iuſtitiam.

Videatur controuerſia illa in materia de Angelis. Vtrum Angeli fuerint creati in gratia, & ſe diſpoſuerint ad illam.

Hinc manifeſtè colligitur, etiam poſteros Adam meruiſſe in ipſo, illam merente originalem iuſtitiam; ſicut in ipſo, eam demerente, demeruerunt illam.

Nota, quòd, ſi præmium cadere poteſt ſub meritis, longè glorioſius eſt aſſequi illud intuitu meritorum, quàm independenter ab illis, vt Scotus docet in 3. d. 18. quæſt. vnica ſub littera F. §. ad primam &c. & expreſsè etiam in 2. d. 5. quæſt. 1. ſub littera L.

Si defenderetur Adamum fuiſſe productum in puris naturalibus, ſicut probabiliter tenet Scotus de Angelis, facilior eſſet aditus ad defendendum, quòd meruerit iuſtitiam originalem.

DIFFICVLTAS.

An Adam fuerit caput morale ſuorum poſterum, quantum ad exhibitionem originalis iuſtitiæ.

DE fide eſt, ipſum fuiſſe caput morale illorum quantum ad transfuſionem originalis peccati; vt patet ex Trid. diffiniente,

niente, perdidiſſe ſibi, & nobis iuſtitiam, & ſanctitatem, in qua conſtitutus fuerat; & ex Apoſtolo aſſerente omnes peccauiſſe in Adam. Supereſt nunc examinandum, an eodem pacto, fuerit caput morale poſterorum, quantum ad exhibitionem tradendæ illis originalis iuſtitiæ; hoc eſt: an, ſicut per Adam transfunditur in poſteros originale peccatum; ita etiam exhibita fuiſſet ipſis, extituris in ſtatu innocentiæ per Adã originalis iuſtitia. Ratio dubitandi eſt: quia poſteri acceperunt originalem iuſtitiã in Adamo; aliàs non appareret quomodo potuiſſent amittere illam in ipſo, ergo non minus extitit Adam caput morale poſterorum, quantum ad originalem iuſtitiam, ipſis tradentem, quàm quantum ad originalis peccati transfuſionem in eos. Conſequentia patet; quia non apparet cur, vel quò alio titulo poſteri accipere debuerint, & acceperint originalem iuſtitiam in Adã, niſi eo dumtaxat: quia conſtitutus fuerat morale caput ipſorum, ideſt, niſi, quia decreuerit Deus per Adam exhibère poſteris eius originalem iuſtitiam; ſi negetur hoc; aſſignetur aliud motiuum, vel titulus, cur acceperint in eo iuſtitiam. Probatur etiam conſequentia à ſimili, tali pacto; ex amiſſione iuſtitiæ in Adam, benè colligitur fuiſſe morale caput poſterorum; ergò idipſum etiam colligi debet ex acceptione iuſtitiæ in illo. Si negetur conſequentia; aſſignetur diſparitas.

In contrarium tamen eſt; quia Scotus in 2. d. 20. quæſt. 1. ſub littera B. negat, originalem iuſtitiam forè exhibendam in ſtatù innocentiæ per Patrem, vel merita ipſius: ergo Adam non fuit caput morale poſterum quantum ad originalem iuſtitiam ipſis tradendam.

Abſolutè nihilominus dicendum eſt, Adam conſtitutum fuiſſe morale caput ſuorum poſterorum, quantum ad iuſtitiam exhibendam ipſis in ſtatù innocentiæ. Id efficaciter probat prima ratio dubitandi.

Probatur etiam à priori tali pacto: Poſteri acceperunt iuſtitiam in Adam, ipſo accipiente; ergo eorum voluntates continebantur in illo virtualitèr moralitèr; ergò Adam continebat vt ſic poſterorum voluntates; ergò Adam præconſtitutus fuerat à Deo morale caput ipſorum Antecedens ſuppono: quia aliàs non appareret, quo pacto amiſiſſent eam, ipſo amittente. Prima conſequentia patet; quia connexio, & ſimultas, quæ in amittendo iuſtitiam interceſſit inter Adam, & poſteros, nulla pœnitus ratione reuocari poteſt ad aliud caput, niſi ad prædictam continentiam. Secunda conſequentia patet ex correlatione paſſiuæ, & actiuæ continentiæ. Vltima etiam patet: quia, ideo fideiuſſor, vel tutor, dicitur eſſe morale caput pupillorũ; quia continet virtualiter moraliter voluntates ipſorum.

Probatur ſecundo tali pacto: ex Trid. Adam perdidit ſibi, & nobis iuſtitiam; ergo accepit illam, vt conſeruandam ſibi, & nobis; ergo iuſtitia, vt conſeruata ab Adam pro ſe, & pro nobis, per ſe influxiſſet in originalem iuſtitiam, exibendam nobis: ergo Adam, vt conſeruans iuſtitiam ſibi, & nobis, verè, ac propriè fuiſſet morale caput poſterorum quantum ad iuſtitiam ipſis tradendam. Prima conſequentia patet: quia non apparet, quà ratione potuerit perdere, & re ipſa perdiderit ſibi, & nobis iuſtitiam, niſi quia acceperat illam conſeruandam ſibi, & nobis. Secunda conſequentia etiam patet: quia præfata iuſtitiæ conſeruatio, non impertinenter, imò omninò pertinenter reſpexiſſet iuſtitiam, poſteris exhibendam; ergò per ſe influxiſſet. Antecedens patet: quia, alias non appareret, quò alio titulo accepiſſet eam, vt conſeruandam ſibi, & nobis. Tertia conſequentia eſt euidens, ſuppoſita veritate ſecundæ.

Vt tamen Scoti doctrinam cum ea, quam præmiſimus, conciliemus; dicendum eſt, Scotum non ſimplicitèr, & abſolutè, negauiſſe, Adamum extitiſſe morale caput poſterorum reſpectù originalis iuſtitiæ, illis exhibendæ; ſed negauiſſe dumtaxat extitiſſe tale in ratione merentis.

Benè potuit conſtitui, & re ipſa conſtitutus fuit morale caput poſterorũ ſub alijs rationibus, & titulis, ſicut ſupra probatum eſt, & non ſub ratione capitis merentis dari poſteris originalem iuſtitiam. Et vt verũ fatear (ſaluo tamen ſemper meliori iudicio) non tantum id probat ratio Scoti in præcitato loco, ſed efficaciter etiam probabit, & probat idipſum alia ratio, quæ in doctrina ipſius deſumetur ex futura Chriſti Domini exiſtentia etiam in ſtatu innocentiæ,

tentiæ, ſi Adam non peccaſſet; quà, tamquam probabiliori admiſſa ſententia, fons tunc, & caput omnium gratiarum, ſicut, & nunc extitiſſet Chriſtus Dominus, & per conſequens non Adam.

Quis enim dicat, præclarum illud, & ſupernaturale donum originalis iuſtitiæ, tribuendum iri omnibus, & ſingulis indiuiduis nauræ hnmanæ intuitu meritorum Adami? Monſtruoſitatem certè effeciſſet in eo ſtatu capitum dualitas,ſicut,& in hoc efficeret, ſi daretur.

Dices quod non extitiſſet quantum ad memoratam exhibitionem iuſtitiæ ſupremum caput; ſed caput ſub capite, hoc eſt refuſum, & communicatum fuiſſet ipſi à ſupremo capite, vt mereretur poſteris ſuis originalem iuſtitiam. Hæc euaſio, nullius ponderis eſt; tùm quia proprie loquendo, duo capita, ſemper monſtruoſum redderent corpus, quantumuis alterum ſub altero ſit: nonne monſtruoſitatem magnam præſeferret in corpore humano ſub ſuperiori capite, alterius capitis immediata exiſtentia? cum, non proprius. imò verè omninò improprius capitis locus ſit illæ qui collo debetur? Tum quia, quidquid ſub capite eſt, non capitis influentis in membra, ſed membri dumtaxat influentiam recipientis à capite includere debet, etſi, id, quod eſt ſub capite, ſit ipſi immediatum, habebit rationem talis determinati membri, colli videlicèt, per quod, veluti per aquæductum, omnes; & ſingulæ à capite dimanantes influentiæ, tranſeunt in reliqua corporis membra.

Nec valet, ſi dicas, potuiſſe Adamum habere tunc colli ſaltem rationem, per quod non aliæ gratiæ, & dona, ſed peculiare dumtaxat donum hoc, originalis iuſtitiæ videlicèt tranſiuiſſet in cætera corporis miſtici membra. Non valet inquam: quia ſolum tunc ſupremo capiti Chriſto Domino immediatè coniunctum, extitiſſet Beatiſſima Virgo; quemadmodum re ipſa, nunc ea lege ad aures Sanctorum Patruum colli rationem obtinuit, vt omnes, & ſingulæ gratiæ à capite Chriſto fluentes, per ipſum in cætera totius corporis miſtici membra pertranſeant.

Notantur nonnulla de peccato originali, ad pleniorem intelligentiam eorum, quæ diximus.

MAximum propter Adami peccatum incurrit homo damnum; quia originaus iuſtitiæ fræno, & gubernaculo, priuatus. Nedum rationi rebelles habet vires inferiores: verùm etiam veluti naturali impetu, propriæ complexionis ſequitur impulſum, & motum; vndè fit, vt ſecundum complexionis diuerſitatem, alius ſit inclinatus ad luxuriam, alius ad ſuperbiam; &c. Hominis igitur motus (primo primi ſaltèm,) incipiunt deordinari, & accedente voluntatis conſenſu re ipſa deordinantur; tum ex inferiorum virium inobedientia, & rebellione ad ſuperiores. Tum etiam ex ſequela, ſeù potius conformitate ipſorum ad complexionem, vel ad luxuriam inclinante. Videas ad hoc Scòtum in 2. diſt. 6. quæſt. 2. ſub littera B.

Nota quòd originale peccatum, quatenus originale formaliter, illud includit in ſuo conceptu, vt nulla ratione, nec ſecundùm actiuitatem phyſicam, nec ſecundum actiuitatem moralem ſit voluntatium, cui ineſt proprium: quia eo ipſo, quod vel minimam includeret rationem voluntarij in contrahente, iam non eſſet ſibi originalis, ſed actualis culpa dumtaxat; ex eo enim diuerſificantur à ſe inuicem originale, & actuale peccatum per ordinem ad voluntatem: quia reſpectu illius, actiui phyſici, vel moralitèr, reſpectu Deo, iſtius verò merè paſſiuè ſe habet: nec poſſet vlla ratione ſalua conſiſtere formalitèr ratio actualitatis in illo, & formalis ratio originis in iſto, ſiquidem omninò tunc confunderentur rationes illorum, ſi quomodocumque voluntarium per concurſum propriæ voluutatis admittatur in poſteris Adæ originale peccatum: & omnis præcluderetur nobis aditus ad diſtinguendum illud quatenus àctuale formalitèr, ab iſto, quatenus eſt originale formalitèr, illud tantum importat originale peccatum, quatenus originale formalitèr, vt ad contradiſtinctionem ab actuali; quatenus tale formalitèr dicatur, & ſit peccatum originis, ſcilicet habitum, & contractum per originem, & naturalem propagationem; vt intelli-

Digitized by Google

telligamus hinc: quod quemadmodum naturalis filius Adæ, omninò merè paſſiuè ſe habet reſpectu naturæ, quæ ſibi per originem communicatu: ita ſimilitèr omninò merè paſſiuè ſe habet reſpectu originalis peccati, quòd per originem, veluti per conditionem neceſſariò; non ex natura rei, ſed ex diuino decreto exactam communicatur, atque transfunditur.

Et quod nullam pœnitus includat rationem voluntarij originale peccatum in contrahentibus ipſum, declaratur vlteriùs; quia nō per phyſicum influxum voluntatis ipſorum in eo inſtanti, quando contrahitur, vt liquidò patet; Tum quia originale peccatum, nullatenus conſiſtit in actu, ſed in ſola carentia originalis iuſtitiæ, & per conſequens quilibet actiuus voluntatis influxus, eſſet prorſus impertinens reſpectu illius: tum quia in inſtanti conceptionis, non niſi miraculosè poſſint habere vſum rationis poſteri Adæ: nec per concurſum phyſicum, quò ſimul cum Adamo influxiſſent in actuale peccatum illius, per quem influxum demeruiſſent originalem iuſtitiam; quia quando Adamus peccauit, ipſi non exiſtebant.

Proponuntur difficultates contra iſta aſſerta.

Dices, quod continebantur virtualiter in Adamo, vt in principio propagatiuo, & per conſequens ex vi tali continentiæ, etiam ipſi, veluti facientes vnum cum ipſo Adamo, influxerunt in eius peccatum. Vanus eſt hic diſcurſus; quia id, quod virtualitèr continetur in cauſa, licet dicat ordinem ad exiſtendum: tamen reuera non exiſtit; & per conſequēs, vt ſic, eſt purum nihil; ſicut igitur poſteri Adami nullatenus ſe ipſis influxerunt in peccatum ipſius, quia tunc non exiſtebant; hoc eſt, quia erant purum nihil; ita ſimiliter nullatenus influxerunt in transgreſſionem illius, etiam vt virtualiter in ipſo contenti: quia etiam ſub ea virtuali continentia concepti, re ipſa non exiſtebant; & per conſequens etiam, vt ſic erant purum nihil.

Et ſanè miror, quomodo ex iſto capite contendant nonnulli deducere, & colligere, neſcio quam rationem voluntarij in originali peccato per comparationem ad contrahentes illud: tum quia ſi hæc ratio voluntarij eſſet verè talis, & verè refunderetur in poſteros Adami ex actiuo concurſu in peccatum illius, qui competeret ipſis ex vi continentiæ virtualis; tunc peccatum illud eſſet potius actuale, quàm originale in ipſis, tum quia eſt omninò ſictitia, & excogitata ea ratio voluntarij: hoc deducitur euidenter ex eo: quia, nec continebat Adam poſteros omnes virtualitèr immediatè, vt patet; nec continebat illos virtualitèr totalitèr, quia non ſecundum intellectiuas animas illorum, & per conſequens, non ſecundùm voluntates eorum, à quibus, vt virtualitèr contentis in ipſo, potuiſſet vtcumque deſumi, & effingi potius aliqua ratio voluntarij.

Hoc argumentum eſt Scoti in 2. diſt. 32. q. 2. ſub litera C. vbi contendens probare, quod poſteri non contraxerint debitum habendi iuſtitiam originalem ex eo, quod virtualitèr ſecundum eſſe naturæ, & ſecundum eſſe perſonale continebantur in Adamo: habet hæc formalia verba: qualitèr igitur ſufficit modus accipiendi iuſtitiam ad debere iuſtitiam acceptam? ſi enim non fuit in Adamo ſecundùm voluntatem, ſed tantùm ſecundum carnem, & non poteſt eſſe debitor iuſtitiæ, niſi ſecundum voluntatem, ſecundùm quam poteſt habere iuſtitiam; non igitur quia fuit in aliquo cauſalitèr, vt in principio propagatiuo, ideò eſt debitor iuſtitiæ, &c. Poteſt etiam argui ſimilitèr in propoſito. Poſteri non fuerunt in Adamo ſecundum voluntatem, ſed tantum ſecundum carnem, & non potuerunt quomodocumque voluntariè concurrere ſimul cum Adamo ad peccatum illius, niſi ſecundùm voluntatem, à qua ſola pendet quæuis imaginabilis ratio voluntarii: non igitur, quia fuerunt in ipſo cauſalitèr, vt in principio propagatiuo, ideò non in ſe ipſis, ſed vt in ipſo, voluntariè influxere in peccatum Adami.

Dices, quod licèt poſteri non continebantur ſecundum intellectiuas animas in Adamo cauſalitèr immediatè; continebantur cauſalitèr mediatè, ex eo videlicèt; quia habuit ipſe, & poſteris ex ipſo; vndè immediatè attingere potuerit perfectam corporis organizationem, quæ immediatè diſponit ad infuſionem animæ rationalis;

vndè

Digitized by Google

vnde poſtmodum fit, vt generans verè, & propriè; dicatur generare hunc hominem, & hanc perſonam, cuius etiam propriè, & verè dicitur Pater.

Ad hanc inſtantiam, multiplex, & facilis eſt reſponſio. Primo, quia licèt hæc ratio, deſumpta ex attingentia organizationis valeret aliquid; non tamen propriè probaret intentum in Adamo, niſi reſpectu filiorum, quos ipſe genuit immediatè, quia in ipſis, & non in filijs aliorum, re ipſa, & propriè attigit corporum organizatione. Secundò, quia organizatio non ex natura rei, & phyſicè, ſed ex beneplacito diuino, et moralitèr tantùm diſponit ad infuſionē animę rationalis, vt inquit Scotus in 2.d.32 q.2. ſub litera C. Tertia, & vltima, quòd quantumuis concedatur corporis organizationem poſitam in eſſe per virtutem ſeminalem Adami, ex natura rei diſponere ad infuſionem animæ rationalis; non tamen eſſet verum, quòd illa organizatio, vel potius per illam organizationem contineret Adamus aliquo pacto cauſalitèr propriè animam rationalem, quæ à ſolo Deo producitur per creationem.

Dices ſecũdo, iuxta communiorē modũ explicandi rationem hanc voluntarij, quòd quamuis nequeat ipſa colligi ex continentia phyſica, poteſt tamen facillimè colligi ex morali continentia voluntatum poſterorum Adami in voluntate ipſius: fuit enim Adamus non ſolum naturale, ſed etiam morale caput ſuorum poſterorum: quandoquidem Deus conſtituit eum velut fideiuſſorem, & tutorem illorum, & per conſequens poſterorum voluntates erant veluti compromiſſæ voluntati Adami, & ita facientes vnum moralitèr cum illa, vt extiterint, & remanſerint obnoxiæ vtrique fortunæ, damno, & lucro quatenus videlicet peccante Adamo, peccarent ſimul cum illo; & obſeruante diuinum præceptũ, tribueretur ipſis, accepta in illo originalis iuſtitia. Vel ipſo vincente, vincerent; & ipſo cadente, caderent. Quòd fuerit conſtitutus Adamus moralè caput, vt ſic probatur ex illo Roman.5. In quo omnes peccauerunt: ſed non poſſet dici, poſteros peccauiſſe in Adamo, niſi voluntas Adami contineret, & faceret vnum moralitèr cum voluntatibus illorum, ergò, &c. Probatur etiam rationibus, quia cum Deus ſit ſupremus Dominus, & Gubernator rerum noſtrarum; poteſtas iſtius extendat ſe ad omnes modos earum, & per conſequens, potuit efficere, vt voluntates poſterorum eſſent ita vnum moralitèr cum voluntate Adami; quemadmodum voluntas vnius hominis, qui compromittit eam voluntati alterius hominis, habens pro rato, & firmo quidquid efficienter ab iſto, facit vnum moralitèr cum illa. Quod confirmatur vlterius, quia cum Deus poſſit ſupplere vicem efficientis ſecundarij, potuit etiam ſe ipſo immediatè, & independenter ab influxu voluntatum ipſorum; efficere, vt voluntates ipſæ poſterorum Adami facerent, & eſſent ita vnum moraliter cum voluntate ipſius, ſicut, ſi ſimul cum ipſo fuiſſent producti, potuiſſent ipſi ex eorum mero beneplacito, & libera compromiſſione ſuorum voluntatum in voluntate Adami efficere, vt eſſent propriè, & vere vnum moralitèr cum illa, & cõſequẽter habere pro rato, & firmo, id, quod pro conſeruatione, vel amiſſione originalis iuſtitiæ cõſtitiſſet.

Ad hanc inſtantiam dicimus, quòd licèt prædicta ſententia, quæ pœnes explicatam moralem continentiam, & vnitatem voluntatum filiorum Adami cũm voluntate ipſius declarat rationem voluntatis reſpectu originalis peccati, videatur prima facie plauſibilis, ſi tamen attentiùs conſideretur, & examinetur, nulla poſſe ratione ſubſiſtere, ſtatim clareſcet. Et in primis omnes rationes, quæ ſupra fuerunt adductæ contra voluntarium, deſumptum ex continentia virtuali, euidentèr conuincunt impoſſibilitatem voluntarij deſumpti ex continentia, vel ex vnitate morali, vt patebit applicanti illas contra explicatam vnitatem moralem; quam fingunt interceſſiſſe inter voluntatem Adami, & voluntatem poſterorum eius.

Deducitur noſter diſcurſus ex Scoto.

Scotus in 2. diſt. 32. ſub litera G. declarans in quo ſenſu peccatum originale ſit, & dici poſſit voluntarium inquit, quod peccatum originale denominatur voluntarium ſolùm per hoc, quod eſt ſubiectiuè in principio libero; non autem per hoc, quod ſit ab ipſo effectiuè; quomodo ſubiungit, non oportet eſſe voluntarium ipſi

ipſi

ipſi habenti, ſed ei, vel alteri, à quo contrahitur ipſum peccatum, &c. Ex quibus verbis illud habetur primò, quòd Scotus non aliundè agnouit, & deſumit rationem voluntatis in labe originali, concepta in ea contrahente, niſi ex ſola liberi principij receptiua potentia, ſubiectante illam. Secundò habetur, peccatum originale, non eſſe voluntarium pœnes actiuitatem principij liberi; niſi illius à quo contrahitur, quod non eſſet adæquatè verum, ſi voluntates poſterorum Adami fuiſſent vnum moraliter cum voluntate ipſius: quia is, qui voluntatẽ ſuã cõpromiſit, & colligauit cũ voluntate alterius ad aliquod opus efficiendum ab ipſo aliquo pacto actiuè concurrit cum illo ad effectionem operis illius. Idipſum etiam colligitur ex reſponſione ad ſecundum principale ibidem, & euidentius ſupra in eadem diſtinctione ſub litera D. vbi inquit originalem iuſtitiam fuiſſe amiſſam actione alterius; quod nulla ratione ſubſiſtere poſſet, ſi voluntates poſterorum Adami eſſent vnũ moraliter cũ voluntate ipſius cõſtituti in ratione capitis moralis.

Cur igitur non diceretur tunc etiam actione noſtra, fuiſſe amiſſam originalem iuſtitiam? ſed euidentiſſimè colligitur hoc ipſum ex Trid. ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali canone ſecundo vbi decernit, Adamum non ſibi ſoli, ſed etiam nobis perdidiſſe per ſui præuaricationem originalem iuſtitiam. Quomodo ergo ſubſiſtet id, quod inquit Concilium, Adamum videlicèt ex vi ſuæ præuaricationis perdidiſſe ſibi, & nobis originalem iuſtitiam, ſi ſecundùm præexplicatum ſenſum conſtitutus fuiſſet ipſe morale caput poſterorum ipſius? Cur igitur ſimul cum ipſo non amiſimus eam etiam nos, ſi voluntates noſtræ, & voluntas ipſius erant vna voluntas? Etſi erant vna voluntas; cur enim Concilium inquit, ipſum ſua præuaricatione perdidiſſe nobis illam, manifeſtè indicans, nihil nos habuiſſe communi cum Adamo in amiſſione originalis iuſtitiæ? Et cur tandem inquit Concilium, ſua propria præuaricatione, &c. ſi voluntas erat communis? Nonne communis debuiſſet eſſe præuaricatio, ſi voluntas erat communis? Idipſum etiam colligitur ex eodem Concilio ſeſſ. 6. cap. primo, vbi inquit; omnes homines perdidiſſe innocentiam in præuaricatione Adæ: ſi perdidimus illam in præuaricatione Adæ; ergò non in præuaricatione communi, quod omninò aſſerendum eſſet, ſi communis fuiſſet voluntas.

Imò hic omninò aduertendum eſt, quod illa præpoſitio, *In*, æquiualet huic alteri Præpoſitioni, *Per*, ita vt idem omninò ſit dicere, homines perdidiſſe innocentiam *In* præuaricatione, ac perdidiſſe illam *Per*, præuaricationem Adami; ita vt, *In* non ſignificet, & importet poſterorum ſub quauis continentia, & vnitate conceptorum communionem, & concurſum cum Adamo ad propriam illius præuaricationum; quaſi verò ideò dicatur perdidiſſe innocentiam in præuaricatione Adami, quia ex vi alicuius phyſicæ continentiæ, vel moralis vnitatis ſimul cum ipſo influxerint in præuaricationem illius; ſed vt deſignat, & importet cauſalitatem dumtaxat, non phyſicam, ſed moralem; nempè demeritoriam; reſpectu carentiæ, & priuationis originalis iuſtitiæ in nobis. Ita pluſquam euidenter colligitur ex Trid. ſeſſ. 5. in Decreto de peccato originali can. 2. vbi decernit, quod Adæ præuaricatio, non ſibi ſoli, ſed etiam eius propagini nocuit. En igitur quomodo Concilium explicat præuaricationem Adami in ratione principij actiui reſpectu nocumenti, & damni, quod attulit humanæ propagni. Quam actiuitatem, & cauſalitatem explicatiùs exprimit paulò inferiùs per dictam præpoſitionem, *Per*, dum, etiam in ſignificatione actiua loquens, inquit: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfuſiſſe, non autem, & peccatum, quod mors aſt animæ, &c. Idipſum etiam colligitur ex eodem Triden. ſeſſ. 6. cap. 7. in fine, vbi repetens, quod Adam ſua inobedientia ſibi, & nobis perdidit primam ſtolam, vtitur obedientia in caſu ablatiuo, in quo ſemper ſolemus exprimere illa, quæ cauſalitatem aliquam important; ita vt idem omninò ſit, Adamum ſua inobedientia, ac Adamum ex vi ſuæ inobedientiæ; vel per ſuam inobedientiam perdidiſſe ſibi, & nobis primam ſtolam. In quo teſtimonio, eſt iterum notandum, quòd Concilium inquit, ſua ſcilicet propria, & non communi cum poſteris inobedientia, &c. Inquit inſuper, quod ipſe, & non poſteri

ſteri

ſteri cum ipſo, perdidit ſibi, & nobis, &c.

Sed audiamus prædictam cauſalitatem in terminis ipſis expreſſam à Spiritu Sancto Romanorum 5. ita enim inquit Apoſtolus, ibi: *Igitur: ſicut per vnius delictum in omnes homines, in condemnationem; ſic, & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ*. Et immediatè ſubiungit: *ſicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi*. Et ſupra etiam dixerat. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc Mundum intrauit, &c. Quid clarius deſiderari potuiſſet?

In quibus teſtimonijs illud eſt ſummoperè aduertendum, quod ex vi contrapoſitionis, & paritatis, qua Diuus Paulus contraponit, & comparat inobedientiam Adami reſpectu noſtræ condemnationis, quæ admittenda eſt in obedientia Chriſti reſpectu noſtræ iuſtificationis; ſed talis admittenda eſt cauſalitas in Chriſti Domini obedientia reſpectu noſtræ iuſtificationis, vt ſolus Chriſtus, & ſub nulla pœnitus ratione nôs cum ipſo, per ſuam obedientiam meruerit nobis noſtram iuſtificationem; ergò talis, & non alia admittenda eſt cauſalitas in inobedientia Adami reſpectu noſtræ condemnationis; vt ipſe ſolus, & ſub nulla pœnitus ratione, nos cum ipſo per ſuam propriam inobedientiam meruerit, & attulerit nobis noſtram condemnationem.

Si dicas, quod ſimilitudo non tenet, quia non ita Chriſtus fuit naturale caput humanæ propaginis, ſicut fuit Adamus; & ideo non potuit humana propago ita communicare cum Chriſti obedientia reſpectu iuſtificationis; ſicut habuit, vndè communicare potuerit, & communicauerit cum Adamo ad obedientiam Chriſti, ea propter ſus debet admitti cauſalitas in obedientia Adami inobedientia reſpectu noſtræ condemnationis. Reſpondemus, ſicut ſupra reſpondimus; ad hanc eandem communicationem, ſeù continentiam, vel vnitatem; & dicimus inſuper eſſe ominò falſum, poſteros Adami cõmunicaſſe cum Adami inobedientia reſpectu noſtræ condemnationis ex eo, quod fuerit ipſe naturale caput illorum, quia tunc nulla ratione ſaluari poſſet, quin etiam eadem radice communicauerint cum alijs peccatis illius, & quin etiam quilibet noſtrum communicet à fortiori cum peccatis proprij genitoris; cum ſit iſte immediatiùs, quàm Adamus, naturale caput filij geniti.

Si dicas iterum, quod etſi dicta communicatio non poſſit colligi ex eo, quod Adã fuit naturale: colligetur ſaltem ex eo, quod fuit morale caput humanę propaginis. Nos iterum reſpondemus ad communicationem, & vnitatem hanc moralem ſicut ſupra reſpondimus: & addimus inſuper, quod etiam Chriſtus fuit vniuerſorum hominũ, & Angelorum caput morale reſpectu iuſtificationis; & tamen nullus eſt, qui dicat, vel qui dicere poſſit, nos per hoc, aliquo pacto concurriſſe cum ipſo ad eius obedientiam reſpectu noſtræ iuſtificationis.

Fatemur igitur fuiſſe Adamum conſtitutum à Deo morale caput humanæ propaginis; ſed ſub ea ratione dumtaxat; vt accipiens ipſe pro ſe originalis iuſtitiæ donũ; etiam pro poſteris, quorum præconſtitutus erat morale caput, acceperit illud; ea tamen lege, vt ſi obſeruaret iniunctum ſibi præceptum; & pro ſe, & pro poſteris, tunc conſeruaret originalem iuſtitiam; ſed ſi tranſgrederetur diuinum mandatum: pro ſe, & pro poſteris, tunc amitteret illam. Vnde fit, quod quando poſteri Adæ dicuntur accepiſſe, & amiſiſſe originalem iuſtitiam in illo; non ita intelligendum ſit, quod ipſi ſimul cum ipſo, non vt in ſe ipſis, ſed vt in ipſo ex vi phyſicæ continentiæ, vel ex vi moralis vnitatis, & communicationis voluntatum, eadem communicatione acceperint, & eadem communi tranſgreſſione perdiderint originalis iuſtitiæ donũ: ſed in eo ſenſu tantum accipiendum eſt, vt in illo, ſcilicet per illum, ſeù mediante illo, acceperimus, & amiſerimus originalis iuſtitiæ donum.

PROPOSITIO X.

Vires humani arbitrij poſt originale peccatum infirmiores ſunt, quàm vires intellectus.

PRobatur experimento. Quot videmus perſpicabilitate mentis pollere, qui tamẽ ex electione vitioſiſſimi ſunt. Numquid dictum non eſt: filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt? Cuius fuerunt prima vulnera humani ar-

ni arbitrij; nonne Adæ? quem tamen non fuiſſe ſeductum, teſtatur Apoſtolus, & ſi mulier ſeducta fuit; vicit tamen malitia dementiam. Non eſt par ratio quoad hoc de homine, & Angelo? quam calidus eſt Dæmon? an ignoramus aſtutias Diaboli? ſed quam perſpicax; quis eo nequitior? Hinc de inclinatione, & attenuatione liberi arbitrij ſæpè meminerũt Concilia Arauſicanum, & Tridentinum, & rarò de attenuatione mentis. Remedium non debet applicari pro infirmitatis exigentia? En quod Sacrum Concilium Tridentinum adſtruit ſeſſione 6. can. 28. ſi quis dixerit amiſſa per peccatum gratia, ſimul, & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viua; aut eum qui fidem ſine Gharitate habet, non eſſe Chriſtianum; anathema ſit. Cur ita? quia ſanata anima per ſupernaturalem notitiam, ſolum voluntas claudicat: qui ſenſit aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captiuantem in lege peccati; in quo ægrotabat; certè nõ in iudicio rationis; ſciebat certè legem tyrannicè captiuantem.

Contra noſtras propoſitiones ſolent nõnullæ fieri obiectiones, nempè quod plures Doctores expreſsè aſſerunt naturã nunc eſſe eiuſdem vigoris, ſicut fuiſſet in puris naturalibus, abſquè originali iuſtitia. Friuolum ſane argumentum: quippè eadem facilitate poſſumus eis contradicere, qua ab ipſis contradicitur, præcipuis Doctoribus D. Bonauenturæ, D. Thomæ, Alexandro de Ales, & Scoto, quibus ipſi gloriari deberent tanquam Doctoribus, & Magiſtris. Secundo arguunt, quod vigor humanarum virium poſſet ita minui, vt nihil remaneret de eo, & tunc ſequeretur error lutheri, nempe quod liberum arbitrium eſſet de ſolo titulo, à vt etiam titulus ſine re. Reſpondetur, quod huiuſmodi vigor non minuitur per amiſſionem perfectionis naturalis, ſed per appoſitionem contrarij; ſicut vigor vini minuitur per appoſitionem aquæ. Aduerte ne hanc ſimilitudinem iuxta limites ſuæ latitudinis accipias: aqua enim ſufficiens eſt ad corrumpendum vinũ, & non vigorem vini tantum. Si hoc non placet, dicas, inclinationem minui per appoſitionem impedimenti; ſicut inclinatio ad videndum, minuitur per appoſitionem prohibentis lucem, ſalua tamen naturali energia oculorum.

Concludo ergò, quòd humanę vires tàm mentis, quàm liberi arbitrij quibus ſubsũt iraſcibilis, & concupiſcibilis, nunc infirmiores ſint ſeipſis, ſi darentur in puris naturalibus tantum.

PROPOSITIO XI.

Viator in peccato mortali, eleuatus habitu fidei infuſæ in baptiſmo, poteſt ſine habitu gratiæ ſibi inexiſtentis conſiderare peccatum, vt offenſiuum Dei, vt auerſiuum à Deo, vt Diuinæ legi contrarium, vt impediuum præmij, & inductiuum ad ſupplicium, & ſub conſimilibus rationibus.

PRobatur. Ad conſiderandum peccatum ſufficit ſpecies intelligibilis ipſius peccati, & vis actiua intellectus; at quis ignorat per peccatum mortale non ſemper deleri ſpecies intelligibiles, nec deſtrui virtutem naturalem intellectus? quare igitur non poterit præſertim ſtante habitu fidei infuſæ conſiderare paccatum ſub conditionibus ſuis materialibus, & actum ſuæ voluntatis, præſertim debitis circumſtantijs? Si Deus concurrit ad omnes effectus generali ſub influxu, & non ſemper ſpeciali, dummodo ſint effectus poſitiui, & præſertim ad effectus cauſæ naturalis; cur non poterit generali ſuo concurſu concurrere cum intellectu peccatoris, & cum obiecto repræſentante peccatum comiſſum cum ſuis circumſtantijs ad cauſandam conſiderationem de ipſo peccato?

PROPOSITIO XII.

Viator ſine habitu fidei infuſæ poteſt conſiderare paccatum, vt contrarium legi Diuinæ, & vt auerſiuum à Deo.

SEneca ad lucillum, quot ſcripſit de bona viuendi ratione; quot ſymbola edidit Pitagoras ad inſinuandam virtutem & vitium. Plutarchus non conſiderauit pec-

Digitized by Google

peccatum vt vindicabile à Deo? non dixit tarditatem ſupplicij, ſeueritate compenſari? Præterea Platonem, Ariſtotelem, & innumerabilem ſeriem Phyloſophorum, qui de recta inſtitutione viuendi libros ethicorum, & Politicorum conſcripſerunt, & hoc vnum dico inter præcepta naturalia primū inſitum à natura eſſe Deum eſſe colendum. Quis autem ingnorat vitijs, & iniuſtitijs dehonorari Deum, eiuſquè cultum violari? Quod ſi naturaliter à viatore ignoratur lex ſpecialis Dei, non tollitur ſaltem quin poſſit peccatum contra legem naturæ non ſit cognoſcibile, & conſiderabile ab homine cum ſolo influxu generali Dei.

PROPOSITIO XIII.

Voluntas viatoris baptizati ſine habitu charitatis infuſæ poteſt deteſtari peccatum ſibi oblatum ab intellectu, quatenus auerſiuum à Deo.

PRrobatur: Attritus deteſtatur peccatum qui tamen non habet habitum infuſum præter habitum fidei, & ſpei, ſi ſit baptizatus. Item quod dicatur ab intellectu eſſe malū, poteſt voluntas deteſtari tanquā malum: vt intellectus viatoris, etiam infidelis numquid ſemper ſequitur rationem errantem? numquid in omnibus decipitur? Item Concilium Tridentinum ſeſſione 6. canone 7. non inquit: Si quis dixerit opera omnia quæ ante iuſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, verè eſſe peccata anathema ſit? Poſito igitur quod aliquis deteſtetur peccatum ſibi oblatum illa deteſtatio poteſt fieri ratione iniqua, & tunc peccator male deteſtatur; poteſt etiam fieri propter timorem gehennæ, & poteſt fieri propter reuerentiam Dei: idcirco enim dixit Concilium: quacumq; ratione fiant; ergò talis deteſtatio erit vera, & bona deteſtatio à ſufficienti diuiſione: quia non eſt actus neuter, nec actus malus, vt dicit idem Concilium, eadem ſeſſione canone 8. ergò eſt deteſtatio bona.

PROPOSITIO XIV.

Sine ſpeciale Dei auxilio poteſt voluntas in ſtatu naturæ lapſæ aliquod bonum opus ex circumſtantijs operari.

MVltorum Theologorum ſententia eſt, ad omnes actus morales bonos requiri gratiam Dei ſpecialem, ita vt nullus viator ſolis naturæ viribus poſſit illa bona opera facere. Hanc tenet Vaſquez diſputatione 109. citans pro ſe multos Theologos, in quo autem conſiſtat tale auxiliū, non conueniunt Doctores illi.

Gregorius in 2.d.28. quæſt. 1. dicit eſſe aliquod per modum actus primi collatum voluntati, ſcilicèt qualitatem tranſeuntem quæ ſit principium actus ſecundi: quia voluntas non eſt ſufficiens de ſe in actum bonum moralem, præcedente etiam iudicio practico, & euidenti intellectus, niſi adiuuetur. Diſtinguitur auxilium hoc à concurſu generali Dei, quia hic conſiſtit in actione, datur etiam ad actus malos; illud verò per modum actus primi, & tantum datur ad actus bonos, propter quod dicitur Deus facere, vt faciamus. Iſtum modum ſequitur Capreolus d.29.q.1.articulo primò.

Secundus modus eſt, qui ponit dictum auxilium in aliquo actu vitali diſtincto ab influxu generali, ſeu actione Dei, qua phyſicè elicitur actus bonus; conſiſtit autem in illuminatione ex parte intellectus; quæ à cauſis naturalibus, prout defacto ordinātur, oriri non poteſt; ſeù eſt dulcedo aliqua data voluntati, qua difficultatem operis, & reſiſtentiam fomitis ſuperat. Neceſſitas auxilij ponitur in hoc, quod voluntas propter reſiſtentiam fomitis, & difficultatem benè agendi quæ ex eodem partim oritur, partim verò ex ignorantiæ vulnere; quia vel intellectus ignorat agendo, vel modum agendi, vel leuitèr conſiderat diſtractus per ſenſibilia bona propinquiora, & fortius mouentia, ac proinde licèt intellectus, & voluntas ſint principia phyſica ſufficientia actus boni moralis, non producet tamen illum ſine defectu aliquo ſaltem veniali niſi adſit directio ſpecialis Dei illuminatis, inſpirantis, & allicientis præuiè ad opus. Differt à priori ſententia; quia

Digitized by Google

hæc ponit auxilium in aliquo actu vitali; illa in principio talis actus, hæc moralem promotionem tantum admittit, illa phyſicam requirit; hæc concedit vires phiſicas ſufficientes voluntati, & intellectui ſi accedat recta diſpoſitio, illa negat. Pro hac citatur Caſtro contra hæreſes, Verbi Gratia.

Tertius modus eſt Vaſquez cap. 12. aſſerentis opus honeſtum prçrequirere cogitationem congruam naturalem, quam vocat ſanctam, & honeſtam; nihil ergò requirit ex parte voluntatis, ſiue præmouens ipſam phyſicè, ſiue moraliter diſponens ad actum; ſed voluntate inuariabilitèr permanente, ponit cogitationem congruam ex parte intellectus, quia nihil volitum, quin præcognitum. Vocatur congrua, quia ita congruè diſponit, vt infallibiliter ſequatur effectus: in hoc diſtinguitur, à ſufficienti honeſta, quia hæc tantum, dat poſſe, quamuis neutrũ ab alio naceſſarium ſit diſtinquere ſpecie, aut perfectione phyſica, producitur medijs cauſis intrinſecis, aut naturalibus intrinſecis, quia non ſolum à Deo: cum tamen non ſit in poteſtate voluntatis, eam habere, aut ſibi præparare, cum præueniat omnem voluntatem, neque eſt ex dono creationis debita, cum omnibus non detur; ſequitur quod ſit gratia. Neceſſitas eius in eo oſtenditur, quod cum voluntas ex D. Thoma q. 14. de Veritate artic. 14. ſit potentia indeterminata requirit ab alio determinari, nec ſufficit communis Dei concurſus, quia ab hoc dependent etiam cauſæ naturales ad vnum determinatæ; requiritur ergò aliquid ad determinandam voluntatem, non ſufficit ſimpliciter cogitatio honeſta quia ſæpè ponitur talis cogitatio ex parte intellectus, & ſi non ſequatur effectus: ergo requiritur aliqua congrua, quç ſuadeat voluntati infallibiliter, & liberè habere concurſum: Hæc ergò ſententia totam neceſſitatem gratiæ ad actus bonos ponit in cogitatione illa congrua naturali honeſta. Prædictæ ſententiæ quamuis non conueniant in modo aſſignandi gratiæ in hoc verò conueniunt eſſe neceſſariam ad ſingulos actus bonos morales.

PROPOSITIO XV.

Præmittuntur nonnulla pro declaratione noſtræ ſententiæ.

SVppono primam cauſam concurrere ad omnes, & ſingulas actiones cauſæ ſecundæ. Hinc Scotus in primò d. 2. docet cauſam ſecundã ſubordinari primæ in cauſando; & in 2. d. 31. docet cum voluntate concurrere Deum ad omnes actus liberos: alias enim nec haberet certam, & infallibilem præſcientiam, nec abſolutam omnipotentiam, vt latius poteſt videre apud ipſum; & denique in 4. d. 49. quæſt 13. cauſam impaſſibilitatis in corporibus glorioſis, docet eſſe voluntatem Diuinam ſubtrahentem ſuum cõcurſum ſecundæ cauſæ corruptiuæ, vt patet in fornace Babilonyca: nec enim ibi Deus abſtulit à corporibus puerorum paſſibilitatem, nec intrinſecè illa reddidit incorruptibilia, nec ab igne ſemouit virtutem innatam calefaciendi; ſed ex eo impediuit combuſtionem, quod non coegerit ſuſpendens proprium concurſum: vnde ibi dicitur ignem virtutis ſuæ fuiſſe oblitum, quia nimirum Deo non coagente, eà vti ne ſciuit ſicut nõ cõcurrẽte ſpecie intelligibili vel obiecto præſente, & coagente dicimus obliuiſci, & virtute noſtra intellectiua vti non poſſe. Fauet ratio: Creaturæ vt tales ſunt eſſentialiter dependent à creatore; ergò non ſolum quoad eſſe, & conſeruari, ſed etiam quoad fieri ſiue actionem productiuam eius; ſed quilibet effectus non ſolum quoad eſſe, & conſeruari, ſed etiam quoad fieri eſt formaliter creatura; ergò quoad fieri etiam eſſentialiter dependet à creatore. Conſequentia eſt clara: nec enim alia ratione dependet niſi quatenus creatura. Antecedens probatur: Creatura enim eſt dependens, & creator intrinſece independens. Minor probatur: quia effectus in fieri non eſt Deus, (Deus enim non habet fieri, ſed eſſe) neque eſt ratio abſtracta, neque purum nihil; ergò reliquum eſt, vt ſit creatura, & per conſequens dependeat à Deo, qui eſt cauſa prima.

Cocurſus Diuinus cum cauſis ſecundis eſt omnino immediatus non ſolum immediatione virtutis, quia diuina virtus immediate attingit vniuerſos effectus; ſed immedia-

Digitized by Google

mediatione ſuppoſiti; quæ duplex eſt, in eſſendo, & in agendo: & reſpondet huic duplici immediationi duplex Dei præſentia in rebus, per eſſentiam ſcilicet, & potentiam: prior immediatio, cui correſpondet præſentia per eſſentiam, inuoluit contactũ mathematicum, ſeu metaphyſicum reſpectu effectus producti, itaut agens hac immediatione debeat eſſe præſens paſſo ſecundum eſſentiam tangendo mathematicè, vel methaphyſicè effectum, & hæc licet de facto ſit in Deo, quia agit immediatè per eſſentiam, ita vt ſit præſens effectui tangendo illum metaphyſicè, quia eſt immenſus, & vbique per ſuam eſſentiam: tamen ſimpliciter non eſt neceſſaria talis immediatio, ſeu non ſimpliciter neceſſarium eſt, vt cauſa attingens effectũ ſit illi præſens immediatè per aſſentiã, ſeu vt tangat effectũ mathematicè, ſeu metaphyſicè, ſed ſolũ ſufficit virtualis contactus: nã Scotus in primò d. 36. dicit quod omnipotentia non inuoluit neceſſariò immẽſitatẽ in Deo; ſi enim Deus non eſſet immenſus, & eſſet omnipotens nihilominus immediatè ageret ad omnes effectus: nec requiritur contactus mathematicus; quia corpora cœleſtia producunt mineralia in viſceribus terræ: hinc fit Deum defacto ad vniuerſos effectus concurrere hac immediatione ſuppoſiti in eſſendo, materialiter, ſaltem ratione immenſitatis realiter identificatæ actiuæ virtuti in diuino ſuppoſito. Sed loquendo de immediatione ſuppoſiti in agendo, ex eo quod Deus eſt omnipotens, concurrit neceſſario ad omnes effectus tali immediatione, quæ reſpondet præſentiæ Dei per potentiam reſpectu omnium poſſibilium. Probatur: ſicut Deus agit immediatione virtutis ſic neceſſario conſequentèr agere debet immediatione ſuppoſiti in agendo, quæ importat omnipotentiam Diuinam identificatam Diuino ſuppoſito. Si dicatur ex ferrara negante poſſe Deum agere cum cauſis ſecundis immediatione ſuppoſiti; quia repugnat duo ſuppoſita realiter diſtincta agere ad eundẽ effectum cum eſſentiali ſubordinatione; & cauſa ſecunda agit immediatione ſuppoſiti ergò Deus ſic non agit. Maior probatur; quia eſſentialis ſubordinatio importat vt vnum agat mediante alio; ergo ſecunda mediante prima cauſa; ergò ſi ſecunda agit immediatione ſuppoſiti, non prima. Item Deus agit quodammodo mediatè; & immediatè; ergò ad ſoluendam contradictionem, dicendum eſt, quod agat immediatè immediatione virtutis, ſed mediatè mediatione ſuppoſiti. Dicimus ad primũ: Cauſam ſecundum agere mediante prima non eſt hanc agere remotè, & non per immediatum influxum; ſed dicit præcisè nunquã ſecundam cauſam poſſe agere, niſi agente prima. Ad ſecundum dic, quod Deum agere mediatè, ſolum eſt reſpectu influxus creaturæ, ſed reſpectu ſui agit omni immediatione; quia actio creaturæ etiam tribuitur Deo, qui dedit ſibi virtutem agendi. Si dicatur: Deus agit medijs cauſis ſecundis aliquid; ergo mediat inter Deum, & creaturas; ergò mediatè agit ſaltem mediatione ſuppoſiti. Reſoluitur: quod nihil mediat loquendo de mediatione cauſæ, ſed ſolum mediatione effectus aliquid mediat. Obiter nota, parum Scoticè concedere nõnullos ex noſtris eandem indiuiſibiliter eſſe actionem Dei, & creaturæ; niſi intelligant de re acta, quatenus eſt fluens. Mouemur ad hoc: quia impoſſibile eſt quod vnum, & idem indiuiſibiliter ſit, & non ſit, ſitquè ens rationis, & ens reale: ſed ad poſitionem termini ceſſat, & perit actio creaturæ, & remanet actio Dei: nam vt docet Scotus eſt eadẽ conſeruatione: tum quia actio Dei, vt diſtinquitur à productione paſſiua, eſt formaliter ens rationis; nihil enim reale nouum poteſt poni in Deo; actio autem creaturæ eſt quòd reale ſubiectatur in ipſa creatura. Deniquè quia multiplicatis terminis, multiplicãtur relationes. Sed Deus & creatura ſunt diſtincti termini; ergò vna indiuiſibilis actio nõ poteſt poni in eodem. Nota quod diuinus concurſus ex ſe ſufficiens eſt, & totalis, non ſolum totalitate cauſæ, ſed eiam effectus ad ponendum effectum in eſſe reſpectu cauſarum ſecundarum; vnde ſi tales non agerent, nihilominus forent effectus, quia ſi Deus ageret ſe ſolo, non ageret intenſiùs, & perfectiùs, quàm ſi agat concurrentibus cauſis ſecundis; ergò ſi tunc ille concurſus eſſet ſufficiens, & modo. Verum tamen eſt, quòd defacto dicitur partialis, & inſufficiens ſecundum quid, pro quantò admittit ſecum concurſum, & conſortium cauſarum ſecundarum, quæ defacto actiuæ ſunt. Patet, quia ſtante lege communi qua decreuit

Digitized by Google

producere effectus cum concurſu cauſarum ſecundarum, & non producere illis non concurrentibus; igitur ambarum cauſarum concurſus neceſſarius eſt tamquam cauſarum partialium integrantium vnam cauſam totalem. Si dicatur contra: quia ſi Deus ſolus ageret intenſiùs, & fortiùs ageret: ergò de facto concurrentibus cauſis ſecundis agit remiſſiùs, & ſic eius concurſus eſt partialis, & inſufficiens. Reſpondetur, quòd intenſius agit Deus ſaltèm extenſiuè, quando agit cum cauſis ſecundis, quàm quando agit ſolus ex Scoto d. 37. q. vnica ſub O. in 2. quia prius cauſat, & conſeruat cauſas ſecundas, & poſtea cum illis agit. Falſum eſt antecedens: conſequentia etiam, & conſequens, ſcilicet; quod ſit partialis, & inſufficiens ſimplicitèr concurſus. Dices: ergò ſuperuacaneus eſt concurſus cauſarum ſecundarum, cum ille ſit ſufficiens ad producendum. Reſpondetur: quod licèt ſit ſufficiens, eſt tamen inſufficiens ſecundùm quid quoad modum: quia ſua libertate concurrit Deus tanquam cauſa partialis, & inſufficiens, nec effectus intelligitur productus; quia in eodem inſtanti attingeret prima, & ſecunda cauſa, & eſt ſolum ordo quoad cauſandum.

Nota, quod ad omnem actum, qui veſtibulum attingit ſupernaturalitatis requiritur diuinum auxilium, tum extrinſecum, tùm intrinſecum: hinc diſtingui ſolet actus in naturalem, & ſupernaturalem: ille eſt, qui totam naturæ facultatem non tranſcendit, & poteſt ſolis naturę viribus cum communi influentia ab homine attingi: iſte verò eſt, quem concurrentibus omnibus cauſis naturalibus, non poteſt homo ſolis naturæ viribus attingere. Scito tamen actus poſſe dici ſupernaturalis duplicitèr, ſecundùm modum, & ſecundùm ſubſtantiam. Supernaturalis ſecundùm modum dicitur, quia licèt ſecundùm ſuam entitatem non tranſcendat facultatem naturæ; modus tamen excedit: vt viſio cœci nati, & reſurrectio Lazari. Actus ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, eſt ille, qui à nullo poteſt fieri niſi ab agente ſupernaturali, ſupernaturalitèr agendo, vt viſio Dei, fruitio, &c. Dari aliquos actus, quos homo ſolis naturæ viribus, & cum generali concurſu efficere numquam poſſit; patet ex mille locis ſacræ Scripturæ, vt infra. Probatur à Scotò q. 1. prologi ſub C. Vltimus finis hominis; eſto naturalis ſit ſecundùm inclinationem; ſecundùm attingibilitatem omnino excedit vires naturæ: ergò datur aliquis actus, quem homo ex ſolis viribus naturę non poteſt attingere, & indiget ſupernaturali auxilio; & nota, quod ſub iſtis actibus non ſolum compræhenduntur illi, quibus de condigno homines ſanctificati promerentur vitam æternam; ſed etiam illi, quibus diſponuntur ad ſanctificantem gratiam de condigno recipiendam. Requiſita, vt iuſtificemur, tria potiſſimum ſunt. Primum eſt fides. ſine fide enim (vt ait Apoſtolus) impoſſibile eſt placere Deo, Secundum eſt dilectio Dei ſuper omnia: eſt enim hoc primum, & maximum mandatũ, vt Deum in toto corde, & totis viſceribus diligamus. Tertium verò præcipuè requiſitum ad iuſtitiam, eſt pœnitentia; hæc enim, vel formalitèr, vel ſaltem virtualitèr eſt neceſſaria, vt conſequamur Dei gratiam, cum rei fuerimus peccati mortalis; nemo namquè poteſt nouam vitã inchoare, vt ait D. Auguſtinus de pœnitentia d. 1. & Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. quin eum pœniteat vitæ prioris. Virtualis pœnitentia eſt omne id, quod virtutem, & vicem habet pœnitentiæ, vel quod virtualitèr includit illam: vt dilectio Dei ſuper omnia, martyrium, &c.

Noſtra præſens doctrina definita eſt in Can. 5. Concilij Milleuitani, cuius hæc ſunt verba: Placuit, vt quicunque dixerit, ideò nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitriũ, facilius poſſimus implere per gratiam, tanquam, & ſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa implere diuina præcepta, anathema ſit; de fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait, ſine me difficilius poteſtis facere, ſed ait ſine me nihil poteſtis facere. Decretum hoc approbatum fuit ab Innocentio, cuius auctoritate Cõcilium congregatum fuit; idq; tàm conſtantèr, vt doctrinam cõtrariam peruerſam, peruerſarumque mentium, & prauiſſimam appellet. Approbauit eundem Canonem, & velut proprium Apoſtolicę Sedis amplexus, eſt Cœleſtinus primus cap. 1. ſuæ Epiſtolę. Definitum eſt in Concilio Carthaginenſi, vt in Epiſtola ad eundem Innocentium, vbi

Digitized by Google

vbi ita legitur, dicunt hæretici, quod poſſet naturalitèr legem implere, qui vult, & poſt pauca: perſuadere non ceſſant ad operandam, percipiendamque iuſtitiam,& Dei mandata complenda, ſolam ſibi humanam poſſe ſufficere naturam, non attendentes, quod ſcriptum eſt Romanorum 8. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram, & Romanorum 9. non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei, Romanorum 12. Vnum corpus ſumus in Chriſto Ieſu, Singuli autem alter alterius membra, habentes dona diuerſa ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis. Fauet illud Pauli; gratia Dei ſum, id quod ſum,& gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum; & ibidem; gratias ago *Deo*, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & quia idonei non ſumus aliquid cogitari à nobis, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & eminentia ſit virtutis Dei, & non ex nobis, & innumerabilia, quæ ſi de Scripturis omnibus colligere velimus, tomus non ſufficit; hæc ibi. Et Innocentius in Epiſtola, quam ad hoc Concilium reſcripſit, iſta omnia approbauit, vbi poſt aliqua argumenta, quibus eandem ſententiam firmauit, ita ſubdit: Quiſquis ergò huic aſſentiens videtur eſſe ſententiæ, qua dicat, adiutorio nobis opus non eſſe diuino, inimicum ſe Catholicæ fidei, & Dei beneficio profitetur ingratum. Hæc ille.

Non eſt igitur cur laboremus oſtendere ex ſacra Scriptura hanc noſtram doctrinam cum tot, & adeò aperta ſint in ea teſtimonia illam oſtendentia, vt omnis, qui competentèr fuerit imbutus gratia, ex ſeipſo facilè poterit ipſa videre, & in claram veritatem noſtram venire. Regius Propheta præcipuè ſuæ naturæ imbecillitatem agnoſcens, continuò deprecabatur Deum in Pſalmo dicens 26. Adiutor meus eſto ne derelinquas me Deus ſalutaris meus; & Pſalmo 123. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, & niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea; Et in Pſalmo 117. Impulſus euerſus ſum, vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. Poſſet etiam probari hac ratione; Neceſſarium eſt humiliter implorare Diuinum auxilium, vt impleamus præcepta Dei: ergò vires noſtræ naturales ſunt inſufficientes adhoc. Conſequentia patet. Antecedens probatur: niſi enim oratio ad hoc eſſet neceſſaria, non dixiſſet Chriſtus Lucæ 18. oportet ſemper orare,& non deficere: nec vt rem adeò neceſſariam admonuiſſet, nos inter alia, quæ ſunt in oratione Dominica, & id orate, ne intretis in tentationem; neque David adeo frequentèr, ac toto ferè corpore Pſalterij poſtularet dirigi vias ſuas ad cuſtodienda Dei præcepta: Non enim oramus, vt nos calefaciat ignis, & frigefaciat aqua, & illuminet Sol; cum certò ſciamus iſta infallibilitèr affutura nobis ex ſolo Dei generali concurſu. Vſi ſunt hoc argumento in Pelagium,& Cœleſtinum, illudq; efficaciſſimum exiſtimauere Patres in Epiſtola Concilij Carthaginenſis citata; quorum hæc ſunt peritiſſima verba: Conſideret Sanctitas tua, & paſtoralibus nobis compatiatur viſceribus, quàm ſit peſtiferum, & exitiale ouibus Chriſti, quod ad iſtorum ſacrilegas diſputationes ſequitur neceſſario, vt nec orare debemus, ne intremus in tentationem, quod Dominus diſcipulos monuit, et poſuit in oratione, quam docuit, et ait non deficiat fides veſtra, quod pro Apoſtolo Petro ſe rogaſſe ipſe teſtatus eſt, ſi enim poſſibilitate naturæ, et arbitrio voluntatis in poteſtate ſunt conſtituta, quis non ea videat inanitèr à Deo peti, et fallacitèr orari, cum orando poſcantur ea, quæ naturę ita conditę ſufficientibus viribus obtinetur: nec debuiſſe dicere Dominum Ieſum vigilate, & orate, ſed tantummodo vigilate ne intretis in tentationem, nec Beatiſſimo Petro primo Apoſtolorum, rogaui pro te, ſed moneo te, vel impero, aut præcipio, ne deficiat fides tua. Hæc ibi. Accedat ratio, & eſt; quia ſi apud homines qui noſtris operibus neque indigerent, neque iuuari poſſent, & qui ad noſtram amicitiam nullis legibus eſſent adſtricti; mereri certè non poſſemus in eorum odio, & inimicitia exiſtentis, imò abſolutè mereri non poſſemus aliquid, niſi ex eorum gratia, & amicitia nobis benignè, & liberalitèr communicata; quantò magis apud Deū qui bonorum noſtrorum nullo pacto indiget, nec bonis operibus noſtris adiuuari poteſt, neque ad noſtram amicitiam vlla

lege

lege tenetur, non ſolum non poterimus mereri exiſtẽtes in odio, & inimicitia eius, verum, nec abſolutè aliquid mereri poterimus, niſi ex ipſius gratia, & liberalitate nobis communicata. Præterea ſi nullus ſeruus, aut ſubditus Imperatoris tantum ſibi blanditur, ex ſuis meritis, vt credat ſe poſse mereri, vt adoptetur ab Imperatore in filium, & hæredem ſui imperij; Cur igitur nos ex noſtris meritis tantum nobis pollicebimur, vt credamvs ex filijs huius ſæculi, carnis, terræ, & Diaboli, et ex immundis parentibus impijs; filij gratiæ, & miſericordiæ noui teſtamenti ipſius Dei, hæredes æternæ gloriæ, & diuinæ tandem naturæ efficiamur conſortes?

Noſtram doctrinam hoc impugnat argumentum. Deus non præcipit cuipiam aliquod impoſſibile: iugum enim eius ſuaue eſt, onus eius leue, Matthæi 11. & mandata eius prauia non ſunt, & anathema eſt (ait Hieronymus) illi, qui dixerit Deum nos obligare ad impoſſibile. Et Aug. 3. de libero arbitrio cap. 18. quis (inquit) peccat in eo, quòd omninò cauere nullus poteſt? Cum igitur Deus mandauerit teſte Pſamiſta Pſalmo 118. mandata ſua cuſtodiri nimis erit eorum cuſtodia, & executio poſita in noſtra poteſtate; alioquin iniuſtè damnarentur diuinorum mandatorũ tranſgreſſores: nemo enim vituperium meretur, nec damnationem pro eo, quod vitare non poteſt. Reſpondetur, quod Deus ſemper paratus eſt adiuuare omnes ad ſeruandum ſuam legem, nec deficit in re adeò neceſſaria, ſed ne ſuperbiremus, ſed potius ab eo toti penderemus, noluit, & forſan non potuit, ex vi dependentiæ, quam habet creatura ad Deum, eas nobis præſtare vires, vt ſine ſua gratia, & fauore ſpeciali, ſeruare poſſimus omnia mandata; vt verè autem poſſe dicamur, ſatis eſt nos cum ſua gratia poſſe, & ipſum ſemper eſſe paratum eam præſtare non ponenti obicẽ.

PROPOSITIO XVI.

Poſſe hominem ſolis naturæ viribus efficere aliquod opus bonum morale ex circumſtantijs probatur.

PRimo: idem actus ex obiecto indifferens poteſt eſſe nunc bonus, nunc malus vniformitèr ſe habente operante, poſita tantum lege extrinſeca, ſed quando eſt malus poteſt fieri viribus naturæ: ergò etiam quando eſt bonus bonitate extrinſeca, quę conuenit ipſi ratione præcepti. Patet ſequela: quia nulla eſt difficultas maior, vel minor in actu ſiuè ponatur, ſiue auferatur præceptum. Accedit, quod homo in ſtatu innocentiæ potuiſſet ſolis naturæ viribus elicere opus moralitèr bonum; ergò in ſtatu naturæ lapſæ poteſt homo operari aliquod opus morale bonum, ſaltem ex circumſtantijs. Conſequentia patet: quia ſi per peccatum liberùm arbitrium eſt infirmatum, non tamen totalitèr extinctum eſt, vt habet Tridentinum ſeſſ. 6. can. 5. Vndè ſicut homo infirmus licèt non poſſit exercere omnia opera, quæ poterat ſanus, poteſt tamen aliqua facere, alioquin non infirmus, ſed mortuus eſſet iuxta illud Proſperi contra Collatorem: Si enim nec ad iſta terrena ordinanda, rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata eſſet, ſed extincta natura. Fauet Gregorius hom. 27. in Euangelium ſuper illud Ioannis 15. hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c. vbi inquit: Sunt nonnulli, qui diligunt proximos, ſed per affectum cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione ſacra eloquia non contradicunt. Accedat aliud argumentum: Aliquando occurrit, vt opus aliquod ſuapte natura ſit facillimum, nihilq; habeat difficultatis, verbi gratia dare pauperi fruſtum panis, vel parum aquæ. Item fieri poteſt, vt nulla tentatio vrgeat: non enim perpetuæ ſunt tentationes, vt docet experientia, & quamuis fateamur illas eſſe frequentiſſimas, non tamen omnibus, ac ſingulis momentis. Item poſſibile eſt, vt Paganus in tali opere nihil cogitet aliquando propter ſolam honeſtatem virtutis, vel maximam pàuperis inopiam; ergò tunc nil obſtabit, quin opus bonum morale impleatur per ſolas naturæ

vires

Digitized by Google

vires. Faueat noſtræ Propoſitioni aliud argumentum; Ex oppoſito illius ſequeretur hominem eſſe imperfectiſſimum, non ſolùm omnium animalium, ſed omnium etiam creaturarum. Probatur ſequela: quoniam nulla eſt res naturalis; quæ circa ſuum proprium, & naturale obiectum non valeat benè, & debitè operari; ſed non minus eſt naturale homini viuere ſecundùm rationem, quam igni comburere, & alijs animalibus veſci: Ergò, &c. Adde, quod vt benè ait Sotus in 1. lib. de natura; & gratia cap. 29. videtur ridiculum dicere, quod poſſit homo edere aliquod pomum ſibi nociuum, hac intentione, quod noceat illi, & tamen non poſſit edere illud, quod eſt vtile, vt ſibi ſit vtile. Quod hoc ſequatur ex opinione nobis oppoſita, indè patet: quia edere aliquod pomum, vt proſit vitæ meæ eſt finis honeſtus, & virtuoſus, & per conſequens bonus, ſi aliquo alio fine malo nō vitietur: quod ſi hoc poſſem, poſſem etiam operari bonum morale ſine auxilio ſpeciali; quod negant Auctores oppoſitæ ſententiæ.

Accedant, & etiam pro noſtra propoſitione probationes ex auctoritatibus. Tridentinum ſeſſione 3. can. 3. loquens de actibus, quibus ad iuſtificationem diſponimur, ita ait. Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœniteri poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Ponderanda illa particula; ſicut oportet, &c. nam Concilium videtur ſupponere, poſſe hominem ſine ſpeciali adiutorio operari aliquod bonum, non tamen ſicut oportet ad iuſtificationem, aliàs illa limitatio addita eſſet à Concilio inutilitèr. Audiatur idem Tridentinum in decreto de iuſtificatione cap. 1. dicens: Si quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt abſque diuina per Ieſum Chriſtum gratia, poſſe iuſtificari coram Deo, anathema ſit. Ponderanda illa verba, per naturæ humanæ vires: quibus in verbis clarè fatetur Tridentinum poſſe hominem per ſolas naturæ vires efficere aliquod opus moralitèr bonum, &c. manifeſtè enim ſupponit Concilium poſſe hominem habere aliqua opera bona per ſolas naturæ vires, aut per ſolam legis doctrinam: hæc autem opera, quæ ſupponit Concilium fieri hoc modo, non ſunt mala ex hoc ſolum, quod fiant per naturæ vires, nec etiam indifferentia, quis enim aſſeruit poſſe homines per opera mala, aut etiam indifferentia poſſe iuſtificare? Damat ergo Concilium ibi Pelagium eò quod dicebat illa opera bona ſufficere ad iuſtificationem; non verò damnat, eò quod diceret poſſe eſſe bona moralia, etiam viribus naturæ facta. Deindè probatur noſtra Propoſitio auctoritate Pij Quinti, qui in Bulla edita anno Domini 1567. & poſteà 1579. confirmata à Gregorio XIII. damnat has propoſitiones Michaelis Baij Decani Louanienſis, quæ talis erat: Cū Pelagiano ſentit, qui aliquid boni operis naturalis, hoc eſt, quod ex viribus naturæ ortū ducat, agnoſcit. Nec valet quod reſpōdet Vaſquez, ſcilicèt propoſitionem Baij non damnari ratione doctrinæ, ſe ratione cenſuræ; quatenus noſtram ſententiam Pelagianam, vocabat, veluti, ſi quis aſſereret Beatam Virginem conceptam eſſe cum originali peccato, vel ſine illo nō eſſet dignus cenſura; attamen ſi quis adhæreat alteri opinioni cenſurando contrariam, iſte damnabilis eſt, vt colligitur ex Decreto Sixti Quarti in Extrauagante: Graue nimis de verberum, &c. & ex Tridentino ſeſſ. 5.

Debilis quidem ſolutio iſta: licèt enim admittamus ibi non damnari doctrinam, ſeu ſententiam oppoſitam noſtræ, ſed tantum cenſuram; tamen habemus intentum; quippe duo, quæ multum noſtram extollunt ſententiam iam habemus: primum eſt noſtræ ſententiæ ſecuritatem; ſiquidem Pontifices eum, qui illam notare, & ad Pelagium reuocare auſus fuerit, condemnant; cum de ſecuritate oppoſitæ ſententiæ non ita conſtet: Secundum nobis vtile, quod ex prædicta ſolutione habemus, eſt, quod cum Eccleſia declarauerit, nihil Pelagianum noſtram ſententiam habere, conſequentèr declarauit nullam auctoritatem pugnantem contra Pelagium impugnare noſtram, & hoc manifeſte patet: nam ſi aliquod teſtimonium adductum contra Pelagium noſtram ſententiam aliquo modo impugnat: ergò noſtra ſententia aliquid habet commune cum Pelagio, quod eſt contra Decreta iſtorum Pontificum.

Noſtris rationibus occurrit Gregorius, docens

docens illas minimè demonſtrare veritatem à nobis intentam, & hoc quia ad bonitatem operis moralis requiritur ipſam expræſsè & formaliter referri ad Deum, & ad hoc requiritur auxilium ſpeciale.

PROPOSITIO XVII.

Vt aliquod opus ſit bonum morale, non eſt neceſſarium, vt ab operante referatur actu, vel virtute in Deum, ſed ſufficit, vt referatur in finem honeſtum.

AD pleniorem veritatis intelligentiam noto, quod ſicut in agentibus videmus vnum eſſe neceſſariò primum agens ſimplicitèr, tamen poſſunt eſſe plura agētia ſub illo prima, nō quidē ſimpliciter prima, ſed prima in aliquo genere, v. gratia, Dux eſt primus in genere militiæ, Iudex eſt primus in ratione iudicij, omnes tamen hi primi, ſunt ſub primo ſimplicitèr vno, ſcilicet ſub Rege. eodem ſe habent rerum fines; eſt enim vnus ſolus ſimpliciter finis, tamen hoc non tollit, qnin in rebus ipſis ſint plures vltimi fines, non quidem ſimplicitèr, ſed in genere, verbi gratia in genere militiæ victoria eſt vltimus finis, nam omnia ad victoriam ordinantur, non tamen ſimpliciter eſt vltimus finis, quia ipſa quoque ordinatur ad vlteriorem finem, ſcilicet ad pacem Reipub. Eſt autem hæc propoſitio in illis finibus, quod vltimus in aliquo genete omnia illius generis trahit ad ſeipſum, ipſæ autem ex ſua natura intrinſeca trahitur ad ſuum finem vlteriorem. Ex hoc patet, quòd quando quis operatur in aliquo licet nec actu, nec virtute dirigat opus ſuum in vlteriorem finem, qui ſit finis vltimus illius generis; tamen iſtud opus ex natura ſua refertur etiam in vltimum ſimplicitèr finem. Moneo etiam, quod dirigere omnia opera noſtra in Deum vltimū finem, poteſt fieri nature viribus: Cognoſcitur enim pet naturam, quod Deus ſit vltimus finis noſter, & quod omnia debent dirigi in vltimum finem, & ita nos naturaliter cognoſcimus, quod debemus omnia opera noſtra dirigere in Deum, vt in vltimum finem. Sed ſcito, quod dirigere omnia in Deum poteſt fieri dupliciter. Primò modo explicitè, per actum expreſſum, ſcilicèt, quo opera noſtra dirigam in Deum: Alio modo implicitè, dirigendo ſcilicèt omnia eo modo, quo ſunt dirigibilia, & quod Deus omnia creauit propter ſe, ſuo tamen ordine; aliqua enim creauit propter alia, vt diuitias, honores propter virtutem; alia creauit immediatè propter ſe, vt ipſum hominem; ideò cum entitas rei ſit bona, & quantum eſt res bona, tantum ſit amabilis: quando res amatur vt eſt, amatur vt diligibilis: ſi ergò illæ res, quæ immediatè ſunt propter Deum amantur, vt in ſe bono ſunt, ſine aliqua ordinatione actuali amantur, & propter Deum fiunt: & de prima ad vltimum ſequitur, quod diligere finem honeſtatis, & ea, quæ immediatè ſunt proptèr Deum, eſt diligere ea vt bona ſunt, & amare propter Deum. Nota etiam præceptum diligendi Deum ſuper omnia, & per conſequens dirigendi omnes noſtras actiones in eum tanquam vltimum finem, eſſe præceptum affirmatiuum, ac proindè non obligare ad ſemper, & pro omni tempote, ſaltim actu explicito; quare non in quolibet actu tenetur homo dirigere ſuas actiones in Deum vltimum finem, ſaltim explicitè, ſed ſufficit id facere implicitè ad modum dictum. Iam probatur noſtra Propoſitio. Nunquam aliquis actus redditur vitiatus, vel redditur malus propter omiſſionem circumſtantiæ, ad quam homo non tenetur, ſed circumſtantia hæc dirigendi omnia explicite in Deū nō obligat ſemper ad eam, vt probauimus: ergò omiſſio eius non vitiat actum, ex ſe alias bonum. Accedat alia ratio; quotieſcumque aliquis facit opus bonum ex genere propter finem bonum, & ſufficientem, operatur benè moraliter, ſed ſine auxilio Diuino poteſt is ſæpè operari opus bonum ex genere: ergò ſi illud operatur pròpter finem bonum, illud opus erit bonum morale; ſed finis bonus, & ſufficiens ad operandum eſt bonum honeſtum; ergò minimè eſt neceſſe in quolibet actu referre ipſum in Deum, vt vltimum finem.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XVIII.

Alijs rationibus confirmatur noſtra Propoſitio, & examinatur opinio P. Vaſquez.

SIne ſpeciali auxilio poteſt intellectus cognoſcere verum practicum, ergò & & voluntas proſequi bonum. Patet conſequentia: quia non minus inclinata eſt voluntas, nec minus ſi debetur auxilium ad bonum, quàm intellectui ad verum. Deindè cuncta irrationalia cum ſolo auxilio generali operantur actus ſibi proportionatos: ergò & homo id poterit. Dices, ex dignitate hominis prouenire, vt non poſſit ſine auxilio ſpeciali operari. Contra: Maior videtur dignitas hominis habere ſufficientes vires ad actus proportionatos cum ſolo auxilio generali efficiendos; ergo, &c. Accedat in fauorem noſtræ propoſitionis ratio illa. qua utitur D. Thomas, dum probat intellectum ſolo auxilio generali attingere poſſe cognitionem obiecti naturalis: Omnis cauſa habens ſufficientes vires ad aliquem effectum ſibi proportionatum, poteſt illum producere ſolo auxilio generali: ſed voluntas habet ſufficientes vires ad actus virtutum naturalium, & illi ſunt voluntati proportionati, vt per ſe patet; ergò poteſt illos efficere per vires naturales, concurrente Deo per concurſum generalem. Minor probatur: quippè in voluntate duplicem vim ad iſtos actus poſſumus conſiderare: alteram ex parte ipſiuſmet voluntatis, quæ non diſtinguitur à voluntate. Alteram ex parte intellectus, ſcilicèt cogitatio, & propoſitio obiecti; (ſiuè hæc phyſicè concurrat ad actum voluntatis, ſiuè moralitèr tantum excitando, & ſuadendo, vt probabilior opinio fert cũ Scoto in 2. d.25. vtraque potentia ex iſtis eſt proportionata ad actum virtutis moralis: prima enim eſt proportionata actui, cum ſit ipſamet voluntas: Secunda etiam eſt ſufficiens in ſuo genere: quia tale iudicium nõ excedit naturales vires intellectus proponentis obiectum volũtati: Cum ergò omnia principia ad actum virtutis naturalia ſint, & proportionata; cur voluntas non poterit generali auxilio, ſi velit, actũ virtutis elicere?

Pater Vaſquez reſpondet voluntatem nunquam operari, niſi præcedente in intellectu ſancta, & congrua cogitatione, quæ ſcilicèt infallibilitèr conſequatur effectum, quod autem illi offeratur potius hæc cogitatio, quàm alia, gratiã eſſe ſpecialem. Contra: ego quidem nõ dubito quin requiratur hęc cõgrua cogitatio, dico tamen immeritò nuncupari gratiã: nã illa congrua cogitatio poteſt prouenire ex generali prouidẽtia, & ex debito ſecundum illam; ergò minimè eſt gratia. Antecedens patet; quia per hoc ſolum, quod Deus decreuerit mundum hũc creare, & cunctas res relinquere in ſuo curſu naturali, vel circa illas ſpecialitèr diſponendo, multæ ſe offerunt occaſiones congruè rectè cogitandi, & operandi; ergò quod res ita ſe habeant, effectus eſt diuinę prouidentiæ generalis. Rem declaro ſuppoſita ſcientia conditionata. quam non negat Vaſquez: Cognouit Deus ſi crearet hunc mundum relinquendo res in ſuo curſu naturali, quod offerrerentur illi multa motiua ad rectè cogitandum, verbi gratia, de bono temperantiæ; ergò voluntas poſſet talem temperantiam amare; ergò non ſolum talis voluntas eſt effectus ſequutus ex illa cognitione, quod non ſit gratia; quinimò quandò Deus impediret illam cogitationem ex parte intellectus, vel voluntas faceret contra naturalem prouidentiam: quippè congrua cogitatio facta per oblationem obiecti, non excedit vires naturales intellectus, cum ſit effectus maximè illi proportionatus; ergo reſpectu intellectus non eſt gratia; ergò nec reſpectu voluntatis. Patet conſequentia; quia voluntas conſequitur intellectum, & cum eo habet proportionem; ergò quod intellectus poteſt dictare lumine naturali, poterit voluntas viribus ſuis naturalibus velle. Sit aliud argumentum: vel gratia illius congruæ cogitationis de bono naturali ordinis conſiſtit in ipſo obiecto cogitando, vel in ipſo actu cogitationis: ſi dicatur conſiſtere in primo, ſcilcet in eo, quod occurrat obiectum bonum cogitandum, cum poſſit occurrere malum: hoc non eſt dicendum: quia ſine vlla gratia, ex ſolo curſu cauſarum naturalium, generaliquè prouidentia, plura obiecta bona rectæ cogitationis efficacitèr dirigentis ad volitionem boni honeſti, occurrere ſine dubio poſſunt. Patet; quia proprium, & connaturale generali rerum curſui eſt, quod homo naſcatur ex parentibus, & ab illis educatur

Digitized by Google

catur, indigeatquè alimentis, & vitæ ſubſidijs: ergò ſecundum communem rerum curſum, niſi homo bellua ſit, neceſſe eſt occurrant illi obiecta cogitationis inducentis efficacitèr hic, & nunc ad cultum parentum eliciendum, & ad ſubueniendũ ſaltem in grauioribes neceſſitatibus,& certè hoc talitèr diſtat à gratia, quod potius ipſa ſit mera natura: nec enim aliter illa poſſet ordinari à Deo, niſi ingenti monſtruoſitate; & peruertendo non ſolùm politicam communicationem hominum, ſed etiam naturalem modũm generationis, & ſubſtentationis. Confirmatur: quia in phãtaſmatibus naturalitèr, & ſecundùm communem curſum rerum,ſunt ſpecies intelligibiles talium obiectorum bonorum, ſicut & obiecti mali; ergò ſine aliqua gratia poteſt occurrere aliquod ex illis obiectis, nempè bonum eſſe ſubuenire parentibus.

Dicit Vaſquez præcipuè diſputatione 189. cap. 15. num. 128. quod præcedens doctrina, vel ſimilis; quam adducimus,ſit indigna Theologo: nam quis obſecro (ait Vaſquez) alius, quàm Deus hanc rerum naturalium ſeriem, æterna ſua prouidentia adminiſtrauit? non à caſu res ita eueniunt ergò ex gratia. Certè Pater Vaſquez eſt rigoroſus; Vnde iſte diſcurſus? Obiectum naturale bonum occurrit cogitandum; non à caſu, & fortuitò; ergò ex gratia? occurrit namque ex generali prouidentia, ſicut ex eadem generali prouidentia etiam ſecundum Vaſquez prouenit, quod ignis calefaciat hic, & nunc, vel quod bellua congruam quærat ſuſtentationem. Si dicatur ſecundum, ſcilicèt gratiam non conſiſtere in eo, quod occurrat obiectum cogitandũ, quinimo ſuppoſito tali obiecto præſentato; tunc gratia eſt, quod intellectus indicet bonum eſſe proſequendum, & malum fugiendum, parentes videlicet honorandos non ſolum ſpeculatiuè: ſed practicè hic, & nunc,talitèr quòd ex vi illius boni cogitati infallibilitèr excitatur voluntas vt actum bonum eliciat. Contra: nam totum hoc haberi poſſe ex nuda natura,& generali prouidẽtia patet,& in primis,intellectus,vt Vaſquez cõcedit nõ indiget gratia perChriſtũ, vt iudicet parentes eſſe honorandos, nec etiam vt iudicet eſse honorandos hic, & nunc; quia poſtquam naturalitèr iudicauerit intellectus parentes eſse honorandos, tunc poterit iudicare naturaliter hic,& nũc eſſe honorandos parentes, & in tam graui neceſſitate eſse illis ſubueniendum. Inſuper, quòd hoc iudicium, ſeu bonum cogitatum ita excitat voluntatem, vt defacto amplectatur, illud bonum naturale non eſt aliqua gratia: quia vt ipſe Vaſquez fatetur, poteſt eſse cogitatio quædam bona ſufficiens ad excitandam volntatem ad bonũ, licèt non ſit efficax abſquè gratia; ergò poteſt eſse cogitatio efficax abſquè gratia. Conſequentia patet: quia auxilium efficax debet eſse eiuſdẽ ordinis cum auxilio ſufficieuti. Nec poteſt dici, vt excitetur voluntas ad cooperandum, neceſsarium eſse proponi per cognitionem bonum boneſtũ, tanquam maius bonum, quod eſt gratia: Nam in primis hæc doctrina eſt falſa, multoties namquè vult voluntas minus, ſeu æquale bonum cognitum vt tale. Inſuper licèt illud ſit verum, quis dubitet ſine gratię lumine ſolum naturali, poſse intellectũ maius bonum, vt maius etiam hic, & nunc amplectendum cognoſcere?

Accedat alia ratio: Cogitatio aliqua congrua debita eſt naturæ humanæ, & etiã principium ad illam neceſſarium: ergò non bene aſſerit Vaſquez eſſe indebitam gratiam. Antecedens probatur: nam eo ipſo, quo Deus fecit hominem liberum, & indiferentem ad bonam, & malam operationem, conſentaneum eſt naturæ, imò debitum eſt vt non ſemper vnam partem proſequatur, ſed nunc vnam, nunc alteram, vt ſic melius ſaluetur libertas, & contingentia: conformius enim eſt naturis rerum magiſquè cauſis naturalibus proportionatum, vt omnis ratio actus naturalis exerceatur aliquando; ergò &c. Confirmatur: quia cum bona operatio ſit naturæ rationali conformis,& mala contra ipſam, magis eſt debita naturæ rationali bona operatio,quam mala. Confirmatur: quia multæ bonæ operationes debitæ ſunt ipſi naturæ humanæ, ſi politicè, & prudentèr gubernanda eſt; ergò &c. Antecedens probatur: quia ſine pluribus bonis operibus, ſine veritate, & fidelitate, ſine iuſtitia, & honore parentum minimè poſset hominum vita, & naturæ inſtituto perſiſtere; ergò prouidentia generalis eſt, & non gratia, aliqua bona opera ab hominibus fieri. Confirmatur: quia impoſſibilis videtur talis diſpoſitio,

Digitized by Google

tio, & prouidentia generalis Dei circa homines, in quâ ſi Deus ſinat communem curſum cauſarum ſecundarum in tanta occaſione, & hominum multitudine, interdū non ſint aliqua bona opera, niſi Deus ſumat curam peculiaritèr impediendi opus bonum; quod alienum eſt à bonitate diuina. Confirmatur: quia ſi bona operatio, ſeù cogitatio ad illam requiſita, mera gratia eſset; poſset Deus ſecundum prudentem gubernationem naturam rationalem creare ſine tali gratia: ſed non poteſt ſic illam condere; ergo non eſt gratia. Conſequentia patet: quia nihil magis debitum naturæ, quàm illud, quod Deus ſecundū prudentem gubernationem ei denegare nō poteſt. Minor probatur ex Confirmatione præcedente: Maior autem patet: quia gratia eſt ſupra naturam rationalem illiquè indebita; ergò recte gubernari poteſt intra limites naturæ ſine ea; aliàs iam gratia non eſset gratia, ſed natura. Deus, aliqua auxilia ad bene operandum, vage, & indeterminate ſumpta deberi naturæ rationali in ſpecie, ſicut etiam patet de ſe eſse aliqua mala opera; eſse tamen gratiam reſpectu cuiuſcumque indiuidui, quod ei detur auxilium efficacitèr excitans ad bonum & non ad malum. Exemplo res declaratur: ſi hæres ex vi alicuius legati teneatur alicui dare vagè aliquod vas argēteum ex multis quæ defunctus relinquit; aliquam gratiam facit, ſi non det viliſſimum illorum, ſed aliquod maioris pretij: & ſimiliter homo qui tenetur diſtribuere pecuniā inter pauperes, quos voluerit; aliquam gratiam facit ei quem determinatè eligit. Solutio minime euacuat difficultatem argumenti, ſed potiùs eam corroborat. Declaratur: licèt enim concedamus reſpectu indiuiduorum, & perſonarum aliquam liberalitatem eſse, & electionem Dei mere voluntariam ſic diſponere cauſas naturales, vt Petrus potius quàm Pualus moueatur hic, & nunc ad actum bonum naturalem; non tamen hæc liberalitas gratia eſt, neque prouidentiam naturalem excedit, ſed ſolum illa oſtenditur Deum vti libertate ſua, vt poteſt in diſtribuendis bonis, quæ ad naturæ ordinem ſpectant; certè ſi hoc ſufficeret ad gratiam, non poſset negare oppoſita ſententia, etiā in bonis mere naturalibus dari propriam gratiam, de qua loquuntur Patres; quod nemo dicit; ſic enim cum ſit naturæ conſentaneum in concurſu generali cauſarum, naſci hominem integrum, & ſine aliqua deformitatę membrorum, & aliquando ipſi naturæ conſentaneum ſit monſtruoſum generare: vtiquè cum nulli indiuiduo in particulari Deus debeat taliter ſeriem cauſarum diſponere, vt ipſum primò modo rectum videlicet, & ſine monſtruoſitate euadat, dicemus hominem non poſſe integrum & ſine defectu membrorum naſci ſine ſpeciali gratia Dei. Similis etiam gratia brutis animalibus fit reſpectu ſuſtentationis, & reliquarum actionum naturalium: hoc enim peculiare eſt prouidentiæ vniuerſalis, & indifferentiæ Dei; quæ cum ſe extendat ad actus, quorum aliqui magis conſentanei ſunt naturæ quàm alij, aliqua liberalitas eſt reſpectu indiuiduorum in eo, quòd circa illa actus potius magis conuenientes, quàm diſconuenientes naturæ exerceat ſine eo quòd limites prouidentiæ generalis prætergrediatur. Certè quod debetur toti naturæ ſecundum ſe, non eſt rigoroſe gratia: hæc enim neque indiuiduis, neque naturæ debita eſt; ac proinde ſine illa poſſet natura condi. Exemplo ipſo patet: Ille enim, qui tenetur ex debito inter pauperes pecuniam diſtribuere, non dicitur eam gratis donare abſolute ſingulis pauperibus, licèt aliquam voluntatem circa hos eligendos indicauerit: & enim donum ipſum debitum eſt ſecundū ſe. Inſuper adde, quòd ſuppoſita prima rerum conſtitutione, & communi cauſarum curſu, illa cogitatio iam eſt debita tali indiuiduo: quia ex curſu generali, & influentia communi ſequeretur, niſi extraordinariè impediretur: hoc autem ſatis eſt, vt talis actio dicatur debita ſecundum naturæ ordinem, vt in cauſis naturalibus effectus contingentes dicuntur debiti.

Nec obſtat, quod illa prima inſtitutio, & cauſarum ordo, potius quàm alia voluntariè fuerit à Deo electa: hoc enim cum pertineat ad donum creationis talis vniuerſi, tali modo compoſiti ad diſtinctionem alterius ad naturam, non ad gratiam ſpectat. Vnde non valet, quod aducit Vaſquez ſcilicet ſi Deus negaret hanc cogitationem, non eſſet iniuſtus, nec ingratus: hoc enim facile eſt: nam debitum naturale reſpectu creaturarum, eſt ſola indigentia

rerum contra quam Deus poteſt facere, vt potè Dominus, quin ſit iniuſtus, & ingratus: quod patet in conſeruatione creaturæ: poſſet enim illam non conſeruare, & ob id eſſet iniuſtus vel ingratus? Nec deniquè dicas, ſatis eſt dicere, illam prouidentiam oriri in intentione dandi gloriam ideoquè reputari gratiam. Nam in primis, hoc nō tenet in præſcitis. Inſuper non ſatisfacit: quia etiam ipſa creatio, & dona naturalia, imo omnia quæ pertinent ad vniuerſalem prouidētiam vt vidimus in materia de prædeſtinatione, ſecundum illud: Omnia veſtra facta ſunt &c. prædeſtinatis conceſſa ſunt ex intentione illa, & non ſunt gratia propriè dicta, ſeu intrinſeca de qua loquimur. Et ſi vt ibi diximus poſſit dici gratia per extrinſecam denominationem, præcipuè illa omnia quæ reperiuntur in prædeſtinato, cum proueniant à prouidentia ſupernaturali, ſcilicet prædeſtinatione, & fine ſupernaturali, ſcilicet gloria: hic autē agimus de eo, quod eſt gratia intrinſecè, & ſecundum ſe, non ex denominatione extrinſeca finis tantum, Confirmatur: quia ſi ex poteſtate liberi arbitrijs, & prouidentia illi connaturali non poteſt prouenire aliquis actus bonus; ſequitur hominem ex natura ſua, & ex vi generalis prouidentiæ ſibi conaturalis, non habere poteſtatem niſi ad peccatum: Conſequens autem falſum eſſe ſuppono. Dices cum Vaſquez quòd cum detur actus indifferens in indiuiduo ex eo, quod homo non poſſit naturaliter agere bonum opus; non ſequitur, quod non habeat poteſtatem, niſi ad peccatum. Contra: quia eadem ratione, qua cogitat Vaſquez neceſſariam eſſe gratiam ad quolibet opus bonum; ſequitur eſſe etiā neceſſariam ad opus indifferens; ergo ex tali ſententia, ſequitur ſolum, ad peccatum eſſe potens de ſe liberum arbitrium: ſequela ſic probatur: quia operatio indifferens, conueniens quidem homini eſt cum ſit ſaltem negatiuè moraliter bona; carens videlicet omni malitia; ergò cum eo tempore, quo offertur cogitatio inclinans ad actum indifferentem, poſſet offerri alia inducens ad actum turpem: beneficium eſt quidem indebitum in ſententia Vaſquez, & extra prouidentiam generalem erit talem cogitationem ad actum indifferentem à Deo dari, præſertim cum, (vt vult Vaſquez) nec illa ſit debita creationi, nec conſeruationi naturæ, imo ſine iniuſtitia, aut iniuria (vt inquit Vaſquez) poſſet Deus abſquè gratia naturam in ſua integritate conſeruare, ergò tenetur concedere, eſſe veram gratiam, & ſi non ſit tanta, quanta eſt ad actum poſitiuè bonum &c.

PROPOSITIO XIX.

Non videtur negandum voluntati poſſe habere ſimplicem affectionem boni honeſti, ſeu finis oſtenſi.

PRobatur: quia in voluntate eſt affectus naturalis iuſtitiæ, ſicut, & commodi; ergò ſaltem inefficaciter poteſt ferri in honeſtum ſibi oſtenſum, ſicut, & incommodum. Secundo: ad talem affectionem non eſt repugnantia appetitus, & eſt ordinis naturalis; ergò naturæ viribus haberi poteſt. Sequela patet: quia ideo requiritur gratia ſpecialis, vt tollantur huiuſmodi impedimanta, vel certè vt virtus intellectus; & voluntatis incōpleta in actu primo eleuetur. Probatur antecedens: quia non eſt error in intellectu circa principia practica per ſe, nota vt ſæpè ſupra viſum eſt: nec repugnat appetitus, niſi quando diſtrahitur operatio eius circa delectabile, remouendo quod cauſat delectationem, vel illud applicando, quod cauſat triſtitiam: ſed ſimplex affectio boni honeſti nihil horum facit cum non ſit efficax, nec media applicet ad finem conſequendum, à quibus huiuſmodi paſſiones cauſantur in ſenſu; nec laborem aut fatigationem inducit; ergò hac ex parte non requiritur auxilium ſpeciale. Tertia etiam ratio ponendi auxilium, non vrget: quia iſta ſimplex affectio quoad ſubſtantiam, & modum eſt naturalis ordinis: quippè voluntatis vires ſunt proportionatæ illis. Tertio quia voluntas poteſt habere huiuſmodi complacentiam circa honeſtum impoſſibile appræhenſum: eſt enim impoſſibilium 3. de anima, & probat Scotus in 2.d.2.qu. 1. aſſerens Angelum poſſe appetere æqualitatem Dei apræhenſum, & ſi fuerit impoſſibilis: ſed ad huiuſmodi voluntatem non datur gratia ſpecialis; ergò non requiritur ad ſimplicem affectionem boni honeſti naturalis; inefficacem tamen.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO XX.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta contra noſtras Propoſitiones.

PAter Vaſquez, vt ſuam ſententiam de neceſſitate gratiæ ad quoduis bonum opus morale confirmet, innumera aducit teſtimonia Conciliorum, Pontificium, ſcripturæ, & Sanctorum Patrum. Probat primò ex ſcriptura: Ioannis 15. ait Chriſtus: ſine mè nihil poteſtis facere; ſi autem ſine gratia poſſet quis bonum opus facere, poſſet aliquid ſine Chriſto. Item Corinthiorum 4. Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? ſi autem homo haberet aliquod opus bonum ſine gratia Chriſti, aliquid haberet quod non accepiſſet, & in eo non parum gloriari poſſet. Item 2. Corinthiorum: Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: at nullum opus bonum poteſt fieri ſine præcedente cogitatione, quam ex nobis habere non poſſumus; ergò nec operari ex nobis ſine gratia Dei valemus. Item ad Philippenſes 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere. Eodem modo loquuntur Patres: Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 4. & ſerm. 5. de Oratione Dominica. Ambroſius lib. 2. in Lucam cap. vltimo, & Epiſtola 84. D. Auguſtinus varijs in locis, libro de hæreſibus cap. 88. Epiſt. 89. ſerm. 13. de verbis Apoſtoli; & lib. de Correctione, & gratia. Fauent Concilia: Vnde Concilium Arauſicanum Can. 22. Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum; ſi quis autem habet veritatem, & iuſtitiam, ab illo fonte eſt, ad quem debemus ſitire &c. Idem Cōcilium can. 9. ita habet: diuini eſt muneris, cum, & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & iniuſtitia tenemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atquè nobiſcum vt operemur, operatur.

Ad iſtum tumulum auctoritatum Sacræ ſcrip. Conciliorum, & Patrum, vnica, & facillima occurrimus ſolutione. Reſpondemus ergò omnes illas auctoritates intelligendas eſſe de operibus conducentibus ad vitam eternam; quæ videlicet ſunt meritoria gloriæ vt diſpoſitionis ad iuſtificationem; quibus operibus ſecundum Sanctorum Patrum loquutionem Chriſtiana pietas, & religio conſiſtit.

Hunc eſſe proprium ſenſum Sanctorum Patrum &c. Probatur ex fine, quem in ſuis diſputationibus principaliter intendūt Sancti Patres, & Concilia contra Pelagianos, & Semipelagianos: quoniam Pelagianus error, quem expreſſe reffert Sanctus Auguſtinus libro de hæreſibus, 88. ille fuit videlicet, quod nullam gratiam agnoſcebat ad opera ſupernaturalia elicienda; ſed aſſerebat in eo ſolum ſe cognoſcere gratiā quòd abſquè meritis liberum arbitrium ſit homini conceſſum. Semipelagiani autem licèt gratiam ad opera ſupernaturalia cognouerint; error tamē illorum fuit aſſerere, illam gratiam dari intuitu operum naturalium, & iuſtificationem incipere à natura. Vnde cum intentio omnium Conciliorum, & Patrum, ſimiliterquè auctoritatum Sacræ Scripturæ quibus vtuntur, tantum fuerit probare neceſſitatem gratiæ ad iuſtificationis opera quòd Pelagius negabat: & ſimiliter probare nullum opus naturale eſſe meritum, nec initiatiuum ad conſequendā gratiā, quod Semipelagiani negabāt, certū eſt nullatenus auctoritates adductas à Vaſquez in ſenſu ſuæ ſententiæ intelligendas eſſe. Noſtram expoſitionem eſſe germanum ſenſum, omnium teſtimoniorum adductorum, patet: quia ſi omnia illa ſtudioſe perpendantur, reperietur, nunquam ita abſolutè Sanctos Patres aſſeruiſſe, nihil boni nos poſſe ſine gratia facere, quin ibidem, vel paulo ante, aut poſt addiderint limitationem, vel explicationem, vt intelligantur agi de operibus ad vitam ęternam pertinentibus; aſſerendo videlicet opus prout oportet ad ſalutem, quod fiat propter finem Dei: quòd procedat ex charitate: quod ſit ſanctum: quod ſit pium, & ex pietate procedens: at pietas apud Auguſtinum 4. de Ciuit. cap. 23. & alibi ſæpè: (quòd idem intelligendam eſt apud cæteros Sanctos Patres,) eſt verus Dei cultus, qui non requiritur in opere tantum moraliter bono, & non conducente ad ſalutem. Quòd ſi aliquando Sancti ſine his limitationibus fuerint loquuti; explicari debent ex alijs locis vbi eas addiderunt. Adde quòd in vſu Patrum, illud communiter ſolet appellari bonum abſolutè, quòd eſt ali-

Digitized by Google

aliquid proportionatum ad vitam æternam, & ad illam conducit,vt expreſsè declarauit Auguſtinus 4.contra Pelagium cap.3.Nec valet quòd ad hoc reſpondet Vaſquez, aſſerens bonum opus morale naturalis ordinis, etiam in peccatore eſſe tale, vt poſſit appellari his nominibus à Sanctis Patribus vſurpatis: quia tale opus eſt congrua diſpoſitio ad gratiam. Non inquam valet: dato enim hoc vltimo,quod eſt falſiſſimum (quis enim audent concedere intuitu operis naturalis dari gratiam iuſtificantem?) hoc conceſſo, opus ſuſtentandi eſurientem ab infedeli, factum ex eo ſolum, quod ſit rationi conforme, minimè eſt aſſerendum poſſe propriè appellari pium, ſanctum, factum propter finem fidei,& propter Deum, & quòd ipſum in vitam æternam poſſit perducere.

Per hæc facillimè ſoluuntur teſtimonia tàm ſcripturæ quàm Conciliorum, & Patruum quæ aducit Vaſquez: ex qua etiam doctrina ſimiliter colligitur intelligentia cuiuſdam teſtimonij quo nos vrgere intendit Vaſquez,& habetur in Arauſicano cap. 22.vbi ita legitur: Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatũ &c. quæ verba ſumpta ſunt ab Aug.tract.5.in Ioan. & ſecundo de peccatorũ meritis ca.18.& alibi. Imprimis noto, retorqueri poſſe tale dictũ contra Vaſquez, qui opus indifferens in indiuiduo, quòd nec ſit bonum: nec malum concedit fieri poſſe viribus naturæ. Inſuper ex doctrina prǽcedenti bene intelligitur teſtimonium illud; nam cum Concilia, & Patres ſemper fuerint loquuti, vt vidimus de operibus tantum pertinentibus ad gratiam ſanctificantem; hæc autem ſunt in duplici differentia; vel quibus conſequitur gratia, & gloria; quæ ſunt opera ſupernaturalia; vel quibus auertimur ab ipſa gratia, & gloria; quæ ſunt peccata: inde prouenit, quod rectè dicatur liberum arbitrium non valere, niſi ad peccatum inter opera, videlicet quæ pertinent ad gratiam,& vitam æternã:de quibus loquuntur Sancti Patres; ac ſi diceretur liberum arbitrium per ſe ſolum reſpectu gratiæ, & gloriæ non poteſt efficere, niſi opera, quæ ab illa auertunt. Niſi vellis locum explicare, ſumendo peccatum pro actu deffectuoſo, id eſt, non ſufficienti ad gratiam,quomodo in ſcriptura ſacrificium peccatorum ex nulla parte vitiatum, eo ipſo, quòd à paccatoribus offeratur, ſolet dici abominatio.

Rationibus probat Pater Veſquez ſuam opinionem: primo; quia pro quouis bono opere morali verè,& vtiliter Deo,& Chriſto gratias agimus, quod ita erga nos ſe habuerit, vt tale opus effecerimus; ergo apertum ſignum eſt, nos illud ex gratia Dei feciſſe: nam ſi proprijs viribus illud operari poſſemus,poſſemus gloriari,&Deo gratias non agere. Secundo: quia in operatione ad ſingula opera moralia auxilium Dei poſtulamus, & Eccleſia non ſemel, ſed multoties gratiam poſtulat ad ſingulas actiones; hinc Dominica ſextadecima poſt Pentecoſtem dicitur; Tua nos quæſimus Domine gratia ſemper præueniat,& ſequatur, ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentos: quod ſi gratia ad ſingula opera non eſſet neceſsaria, fruſtra Oratio fieret. Reſpondetur, & imprimis, quod attinet ad illationem Conſequentiæ:illa vt optimè notauit noſter Pater Vega quæſt.12.de Iuſtificatione,non tenet: quoniam etiam oratione petimus pluuiam, fructus terræ, ſanitatem corporis, & alia huiuſmodi contingentia, quæ ſine gratia, ſolo concurſu generali fiunt. Nec valet, quod reſpondet Vaſquez nempè iſta bona naturalia non eſse in noſtra poteſtate ac proinde bene peti opus moraliter bonum, ſitum in noſtara poteſtate. Non inquam valet: quia quamuis ſuppoſita prima bona cogitatione ſit in noſtra poteſtate velle, aut facere bonum opus, attamen illa prima cogitatio non ſemper eſt in noſtra poteſtate: dependet enim à multis extrinſecis, quæ non ſunt in noſtra poteſtate. Adde quòd etiam requiritur extrinſeca Dei protectio, quod non ſinat nos tentari, ita vt cadamus, quæ non eſt in noſtra poteſtate, & vocari ſolet gratia extrinſeca, ſeu negatiua pertinens ad prouidentiam generalem. Nec etiam obſtat, quòd iam ab æterno fuerint ſic omnia diſpoſita: eſt enim neceſsaria oratio: quia ſic ex poſita ſunt vt medijs orationibus fiant, quomodo etiam indigemus oratione ad ſupernaturalia petenda, quæ etiam ab æterna prædeſtinatione ſunt ordinata.

Replicat Vaſquez: quòd Aug.& alij Patres diſputantes contra Pelagium, ex oratione qua petimus auxilium ad benè operan-

Digitized by Google

randum inferunt contra illam neceſſitatem gratiæ; ergò optima eſt illatio. Debile argumentum: falſum eſt enim Sanctos Patres ex Oratione abſolutè ſumpta inferre neceſſitatem gratiæ, aliàs nulla eſſet Conſequētia: ſiquidem non tenet in materia de effectibus naturalibus. Eſt ergò intelligendum, conſequentiam illam ſolum tenere in peculiari materia: tenuit ergò, & optime in materia illa, in qua Sancti diſputabant contra Pelagionos negantes neceſſitatem gratiæ ad opera conducentia ad vitam æternam: Cum enim nihil poſſimus operari in ordine ad vitam æternam, niſi per gratiam Chriſti, inferunt Sancti Conſequentiam in hunc modum: Petimus oratione à Deo veram gratiam Chriſti, quæ neceſſaria eſt ad ſingula bona opera, conducentia ad ſalutem; ergò talia non poſſumus viribus naturæ efficere; aliàs futilis, & falax eſſet oratio, qua petitur aliquid ſupra naturam, cùm non ſit neceſſarium: quòd idem intelligendum eſt de oratione Eccleſiæ: quippè Eccleſia poſtulat, non ſolum vt benè operemur, ſed vt taliter operemur, quòd noſtra opera, & placeant Deo, & nobis proſint ad ſalutem animæ, quòd non poteſt fieri ſine vera gratia. Ad illud de gratiarum actione reſpondendum ſicut ad præcedens; aliàs enim ſi teneret diſcurſus ille, probaret etiam bona naturalia eſſe opera gratiæ non naturæ, ſiquidem pro omnibus illis debemus gratias Deo ſecundum illud Pauli: In omnibus gratias agentes. Damus etiam gratias Deo pro cibo, pluuia, ſalute, & conſeruatione, & pro extrinſeca protectione, ſine qua caderemus, & non fieret opus moraliter bonum: Sancti ergò Patres non ex quacunquè gratiarum actione intulerunt neceſſitatem gratiæ, ſed ex gratiarum actione, qua præcognoſcendo dona ſupernaturalia neceſſaria ad opera conducentia ad ſalutem, Deo vt auctori ſupernaturali gratiæ, & Chriſto Domino, Eccleſia agit gratias: Vnde benè inferebāt, ſequi ex doctrina Palagij, non eſſe debitam talem gratiarum actionem. Si placet dicas, nunquam docuere Patres, pro ſingulis operibus moralitèr bonis, agendas eſſe Deo & Chriſto gratias, tanquam gratiæ auctoribus. Ad illud, quod homo gloriari poſſet in proprio opere veluti nō accepto à Deo. Reſpondetur; quòd etiam in bonis naturalibus non licet nobis ita gloriari: nam illud quodcunq; ſit, referendum eſt in Deū auctorem primum naturæ, non ſolum dantem, & conſeruantem naturam; ſed etiam auxilio generali cōcurrentem ad tale opus, ſuaquè protectione ſic liberaliter diſponēte, vt auferantur impedimenta quæ poſſent impedire effectum: hoc autem ſufficit, vt auferatur omnis gloriatio; quòd enim in his operibus tribuat homo naturæ facultatem, cum dependentia tamen à Deo, non eſt illicitum, nequè propriè eſt gloriatio, quæ excluditur à Patribus; ſed tantum eſſet gloriatio in ſupernaturalibus. Vnde de his operibus ſic contra Pelagianos argumentabantur; quòd ſi homo ex ſuis viribus ſolumodo faceret opus conducens ad ſalutem animæ eodem modo greſſibus animæ ex ſe tenderet in Cœlum, ſicut greſſibus corporis corporalitèr ambulat: hoc autem tanquam abſurdum contra Pelagianos meritò inferebant Sancti: quia iam non eſſet neceſſarium Chriſtum mori, vt nos perduceret in Cœlum, ſicut non fuit neceſſarium, vt actiones naturales efficeremus. Aliud argumentum: Si homo poſſet ſine auxilio gratiæ elicere opera moralia per proprias vires, poſſet elicere opus, ratione cuius illi daret gratiam ad remiſſionem peccatorum: nam operibus moralibus factis ex honeſtate virtutis moralis, donum gratiæ à Deo liberalitèr datur: hoc autem nemo dicat. Negamus ſequelam: cum enim gratia ſit donum ordinis ſupernaturalis, diſpoſitio ad illam debet eſſe ordinis ſupernaturalis; cum diſpoſitio ad formam debet eſſe eiuſdem ordinis cū forma: opera verò ordinis naturalis, minimè ſunt eiuſdē ordinis cum gratia; ergò non ſunt diſpoſitio ad gratiam.

Vt melius occurratur illi argumento, quo dicebatur hominem non habere de ſuo niſi mendacium, & peccatum. Scito, dubium eſſe vnde ſit, quòd voluntas poſſit deficere. Puto hoc prouenire ex ſua intrinſeca natura, & colligo ex Scoto in 3. d. 37. quæſt. vbi dicit, quòd voluntas poſſit conſiderari dupliciter: vno modo, vt voluntas abſolutè, & in communi: & ſic voluntas eſt perfectio ſimpliciter, & ponitur formalitèr in Deo; & voluntas ſub iſta ratione, non eſt proxima cauſa reſpectu peccati: quia tunc quolibet inferius ſub

ipſa

Digitized by Google

ipſa haberet iſtam defectibilitatem, & ita etiam voluntas Diuina, quod eſt falſum. Alio modo ſumitur contractè, pro differentia aliqua ad voluntatem creatam, quam differētiam circumloquimur per hoc, quòd eſt limitatum, vel ex nihilo; & voluntas, vt ſic, eſt proxima cauſa defectiua: vndè prima cauſa deficiendi in voluntate creata, videtur eſſe de mente Scoti hoc, ſcilicet, quod voluntas creata eſt limitata, eſt ex nihilo, & conſequenter cauſam deficiendi reducit ad aliquid intrinſecum ipſi voluntati. Quod hæc ſit intentio Scoti: Confirmatur, ex eo, quod ipſe habet in præcitato loco lit. V. vbi quærens quare Deus non poſſit eſſe cauſa deficiendi. Reſpondet: ex eo Deus non poteſt eſſe ratio deficiendi, quia non poteſt mutari; & conſequentèr, nec formalitèr, nec virtualitèr auerti à ſe: in qua auerſione præcipua, & formalis ratio defectus, & peccati conſiſtit. Si igitur Deus non poteſt deficere; quia nō poteſt mutari, ergò ideò voluntas creata poteſt mutari. Si quæratur: quare voluntas creata poteſt mutari? Reſpondetur: quia eſt ens limitatum, & eſt ex nihilo: ergò intentio Scoti eſt, quod cauſa præciſa deficiendi, ſit reducenda ad aliquid intrinſecum voluntati. Ad ampliorem doctrinam; ſcito ex Scoto in 2. d. 44. q. vltima A. quod potentia peccandi, vel dicit ordinem immediatum ad peccandi actum: vel dicit fundamentum huius ordinis, ratione cuius habens illud potens eſt peccare. Si primo modo, vel potentia dicit ordinem immediatum ad actum ſubſtractum deformitati; aut ad illam deformitatem, quæ eſt in actu. Potentia primo modo conſiderata, ſcilicet, vt dicit immediatum ordinem ad actum ſubſtractum deformitati, eſt à Deo, ſicut & vtrumque extremum, ſcilicet ſicut fundamentum illius ordinis, & terminus eiuſdem, ſcilicet potentia ipſa, & actus, ad quem potentia dicit ordinem, ſunt ab ipſo Deo, tanquàm à cauſa principaliori, ſic etiam ordo ipſe eſt ab ipſomet Deo. Si ſecundo modo accipiatur potentia, vt dicit ordinem ad deformitatem, quę eſt in actu: tunc talis potentia non eſt à Deo: quia cum terminus ad quem eſt talis ordo ſit ens priuatiuum, & conſequenter nihil ſit pro formali, etiam ipſemet ordo nihil eſt, & per conſequens non poteſt eſſe à Deo. Si autem potentia ſumatur pro fundamento ordinis vtroq; modo ſumpti, tunc potentia eſt aliqod poſitiuum: & hoc modo potentia peccandi eſt à Deo: vnde eſſe finitum, & eſſe ex nihilo, eſt fundamentum defectibilitatis in natura humana. Iure ergo meritò natura humana dicitur prima, & immediata cauſa defectibilitatis. Applica ad propoſitum.

PROPOSITIO XXI.

Ad omnes operationes honeſtas ex obiecto, & reliquis circumſtantijs, vrgentibus motiuis atrocibus in contrarium, neceſſarium eſt auxilium ſpeciale, pro hoc ſtatu.

HÆC pars mihi videtur maximè conformis doctrinæ Scoti in 3. diſt. 34. §. his ſuppoſitis vbi docet virtutes, & dona non diſtingui: Enumerat autem quatuor Cardinales, & tres Theologicas, quibus homo ſufficientèr ordinatur ad bonum honeſtum, tàm naturalis ordinis, quàm ſupernaturalis. Hinc ita dico: quidquid eſt donum eſt gratia, vt dicit Auguſt. de præd. Sanctorum cap. 2. (eſt enim donatum ac proindè non debitum, nec ex viribus proprijs.) Cum ergo ſecundum Scotum virtutes ſint dona; conſequentèr erunt ex gratia. Poſſet hic quis diſtinguere inter actum perfectum, & imperfectum eiuſdem virtutis, aſſerens, qnod actus perfectus, ſeù heroicus ſit donum; non autem quodcumquè bonum morale. Fateor ſub hac ratione Scotum poſſe reduci ad oppoſitam ſententiam, neſcio tamen ſi ita benè interpretaretur: nam ſimplicitèr loquitur Scotus, ſine limitatione, aut reſtrictione, aſſerens virtutes morales in ſe, aut in ſuis ſpeciebus eſſe expreſſas, per dona, fructus, & beatitudines, vt videre eſt in diſcurſu quæſtionis. Vndè particularitèr de donis, ita legit ſub O. De donis dico, quòd ibi enumerantur quatuor virtutes Cardinales. Prudentia per donum Conſilij: prudentia enim eſt habitus conſiliarius: quia eſt habitus rectè ſyllogizandi, practicè, & tale ſyllogizare eſt conſiliari: vndè habitus, quo quis conſiliarius, eſt prudentia. Fortitudo exprimitur ſuo nomine inter dona. Nomine timoris intelligit humilitatem, quam

Digitized by Google

quam vocat ſpeciem temperantiæ Nomine pietatis, miſericordiam, quæ eſt ſpecies iuſtitiæ. Exprimuntur ergo, ſecundùm Scotum quatuor virtutes Cardinales ſub nomine Conſilij, Timoris, Fortitudinis, & Pietatis. Nomine ſapientiæ charitas, & nomine ſcientiæ, & intellectus ſecundum perfectum, & imperfectum gradum fidei, &c. Hic diſcurſus noſtri Scoti. Vndè colligitur cum hæc non diſtinguere, ac proindè ſicut donum eſt ex gratia, ita eum ſentire de virtutibus. Eandem ſententiam ſubindicat in 2. d. 28. ad primum, interpretans illud ad Romanos: Gentes, quæ legem non habent, &c. Vbi negat gentes ſine omni gratia vixiſſe in lege naturæ. Itẽ in 3. d. 36. §. hæc opinio; oſtendit neceſſitatem virtutis contra D. Thomam ad hoc, vt voluntas defectibilis regeretur in ſuis actionibus, nec ſufficere oſtendi tantum ab intellectu bonum honeſtum. Item d. 36. §. per hoc patet, in fine reſpondens ad gloſſam, concedit connexionem virtutum eſſe neceſſariam, ad hoc vt ſe iuuent mutuo circa bonum, & in hoc (inquit) poteſt intelligi dictum quorundam, quòd vna non eſt ſine alia, quia non ita benè vna ſaluatur ſine alia: etenim homini expoſito multis tentationibus circa multas materias, imperfectiùs circa vnam materiam, (ſupple virtutis) eſt vna occaſio imperfectè agendi circa aliam, & perfecta agendi diſpoſitio circa vnam, iuuat ad rectè ſe habendum circa aliam; ergò &c. Lege Scotum. Item in 4. d. 49. q. 2, ad tertium poteſt dici dupliciter: vno modo, ex quo virtus eſt in nobis ſupplementum defectus naturalis. Vndè nõ ponuntur virtutes morales à quibuſdam in Angelis, nec in ſtatu innocentiæ fuiſſent tales in natura, quales nunc: nec ergo tunc feciſſet neceſſitas habendi virtutes omnes, quas & nunc; & hoc ſpecialitèr de virtutibus, quæ non habent bonum pro obiecto, ſed malum, vt pœnitentia, &c. Hæc Scotus. Hinc infero, & dico; ſed quòd ſupplet infirmitatẽ naturæ, quæ eſt ex peccato, eſt gratia Saluatoris; ergò ſecundùm Scotum operationes illæ bonæ ſunt ex peculiari auxilio Dei, nec ſufficiunt vires naturæ. Propoſitionem noſtram videntur probare rationes adductæ ſupra: pro opinione Patis Vaſquez. Hinc ſit.

PROPOSITIO XXII.

Ad ſuperandam aliquam valdè grauem, & difficilem tentationem, eſt neceſſarium auxilium ſpeciale Dei.

Tentatio nil aliud eſt, quàm motiuum inducens ad malum, vel retrahens à bono. Vna dicitur tentatio leuis, altera grauis. Tentatio non dicitur grauis, aut leuis, quia inclinat ad peccatum leue, vel ad peccatum graue; nam ad peccatum leue, poteſt eſſe grauis tentatio, & ad peccatum graue, leuis tentatio. Nec etiam dicitur leuis, quia parum duret, & grauis quia longo tempore perſeueret: nam grauis parum, & leuis multum durare poteſt. Nec etiam dicitur grauis, quia vincat: nam grauem vincere, & leui ſuccumbere poſſumus. Accedant probationes noſtræ Propoſitionis, & primò auctoritas Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patruum. Fauet nobis illud Matthæi 6. in Oratione Dominica, quando rogamus: Et ne nos inducas in tentationem. Et 26. Vigilate, & orate ne intretis in tentationem, ſcilicet vehementem. Et illud Pſalmi 17. Quoniam in te eripiar à tentatione,. Clariſſimè demonſtratur noſtra Propoſitio teſtimonio illo Apoſtoli ad Corinth. 10. Fidelis Deus qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poteſtis, &c. vbi planè ſupponit eſſe aliquas tentationes ita vehementes, vt omnino ſuperent vires ſaltem morales liberi arbitrij. Videatur S. Chriſoſt. hom. 24. apud Belarminum lib. 5. c. 5. & 7. Anſelmus in eundem locum, S. Proſper libro cõtra Collatorem cap. 34. & 35. mirificè nobis proponit exemplum, vt prædictam declaret doctrinam, deſumptum ex verbis citatis. Exemplum eſt in victoria, & patientia Sancti Iob, qui à Dœmone tentatus, vrgentiſſimè, non peccauit, nec ſtultum contra Deum loquutus eſt. Quam inſignem victoriam Collator tribuerat libero arbitrio. Contra Collatorem S. Proſper ita ait. Quiſquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo ſe non dubitet adiuuari, ad quem quotidiè clamamus: ne inducas nos in tentationem. Denique Leo Primus Epiſt. 90. ad Epiſcopum Narbonenſem ita dicit. Si vehementior tribulatio increbuerit, non ita expaueſcamus

Digitized by Google

ſcamus, quaſi illi aduerſitati ſit proprijs viribus reſiſtendum, cum & conſilium noſtrum, & fortitudo noſtra ſit Chriſtus: Accedat probatio ex rationibus. Prima deſumatur à fragilitate naturæ humanæ. Cum enim experientia compertum ſit, hominem valdè allici à rebus ſenſibilibus, frequenterq; cædere difficultatibus, quæ ſuperandæ ſunt propter honeſtum finem: Cumque etiam aduerſarius noſter diabolus tamquàm leo rugiens circumeat, quærens quem deuoret; tantaque ſit eius ſagacitas: rectè concluditur, quod aliquando ita grauis poſſit adeſſe tentatio, vt niſi quis adiuuetur diuino auxilio, moraliter illi reſiſtere non poſſit. Confirmatur, ſeù declaratur exẽplis in hac materia clariſſimis. Si enim homini honoris ſui cupidiſſimo, & aliàs ſuæ ſalutis nimis oblito quædam maxima offeratur dignitas, ea tamen conditione, vt leue aliquod verbum proferat otioſum: quis non affirmabit prudenter procedendo infallibilitèr illum hominem, vel ſimilem, vincendum eſſe à tentatione illa, ſi à Deo non adiuuetur? Alijs exẽplis poteſt probari, & diſcurrere circa hanc cõcluſionem. Sequitur ergò, quòd neceſſarium ſit his in rebus homines adiuuari ſpeciali auxilio Dei.

PROPOSITIO XXIII.

Docebit iſta Propoſitio, Vtrum impoſſibilitas iſta ſit tantummodo moralis, vel etiam phyſica.

SVpponimus duplicem impotentiam, ſeu impoſſibilitatem communitèr diſtingui ſolere à Doctoribus: Vna eſt phyſica: altera moralis. Impotentia phyſica dicitur illa, quando effectus ſecundum ſuã entitatem non habet proportionem phyſicam cum aliqua cauſa; quare homo non poteſt producere Angelum. Impoſſibile morale dicitur effectus ille, qui ita ſe habet reſpectu alicuius cauſæ, vt licèt in illa ſupponat potentiam phyſicam, tamen attentis circumſtantijs omnibus difficultatibus, & impedimentis iuxta prudentum æſtimationem, vſumque moralem, aut numquam, aut rarò eueniet. Impoſſibilitas iſta duplicitèr ſumitur. Primò, pro eo, quod eſt difficilè, non tamen habet tantam difficultatẽ, vt aliquando non eueniat licèt rarò. Secundò ſumitur pro eo, quod habet tantã difficultatẽ, vt attẽtis omnibus circũſtantijs, ſecundum prudentem æſtimationem, iudicetur infallibile eſſe, quod nunquam eueniat, licèt detur potentia phyſica ad illud. De hac poſſibilitate videtur loqui Chriſtus, dum dixit: Neceſſe eſt, quod veniant ſcandala: ac ſi diceret, moralitèr eſt impoſſibile, vt in tota rerũ vniuerſitate non ſit ſcandalum, etiam ſi illud liberè eueniat.

PROPOSITIO XXIV.

Impoſſibilitas iſta non eſt phyſica, ſed moralis.

ITA mihi videtur dicendum ad aures Scoti, qui ſæpiſſimè defendit, nihil poſſe imponere neceſſitatem phyſicam voluntati: vndè in 1. d. 1. q.4. & in 4. d.49. q.9. clarè affirmat, nec Deum clarè viſum neceſſitatem inferre voluntati, quoad exercitium: quare omnia, quæ in 2. d.28. q.1. ſimilitèr in Reportatis ib. de peccato aſſerit de poſſibilitate, quam habet peccator circa præcepta omnia naturalia, ea intelligi de potentia phyſica; conſtituens libertatem ſufficientem in voluntate ad ea per hæc verba, adhuc poſſibile eſt per liberum arbitrium omnia talia vitare mortalia: quia de quocumque poſſibile eſt ex naturalibus deliberare, & iudicio exiſtente completo, poteſt voluntas recte eligere. Hæc Scotus &c. vbi manifeſtè explicat libertatem ſufficientem, & potentiam phyſicam ad omnia præcepta. Imò in Reportatis eadem quæſt. citata ponitur reſolutio illius: in principio ſic aſſeritur liberum arbitrium tentationibus expoſitum, diù ſtare non poteſt, quin peccet, quamuis idem liberum arbitrium abſolutè, & in ſe conſideratum omnia peccata vitare poſſit. Quæ doctrina clarè docet, noſtram impotentiam eſſe moralem. Legatur noſter Pater Vega de Iuſtificatione q.13. ad finem. Probatur noſtra Propoſitio; quia quamuis vehementes ſeſe offerant tentationes, maximèque difficultates in obſeruatione omnium præceptorum naturalium, vel in vno determinatè, tamen ſi iudicium rationis non totaliter abſorbeatur; intellectus habet ſufficiẽtem

Digitized by Google

tem aduertentiam, vt cognoſcat tale peccatum prohibitum eſſe; atque adeò ita deforme, vt mors prius appetenda ſit, quàm ipſum, ab illo bono, & rationis lumen ſequente perpetrandum: ergò liberum arbitrium in ſua phyſica poteſtate, libertate, & indifferentia perſeuerat. Conſequentia probatur ex doctrina Scoti: quia licèt multa, & magna ſint motiua, quæ infallibiliter determinent voluntatem ad amandum; illam ſic determinant, & inducunt, vt proprio conſilio, & electione, ac proindè indifferenter ſeipſam determinet eligendo. Fauet alia doctrina eiuſdem Scoti aſſerentis nihil extrinſecum, etiam Deum clarè viſum poſſe neceſſitare voluntatem quoad exercitium. Sit alia ratio. Quando entitas effectus non habet improportionem cũ phyſica entitate cauſæ, & conditiones phyſicè requiſitæ naturalitèr haberi poſſunt, non eſt impotentia phyſica: ſed vtrumque reperitur hic; ergò non eſt impotentia phyſica: erit ergò ſolummmodo moralis. Minor quoad primam partem patet. quia entitas omnium mandatorum eſt naturalis, ſicut potentia; ac proindè habent proportionem cum illa. Quoad ſecundam verò partem, ſic probatur: Conditio, ſeù applicatio in ordine naturali phyſicè requiſita, vt voluntas poſſit ſeruare, &c. vincere, &c. eſt omninò naturalis; per hanc enim ſufficientiſſimè dirigi poteſt: ſed hæc in ordine naturali poteſt phyſicè haberi; ergò, &c. Tandem: quia cum impoſſibilitate morali, & non phyſica aptiſſimè intelliguntur dicta Conciliorum, & Patruum, meliuſq; ſaluatur libertas, quæ ab illis ſemper intenditur reſpectu obiecti naturalis. Adde, quòd non adeſt motiuum cogens ad aſſerendam impoſſibilitatem phyſicam. Quod ſi reſpectu præceptorum ſupernaturalium abſq: auxilio gratiæ ponitur impoſſibilitas phyſica; hoc prouenit ob maximum motiuum, ſcilicet propter ſuperantiam, & improportionem inter obiectum ſupernaturale, ſeù actum ſupernaturalem in ſubſtantia, quo attingendum eſt. Eſt ergò, quod dicamus talem impotentiam minimè eſſe phyſicam, ſed moralem, & ad illam vincendam indigere liberum arbitrium auxilio ſpeciali Dei. In quo verò conſiſtat tale auxilium, docebit quæ immediatè ſequitur Propoſitio.

ROPOSITIO XXV.

Adiutorium gratiæ, quod requirunt Concilia, & Patres non poteſt ſeruari in ſola cogitatione congrua honeſti.

Oppoſitum docet Pater Vaſquez, vt vidimus ſupra. Noſtram Propoſitionem probamus ex eo: quia nihil certiùs potuit eſſe in doctrina Pelagij, quàm dari huiuſmodi conſiderationem honeſti, ad quam ſequebatur opus iuſtitiæ; (quia nihil volitum quin præcognitum) ergo gratia, quam Patres adſtruebant, & negabant Pelagiani non conſiſtit in cogitatione illa congrua honeſti. Item talis cogitatio poteſt haberi viribus naturæ, vt ſupra reſtat probatum: ergò gratia requiſita minimè ſaluatur in illa ſola cogitatione congrua honeſti. Accedat aliud argumentum. Quantumcumquè ponatur cogitatio honeſti ex parte intellectus, ſiue ex natura, ſiue ex lege concepta, non ſufficit niſi ponatur auxilium ex parte voluntatis; ergo, &c. Confirmatur: quia gratia datur ex infirmitate arbitrij ad iuſtitiam faciendam: vnde auxilium, quod datur voluntati, vocatur ab Aug. propria gratia, ſcilicet amor faciendorum: Et de ſpiritu, & littera; ait cap. 2. nihil iuuare, niſi veritas appareat, niſi delectet, & ametur; ergò de ſola cogitatione honeſti non fuit controuerſia.

Conſiſtit ergò auxilium tale non in aliquo ſimplici, ſed in cognitione acquiſita, vt ſciamus ſine errore, quæ facienda ſunt, & eadem facere amemus, & delectemur: Vnde conſiſtit in ſcientia, & amore, ſeu delectatione faciendorum, quæ dilectio, & amor vincit omnem concupiſcentiam oppoſiti delectabilis, aut retrahentia à bono, ſiue intrinſecus, ſiue extrinſecus. Ad pleniorem intellligentiam noſtri dicti, eſt notandum; quod vulnus expectato incurſum, duplex ſit: vnum ignorantiæ ex qua pullulauit error in intellectu, vt non ſolum neſciat, quid rectè faciendum ſit; ſed etiam in varias deceptiones circa bonum ceciderit homo poſt peccatum, vt eſt ignorantia ſui Creatoris, idolatria, & error in cæteris practicis: de hoc vulnere Auguſt. primo Retractionum 9. de Ciu. cap. 22. & alibi

Digitized by Google

Beda cap. 10. Lucæ, Fulgentius de Incarnat. & gratia cap. 12. & 13. ait hominem per peccatum amiſiſſe facultatē benè agendi: D.Thom.p.2.q.83.artic.3. Scotus in 3. diſt.33.§.præterea rationes adductæ ſupponunt errorem eſſe pœnam culpæ, &c. Hæc ergò tanquam de fide vera ſupponimus ex Concilijs, & Patribus contra Pelagium.

Alterum vulnus eſt infirmitatis ad ea, quæ ſunt ſalutis, & hoc eſt in voluntrete propter concupiſcentiam, aliaque impedimenta, iuxta illud: Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, &c. Sentio aliam legem in membris meis.&c. De hoc vulnere vbiq; Auguſtinus contra Pelagium, & Scotus in 2. diſt. 29.

Auxilium ergo gratiæ requiritur ad ſanandum naturam ab vtroque vulnere ſcilicet vt rectè cogitet intellectus, quæ ſunt ſalutis, & eadem rectè vellet voluntas, vt dicit Aug. de Correctione,& gratia cap. 2. Probatur noſtra propoſitio in Aug.de peccatorum meritis cap.7. &c. Et cap. 19. vbi vocat idem auxilium certam ſcientiam, & victricem delectationem; quia ſcilicet vincit concupiſcentiam malam oppoſitam. Idem habet de Spiritu, & littera cap. 2. 29. & 35. Idem de Correctione, & gratia agens de dono, ſeù auxilio perſeuerantiæ, vocat illam liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam voluntatem delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem, &c.pluribus alijs in locis auxilium gratiæ, ſiue ad faciendum bonum,ſiue ad perſeuerandum in illo, ſiue ad abſtinendum à malo per amorem, & delectationem explicat: Vnde lib.2.ad Simplicianum vniuerſim de voluntate ſic aſſerit: Reſtat ergò vt voluntates eligantur: ſed voluntas ipſa, niſi aliquod occurrat, quod delectet, atque inuitet animum moueri nullo modo poteſt. Hanc doctrinam habet Scotus in 2. d. 29. §.poteſt dici, aſſerens voluntatem non poſſe ſine difficultate non condelectari appetitui ſenſitiuo in ſuo delectabili; igitur (inquit Scotus) ad hoc, vt voluntas poſſit ſe retrahere delectabiliter ab omni delectatione inordinata cū aliqua vi inferiori, oportuit aliquid ex ſe ipſo voluntati eſſe delectabilius,quàm aliquid delectabile alicuius vis inferioris, & cū nihil ſit tale ex parte voluntatis, oportuit aliquid eſſe in voluntate ſupernaturale, quo fieret ſibi finis delectabilior, quàm aliquid delectabile alicuius appetitus ſenſitiui, propter quam rationem delectabilius ſe retraheret à condelectando appetitui ſenſitiuo, quàm recedendo ab illo delectabili, ſcilicet fine. Hoc Scotus. Loquitur autem de iuſtitia originali,& eius effectu,& ait fuiſſe donum ſupernaturale; quia faciebat Deum delectabiliorem, quàm aliquo appetibile ſenſibile,quod non potuit eſſe ex aliquo dono naturali ipſius voluntatis, &c. Eadem ergò ratio currit in propoſito: quia gratia ſupplet defectum iuſtitiæ originalis, ordinans in ſuis actionibus voluntatem, eamque ſanans: vt habent Concilia, & Patres: Ideò hanc delectationem vocat Aug. victricem: quia facit plus delectare, quod præcipitur, quàm quod impedit: eſtq; doctrina Scoti, qui probabiliter etiam aſſerit, in ſtatu iuſtitiæ originalis, præter donum illud voluntatis fuiſſe etiam ſingula in ſingulis appetitibus ſenſitiuis, quibus quodlibet mediante tali dono mouebatur à voluntate delectabilitèr ad donum:Vndè ad fauorem huius doctrinæ in 3.d.34.§.ad quæſtionem concedit de facto habitum, tàm in voluntate ex rectis electionibus cauſatum, quàm in appetitu ſenſitiuo, quo vterque in ſuas operationes delectabilitèr feruntur ex regula rectæ rationis. Conſiſtit ergo auxilium intrinſecum in cognitione recta operandorum, & amore, ſeu delectatione,qua vincatur paſſio oppoſita rationi, & honeſtati. In ordine autem ad virtutes ſupernaturales requiritur vltra hoc, quod vincatur appetitus, & quæcunque oblata difficultas ex impedimento ad bonum, ſubminiſtratio virtutis, qua eleuatur potentia ad ordinem ſupernaturalem. Aliter ergò voluntas comparatur ad actus virtutis naturalis, alitèr ad actus virtutis ſupernaturalis: : quia ad actum virtutis naturalis eſt completa potentia, etſi impedita ex affectu ſenſibili. Ad actum autem virtutis ſupernaturalis habet tantum virtutē inchoatam,ac proinde requiruntur auxilia diuerſi generis: ad primum, tantū,quod tollat impedimenta: ad ſecundum, quod det poſſe.

Poſſet hic diſputari; quomodo ſe habet intellectus, & voluntas noſtra reſpectu talis auxilij; an paſſiuè, an actiuè, an deliberatè, vel indeliberate. Sed quæſtio eſt parū vtilis, & metaphyſica. Eam diſputat Vaſ-

quez

quez prima ſecundæ, diſp. 185. capit. 4. & ſequentibus, Vega. 6. in Tridentino cap. 8 dicens in nobis, ſiue à Deo ſolo, ſiue ab Angelo produci gratiam excitantem, nobis actiuè non concurrentibus. Vt reſoluamus, ergò iuxta principia Scoti; ſi de poſſibilitate loquitur, non eſt dubium, quin Deus ſe ſolo id facere poſſit, producendo actus vitales, & effectus conſequentes, ſeu connaturales, delectationem, triſtitiam, & huiuſmodi. Docet etiam in 2. d. 9. quæſt. 1 §. ad quæſtionem, Angelum poſſe cauſare conceptum in Angelo alio paſſiuè ſe habente, & in hoc ponit Angelorum loquutionem. Sed diſtinct. 11. negat id fieri poſſe ab Angelo in noſtro intellectu pro hoc ſtatu, in quo ſolum mouetur per phantaſma vel imaginabilia: poteſt ergò tantum applicare ſpecies, phantaſmata, & obiecta, atque diſpocere ordinate ad intellectionē ſiue complexam, ſiue incomplexam, non tamèn eam ſe ſolo cauſare. Quoad volnntatem eſt alia ratio: quia ipſa eſt cauſa totalis ſui actus: Vaſquez, Suarez & alij aſſerunt, gratiam excitantem eſſe à voluntate non libere agente, ſed per modum naturæ. Scotus tamen in tertio d. 33. §. ad argumenta principalia, impugnans diſtinctionem Henrici dicentis, voluntatem agere per modum naturæ, & indeliberatè, aliquando vero deliberatè; docet non habere actum elicitum vt natura eſt. Et d. 15. §. quantum ad primum dubium, & §. quantum ad ſecundum, eandem doctrinam tradit: vnde delectationes ſubrepritiæ ſunt paſſiones voluntatis, & non actiones elicitæ, eodem modo triſtitia &c. Hinc voluntas vt natura poteſt pati ab obiecto vt volito, vel vt naturaliter diſconueniente: pati etiam poteſt ab obiecto conueniente, vel diſconueniente appetitui ſenſitiuo ex coniunctione, quā habet cum ipſa: hij uocantur motus primo primi voluntatis, intantum liberi, inquantum fouentur permiſſiuè, aut conſenſu expelluntur, vel dimouendo intellectum, aut imaginationem.

His ſuppoſitis recte fundatur ſententia noſtri Patris Vegæ, qnantum ad Theologiam, fundatur in eo, quòd Patres dicunt communi conſenſu gratiam operantem vel præuenientem fieri in nobis ſine nobis à ſolo Deo. Concilium Arauſicanum ca. 10. multa bona in homine fiunt, quæ non facit homo: Aug. de Gratia, & libero arbitrio cap. 17. vt velimus, ſine nobis operatur. Eodem modo Anſelmus in illud primæ ad Corinthios cap. 15. gratia Dei mecum &c. ergò cum fiat à Deo in nobis ſine nobis prima vocatio ſecundum Patres; hoc intelligitur, quia à nobis non fit deliberate. Qui aliud ſequi voluerit, non repugno; quia id ſolum certum, eſſe à Deo gratiam præuenientem &c. An autem voluntas concurrat per modum naturæ; eſt quæſtio metaphyſica.

PROPOSITIO XXVI.

Voluntas ſine auxilio ſpeciali Dei, non poteſt deteſtari peccatum ſicut oportet.

HAnc Propoſitionem in diſcurſu Propoſitionum antecedentium ſępe probauimus. Sufficiat ergò replicare auctoritatem Tridentin. canone 3. ſeſſione 6. ita dicentis: ſi quis dixerit ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione hominem pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Ex iſta Propoſitione occaſionem ſumpſerunt calumniandi Scotum in 4. d. 14. quæſt. 2. art. 2. D. vbi inquit: Peccator in peccatis exiſtens poteſt ex naturalibus cum cōmuni influentia conſiderare peccatum commiſſum, vt offenſum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt impeditiuum præmij, & inductiuum ſupplicij, & ſub multis talibus rationibus, & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua illarum rationum, vel in multis illud peccatum ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ. Poteſt etiam iſta deteſtatio eſſe totaliter circumſtantionata circumſtantijs moralibus debitis. Non eſt enim veriſimile, quòd neceſſe ſit propter peccatum iſtud, remanens actum quemcunquè circa peccatum commiſſum eſſe defectiuum in aliquà circumſtantia morali. Ex hac doctrina nonnulli repręhendunt de Pelagianiſmo; quem vt ab huiuſmodi calumnia immunē oſtendamus, Scoti ſententiam ex ipſomet ſuo textu catholicam eſſe demonſtro. Vt res radicitus penetratur, ſit ſubſequens Propoſirio, proponens ſententiam Pelagij.

PRO-

PROPOSITIO XXVII.

Proponitur ſententia Pelagij.

ISta ſententia vt ad præſentem ſpectat materiam, conſiſtit in ſeptem dictis, de quibus inferius, ne videatur à me pto meo libito ſumpta, prout in verbis inuenio, eliciam. Verba Innocentij ſunt iſta.

A. Quia ſibi ſe putāt deberi quod boni ſunt nec illum conſiderant, cuius quotidie gratiam conſequuntur.

B. Sed iam iſti, qui tales ſunt, nullam Dei gratiam conſequutur, qui ſine illo tantum aſſequi ſe poſſe confidunt, quantumuis illi, qui ab illo poſtulant, & accipiunt, promerentur.

C. Quid enim tàm iniquum eſſe poteſt, tàm barbarum, tàm totius religionis ignarum, tàm Chriſtianis mentibus inimicum; quàm huic denegare debere, quidquid in quotidiana gratia conſequeris, cui tu ipſe confiteri deberes, quòd natus es.

D. Ergò eris tibi in prouidendo præſtantior, quàm poteſt is eſſe, qui te vt eſſes, efficit.

E. Et cum te putes ei debere quòd viuis, quomodo te non putas illi debere, quòd quotidianam eius conſequendo gratiam, taliter viuis?

F. Et qui nos adiutorio negas indigere diuino, quaſi ex noſtra in toto poſſibilitate perfectos, quomodo non adiutorium in nos (cum tales etiam à nobis eſſe poſſumus) prouocamur?

G. Et alij quanto inferius. Sunt quidem iſti omni cœcitate digniſſimi, qui nec hoc ſibi reliquerunt, vt ſe auxilio diuino reuocari ab erroribus, poſſe credunt.

PROPOSITIO XXVIII.

Ex his verbis contra Pelagium dictis elicio infraſcripta dicta.

A. PRimum dictum. Negantes adiutoriū Dei, non conſiderant Deum, cuius gratiam quotidiè conſequuntur.

B. Secundum. Iſti nullam gratiam Dei, hoc eſt iuſtificantem conſequuntur.

C. Tertium. Impium, barbarum, religionis ignarum, & Chriſtianis mentibus inimicum eſt, denegare gratiam adiuuantem.

Quartum. Si abſquè gratia adiuuante homo poſſet eſſe bonus, eſſet in prouidendo ſibi præſtantior Deo. D.

Quintum. Tribuendum eſt Deo non ſolum quòd viuimus, ſed etiam quod taliter viuimus per eius adiutorium. E.

Sextum. Homo non caret aliqua poſſibilitate partiali, vt poſſit eſſe perfectus. F.

Septimum. Sine auxilio Dei nullus poteſt ab erroribus reuocari. G.

Iſta dicta vt fideliter videantur ſumpta ab Innocentio, conferantur iuxta notulas alphabeti appoſitas in textu ſuperiori, & in his dictis.

Eadem ſententia hęretica expreſſius cōſtat in Concilijs Arauſicano ſecundo, Mileuitano, & Tridentino. Et quia hanc ſuā ſententiam videtur ipſemet Pelagius aliquando reformaſſe, vt D. Aug. notat lib. de hæreſibus, ad quod vult Deum, hæreſi 88. tomo 8. Et libro de peccato originali contra Pelagium. Et Cœleſtinus cap. 8. & 9. tomo 7. intantum, vt videtur ipſi Auguſtino Pelagium rectè, & exactè pſalmodiam cecinîſſe, & confeſſum fuiſſe gratiam, & adiutorium Dei. Obſeruandum eſt, quòd per adiutorium neceſſarium, non intelligimus tantum internam illuminationem intellectus, & internam excitationem ſtollidæ ac ſtupentis voluntatis: hoc enim adiutorium fatebatur Pelagius, quo adiutorio non iuuatur infirmitas voluntatis, ſed ſtupor. Nos vero iuxta prædictorum Conciliorum doctrinam, volumus dari aliud adiutorium, ſine quo voluntas, quantumuis prompta, & intellectus quantumuis illuminatus, benè facere, dolere, & deteſtare peccatum nequeunt. Eſt ergò ſententia Pelagij, quod peccator ſibi ſufficit cum generali influxu Dei ad deteſtandum peccatum, & ad ſe emendandum.

PROPOSITIO XXIX.

Proponitur ſententia Catholica.

COncilium Trid. ſeſſio 6. canone 3. aliquid dicit, ſed nimis breuiter de neceſſitate adiutorij ad pœnitentiam, his ner-

Digitized by Google

verbis: ſi quis dixerit ſine præueniente ſpiritus ſancti inſpiratione, atquè eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, atquè pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit,&c. Sed ſuperius in eadem ſeſſione cap. primò, clarius oſtendit imbecillitatem naturæ, dicens, quòd homo peccato originali adeo ſeruus eſt peccati, & ſub poteſtate Diaboli, ac mortis, vt non modo gentes per vim naturæ, ſed nec Iudei quidem per ipſam etiam litteram legis Moyſis inde liberari, aut ſurgere poſſent: & inferius cap. 5. declarat ipſius iuſtificationis exordium in adultis, à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe. Et iterũ in eodem capite negat hominem peccatorem ſine gratia Dei mouere ſe poſſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate: & cap. ſequenti inquit: diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati à diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moueantur in Deum. Et aliquanto inferius, eodem adiutorio dicit, quòd peccatores incipiunt diligere Deum, tanquam omnis iuſtitiæ fontem, & propterea mouentur aduerſus peccata per odiũ aliquod, & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet. Ex quibus verbis, elicio infraſcripta aſſerta.

Ex primo loco. Adiutorium Diuinum neceſſarium eſt peccatori ad pœnitendum, ſicut oportet.

Ex ſecundo. Per ſolũ adiutorium Diuinæ legis, homo non poteſt ſurgere à peccato.

Ex tertio. Primum adiutorium adulterorum, eſt gratia præueniens.

Ex quarto. Adiutorium Diuinum, eſt quædam gratia Dei.

Ex quinto. Deteſtatio peccati, & dilectio Dei præcedens iuſtificationem, diſponit ad ipſam iuſtificationem.

A quibus dictis, deſumenda eſt hæc Concluſio, ſcilicet: peccator ex ſolis viribus naturalibus, non poteſt ſufficienter ſe diſponere ad gratiam iuſtificatem. Qnam concluſionem non probo, ſed catholicè probatam exiſtimo auctoritate pręfati Cõcilij Tridentini.

PROPOSITIO XXX.

Proponitur ſententia Scoti circa diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem in peccatore.

INtentio Scoti ſumitur à prima quæſt. d. 14. libri quarti, vbi quærit: Vtrum pœnitentia neceſſariò requiritur ad electionem peccati mortalis poſt baptiſmum cõmiſſi: in corpore, cuius quæſtionis tenet, quòd ſecundum potẽtiam abſolutam Dei, homine tantum paſſiuè ſe habente, Deus poteſt remittere culpam, & infundere gratiam ſine pœnitentia ipſius peccatoris; regulariter tamen non remittitur culpa ſine pœnitentia peccatoris, vel ſine aliquo ęquiualente. Suppoſito ergò regulari modo dimittendi peccatum, & poſito quòd homo concurrat ad impetrandam remiſſionẽ ſuæ culpæ nõ quærendo de viribus Diuinæ gratiæ, ſed expendendo vires liberi arbitrij peccatoris. Quæſiuit ſecundo loco in eadem diſtinctione, an requiratur pœnitentia ad electionem peccati tanquã actus virtuoſus: vbi conſtat Scotum fateri neceſſitatem pœnitentiæ ad remiſſionem culpæ, & non ſe habere in ſua iuſtificatione, ſicut mortuus in ſuſcitatione, ſed potius vt infirmus cooperans Medico, & medicamentis ad conſecutionem ſuæ ſalutis. In hac autẽ 2. quæſt. ſicut & in 1. non accipit hominem in puris naturalibus abſquè omni adiutorio ſupernaturali. Conſtat enim ex Concilio Trid. ſeſſio. 6. cap. 7. in baptiſmo cum remiſſione peccatorum infundi baptizato fidem, ſpem, & charitatem: & conſtat in eodem Concilio eadem ſeſſione can. 28. quòd amiſſa per peccatum gratia, non ſimul amittitur fides; nec fides quæ ramanet eſt falſa, ſed vera, licèt non viua. Peccator ergò poſt baptiſmum peccans, non eſt omnino in puris naturalibus: & de peccatore vt ſic poteſt eſſe triplex difficultas. Prima: an ad ſurgendum requiratur Diuina virtus; Secunda: an hæc ſola ſufficiat, vel conrequiratur actus humanus cooperans Diuinæ virtuti. Tertia: an requiratur præuia diſpoſitio.

Circa primã difficultatem ſupponit neceſſitatem Diuini adiutorij, alias poſitam ab ipſo, vt oſtendam infra. Circa ſecundam,

Digitized by Google

dam, & tertiam explicatiſſimè loquitur: dicit enim, quod requiritur pœnitentia. vt concluſum fuit in præcedenti quæſt. ſed nō requiratur vt actus alicuius virtutis, quæ ſit ſpecies ſpecialiſſima virtutis; ſed ſufficit quòd ſit actus benè circumſtantionatus moralitèr, ad quamcumquè virtutem ſpectet: nam ſi ebrioſus peccauit in temperantia, in potu, perditum timoris non pœnitet, ſed per actum temperantiæ, & ſobrietatis, dolendo de intemperantia, & ebrietate: ſic dicendum reſpectiuè de cetæris peccatis. Probat autem requiri pœnitentiam vt actū circumſtantionatum moraliter hoc argumento. Actus æquè perfectus ſecundum omnes circumſtantias morales, ſicut cum virtute iam genita: quia ſecundum perfectum dictamē intellectus de aliquo agibili, poteſt eſſe perfecta electio circumſtantionata omnibus circumſtantijs quæ, ſit prima generatiua virtutis, & per conſequens actū rectum perfectè circumſtantionatum, qui requiritur ad delectionem peccati, non oportet eſſe virtutis, vt à virtute iam inexiſtente; ſed poteſt eſſe virtutis, vt eſt primo generatiuus virtutis.

Reſpectu iſtius actus eſt videndum, an homo ex puris naturalibus cum generali influxu Dei, poſſit eſſe principium, præſertim quando præſentatur peccatum voluntati hominis cognoſcentis ipſum peccatum ſub propria ratione, & vt offenſiuum Dei.

PROPOSITIO XXXI.

Oſtenditur ſententiam Scoti concordare cum doctrina Concilij Tridentini.

SI Tridentinum dixit eſſe impoſſibile pœnitere, ſicut oportet, ſine adiutorio gratiæ preuenientis: hoc ipſum docuit Scotus in primo d.44. quæſt. vnica: vbi pertractans illam difficultatem: an Deus poſſit liberare damnatos, & finaliter peccatores ſaluare. Reſpondet, hoc non eſſe impoſſibile potentiæ abſolutæ Dei: quia poteſt Deus cum gratia ſua præuenire, ſicut ſi rex præueniret aliquem ne faceret homicidiū. Hæc ſunt formalia verba Scoti; ergò fatetur Scotus neceſſitatem gratiæ præuenientis ad ſurgendum à peccato. Adduco etiam pro hac parte varia loca Scoti. Imprimis in prologo Sententiarum quæſt. 1. §. pro iſta quæſt. tam auxilia per modum habitus quàm per modum actus cum Theologis fatetur, & conſtiuit: dicit enim; in iſta qu. videtur eſſe cōtrouerſia inter Philoſophos, & Theologos: tenent enim Phyloſophi perfectionem naturæ, & negant perfectionem ſupernaturalem: Theologi vero agnoſcunt defectum naturæ, & neceſſitatem gratiæ, ſeu perfectionem ſupernaturalium. Deinde in 3. d. 17. quæſt. 2. §. ſed tunc eſt vlterius, verſ. ponitur, aſſerit; quòd præter gratiam habitualem requiritur inſlentia ſpecialis: & verſiculo; tertia ratio, aſſerit motionē Spiritus Sancti: & d. 16. §. reſpondeo, verſiculo, ad primam rationem, ait quòd fruſtra eſſet reuelatio exterior, niſi concurret interior illuminatio, deinde in 4. d. 20. q. 1. C. ponens duas Concluſiones, quibus diſtinguit pœnitentiam finalem, in veram, ſeu perfectam, & non perfectam: In prima concluſione aſſerit veram pœnitentiam eſſe ſufficientem ad ſalutem; eam autem habere hominem, non eſt à ſe, ſed â Deo, ſcilicèt per auxilium gratuitum ſuum: & probat ex Aug. ſic aſſerente: cum ergò opus ſit non hominis, ſed Dei fructuoſam pœnitentiā inſpirare, poteſt quādocunquè vult ſua miſericordia. Et in eadē quæſt. § ad arqumenta. I. loquens de eadē finali pœnitentia, ſic ait: Secundum ſe eſt occaſio ſeruandi legem, ſcilicet pœnitentiæ propter amorem legiſlatoris, qui tantæ miſericordiæ eſt erga miſeros, vt nunquam eis claudat ſignum miſericordiæ ſuæ. Ecce ergò quomodo Scotus agnouit auxilium gratuitum. Item in 4. d. 22. quæſt. vnica artic. 3. ait: neceſſaria eſt præſeruatio diuina, ad cauendum peccatum. Et deniquè eadem d. 22. paulo ante articulum tertium, ſic ait: perfectionibus cum cadunt in peccata, citius dat Deus gratiam ad reſurgendum, & inſpirat eis pœnitentiam emendem. Doctor ſubtilis ponit ad hoc propoſitum mirificum exemplum, ita dicens: vnde aliquando audiui de viro prius valdè perfecto, & poſtea profundiſſimè lapſo, cum propter facinora ſua eſſet morti adiudicatus, miſericordiſſimè viſitato, perfectiſſima pœnitentia ſibi ſubitò inſpirata eſt. Ecce quàm plura Scoti teſtimonia expreſſiſſima, in quibus profitetur auxilium gratuitum Dei ad veram pœnitentiam requiſitum.

Digitized by Google

ſitum. Innumera loca Scoti poſſum adducere pro hac veritate, breuitati tamen locum dando, ſileo. Pateat tamen quàm falsò à quampluribus noſter pijſſimus, & ſemper Catholichiſſimus Scotus notetur, quaſi verò inſecutus fuerit hæreſim Pelagij.

Si Concilium Trid. negat hominem diſponi ad pœnitentiam per ſolam vim naturæ, imò, & per ipſam etiam literam Moyſis: Scotus in hac materia eſt comes fideliſſimus eiuſdem Concilij, nec vnquam à latere eius diſceſſit. Scotus enim non loquitur de infideli, nec de peccatore quocumque, ſed de baptizato, & de eo, cuius voluntati præſentatur peccatum cognitum ab intellectu, vt offenſiuum. Et ſi à Concilio adiutorium præueniens appellatur gratia: Scotus in hac quæſtione nominando virtutem inhærentem, ſeù inexiſtentem; certè diſtinguit virtualitèr in ſuo ſermone, gratiam inhærentem ab excitante, quæ poſſet etiam dici gratia aſſiſtens: quàm gratiam aſſiſtentem poſuit D. Bonauentura in 1. diſ. 17. parte prima q. 1. art. 1. Et ſi idem Concilium dicit, pœnitentiam quandam diſponere ad Baptiſmum, hanc ponit Scotus in eadem quæſt. dum ponit attritionem præuiam contritioni. Notentur verba, & ſignentur myſteria. Inquit enim Scotus de actu illo circumſtantionato moralitèr: iſte autem motus dicitur attritio, & eſt diſpoſitio, ſiuè meritum de congruo ad electionem peccati mortalis, quæ ſequitur in vltimo inſtanti alicuius temporis, in quo tempore iſta attritio durauit. Demum ſi ad aures Scoti dicimus liberum arbitrium per ſe ſumptum ſine adiutorio eſſe principium partiale actus pœnitendi: hoc ipſum non elicitur ex verbis Innocentij Primi in illo reſcripto ad Concilium Carthaginenſe, vbi dicit. Qui nos adiutorio negas indigere Diuino, quaſi ex noſtra in totum poſſibilitate perfectos?

Dicant obſecro aduerſarij Scoti, cum dicitur: (in totum) non exprimitur poſſibilitas ex parte, & ſolùm negatur poſſibilitas totalis. Hæc ſic accuratè notaui, vt pateat vera ſententia noſtri Scoti.

PROPOSITIO XXXII.

Notantur, & ſoluuntur fundamenta aduerſariorum contra noſtrum Scotum.

NOtatur Scotus ex eo quod in 4. d. 14. q. 2. artic. 2. ita dixerit: Peccator in peccatis exiſtens, poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum, vt offenſiuum Dei, & vt contra legem Diuinam, & vt aſſertiuum à Deo, & vt impeditiuum præmij, & vt inductiuum ſupplicij, & ſub multis talibus rationibus, & poteſt voluntas ipſum ſub aliqua illarum rationum, vel ſub multis, illud peccatum ſic conſideratum, deteſtari, & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ: poteſt etiam iſta deteſtatio eſſe totalitèr circumſtationata circumſtantijs moralibus debitis. Ex his verbis quidam ex ignorantia, aut ex malitia falsò interpretantes Scotum, clamitant eum eſſe Pelagianum; quaſi Scotus vellet hominem ex natura ſua ſine Diuino auxilio reſipiſcere à peccato. Sed abſit tantum virum hæreticis fauere: id enim ex multis eiuſdem Scoti dictis ſufficientèr ſupra probauimus. Vt argumento ergò ex iſtis verbis ſumpto ſatisfaciamus: primò ſeſe offert explicanda hæc dictio (peccator in peccatis exiſtens,) quo nomine non quilibet intelligendus eſt peccator; ſed is, ad quem diuina peruenit cognitio. Duæ ſunt peccatorum claſſes. Prima: in qua reperiuntur illi, qui ſine Deo, & ſine lege viuunt; quiq; nomen ſuum nunquam Chriſto dederunt. In ſecunda claſſe reperiuntur illi, qui verum Deum adorant, legemq; eius norunt; quales ſunt omnes fideles. De primo intelligi non poteſt Scotus, qui in Prologo ſent. docet hominem non poſſe ex puris naturalibus, & ſine reuelatione diuina, & doctrina ſupernaturali agnoſcere vltimum ſuum finem, qui Deus eſt; ſine cuius tamen præuia cognitione, impoſſibile eſt cõſiderare peccatum, vt acerrimum à Deo, & vt contra legem eius; Loquitur ergo Scotus de peccatoribus ſecundæ claſſis, nempè de fidelibus, qui cum ex fide Deum, & legem eius nouerint, facilè peccatum agnoſcere poſſunt: cum illud aliud non

Digitized by Google

ſit,quàm Diuinæ legis tranſgreſſio. Altera particula explananda eſt: (ex naturalibus.) Naturalia hæc ſunt intellectus, & voluntas peccatoris, cum aptitudine vtriuſque ex naturali propenſione, ad id, quod verum, & bonum eſt. Hæ duæ facultates dicuntur naturales, quod ita ſint de intrinſeca hominis natura, vt ab illa auelli, & ſeparari nequeat, aut poſt peccatum quouis modo deſtrui: nàm peccatum, etſi demeritoriè rationalem creaturam donis ſupernaturalibus ſpoliet; nòn tamen naturalibus. Hinc fatentur Theologi, in Angelis, cæteriſque damnatis remanere omnia naturalia, deperditis ſupernaturalibus; Naturale eſt intellectum verum cognoſcere, quid faciendum, quidque vitandum præſcribere. Naturale item eſt; voluntatem appetere bonum: vndè Ariſtoteles: *Nemo inſpiciens ad malum operatur*. Sequitur (cum communi influentia:) Hæc ſunt totius difficultatis, diſſenſionis, & diffidij, cauſa; ac proindè paulò accuratius explicanda. Si primam communis influentiæ ſignificationem attendere velimus: Ea nil aliud eſt, quam Diuina cooperatio,& concurſus Dei communiſſimus, & generaliſſimus, quo Deus vt eſſe primarium omnes res conſeruat in ſuo eſſe, & quatenus eſt prima cauſa, concurrit cum omnibus ſecundis cauſis ad hoc vt operentur. Dicunt Theologi cum Philoſophis: omnes res creatas duplicem habere actum, vt actus primus, ſit eſſe rei, actus verò ſecundus vt operatio eiuſdem: & quia creatura à ſuo creatore dependet ex vtroque actu, quorum vnus ab alio ſeparari poteſt; quia res, quæ operari poteſt non ſemper operatur; neceſſarius eſt ex parte Dei duplex concurſus, quorum vnus influat in eſſe rei, aliud in operationem. Hos duos influxus à ſe inuicem diſtingui ex ſeparatione conſtat, quàm videre licèt in igne fornacis Nabuchodonoſor: ille enim ignis perſeuerabat in eſſe ſuo propter Diuinum influxum cõſeruantem eſſe ignis: tamen non comburebat in medio eius exiſtentes ex ſubtractione Diuini concurſus in operationem illius ignis. Hi duo concurſus ſunt illa communis influentia,quam ego communiſſimam appello: vtpote, quæ ſe ad omnes omninò creaturas extendant, quamque homo habet communem cum formicis, &c. De hac communi influentia non loquitur Scotus. Quærenda propterea eſt alia influentia communis omnibus, & ſolis peccatoribus. Ea eſt cuiuſcumque propoſitionis natura, vt termini illius ſint reſtringendi ad ſubiectum: Peccator in hac propoſitione eſt ſubiectum; ergo communis influentia reſtringi debet ad illam communem influentiam, quæ peccatores reſpicit; talis autem eſt auxilium ſpeciale ordinis ſupernaturalis. Mens ergo Scoti fuit negare ab homine eo in caſu gratiam inhærentem, ſeù habitualem; non autem auxilium ſpeciale. Hoc colligitur ex eadem quæſt. tùm in reſponſione ad vltimũ, tùm etiam ſub M. vbi contendit,& concludit requiri, vt diſpoſitionem præuiam ad electionem peccati humanum actum informem: vt verò diſpoſitionem concomitantem requiri actum formatum. Quando igitur Scotus dicit hominem peccatorem poſſe ex naturalibus ſuis, &c. Per naturalia nullatenus excludere, intendit ab actu deteſtandi peccatum, auxilium ſpeciale; ſed ſolum inhærentem gratiam.

Iſta expoſitio colligi poteſt ex eodem Scoto in 3. d.25. q.2. A. vbi vult voluntatem poſſe ex naturalibus ſuis, ſcilicèt independenter ab omni habitu infuſo, vt patet ibidem,mouere poſitiuè intellectum ad aſſentiendum credibili ſupernaturali ſibi præſenti, &c. Idem in eodem 3. diſt. 27. q. vnica per totum: ſed clariùs in 4. diſt. 49. q. 11. &c. Nec vacilles in eo, quod in præcitato loco quarti dicit: cum communi influentia: quaſi verò per influentiam communem excludere intendat, ſpecialem: quia apud ipſum idem omninò ſunt formalitèr intrinſecè, communis, & generalis influẽtia: diuerſificãtur tamẽ formalitèr extrinſecè per terminationem ad aliũ, & alium actum: Ex prædictis etiam poteſt facilitèr explicari difficilè illud dictum Scoti in prima quæſt. prologi Q. vbi apertè vult, quod naturali paſſiuæ potentiæ, quam habet homo viator reſpectu ſupremæ perfectionis ſupernaturalis, etiam correſpondeat actiuum principium, non principalitèr inductiuum, ſed naturalitèr diſpoſitiuum paſſiuæ potentiæ ad ſupremam perfectionem ſupernaturalem. Et illud, quod habet in 1. diſt. 1. q. 4. parum ſupra reſpondens ad argumenta principalia. Et d. 17. eiuſdem primi q. 2. O o. in reſponſione ad ſecundum

Digitized by Google

dum pro opinione Magiſtri. Et in 4.d.49. in reſponſione ad primum principale.

Nota, quod ſi non eſſet alius locus ex Scoto, ex quo poſſet probari ex mente ſua dari auxilium ſpeciale, quo peccator adiutus, poſſet ſeruare mandata, ſeruare ſe à culpa, & atteri de proprijs culpis; euidentiſſimè probaretur ex 2.diſt 29. q. vnica A vbi contra Henricum tenet, & probat hominem in ſtatu innocentiæ, non potuiſſe abſque dono ſupernaturali habere perfectam tranquillitatem in potentijs ſuis, vt ipſe ſubtiliſſimè explicat ibidem. Et in reſponſione ad primum principale eiuſdem quæſtionis. Ex quo poteſt ſic argui à fortiori: Scotus aſſerit in ſtatu innocentiæ hominem ex vi doni ſupernaturalis habuiſſe perfectam tranquillitatem in potentijs ſuis, ergò multò magis hoc aſſerit de homine exiſtente in natura lapſa: quia nunc ait Concilium Tridentinum, liberum arbitrium viribus attenuatum, & inclinatum.

DISPVTATIO VI.

De Valore Virtutis Pœnitentiæ.

Pœnitentiam virtutem præcedere remiſſionem peccatorum, & impij iuſtificationem. Eſt res mihi certa ex Tridentino ſeſſ.6.cap.6. vbi loquens de diſpoſitione ad gratiam, ponit excitationem Diuinæ gratiæ, hoc eſt auxilium ſpeciale, timorem, ſpem, dilectionem, odium, ac deteſtationem aduerſus peccata, propoſitum melioris vitæ: ac deindè ſequitur in cap. ſequenti; ad eam diſpoſitionem ſequi remiſſionem peccatorum: ac iuſtificationem impij: Confirmatur etiam ratione: tum quia cauſa præcedit effectum; huiuſmodi autem diſpoſitio eſt cauſa aliqualis remiſſionis peccatorum. Tum quia diſpoſitio ad formam antecedit ipſam formam. Illud tamen eſt hic notandum, non præcedere huiuſmodi attritionem gratiam præuenientem; Sed ſolum iuſtificantem: per illam enim excitatur peccator ad hoc, vt liberè moueatur in Deum, credendo, ſperando, timendo, ac alijs actibus de quibus Concilium loco citato. Moneo tamen gratiam præuenientem, & iuſtificantem non eſſe eadem, vt animaduertit Vega libro 8. cap. 13. Tum quia gratia præueniens non eſt habitus infuſus; at gratia iuſtificans eſt huiuſmodi; ergò diſtinguuntur, Tum quia præueniens antecedit interdum tempore habitum gratiæ iuſtificantis, vt cum quis venit ad fidem, & tamen habet animum perſeuerandi in peccato: tunc enim habet gratiam præuenientem, ſed non iuſtificantem. Tum quia præueniens eſt principium noſtræ iuſtificationis: iuſtificans eſt terminus; ergo. Tum quia præueniens ordinatur ad iuſtificationem non è contra. Hinc ſatisfacit Pater Vega aliquibus auctoritatibus in loco citato ex Patribus deſumptis, qui volunt non ſine gratia ſanari hominem, imò præueniri hominem medicina, ſcilicet Chriſti gratia, vt ſanetur, & reparetur: ſed gratia præueniens, dicimus, quod eſt medicina, qua homo ſanatur tanquam diſpoſitione; gratia verò iuſtificans eſt, qua ſanatur formalitèr, vt termino diſpoſitionis; vtraque tamen vocatur gratia. Idem Pater Vega cap. 29. lib. 6. ſoluit alias auctoritates, quibus probatur non ſine Spiritus Sancti gratia poſſe hominem diligere: quibus dicendum auxilium illud ſpeciale, vel gratiam præuenientem, qua excitat, ſiue per adiuuantem, & cooperantem adiuuat ad diligendum Deum, eſſe etiam Spiritus Sãcti gratiam, ſed nòn eam, qua formalitèr iuſtificamur.

Suppono etiam partitionem meriti in meritum de conditione, & in meritum de congruo. Meritum de condigno ſic poteſt definiri: Meritum de condigno, eſt opus liberum, bonum, hominis iuſti, viatoris ex charitate factum propter Deum, cui ex promiſſione debetur vita æterna. Dixi, opus liberum ad excludenda opera, quæ voluntati

tati non ſubſunt, quæq; nec formalitèr, nec participatiuè ſunt talia: vt opera vegetatiua: dixi etiam liberum, ad excludendendum illam difficultatem, quæ de Christo Domino poſſet oriri, atq: etiam de confirmatis in gratia, de quibus eſſe poſſet dubitatio, an liberè elicuerint actum. Sed nos fatemur cum Scoto in 1.d.1. q.2. Et in 4. d.49.q.6. & alibi: ſæpè etiam beatos liberè elicere actum, & ſimilitèr Christus Dominus liberè elicuit actus: Oblatus eſt enim, quia ipſe voluit. Iſaiæ 12. Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam. Ioannis 10. Dixi liberum: ad excludendam coactionem, & opera, quæ inuiti facimus. Dixi opus bonum; intelligens nedum bonum ex genere; ſed etiam bonum bonitate morali, & gratuita, quamuis hæc poſterior inferius magis declaretur; de quibus videndus Scotus in 2. diſt. 7. q. vnica. Ratio eſt clara. Odit enim Deus, qui operantur iniquitatem, & odio eſt Deo impius & impietas eius. Dixi hominis iuſti: nam neceſſariò requiritur, vt is, qui meretur ſit in gratia. Ita omnes Theologi in 2. d.24. 27. 28. & 29. & Scotus in 1. diſt. 17. q.2. Concilium Trid. ſeſſ.6. can. 32. & deindè Pius V. & Gregorius XIII. condemnarunt nonnullas propoſitiones, inter quas vna erat: Operibus bonis deberi vitam æternam, non quia fiunt à perſona eleuata per gratiam ad ſtatum filiorum Dei; ſed quia ſunt vera legis obedientia. Dixi hominis Viatoris ad excludendos beatos, & exiſtentes in purgatorio, qui non ſunt in ſtatu merendi; cuius nulla ratio eſt alia, niſi diuina voluntas, quæ ſtatuit tempus meriti, & demeriti eſſe præſentem vitam, iuxta illud: veniet nox (id eſt tempus poſt mortem) in qua nemo poteſt operari meritoriè. Dixi vt ſit opus ex charitate procedens ac propter Deum factum, ad excludendam opinionem illorum, atq; hæreſim, qui fidei adæquatè, ac præciſè totam rationē meriti aſſignāt. Quæ verò hic poſſet oriri difficultas eſt: an is, qui eſt in charitate ad acquirēdum meritum, debeat elicere opus bonum actu, vel virtute à charitate procedens: an ſufficiat operantem eſſe in charitate, quamuis neque actu, neque virtute, ſed tantum habitu ſit à charitate opus bonum: Ea inquam difficultas facilè diluitur meo iudicio, ſi dicamus non ſufficere, vt is qui elicit bonum opus morale ſit tantum in charitate, niſi etiam, vel virtute eliciat actum ex charitate, & propter Deum, quòd vlterius proſequi non eſt huius loci. Videatur D. Bonau. in 2.d. 41.art.3. quæſt.3.

Dixi poſtremo debere intercedere promiſſionem Dei gratuitam, quod ex Tridentino cap. vltimo, probatur: inquit enim tanquam merces (hoc eſt vita æterna ex ipſius Dei promiſſione bonis operibus, & meritis fidelitèr reddendo.) Multa, quæ faciunt ad iſtam rem meliùs explicandam, ſicut etiam multa, quæ proponuntur contra iſtam definitionem, videri poſſunt in noſtro Tract. de Incarnatione in diſputatione de merito Christi.

Meritū de congruo illud eſt, cui de iuſtitia, ex lege, & condignitate operis, non debetur aliquod præmium, ſed tātum ex gratia, & benignitate, & congruitate quadam acceptatur ad præmium. Vnde ad meritum de congruo ſatis eſt, quod & ſi minimè ſit ſancita lex, qua tale præmium correſpondeat illi operi, tamen congruum eſt, propter operis excellentiam illud remunerare. Rē optimo exemplo explicat noſter Pater Vega: vt ſi Rex lege ſancita ſtatuit, vt eleuanti vexillum ſuper muros Ciuitatis hoſtilis daturum ſe mille; id præſtanti ex cōdigno debetur talis merces: Si verò quiſpiam militum, lege non ſancita id efficiat; congruum eſt vt tali præmio remuneretur; non tamen ex condigno: quia non erat facta lex de præmio remuneretur; non tamen ex condigno: quia non erat facta lex de tali præmio dando; Nec ibi haberentur conditiones neceſſariæ ad meritum de condigno.

PROPOSITIO PRIMA.

Diſpoſitio, quam dicimus præcedere peccatorum remiſſionem, & impij iuſtificationem, eſt meritoria de congruo.

ITA docet Scotus in 4.d.14. quæſt. ſecunda, Magiſter in 2.d.27. D. Bonau. in 2.diſt.28. articulo 2. q. 3. Eam latè defendit noſter Pater Vega in Opuſculo de Iuſtificatione q. 7. & lib. 8. in Concilium Trid. cap.9. & ſequentibus vſque ad finem.

Monet

Digitized by Google

Monet tamen in vltimo cap. (hoc eſt 15.) Lectores vt ſi quando inuenerint in q.7. de iuſtificatione hoc meritum reſpectu gratiæ iuſtificantis fuiſſe dictum meritum ſimplicitèr: addant hoc (de congruo) ſequutus Concilium Trid. ſeſſ.6.cap.8. vbi dicitur: nec fidem, nec alia opera bona præcedentia iuſtificationem promereri iuſtificationis gratiam. Et ita Riccardus in 2.d.27. q. 1. dicit hæc merita non eſſe ſimplicitèr, ſed ſecundum quid: Et noſter Scotus ea vocauit merita de congruo.

Noſtram propoſitionem probant argumenta quæ ſequuntur. Sit primum ex Cōcilio Tridentino ſeſſ.6.cap.5.vbi declarans exordium noſtræ iuſtificationis, decernit peccatorem liberè aſſentiendo, & cooperando gratiæ excitanti, & adiuuanti,diſponi ad gratiam iuſtificantem: ex quo ſic poteſt trahi argumentum. Peccatoris liber aſſenſus, & cooperatio gratiæ excitanti, atque adiuuanti propter ſui connexionem, eſt diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem; ergò etiam eſt meritum de congruo reſpectu eiuſdem gratiæ iuſtificantis. Antecedens eſt Tridentini. Conſequentia patet: quia omnis diſpoſitio habet rationem cauſæ reſpectu termini inducendi: igitur ex eo, quod opera noſtra præcedentia iuſtificationem ſunt diſpoſitio ad illam, debent dici quodammodo cauſa cur,cur gratia iuſtificans inducatur; ergò opera noſtra habent rationem meriti de congruo. Antecedens communitèr poteſt apud Philoſophos,& Theologos: Conſequentia eſt clara; ergò. Poſſet diſtingui Antecedens dicendo, quod illud ſit verum de diſpoſitione phyſica, ſicut eſt calefactio reſpectu ignitionis: eſſe tamen falſum reſpectu diſpoſitionis moralis; vti ſunt opera noſtra. Reſponſio iſta nullius eſt momenti: tum quia non poteſt aſſignari ratio, cur diſpoſitio phyſica habeat quodammodo rationem cauſæ reſpectu proprij termini inducendi; non autem diſpoſitio moralis reſpectu termini ſibi correſpondentis. Tum quia omnes concedunt actum meritorium quantumcumque moralitèr inducat illam eſſe veram, & propriam cauſam beatitudinis. Dices etiam non valere paritatem, & dando alteram diſparitatem, & eſt: quia poſita in ſubiecto diſpoſitione phyſica, minimè poteſt in illud non introduci forma ſubſtantialis,cum talis introductio pendeat ab agente naturali, quod non habet in ſua poteſtate actionem: poſita verò in ſubiecto contritione, quæ eſt diſpoſitio moralis; poteſt non introduci gratia iuſtificans, cum talis introductio pendeat ab agente libero, habente in ſui poteſtate dare, vel non dare gratiam ſanctificantem. Hæc etiam reſponſio nullius eſt roboris: Cum decretum Diuinum de exhibenda gratia iuſtificante peccatori ſufficientèr, & adæquatè diſpoſito, æquiualeat naturalitati alterius agentis inducentis ſuam formam in ſubiectum phyſicè,& adæquatè diſpoſitum. Sit aliud argumentum ex eodem Concilio ſeſſ.6. cap.6. vbi per totum declarans modum præparationis impij ad iuſtificationē, apertè decernit;peccatores ex eo,quod excitati, & adiuuati gratia Diuina, liberè per odium, & deteſtationem peccatorum, fidentes Deum ſibi per Chriſtum propitiū fore, mouentur in ipſum ſufficienter diſponere ſe ad gratiam iuſtificantem; ergò diſpoſitio illa neceſſariò dicenda eſt meritoria de congruo ſaltem. Accedat tertium argum. ex eod. Concil. cap. 14. ſeſſ.6. vbi loquens de reparatione peccatoris decernit, quod illi, qui per peccatum à gratia iuſtificationis exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, ſi excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum, deperditam gratiam recuperare procurauerint, &c. Ex quibus verbis non obſcurè colligitur,peccatorem ſufficientèr diſponi ad amiſſam gratiam, & recuperare illam, ſi excitatus, & adiunctus gratia Diuina per pœnitentiæ Sacramentū procurauerit illam. Aliud argum. deſumitur ex eodem Concilio ibidem,canone 3 vbi decernit peccatorem cum præueniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque eius adiutorio,poſſe credere, ſperare, diligere, & pœniteræ,ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur. His in verbis ponderandum eſt, quod ly(vt) denotat ad veram pœnitentiam, & deteſtationem peccati,ſubito, & infallibilitèr cōferri peccatori gratiam iuſtificantem. Aliud argum.deſumitur ex eod.Trid.ſeſſ.14.cap.4.vbi definiens contritionem, decernit motum attritionis quouis modo, ſed tempore fuiſſe neceſſarium ad impetrādam veniam peccatorum, & poſt baptiſmum præparare hominem lapſum ad remiſſionem, ſi motus ille contritionis

tionis haberet omnia requiſita quę ibi enumerãtur à Concilio. In iſtis verbis, ſi conſideratur illa particula (neceſſarius) euidenter inde colligetur, motum contritionis adeo ſufficienter præparare, diſponere hominem lapſum ad iuſtitiam recuperandam; & eo quòd ad illam conſequendam motus contritionis ſibi neceſſarius eſt, nullatenus de lege loquendo, ſine tali motu deperditam poſſit recuperare gratiam; aliter ſibi non eſſet neceſſarius motus contritionis ad obtinendam iuſtitiam, quòd eſt contra decretum Concilij. Imo, quòd vallidius noſtram confirmat ſententiam, in eodem cap. vult, & apertè decernit, etiam attritionem, quæ contritio eſt imperfecta, habentem omnes conditiones enumeratas ibidem, eſſe impulſum Spiritus Sancti, non quidem inhabitantis adhuc, ſed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus, viã ſibi ad iuſtitiam parat, & ſubiungit Concilium: & quamuis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe perducerè peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam diſponit; & explicando de Niniuitis, ſubnectit: hoc enim timore concuſſi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt,& miſericordiam à Deo impetrarunt.

Aliud argumentum ſumitur ex eodem Concilio ſeſſ. 14.can.5.vbi anathemate ferit omnes negantes contritionem habentẽ omnes conditiones, quas ibidem enumerat præparare, & diſponere hominem peccatorem ad gratiam; igitur contritio de qua loquitur Tridentinum, eſt proptia, & vera diſpoſitio ad iuſtitiam; ergò contritio vt ſic habet veram rationem inſtrumenti moralis reſpectu gratiæ; ergò contritio vt ſic habet veram rationem cauſæ reſpectu iuſtitiæ; ergò contritio vt ſic habet rationem meriti de congruo reſpectu illius. Penultima conſequentia probatur ex doctrina Scoti in 4.d.1.reſpondendo ad quartum Q.vbi ſubtiliſſimè concludit ſacramenta, ex eo,quod eorum ſuſceptio ex pacto diuino,eſt diſpoſitio neceſſitans ad gratiam, habere rationem per ſe cauſæ reſpectu illius; igitur contritio ex ea, quod ex lege Diuina eſt ſufficiens, & immediata diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, ac etiam ex pacto neceſſitans, habet rationem per ſe cauſæ reſpectu illius. Vltima conſequentia probatur:quia non eſt intelligibile quomodo contritio illa de qua loquitur Concilium, habere poſſit rationem cauſæ per ſe reſpectu illius gratiæ iuſtificantis, niſi etiã habeat rationem merti de congruo reſpectu illius, cum habeat per ſe cauſæ non phyſicæ, ſed moralis. Aliud argument. Sacramenta nouæ legis, omnino ſemper, vt colligitur ex canone 7. ibidem, conferunt gratiam non ponentibus obicem; ergò etiam Sacramentum pœnitentiæ; ergò carentia obicis in peccatore, ſcilicet, eius debita diſpoſitio ad iuſtitiam infallibiliter, & neceſſario inducit in illum gratiam iuſtificantem; ergò obicis excluſio, neceſſario habet (dependenter tamen ex decreto diuino) quodammodo rationem per ſe cauſę reſpectu gratiæ; ergò neceſſario habet rationem meriti de congruo reſpectu illius: quia non poteſt intelligi quomodo obicis non poſitio habeat rationem cauſæ moralis reſpectu gratiæ iuſtificantis, niſi dicatur, quod ſit cauſa, & ſit per modum meriti de congruo. Et vt verum fatear, vix poteſt intelligi, quomodo fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo,ſit in peccatore ſimpliciter neceſſaria ad iuſtitiam, ſi non habet rationem meriti,ſaltem de congruo reſpectu illius.

Accedant rationes; ſit prima. Iuſtus de conguo meretur iuſtificationem peccatoris; ergò ipſe peccator de congruo poteſt mereri ſibi gratiam iuſtificantem. Antecedens patet Iacobi 5. vbi habetur: Orate pro inuicem, vt ſoluemini. Patet etiam ex prima Ioannis primo: Qui ſcit fratrem ſuũ peccare &c. petat, & dabitur vita æterna. Patet ex D. Ambroſio in cap.5.Lucæ, vbi expendens illa verba: Quorum fidem vt vidit, dixit: homo remittũntur tibi peccata tua &c. Diſertè, inquit, magnus Dominus, qui aliorum merito ignoſcit alijs, & dum alios probat, alijs relaxat errata: cur apud te homo, collega non valeat, cum apud Deum ſeruus, & interueniendi meritum,& ius habeat deprecandi? Patet etiã ex D. Thoma qui 3.par. qu.2. apertè fatetur, Sanctos Patres ſuis orationibus meruiſſe de congruo incarnationem Filj Dei: & prima ſecundæ quæſt. 114. art.4. Iuſtum poſſe de congruo mereri alijs primam gratiam, aſſerit. Conſequentia ſequitur à for-

Digitized by Google

fortiori: quia vt patet in multis exemplis Sacræ Scripturæ, accidit multoties, vt homo quantumcunquè iuſtus, ſi oret ad Deũ pro remiſſione peccatorum, non exaudiatur; ſed nunquam accidit peccatorem non iuſtificari, ſi, vt oportet diſponat, & præparet ſe ad gratiam iuſtificantem. Ratio eſt: quia à Deo cõdita eſt lex de infallibiliter danda gratia iuſtificãte peccati benè ſe diſponenti ad illam, quod patet ex mille locis Sacræ Scrip. præcipuè Ezechielis 33. vbi habetur; quòd impietas impij non nocebit ei, in quacunquè die conuerſus fuerit ab impietate ſua. Et Zachariæ 1. conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: non eſt autem ſic conſtituta lex de ſemper exaudiendo iuſtum, quando orat pro conuerſione peccatoris Deum.

Difficile argumentum poteſt ex hac doctrina fieri contrà noſtram Propoſitionem. Tale ſit. Secũdum nos conſtituta eſt lex de dando gratiam iuſtificantem peccatori benè ſe diſponenti ad illam; ergò gratia iuſtificans de lege debetur, & correſpondet diſpoſitioni peccatoris; igitur diſpoſitio peccatoris non ſolum habet rationem meriti de congruo, ſed etiam de condigno reſpectu gratiæ iuſtificantis. Prima conſequentia patet ex terminis. Secunda ex definitione meriti de condigno. Reſpondeo, quòd gratia iuſtificans non adeò de lege correſpondet, & debetur diſpoſitioni peccatoris, vt ſi defacto Deus nòn daret gratiam iuſtificantem peccatori diſpoſito; contra iuſtitiam faceret. Ratio eſt: quia fides, & opera peccatoris præcedentia iuſtificationem, non habent, nec ex natura rei, nec ex extrinſeca ordinatione, & acceptatione Diuina valorem, & condignitatem reſpectu gratiæ iuſtificantis; ſicut è contra, opera iuſtorum ab extrinſeca ordinatione, & acceptatione diuina, & ex vi inhærentis charitatis habent talem valorem, & condignitatem reſpectu beatitudinis, itaut ſi aliquis homo decederet in gratia, iniuſtus eſſet Deus ſtante ſuo decreto, niſi exhiberet illi ſuam beatitudinem; & licèt à Deo ſit conſtituta lex de ſemper, & infallibiliter dandi gratiam iuſtificantem peccatori benè diſpoſito; tamen illa lex data eſt à Deo ex ſua liberalitate, & benignitate, vt inde peccatores de ipſorum iuſtificatione certitudinem habentes, ſi ſe per peccati deteſtationem ad Deum conuerterint, faciliùs, & auidiùs in eadem peccatorum deteſtationem inducerentur, & mouerentur. Reſponſio iſta ſuas videtur pati difficultates, tum quia ſicut lex de ſemper dandi peccatori benè diſpoſito gratiam iuſtificantem, ex ſua mera benignitate conſtituta eſt à Deo, ſic etiam ex eadem benignitate, & & fauore beneuolo lata eſt lex ab ipſo lex de infallibiliter exhibendi beatitudinem homini decedenti in gratia; ergò attritio peccatoris, & iuſti meritorius actus, vniformes erunt quantum ad condignitatem, vel non condignitatem reſpectu propriorũ terminorùm. Tum quia, ex eo quòd Deus conſtituit legem de ſemper dandi gratiam iuſtificantem peccatori diſpoſito contra ſuã legem, & decretum faceret, ſi defacto non daret peccatori attrito gratiam iuſtificantẽ. & per conſequens faceret contra iuſtitiam: quia iuſtitia non poteſt attendi ex alio capite, niſi ex tranſgreſſione legis. Reſpondeo ad primam inſtantiã: quòd licet vtraquè lex à Deo conſtituta ſit, ex ſua mera liberalitate, & benignitate; cum lege tamen de ſemper exhibendi beatitudinem, decedenti in gratia concurrit alia lex, & decretum Diuinum, quo ſcilicet Deus decreuit noſtra eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, vt inquit Concilium Trid. quòd decretum non concurrit cum lege de dando gratiam iuſtificantẽ peccatori attrito. Vnde euidenter colligitur quòd cum ex vi decreti, & ordinationis diuinæ dona Dei ſint noſtra merita, ſcilicet, quòd cum opera ex charitate facta, ex decreto diuino ſint de condigno meritoria vitæ æternæ, & ex eodem decreto, ſunt talitèr noſtra, ac ſi eſſent facta ex naturalibus noſtris: Iniuſtus vtiq; Deus eſſet, ſi non exhiberet beatitudinem decedenti in gratia; opera tamen præcedẽtia iuſtificationem, non habent ex decreto Diuino, quod ſint noſtra merita, & ideo ſi per impoſſibile Deus defacto nõ daret gratiam iuſtificantem peccatori attrito, nullã ſibi faceret iniuſtitiam.

Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo: quòd Deus ſi per impoſſibile non daret gratiam iuſtificantem peccatori diſpoſito, eſſet vtiquè tranſgreſſor ſui decreti, non ſcilicet exequeretur, quod decreuit; ſed in tali tranſgreſſione, vel potius non executione ſui decreti, nulla debet, in Deo admitti

mitti iniuſtitia: cum vt dictum eſt, opera noſtra præcedentia iuſtificationem, quantumcunquè procedant ex impulſu Spiritus Sancti, non ſint ordinata à Deo, vt ſint propria peccatoris merita reſpectu gratiæ iuſtificantis, ſcilicet nō ſunt ordinata à Deo vt ab ipſo debeant acceptari tanquam peccatoris merita reſpectu gratiæ iuſtificantis: benè tamen debent tunc admitti mutatio in Deo, cum non mandaret executioni ſuū decretum. Deus igitur defacto non dando peccatori, gratiam iuſtificantem, cum peccator eſt diſpoſitus, nulla eſſet iniuſtitia notandus; indè tamen euidentèr colligeretur, quod eſſet mutabilis: iniuſtitia enim attenditur penes tranſgreſſionem illius legis quia decreuit, & ordinauit, opera iuſtorum eſſe propria eorum merita, & vt ſic acceptare illa in ordine ad vitā æternam; & licèt opera præcedentia iuſtificationem, ſint opera propria peccatoris, non ſunt tamen, vt ipſius propria merita reſpectu iuſtificationis. Dices opera præcedentia iuſtificationem ſunt ex impulſu Spiritus Sancti; ergò minimè poſſet Deus non acceptare illam. Ex ſupradictis facillimo negotio fit ſatis huic replicæ. Ad abundatiorem tamen doctrinam negatur conſequentia: & ratio eſt: quia licèt ex eo, quòd peccator non poteſt ex naturalibus ſuis diſponi, & præparari ad gratiam iuſtificantem indigeat præueniri impulſu Spiritus Sancti excitantis, & mouentis illum ad conuerſionem in Deum; ex vi tamen illius impulſus opera præcedentia iuſtificationem, non habent vt ſint propria merita peccatoris attriti: quia ex vi illius impulſus non eſt decretum à Deo vt ſint propria merita peccatoris diſpoſiti. Vel potes reſponderi, & redit in idē diſtinct. Antecedens: Deus non poteſt &c. ex vi decreti, quo ex ſua benignitate voluit acceptare opera peccatoris diſpoſiti; & vera eſt conſequentia: quippè Deus immutabilis cum ſit, non poteſt non exequi id, quod decreuit: Non poteſt non acceptare illa, quaſi vero ſi per impoſſibile defacto non acceptaret, eſſet iniuſtus; & falſa eſt conſequentia. Etenim vt dictum eſt, Deus non decreuit opera peccatoris benè diſpoſiti, eſſe propria illius merita reſpectu gratiæ iuſtificantis, ita vt Deus defacto ex ſua benignitate sēper, & infallibiliter acceptans opera peccatoris attriti, acceptat illa potius vt ſunt ſua, quàm peccatoris.

Hinc colligere licet, in quo propriè differant meritum de condigno, & de congruo: & dicitur, quòd meritum de condigno includit duplicem habitudinem; vnā ad benignitatem, & liberalitatem diuinā, quatenus ſcilicet ex ſua gratuita ordinatione habent opera iuſtorum, vt includant condignitatem, & valorem: Alteram ad aliud decretum diuinum, quo Deus etiam liberalitèr, & benigniſſimè decreuit, vt opera ex charitate facta, vt noſtra ſunt, includerent condignitatem. Meritum vero de congruo vnam tantum inuoluit habitudinem ad Dei benignitatem, ex qua voluit & decreuit ſemper, & infallibiliter acceptare debitas diſpoſitiones, & præparationes ad gratiam iuſtificantem.

Accedant alia argumenta pro noſtra Propoſitione. Meritum, & præmium correlatiuè ſe habent: ſed iuſtificatio peccatoris, præmium eſt aliquod ſuæ conuerſionis in Deum (Ait enim Deus Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos) vbi Deus vt præmium poponit peccatori conuertenti ſe ad illum, ſuā ad peccatorem conuerſionem; ergò peccatoris conuerſio ad Deum, habet rationem meriti reſpectu iuſtificationis. Confirmatur: quia vbi eſt aliqua ratio debiti in aliquo beneficio, erit, & aliqua ratio meriti propter quod datur tale beneficium: ſed in beneficio iuſtificationis reperitur aliqua ratio debiti; ergò debetur aliquo modo iuſtificatio peccatori conuerſo ad Deum. Fauet id Ioannis 2. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis, & iuſtus eſt, vt remittat nobis &c. ergò conuerſio peccatoris &c. Aliud argum. non poteſt negari congruum eſſe Deum recipere peccatores ad ſe confugientes, & eorum conuerſionem ſua gratiā remunerare; ergò conuerſio peccatoris inuoluit rationem meriti de congruo reſpectu gratiæ iuſtificationis. Conſequentia patet: quia ex oppoſitio conſequentis, ſequitur oppoſitum antecedentis. Antecedens probatur: quia per eximiam Dei bonitatem, & diuitias ſuæ miſericordiæ propendet, vt peccatores ad ſe confugientes, & conuerſos recipiat, & iuſtificet; imo ex eo ſuas adimplet leges, & promiſſa, ſi non deſpiciat cor contritū, & humiliatum peccatoris, quem fragilem,

& im-

& imbecillem ad virtutem creauit. Non me latet poſſe quępiam reſpondere, quod ſit valdè congruum, & condecens iuſtificari peccatorem, deteſtantem peccatum, & conuertentem ſe ad Deum: at omnis congruitas tenet ſe ex parte Dei, nullatenus vero ex parte operum peccatoris, quaſi vero opera præcedentia iuſtificationem ex ſe habent aliquam congruitatem, vt accepteutur à Deo in ordine ad gratiam iuſtificantem.

Contra tali pacto argumentor; Quia ſi tantum eſt hic congruitas ex parte Dei, cur igitur Deus ſolos eos peccatores qui ſe in illum conuertuntur iuſtificat. Cur etiam exiguntur (vt patet ex tota ſcriptura, Concilijs, & Patribus) ad noſtram iuſtificationem opera noſtra, & non qualiacunquè, ſed certa, & determinata dumtaxat; ita ne viles omnino nullius pretij videntur eſſe fides, ſpes, dilectio Dei, pœnitentia, & martyrium pro Chriſto ſuſceptum, vt neq; ex parte earum putetur congruum eſſe, vt Deus his operibus præcellentibus, ab eo miſericorditer donatos, iuſtificet. Et licèt Anſelmus dicat, cùm punis malos, iuſtũ eſt: quia illorum congruit demeritis: cum parcis malis, iuſtum eſt; non quia illorum congruit meritis; ſed quia tuæ bonitati, & voluntati condecens eſt. Non tamen Anſelmus hanc prædictis virtutibus, & operibus congruitatem abnegauit: ſed ideo dixit, meritum peccatorum non congruere, quòd Deus eis parcat: quia nec iſta opera, quibus in Deum conuertuntur ita ſimpliciter meritoria ſunt eorum propriæ iuſtificationis, ſicut peccata meritoria ſunt punitionis, & condemnationis. Confirmatur: quia ſi congruitas præcisè eſt ex parte Dei in iuſtificatione peccatoris, ita vt diſpoſitiones, & præparationes eius omnem excludant congruitatem reſpectu iuſtificationis, impoſſibile erit tunc ſaluare, cur Deus non iuſtificet omnes peccatores: ſemper enim Deus faceret contra id, quòd ſuæ miſericordiæ congruit; & quòd ſuam bonitatem condecet, ſi peccatores omnes etiam indiſpoſitos non iuſtificaret. Hinc notandum; quòd quando dicitur congruitatem iuſtificandi peccatores ſe tenere ex parte Dei præcisè, poteſt intelligi dupliciter: vel ita præcisè, vt opera præcedentia iuſtificationem, nihil prorſus efficiant ad illam obtinendam; & hoc falſum eſt: vel ita præcisè, vt Deus non tenetur de iuſtitia opera præcedentia iuſtificationem acceptare, & ſic verum eſt: nam licèt Deus decreuerit infallibilitèr acceptare opera peccatoris benè diſpoſiti; nullatenus tamen decreuit acceptari illa, vt propria merita peccatoris: quia tunc præparationes, & diſpoſitiones ad iuſtificationem haberent rationem meriti de condigno reſpectu illius; acceptat autem præparationes, & diſpoſitiones illas, quatenus in eis infuſa eſt benignitas, & miſericordia diuina. Tum etiam, quatenus ex ſua liberalitate acceptat opera iuſtorum Tum etiam, quatenus ex ſua liberalitate ſunt noſtra, & ſub noſtro dominio.

Vnde colligitur, quòd Deus acceptat opera peccatoris diſpoſiti, quatenus in ijs operibus præcisè debitor eſt ſuæ miſericordiæ: acceptat vero opera iuſtorum, & quatenus in illis debitor eſt ſuæ benignitatis, & miſericordiæ; & quatenus per illam ex eo, quòd ex ſuo liberali decreto facta ſunt propria merita iuſtorum, iuſtis ipſis debitor eſt: Deus enim acceptans opera iuſtorum, accipit ab illis, id quòd ipſorum eſt, dependenter tamen ex ſuo liberali decreto, & per conſequens ex iuſtitia conſtituitur debitor recompenſandi per beatitudinem opera iuſtorum. Vnde beatitudo redditur iuſtis, & gratia iuſtificans donatur peccatoribus benè diſpoſitis, & præparatis ad illam. Hinc etiam colligitur: rationem formalem condignitatis, vel meriti de condigno compleri in operibus iuſtorum ex dominio, & poſſeſſione, quam habent iuſti reſpectu illorũ. Exinde notandũ, quòd meritum de condigno, quod includit diſpoſitiones, & præparationes ad gratiam iuſtificantem, non inducit, & ponit in Deo rationem debiti ſimpliciter, ſed ſolum debiti ſecundũ quid, ſicut meritum ipſum de congruo, non eſt meritum ſimplicitèr, ſed ſolum ſecundum quid. Ex quo poteſt inferri gratiam iuſtificantem in adultis, non eſſe omnino gratuitam.

Nota quòd Pelagiani, ideo nunquam vſi ſunt dicere meritum de congruo: quia volebant præparationem, & diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem, habere rationem meriti de condigno reſpectu illius: quoniã aſſerebant homines ex naturalibus ſuis independentèr ab omni gratia præueniente,

ſufficientèr præparari, & diſponi ad iuſtificationem; & per conſequens gratiam iuſtificantem fieri debitam operibus hominis ex naturalibus ſuis ſic ſe diſponentis. Sciẽdum etiam, quod inter Pelagianos, & Catholicos Patres, præcipua quæſtio erat de gratia præueniente, quam Pelaigiani omnino abrogabant, & ideo quærentibus Pelagianis, cur hic potius quàm ille iuſtificetur; non eſt mirum ſi Patres reſpondendo expreſsè retulerunt ſemper cauſam huius in vnam voluntatem diuinam, & nullam fecerunt meriti de congruo: quia præueniens gratia, vt dictum eſt datur ex omnino gratuita voluntate diuina; ita vt ſi aliquis quæreret, cur potius iſte, quàm ille præuenitur gratia diuina. Reſpondendum eſt, hoc eſſe ex beneplacito voluntatis diuinæ. Si verò quæreret: cur potius iſte, quàm ille iuſtificatur. Poſſet reſponderi, hoc ideo eſſe, quia vnus meretur de congruo gratiam iuſtificantem, alter vero nõ: cum vnus ſe diſpoſuerit, & præparauerit ad illam, alter vero non.

Meritum de congruo impugnat ſubſequens argumentum. Inimicus Dei indignus eſt diuina amicitia, & ſicut homo infimæ ſortis non meretur remiſſionem iniuriæ, & culpæ moralis contra Deum, per hoc ſolum, quod eliciat contritionem, vel alium actum. Reſpondetur, dato antecedente, (quòd forte falſum eſt; quia non implicat plebeum de Rege mereri remiſſionem offenſæ de congruo per deteſtationẽ illius, præſertim ſi adſit promiſſio regis) negando conſequentiam: quia Deus longè liberalior, quàm homo, & in hoc præſertim, & meritis Chriſti fundatur, quòd habenti contritionem, remittatur iniuria; quam homo fortaſsè minimè remitteret. Itaquè hoc meritum de congruo, partim ortum habet à perfectione cõtritionis, vel actus ſupernaturalis; ſed magis à liberalitate Dei, & ſanguine Chriſti Domini. Loca autem illa quæ indicant primã gratiam non mereri ſed dari gratis: ly, gratis, ſolum opponitur merito de iuſtitia, quod eſt de condigno, non merito de congruo, quod de ſe dicit gratiam, & miſericordiam, & omnino excludit iuſtitiam. Hæc ſufficiant pro iſta diſputatione.

DISPVTATIO VII.

De Quiditate, & Conditionibus Pœnitentiæ Chriſtianæ.

POenitentiam Chriſtianam illam dico, quæ ad ſanctificantem gratiam aliquo modo diſponit, ſiue in, ſiue extra Sacramentum, ſiue remotè, ſiue proximè. Pœnitentiam Chriſtianam duplicem eſſe, negabit nemo Catholicus: quippè ita docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. Vna vocitatur perfecta, & vulgaritèr appellatur contritio; altera dicitur imperfecta, quæ attritio nominatur. Harum pœnitentiarum conuenientia, & & diſcrimina docebunt quæ ſubſequuntur Propoſitiones. Initium ſit à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Agitur de contritione.

COntritio varijs nominibus reperitur nominata apud Patres, Sacram Scripturam, & Concilia. Interdum dicitur ſcripſio: Ioelis 2. conuertimini ad me in toto corde veſtro, ſcindite corda veſtra &c. Secundo dicitur compunctio, in Pſalmo 4. & in cubilibus veſtris compungimini. Dicitur contritio: cor contritum, & humiliatum Deus ne deſpicias. Metaphora ſumpta eſt à corporibus, duris, & ſolidis: quẽadmodum enim corpora ſolida à fortioribus facillime conteruntur, & comminuntur: ita

Digitized by Google

ita cor durum, & lapideum, in peccatiſq; multum obſtinatum per contritionem nedum aſſeritur, ſed etiam conteritur, ita vt quemadmodum vaſa omni ex parte contrita, aliquem liquorem, vel aquam continere, haud quaquam poſſunt, ſed eam patiuntur effluere: Sic facit contritio, vt omnis affectus peccati recedat à nobis, & nullæ ſuperſint eius reliquiæ; quemadmodum è contra: cor quod nullo modo concutitur, & conteritur; durum, & omninò obſtinatum cenſetur, iuxta pulchram deſcriptionem, quam de illo Bernardus affert, ita dicendo. Quid ergo cor durum: ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate molitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, & temerarium ad Diuina; præteritorum obliuiſcens, præſentia negligens, futura non præuidens; Ipſum eſt, cui præteritorum præter ſolas iniurias, nihil omninò præterit, præſentium nihil non perit, futurorum nulla niſi fortè ad vlciſcendum perſpectio, ſeù præparatio eſt, & vt in breui cũ ita horribilis mali mala cōplectar: ipſum eſt, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur: Hæc Bernardus.

Nomen quidem contritionis nouum, res verò ipſa antiqua valdè, & vetus: idem namque contritio eſt, quod pœnitentia virtus in naturali lege, & Moſaica: & cum ſint hi duo termini ſynonymi, nempè contritio, & pœnitentia, id quod olim fuit pœnitentia virtus, modo eſt contritio. Eſt hæc animaduerſio tanti momenti: vt ex illius ignorantia, hæretici lapſi ſint in errorem peſſimum: nam ſibi perſuadent, & pœnitentiam illam virtutem, & noſtram contritionem, nil aliud eſſe, quàm ceſſationem à peccato, emendationem, & reſipiſcentiam, nec vllo pacto audire volunt, eſſe dolorem internum caſtigantem interius, exteriuſquè peccatum: hinc vbicumq; pœnitentiæ nomen reperitur, transferunt ad reſipiſcita. Eccleſia verò Catholica dictante Spiritu Sãcto, admittit in contritione huiuſmodi reſipiſcentiam, ſcilicèt propoſitum non peccandi amplius, ita tamen, vt huiuſmodi reſipiſcentiam commitetur interna, & externa caſtigatio: quam duplicem caſtigationem Concilium Trident. appellat animi dolorem; Sacra enim Pagina idipſum explicat ſatis, quantum ad caſtigationem interiorem Iſaiæ 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & Ioelis 3. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.

Quantum ad caſtigationem exteriorem hanc accipe ex Sacra Pagina infallibilem regulam, numquam, atque vix, niſi ſemel, atque iterum in tota Sacra Pagina reperitur hæc dictio (Pœnitentia) aut pœnitentiam egerunt, aut pœnituerunt, quia immediatè, & conſequenter apponatur Cineres, cilicia ieiunia, & eiulatus, aliaque corporeę caſtigationis inſtrumēta, vt videre eſt in Niniuitarum, Dauydis, Mannaſſis, aliorumque peccatorum controuerſione, & pœnitentia. Sed pro his omnibus locis ſufficiant Chriſti verba, quæ habentur Matthæi 11. vbi 11. inuehens in Capharnaitas, ita loquitur: Si in Thyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent; ergò pœnitentia, quæ eſt noſtra contritio, conſiſtit in interno, externoque dolore, & cruciatu.

PROPOSITIO II.

Definitur Contritio.

Contritio eſt præteritorum peccatorum voluntaria ſuper omnia deteſtatio, vt ſint offenſa Dei, cum propoſito futura ſuper omnia vitandi, & commiſſa confitendi.

Dicitur primo, præteritorum peccatorum deteſtatio voluntaria, quia deteſtatio peccati ad actum voluntatis ſpectat, quæ ex intima conſideratione peccati, commiſſi, prorumpit in hunc actum: nollem peccaſſe; Dicitur voluntaria deteſtatio: quia contritio non debet eſſe neceſſaria, ſed libera. Quæ res ita intelligi debet, vt agnoſcamus contritionem, ſeù pœnitentiam virtutem pendere à noſtra voluntate, quæ voluntas cum Deum offenderit, poſtea debet elicere internam diſplicentiam de peccato commiſſo; primarius enim voluntatis actus dicitur elicitus, quem ſequi debet actus imperatus iubens, vt quia corpus eſt peccati fomes, & ad peccatum inſtigans,

Digitized by Google

emendetur, caſtigetur, & puniatur omnibus illis operibus, quæ Theologi laborioſa appellant, vt ſunt longa ieiunia, magnæ eleæmoſynarum elargitiones, frequens, & quotidiana oratio, cilicia, diſciplinæ, &c. Sit voluntaria noſtra contritio, non ſolum paſſiuè, ſed etiam actiuè: nequè enim ſufficit apud Deum, ſi pœnitens patienter ferat inflictam, aut Diuinitùs, aut à quocumque alio caſtigationem, quam pœnitentiam omnes appellant. Aliquid nobilius poſtulat Diuina Iuſtitia; quia pati eſt aſinorum. Vult itaque Deus, vt ipſemet pœnitens ſibi ipſi imponat pœnitentiam, manumq; adhibeat operi: non tamen neceſſum eſt, vt hæc pœnitentia ſit libera abſolutè: ſatis eſt dummodò reſpectiuè, vel vt alij aiunt ſecundum affectum iuſtitiæ, quamuis ſit inuoluntaria ſecundum affectũ commodi. Hoc eſt; non vult Deus vt abſolutè, & ſimplicitèr nobis imponamus dolorem internum, externumq; cruciatum: cum Deus deſtructionem ſuarum creaturarum abſolutè velle non poſſit: ſed vult Deus, vt imponamus nobis has pœnitentias, in eiſq; nobis complaceamus reſpectiuè, inquantum videlicèt huiuſmodi pœnitentiæ totum hominem coram Deo humiliant, & Chriſto pro nobis in Cruce patienti aliqua ex parte, conformes nos faciunt. Exemplo res patebit: Infirmus non amat medicinam abſolutè. ea enim nihil fortidiùs; amat tamen reſpectiuè ad ſanitatem, quam ex ea ſibi pollicetur. Simili modo pœnitentis voluntas, non debet ferri abſolutè in pœnitentiã, cum ea deſtruat corpus; ſed tantùm reſpectiuè ad veniam. Idem pœnitens non poteſt ſecundum affectum commodi, ſcilicèt ſecundũm ſenſualitatem, & ad delicias amare pœnitentias, debet tamen amare ſecundùm affectum iuſtitiæ, ſcilicet vt efficiatur iuſtus coram Deo.

Contritionem hanc debere eſſe voluntariam; probatur primo: quia nullus actus Deo placere poteſt, & ab eo aliquid mereri, niſi fuerit humanus; ſed omnis actus humanus debet eſſe voluntarius: ergò non eſt vera contritio ſi non fuerit voluntaria. Adde tria eſſe pœnitentiarum genera. Primum genus continet naturales, ſeu reſpectiuas pœnitentias. Secundum pœnitentias, inuoluntarias. Tertium voluntarias, ſed duo priora genera merentur nihil; ergò tertium genus ſolum debet admitti. Explicatio maioris hæc eſt: pœnitentiarum vna appellatur naturalis, ſeu reſpectiua, quæ naturaliter in corde peccatoris naſcitur commiſſo peccato, quod quia monſtrũ eſt in moribus, moralemque impugnat naturam, non minus terrorem incutit peccatori, quàm naturale monſtrum primo incipienti. Prima diſplicentia cum ortum habeat à natura, nullius eſt meriti: de his enim, quæ nobis inſunt à natura, nec laudandi, nec vituperandi ſumus. Alia contritio eſt inuoluntaria, quam omnes vnanimi conſenſu fatentur nihil pròrſus mereri poſſe, vt ex eo colligere licet, quod legibus Sapientiæ 5. Maximam eſſe damnatorum contritionem, & pœnitentiam, ſed tamen infructuoſam; quia inuoluntaria eſt. Sola ſupereſt volũtaria, quæ dicitur tertia, quam docente experientia, & Sacri Codicis relatione, nouimus eſſe optimam.

Quarto dicitur, vt eſt Dei offenſa: quia in hoc conſiſtit dolor veræ, & propriæ contritionis, vt ſic de peccato, quatenus eſt offenſa Dei, iuxta Pſalmum 118. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodiui legem tuam, &c. itaut motiuum dolendi ſit ipſemet Deus, & filialis amor. Dicitur ſuper omnia: quia homo ita debet deteſtari peccatum, vt potens velit quodcumque malum ſubijſſe, quàm peccaſſe, & nihil magis debet abhorrere quàm Deum offendiſſe; hoc autem eſt deteſtari peccatum ſuper omnia, ſeù quod alij dicunt ſuper omne deteſtabile. Dicitur: Cum propoſito vitandi, &c. quia homo debet firmitèr proponere impoſterum ſe nõ offenſurũ Deum, ſed potiùs quodcumq; malũ etiam mortẽ pati. Tale propoſitum non habet is, qui perſeuerat in aliquo probabili periculo peccati, in quod veriſimilitèr relarẽtur, aut in aliqua proxima eſt occaſione recidẽdi in peccatum præteritũ, vel in aliquod ſimile; tale autem probabile periculum eſt, aut occaſio cum quis expertus eſt tanta ſe infirmitate peccare, vt illi ſimile periculum obiectum, aut ſimilem occaſionem habens, eeciderit; huiuſmodi eſt is, qui expertus eſt ſe facilè delinquere, dum ad certum locum ſe confert, aut ſe quibuſdam adiungit, & eorum couſuetudine vtitur. Item: cum quis, aliquid facit, de quo dubitat, an

ſit

Digitized by Google

ſit peccatum mortale. Item: cum quis temerè ſe exponit periculo, ſupra quam vires eius ferri poſſint. Secundum propoſitum, eſt vitam infuturum emendare, ſiue quod idem eſt, omnia alia peccata mortalia cauere, ſiue omnia Dei præcepta ſeruare, ac propterea contritio, non ſolum eſt voluntatis actus, quo vult pœnitens à peccatis præteritis ceſſare, vti vidimus ſupra, & contra hæreticos definit Concil. Trid. ſeſſ. *6.* cap. 14. ſed etiam eſt actus, quo vult pœnitens ſeruare omnia Dei mandata. Aliud propoſitum eſt, confiteri peccata lætalia omnia, quæ ſua ſpontè poſt baptiſmum admiſit: quoniam cōfeſſio eſt à Chriſto inſtituta ad obtinendam veniam huiuſmodi peccatorum: Vndè hoc propoſitum requiritur ex præcepto; & iure Diuino à Chriſto poſito. Alterum propoſitum hominis contriti eſt ſatisfacere Deo, vt aliquo bono opere compenſat offenſam qua illum offendit.

Dicitur: cum propoſito confitendi; cum teneatur homo habere tale propoſitum aliàs non eſſet vera contritio; ſiuè autem implicitè, ſiuè explicitè tale propoſitum requiratur, inferiùs videbimus.

PROPOSITIO III.

Contritio non eſt dolor, aut triſtitia, ſed actus voluntatis, quem pænitens exercet circa ſuum proprium peccatum.

Contritio ergò non in dolore, ſed in ſolo odio, & deteſtatione peccati commiſſi conſiſtit; dolor vero, ſeu triſtia, eſt quid conſequens contritionem. Ita expreſsè Scotus in 4. diſt. *16.* q. 1. & communitèr Doctorum. Traditur à Pio V. in ſuo Cathechiſmo tractatu, de pœnit. Probatur ex eo: quia contritio in voluntatis actu conſiſtit, per quem voluntas auertitur à peccato commiſſo, vt colligitur ex verbis Ezechielis: Auertens ſe ab omnibus incipientibus ſuis, vita viuet, &c. ſed ſic eſt, quod per odium & deteſtationem auertitur homo, & recedit à peccato, vt traditur in Tridentino ſeſſ. *6.* cap. *6.* his verbis: Illum (nempè Deum) tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur à Deo peccata per odiū aliquod, & deteſtationem, &c. ergò contritio in hac deteſtatione conſiſtit formalitèr. Accedat ratio. Contritio cum ſit virtus, & meritoria debet eſſe libera, & in voluntatis poteſtate: & dolor cum ſit paſſio quædam neceſſariò ſubſequuta ad deteſtationem peccati, non eſt in voluntatis poteſtate; ergò in odio, ſeù triſtitia, minimè conſiſtit quidditas contritionis. Hinc collige, quòd quandocumque contritio definitur per dolorem: talis definitio minimè eſt intelligenda in ſenſu formali; quinimò tantūm cauſalitèr eſt vera. Quod eſt dicere: contritionem cauſare dolorem, & triſtitiam. Aliud argum. Odium, & deteſtatio nil aliud eſt, quàm fuga mali; ergò per deteſtationem auertitur homo à peccato, & fugit malum: ergò contritio non in dolore, & triſtitia, ſed in odio, & deteſtatione conſiſtere debet.

Noſtram propoſitionem impugnant quę ſubſequuntur argumenta. Primum: Odium, & dolor non diſtinguuntur; ergò ſi contritio ſtat in odio; ergò, & in dolore. Qua facilitate proponitur Antecedens, maior negatur in doctrina Scoti docentis in 4. d. 14. q. 1. §. de tertio articulo. O. & d. 16. q. 2. triſtitiam non eſſe actionem, ſed paſſionem cauſatam ex actuali nolitione, ſeù deteſtatione exiſtentiæ talis mali: Adde; quod gratis conceſſo: dolorem, ſeù triſtitiam conſiſtere in actione; diſtinguerentur tamen realitèr ſicut cauſa, & effectus: etenim deteſtatio eſt cauſa doloris: quippè quis dolet de peccato; quia illud odio habet, & deteſtatur; ſicut quis gaudet de bono, quia illud amat, eſt tamen amor, realitèr diſtinguitur à gaudio, & poteſt dari ſine illo: vt ſi quis amaret rem abſentem. Moneo ibidem cum Scoto, quod paſſio iſta prout in volūtate nuncupatur triſtitia: prout verò in appoſitu ſenſitiuo dicitur dolor. Moneo etiam: ad triſtitiā voluntatis regularitèr ſequi dolorem in appetitu ſenſitiuo, ob potentiarū ſympathiā: etenim obiectum cognitum ab intellectu, neceſſe eſt pro ſtatu iſto à phantaſmate formante idolum illius obiecti, appræhendi; ergò phantaſma eliciet conſimiles actus, ſicut elicit intellectus; ac proindè conſimilis habet effectus. Reſtat ergò, quòd ſicut voluntas cauſat triſtitiam mediante nolitione, idem erit in ap-

Digitized by Google

in appetitu. Moneo tamen hanc ſequelam non eſſe neceſſariam inſeparabilitèr: quippè contingere poteſt, vt in organo appetitus, aut in ipſo appetitu reperiatur indiſpoſitio, ratione cuius actus voluntatis minimè in appetitu correſpõdeat alius actus, vel alia paſſio. Secundùm argumentum. Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4 dicit; Contritionem eſſe animi dolorem, & deteſtationem de peccato: & Canone 5. ait Contritionem eſſe verum, & vtilem dolorem; ergo ex mente Concilij contritio collocanda venit in dolore, ſimul & deteſtatione. Reſpondemus: (vt iam notauimus ſupra) ideò contritionem appellari dolorem: quia eſt cauſa illius; vel quia dolor concomitatur contritionem; non tamen quia formalitèr eſt idem, vt legitur in Cathechiſmo Pij V. Tertium argumentum: Contritio eſt actus voluntatis efficax, & abſolutus: quia efficacitèr hominem auertit à peccato, & odiũ, ſeu deteſtatio eſt actus inefficax, & conditionatus; nimirum: nolle peccaſſe, ſi eſſet poſſibile; ergò in odio, & deteſtatione minimè conſiſtit contritio. Reſpondemus contritionem reſpectu diuerſorum eſſe efficacem, & inefficacem; conditionatam, & abſolutam: Vndè ſi contritio comparetur ad obiectum formale, atq; etiam ad ipſam voluntatem, & ad effectus, quos in ſeipſa cauſat, eſt actus efficax reſpectu deletionis maculæ peccati derelicti ex actu præterito: quia adueniente deteſtatione peccati commiſſi expellitur macula moralitèr manens in anima, quamuis non ad æqualitatem: ſi autem comparetur ad peccatum iam commiſſum, & præteritum, ſiuè in eſſe phyſico, ſiuè morali, ſic eſt actus inefficax, & conditionatus ex parte obiecti, quia reſpicit obiectum impoſſibile, ſcilicèt peccatum commiſſum, quod non poteſt non fuiſſe.

PROPOSITIO IV.

Regularitèr requiritur contritio ſecundum propriam, & formalem deteſtationem ad conſequendum remiſſionem peccati mortalis.

EST expreſſa Scoti ſententia in 4. d. 14. q. 1. §. ex his ad ſolutionem litera V. vbi inquit: quod, vt peccatum remittatur, requiritur pœnitentia. Legatur noſter Pater Vega. Probant noſtram Propoſitionem, quæ ſubſequuntur rationes. Prima deſumitur ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. vbi poſt definitam contritionem, ſubdit: fuit autem omni tempore neceſſarius hic motus ad obtinendam veniam peccati: Et infra eodem loco; ait: Contritionem non ſolum eſſe ceſſationem à peccato, & vitæ nouæ inchoationem, ſed veteris etiam cõtinere odium. Secunda ratio elicitur ex pluribus Sacrę Scriturę locis, in quibus habetur, ad remiſſionem peccati requiritur pœnitentia, ſeù deteſtatio peccati. Hinc Lucæ 13. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis: & Eccleſiaſt. cap. 2. Si pœnitentiam non egerimus incidemus in manum Dei. Idem patet ex Patribus, vt Aug. Cypriano, & alijs: quæ omnia teſtimonia non poſſunt de ſola pœnitentia virtuali intelligi; ſed de formali: tum propter Scripturæ auctoritates: tùm quia ita intelligunt Patres: tum denique, quia non alitèr Sacra requirit Scriptura, fidem, vel charitatem, vel alios actus, quam pœnitentiam: ergò ſicut alij actus ſunt neceſſarij formalitèr, ità & contritio. Rationem reddit Scotus: nam congruum eſt, quod ſicut homo per peccatũ auertitur à Deo, & cõuertitur ad creaturam, ita non deletur, niſi per modum oppoſitum, auertentem à peccato, ſiuè à creatura, & conuertentem ad Deum: hoc autem fit per diſplicentiam.

PROPOSITIO V.

Sine vlla expreſſa peccati deteſtatione, per ſolum charitatis actum formalem, aliquando de lege communi peccata condonantur.

ITA habet Scotus in 4. d. 14. q. 1. art. 3. §. ex his ad ſolutionem. Occham in 4. q. 8. art. 2. Gabriel in 4. d. 14. q. 1. art. 2. concluſ. 2. & 3. Almainus in 4. d. 14. q. 1. ar. 2. Maior in 4. d. 14. q. 1. concluſ. 3. ad finem. Scotus in 4. d. 14. q. 1. ar. 2. concluſ. 2. & lib. 3. de natura, & gratia cap. 16. Oppoſitum docet Camus in Relectione de pœnitentia 3. parte §. de Charitate verò: vbi docet, non ſufficere ſolum charitatis actum ſine deteſtatione peccati ad peccata delenda.

Digitized by Google

da. Moneo, doctrinam noſtram duobus ſenſibus explicari. Primus eſt: cum quis adhibita diligentia in peccatis ad memoriam reuocandis, vt ea deteſtetur, peccatorum cōmiſſorum pœnitus immemor eſt, aut per ignorantiam inuincibilem credit ſe nullum peccatum habere. Secundus ſenſus eſt, cum quis tàm ſubitò ad martyrium rapitur, itaut ei per tempus nihil aliud liceat, niſi Chriſti amore; ſe ad mortem libentèr offerre, eamq; appetere. In iſtis articulis, ſufficit ad peccata expianda ſolus charitatis actus: nam de charitate dictum eſt primæ, Petri 4. Charitas operit multitudinem peccatorum. Prouerbiorum 8. Ego diligentes me diligo, &c. Ioannis 20. Qui diligit me, diligetur à Patre meo. Et in alijs locis, Accedat ratio: Nam in duobus prædictis articulis, eo ipſe, quo quis Deum ſuper omnia diligit, implicitè, & virtute de ſuis peccatis commiſſis dolet. Secundò, quia actus veræ dilectionis Dei ſuper omnia eminenter continet omnem vim, & valorem contritionis: Nam qui perfectè Deum ſuper omnia diligit, perfectè omninò ad Deum conuerſus eſt, & virtualitèr ab omni peccato mortali omninò auerſus eſt, itaut implicet amarè Deum, & ſimul affici erga peccatum mortale: ergò infallibilitèr ſecum affert conuerſionem Dei ad hominem, iuxta illud: Conuertimini ad me, & ego conueriar ad vos: ergò ſecum affert auerſionem a peccato; atq; adeò vera noſtra propoſitio. Quæ contra noſtram Propoſitionem habet Canus, aſſumuntur ex Scriptura, & Patribus docentibus, pœnitentiam eſſe neceſſariam ad peccatorum veniam conſequendam. Actorum tertio Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Ezechielis 18. Lucæ 13. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis. Et in Tridentino ſeſſ.6. cap.4. definitur, per pœnitentiam peccata poſt baptiſmum commiſſa adoleri. Fauet ratio: quoniam quando aliquod eſt remedium ad ſalutem aſſequendam, ſalus ſine tali remedio aſſequi haud poteſt; ſed pœnitentia eſt remedium ad veniam peccatorum aſſequendam, Lucæ 13. ergò, &c.

His omnibus reſpondetur: pœnitentiam eſſe remedium ad obtinendam veniam peccatorum: Nec nos hoc negamus. Vnde fatemur, ſine pœnitentia, vel re, vel uoto, neminem poſſe ſalutem adipiſci, vti baptiſmus remedium eſt neceſſarium ad originale peccatū delédū; & tamē ſi re, vel voto fuerit ſuſceptus, ſufficit. Pœnitētia ergo virtualis ſatis eſt, ſicut cū dicitur in Cōcilio Trid. ſeſſ.6. cap.4. baptiſma in re, vel voto eſſe neceſſariū; ſignificare votū ſufficere: cum in re baptiſmus ſuſcipi nequit.

Moneo tamen illud teſtimonium Chriſti apud Lucam 6. Remittuntur ei peccata multa, &c. duplicitèr, ſed non benè explicari: primo ſi quis intelligit Magdalenæ peccata fuiſſe dimiſſa ſine vllo pœnitentiæ actu. Error eſt iſte ſenſus, in ea enim non ſolum fuit actus Charitatis, ſed etiam pœnitentiæ, quoniam peccatorum ſuorum memor erat, & ideò in ea fuerunt tot, ac tanta pœnitentiæ internæ ſigna externa. Sed Chriſtus meminit charitatis quippè ea fuit cauſa, ex qua in illa inſignis pœnitentia manauit. Moneo ſecundo: Non benè exponi ab hæreticis illum locum. Remittuntur ei peccata multa, &c. dum dicunt, illius loci ſenſum eſſe: Remittuntur ei peccata multa, ideò dilexit multum. Vndè repræhendunt latinum interpretem, qui parabola Euangelica congruant: Nam in latinè tradidit: quia dilexit, cum dicendum tenet, & ideò, vt hæc verba cum parabola dictum eſt, maiorem dilectionem eſſe debere in eo, cui plus dimiſſum eſt. Cæterum: quia hæc duo conſequuntur, & uera Dei dilectio cum deteſtatione peccati, & ipſorum remiſſio, ideò intulit Chriſtus: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Vndè particula (quia) ſignificat cauſam præparantem hominem ad veniam peccatorum.

Quod immemor ſuorum peccatorum poſſit iuſtificari per formalem actum amoris Dei cum ſola pœnitentia virtualis; docet Scotus in 4. d. 14. q. 1. D. vbi ita legit: poſſet enim Deus remittere per aliquē motum feruentē dilectionis in Deum abſq; quocumque quatuor prædictorum actuum ſub propria ratione, vtpotè in actu feruoris ad martyrium ſtatim ſuſtinendum, vbi fortè non eſſet cogitatio de aliquo peccato mortali prius commiſſo. Nec per conſequens aliquod pœnitere prædictum, & hoc formalitèr, licèt virtualitèr in illo motu eſſet pœnitere, ſecundùm ſecundam ſigni-

gni-

Digitized by Google

gnificationem, &c. Ratio eſt, quia in tali caſu homo excuſatur ab obligatione agẽdi pœnitẽtiam: ſupponimus enim obligationẽ eſſe naturalem, & inculpabilem: nam pœnitentiæ præceptum non obligat, niſi ſuppoſita conſcientia peccati mortalis: quia ſolum propter illud delendum, neceſſaria eſt, ergò non peccabit ille homo non agendo pœnitentiam; ergò poteſt alio actu, ſeù virtuali contritione conſequi remiſſionem peccatorum, & iuſtificari. Adde, quòd alioquin daretur caſus, in quo peccator priuaretur ordinario medio ad ſalutem, contra Scripturam, & Dei miſericordiam, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Nec prius ipſe deſerit, quam deſeratur. Sequela probatur: quia ſi poſt moralem diligentiam nullum occurrat peccatum, non teneor habere contritionem: quippè non tenemur conteri, niſi de peccatis, quæ poſt diligentem expulſionem meriti occurrunt. Fauet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 5. Nam ſicut ea tantum tenemur confiteri, vt ibidem Concilium docet, ita de illis tantum tenemur contritionem habere, quod ſi interdum præceptum contritionis obligat, etiamſi nullum occurrat peccatum in ſpecie non eſt, quia talis contritio neceſſaria eſt in omni caſu, in quo tenemur iuſtificari, ſed in aliquo caſu ſpeciali; ergò in illo caſu erit ſufficiens pœnitentia virtualis incluſa in ipſo actu dilectionis Dei ſuper omnia. Accedat ratio. Dilectio ſupernaturalis præſertim efficax, perfecta eſt creaturæ conuerſio ad Deum; ergò ſtatim illi reſpondet conuerſio Dei ad creaturam. Cõſequentia patet ex illo Zachariæ: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Antecedens probatur: nam dilectio, quæ non excitat ad obſeruationem alicuius præcepti, non defectu ſui; ſed, vel defectu occaſionis nondum currentis, vel probabilis ſcientiæ de tali præcepto, non neceſſariò eſt imperfectior ea, quæ currente occaſione, & ſcientia, ad talis præcepti obſeruantiam excitat: ſed dilectio Dei, quæ excitat ad formalem deteſtationem peccatorum, quæ poſt diligentem expulſionem meriti occurrunt, eſt perfecta conuerſio animi ad Deum, & ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem; ergo etiam dilectio, quæ ad talem deteſtationem non excitat, non defectu ſui, ſed inculpabilis ignorantiæ peccatorum, poteſt eſſe perfecta conuerſio ad Deum, & ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem; ergò, &c. Maior probatur, quia quando omiſſio præcepti non eſt voluntaria non minuit perfectionem dilectionis, quæ ſolum ſe extendit ad ea, quæ humano modo fieri poſſunt: ſed omiſſio formalis deteſtationis peccatorum, quæ poſt diligentem diſcuſſionem non incurrunt, voluntaria non eſt, cum non ſit cognita, ergo, &c. Rationes iſtæ valent etiam ad probandum caſum de martyrio.

Petes curioſè, & ad abundantiorem doctrinam; quo temporis momento martyri conferatur gratia. Rationem dubitandi præſtat nobis D. Thomas ſecunda ſecundę q. 124. ar. 4. dicẽs ad martyrij rationẽ pertinere mortẽ: quocirca dũ martyr viuit, perfectum martyrium non eſt: ac proindè ſi morte martyrium abſoluitur, gratia martyri non datur, nonniſi poſt mortem; ſed homo poſt mortem non eſt in hac vita; ergo martyr in hac vita gratiam nõ acceptat. Item ſi antè mortem martyr gratiam obtinet, ſequitur vt ſit martyr antequam moriatur. Eminentiſſimus Caietanus ſecunda ſecundæ q. 124. art. 4. ad ſecundum coniectus hoc argumento, ait: gratiam non dari martyri, niſi in vltimo vitæ termino. Sed

Caietanum ita impugno: Aut mors deſinit per vltimum eſſe; aut per primum non eſſe: nõ per vltimum eſſe: quia forma, & interitus earum non finiuntur per primũ nõ eſſe: quia in eo tẽporis pũcto, iam homo nõ eſt in hac vita, ſed in altera; ac proindè viator nõ eſt. Reſpondebit Caiet. In eodẽ tẽporis puncto, & homo mortuus eſt, & moritur: quarè gratiam non obtinet, vt mortuus eſt, ſed vt moritur. Argumentum reſtat in ſuo robore: quia tunc martyr eſt in altera vita; ac proindè mereri non poteſt: aut gratiam martyris viatoris obtinere. Item ſequitur, vt martyr ex hac vita deceſſerit ſine gratia martyrij; & ideò ſolum attritus è vita deceſſit; ſequitur, vt cum peccato lætali diſceſſerit; ergo condemnabitur. Nihil aliud reſpondere poteſt Caietanus, niſi quod in ſimili alio caſu docet Almaillus tractatu 2. Moralium c. 2. Si ponamus (inquit Almaillus) paruulũ baptizari miniſtrum, & baptizantem verba formæ ſimul

Digitized by Google

mul cum morte paruuli finire : tunc ille paruulus non prius baptizatus, quàm mortuus,& tamen ſaluus erit : quia licèt in hac vita baptiſmi gratiam non acceperit, accepit tamen baptiſmum,qui eſt cauſa gratiæ, quam paruulus obtinet in primo alterius vitæ puncto. Vnde licèt ex hac vita deceſſerit ſine gratia, non tamen ſine cauſa gratiæ : quod ſufficit ad ſalutem. Nam ſicut lege Dei nemo ſaluus eſt, ſi cum peccato lethali ex hac vita diſcedit, ſic etiam lege Dei nemo in hac vita baptizatus, damnatur. Sic dicet Caietanus in primo alterius vitæ momento Martyri gratiam conferri; non quia Martyr mereatur,ſed quia diſceſſit è vita cum merito Martyrij.

Ego credere non poſſum aliquem cum peccato lethali ex hac vita migrantem ſaluum fieri. Item non credo in altera vita cum viator homo non eſt, aut Martirij, aut alterius Sacramenti gratiã dari : quia Martyrium, aut Sacramentum, non habet tunc ſubiectum capax illius gratiæ, eo quod ſit homo extra huius vitæ finem;ſicut diceremus cum Scoto in 4.d.9.quæſt.1.art.7.ad finem: Si ponamus verba ſacerdotis conſecrantis vinum in Calice,ſimul finiri cum ipſius vini interitu,ſeu conuerſione in acetum, non faciunt Sanguinem Chriſti in Calice : quia in eo temporis puncto,in quo Sanguis debet eſſe in Calice, ſpecies non ſunt vini, ſed aceti, & Sanguis Chriſti non eſt niſi in ſpeciebus vini. Alij ſentiunt interitum animalis finiri per vltimum eſſe. Hoc putat probabile noſter Pater Vega ſuprà Concilium Trid. libro 9. cap. 43. D. Thomas in 4.diſt.14.q.2.art.5.ad quintum.Quando hæc opinio eſſet vera, argumentum facilè ſolueretur, nempè : Martyrij gratiam conferri in vltimo mortis intrinſeco tempore. Sed quia Philoſophi non admittunt ſubſtantiarum formas, per vltimum eſſe deſinere : ideo aliter reſpondent alij cum D. Thoma ſecunda ſecundæ, quæſt.124.art.4. ad quartum : Martyrij gratiam conferri in eo temporis puncto, quo lethale vulnus accipit,aut lethali cruciatur tormento; ita vt illud vulnus, vel tormentum neceſſario ſequatur mors. Et cum dicitur: tunc martyr nondum eſt mortuus, & mors ad rationem martyrij pertinet. Reſpondent ſufficere iam eſſe mortuum in cauſa, quã mors naturaliter ſequeretur, niſi eſſet impedita.

Dices fieri poteſt, vt martyr poſt illud vulnus,aut tormentum lethale, mortem euadat; ac proindè martyrij gratiam amittat : nam dum viator eſt, peccare poteſt. Non admittunt caſum : quippè non ſinet Deus, vt ille martyr peccet mortaliter, & à martyrij gratia decidat, ſicut non admittit vt quis prædeſtinatus, cum peccato mortali moriatur, aut reprobus cum gratia, & charitate : hæc enim omnia ad Diuinam prouidentiam pertinent,& fortaſſis eadem ratione nõ permittit,vt verba miniſtri paruulum baptizantis ſimul finiantur cum paruuli morte; ne ille paruulus ex hac vita migret baptizatus ab vna parte, & ab altera originali peccato infectus. Curioſè petes.

An Infantes pro Chriſto necati, ſint Martyres.

Armacanus in ſumma lib.8.cap.37.ſentit Innocentes ab Herode pro Chriſto necatos,non obtinuiſſe nonuum gratię gradum, præter eum, quem per circumciſionem aſſequuti fuerunt; & qui abſquè circumciſione trucidati ſunt, nullam gratiam habuiſſe. Hæc ſententia nullo modo admittenda. Nam Eccleſia Catholica ſolemnitate anniuerſaria colit eos vt martyres: nec diſtinguit circumciſi fuerint, nec ne. Nec vt martyres celebraret,niſi ampliorem gratiã habuiſſent, quã circumciſionis. Adrianus in 4.quæſt.5. de baptiſmo, ad tertium, credit illos Innocentes fuiſſe martyres ſpeciali Chriſti priuilegio,non communi lege martyrij:quia in illis Chriſtus quærebatur, & quaſi in ſingulis eorum necabatur. Quidam aiunt, eos ſingulari Dei priuilegio factos eſſe rationis compotes, & ita proprio voluntatis actu martyrium pertuliſſe. Probant ex Chriſoſtomo tomo 2.hom.3.in Euangelia Matthæi, ex Aug. ſerm. 1. de Innocentibus, vbi ſic ait : Quantis modis infantem volebat mater abſcondere, & ipſe ſe infantulus publicabat. Hoc reicit D. Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtion. 124. art.1.ad primum : & in 4.d.49. quæſt.5.art. 3.& in quæſt.3.ad duodecimum: quia opus non eſt tantis miraculis. Et Chriſoſtomus, & Auguſtinus loquuti ſunt per metaphorã: nam fatum ipſum, clamores, & eiulatus, apellant oblationem ad mortem ſpõtaneã. Fuerunt ergò veri martyrij, & communi lege martyrij gratiam conſequuti : quoniã

Digitized by Google

ſicut in paruulorum baptiſmo non requiritur actus ipſorum paruulorum voluntarius, ſed Chriſti meritum, & fides Eccleſiæ, ſic in martyrio paruulorum neceſſarius nõ eſt eorum voluntarius actus, ſed ſola mors, qua pro Chriſto occiduntur. Ex quo fit, vt ſi modo paruuli pro Chriſto necarentur à Turcis, verè martyres eſſent, Sotus, Maior in 4.d.4.qu.3.

Pulchra quæſtio eſt: An ſi mater geſtans in vtro foetum, anima rationali iam præditum, pro Chriſto occideretur, ipſa ſola foret martyr: an etiam foetus. Riccardus in 4.d.4.art.2. quæſt.3. ſentit eſſe verè, & propriè martyrium. Sic maior in 4.d.4.q.3. propè finem, Tabientis verbo baptiſmus, quæſt.6.ad finem. At Gabriel in 4. d.4.q. prima art.2.concluſione 9.ait: quòd foetus ille ſaluus eſſet,ſed certum non eſt: an maiorem gratiam obtineret, quàm baptiſmi. Sotus in 4.d.3.q.1.ait: fortaſſis erit martyr: ſed verius eſt quod aiunt Riccardus, maior, Tabienſis, & cum ipſis Aſtenſis in sũma lib.4.tom.6.quæſt.2. non enim eſt, cur martyr non ſit: ſiquidem vna cum matre dat vitam. Dices contra; Foetus quamdiù eſt in vero materno baptizari non poteſt,vt dicitur in capite: Qui in maternis: de conſecratione, d.4.ex Iſydoro libro de ſummo bono cap.23.ergò nec per martyriũ poteſt in Chriſto renaſci. Tum quia, qui non dum eſt natus, non renaſcitur. Tum quia martyrium vicaria baptiſmi vice fungitur; at vicarius non poteſt amplius, quàm eius qui eſt vicarius. Reſpondeo: baptiſmum hac in parte à martyrio ſuperiori, quod Foetus in vtero materno incluſus, ex martyrio ſaluus eſſe poteſt; per baptiſmum nõ item: quia ei baptiſmus conferri non poteſt: cum nec aqua baptiſmali ablui valeat, poteſt tamen per martyrium vitam rationalem,qua viuit, amittere, & ſicut Vicarius Epiſcopi poteſt ampliorem habere poteſtatem, quàm habeat Epiſcopus: cum iam habeat ſpeciali Pontificis priuilegio; ſic martyrium, quamuis vicaria baptiſmi vice fungatur, amplioris eſt poteſtatis: quia eam habet ſpeciali Chriſti priuilegio. Ex dictis collige eadem ratione eos,qui ſunt à natiuitate amentes, quamuis ſint adultæ ætatis, ſi pro Chriſto occidantur,eſſe martyres inſtar paruulorum: quia cum mentis compotes non ſint, nec vnquam fuerint; nulla in eis ad martyrium requiritur voluntas. Sit ergò.

PROPOSITIO VI.

Multum probabile eſt, quod homo memor ſuorum peccatorum, iuſtificetur ſine formali deteſtatione peccatorum, quorum memoriam habet, ſi formalem dilectionem Dei ſuper omnia habet.

FVndor in hoc primo: quia nulla adeſt ratio efficacitèr conuincens contrarium. Secundo, cum quis habet ardentẽ amorem Dei, ei remittitur peccatum: at ſine formali deteſtatione, & expreſsâ peccatorum,valeret homo ſuorum delictorum memor, diligere Deum ſuper omnia; ergò ille homo iuſtificaretur ſine expreſſa deteſtatione eorum peccatorũ,quorum memoriam habet. Dices cauſam repugnare: etenim repugnat aliquem diligere Deum ſuper omnia, & non ſtatim intimo affectu deteſtari quidquid eius offendit Maieſtatem. Contra primo: quia hic petitur principium: difficultas enim eſt: vtrum homo efficaciter diligens Deum ſuper omnia, & memor ſuorum delictorum, valeat non deteſtari formalitèr, & expreſsè ea peccata quorum memoriã habet. Aduerſarij aiunt, hoc repugnare, non tamen id probant. Secundo: formalis, & expreſſa ratio deteſtationis peccati ſuper omnia poteſtate cũ ſola virtuali dilectione Dei; ergò efficax dilectio Dei: poteſt ſtare cum ſola deteſtatione virtuali peccatorum; & conſequenter cum formali dilectione Dei,non eſt neceſſario coniuncta formali deteſtatio eorum peccatorum, quorum quis memoriam habet. Vrgeo argumentum: ſi propter aliquam rationem diligens efficaciter Deũ, neceſſitaretur ad ſtatim habendum deteſtationem formalem omnium peccatorum, quorum memoriam habet, eſſet: quia cuius virtutis eſt amare bonum, eiuſdem eſt, deteſtari malum illi bono oppoſitum; hinc efficacitèr diligens Deum, debet neceſſario deteſtari formalitèr malum contrarium ipſi Deo, cuiuſmodi ſunt peccata: Subinfero, at iſta ratio non valet; Ergò &c. Probo

Digitized by Google

bo minorem: ſi illius virtutis cuius eſt amare bonum, eſſet deteſtari malum oppoſitũ illi bono; etiam illius virtutis cuius eſt deteſtari malum, eſſet amare bonum oppoſitum illi malo: at poteſt quis efficaciter, & expreſsè deteſtari malum, & non habere actum formalem, & expreſſum dilectionis boni oppoſiti illi malo; ergò poterit quis efficaciter diligere Deum, & non ſtatim deteſtari expreſsè, & formaliter peccata, quorum recordatur, & ſi illa aduerſentur bonitati diuinæ. Minor ex eo probatur: quòd cum pœnitentia formali ſtat dilectio virtualis bonitatis diuinæ, appræhenſæ per intellectum. Item; ſi pœnitentia formalis, & dilectio formalis diſtinguuntur realiter; ita dilectio formalis, & pœnitentia formalis ſe cernuntur formaliter; ergò qua ratione dari poteſt pœnitantia formalis cum ſola dilectione virtuali; etiam dari poterit dilectio formalis cum ſola deteſtatione virtuali; ergò ſtat quòd quis habeat dilectionem efficacem Dei, & tamen non ſubito habeat deteſtationem expreſſam, & formalem eorum peccatorum, quorum memoriam habet. Item. Præceptum de pœnitentia eſt affirmatiuum, quod non obligat ſemper, ſed pro tempore; ergò poterit peccator pro tempore illo in quo pœnitentia formalis non obligat habere dilectionem Dei ſuper omnia abſquè deteſtatione formali eorum peccatorum, quorum memoriam habet: hinc ſatis illi erit propoſitũ pœnitendi habere tempore ſuo, ergò ſtatim ille homo iuſtificabitur ſine pœnitentia formali, ſeu expreſſa deteſtatione eorum peccatorum, quorum memoriam habet.

Sit aliud argumentum. Motiuum ad contritionem quæ eſt actus pœnitentię virtutis ſpecialis, & contradiſtinctæ à reliquis virtutibus, eſt aliud à motiuo charitatis; ergò cum talia motiua diſtinguantur, poſſet proponi voluntati motiuum ad amorem Dei, & ſi non eſſet propoſitum motiuum ad contritionem; ergò ſaltem in tali caſu poſſet quis habere expreſſam, & formalem dilectionem Dei cum ſola deteſtatione virtuali eorum peccatorum, quorum memoriam habet; ergò non eſt verum, quòd cum efficaci expreſſa dilectione Dei ſit inſeparabiliter coniuncta formalis, & expreſſa deteſtatio eorum peccatorum, quorum homo memoriam habet. Satis ergò erit, vt ille homo iuſtificetur, quòd ſit paratus habere deteſtationem expreſſam, & formalẽ ſuorum peccatorũ pro tempore, quo obligabitur à præcepto pœnitentiæ. Accedat aliud argumentum. Si eſt præceptum de habenda deteſtatione formali cum adeſt memoria peccatorum, etiam eſt præceptum de diligendo Deo propoſito ab intellectu: at homo poteſt, ſtante deteſtatione formali, peccatorum habere ſolam dilectionem virtualem Dei: ergò etiam ſtante dilectione efficaci Dei, poterit homo habere ſolam deteſtationem virtualem eorum peccatorũ, quorum memoriam habet.

Concludo ergò: quod homo ille cum dilectione formali, & deteſtatione virtuali iuſtificaretur: quippè ſi pœnitentia formalis cum dilectione virtuali ſola, ſufficit ad iuſtificandum: cur dilectio formalis cum ſola pœnitentia virtuali, non erit ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem? Adde, quòd actus dilectionis perfectè coniungit nos Deo, & ipſum Deum nobis, iuxta id: ego diligentes me diligo; ergò talis dilectio erit ſufficiens diſpoſitio ad iuſtificationem? Sit aliud argumentum: In probabili ſententia, Anima rationalis cum ſit eminentèr, & virtualitèr continẽs vegetatiuam, & ſenſitiuam, poteſt illa ſola exhibere id, quòd ab illis duabus formis præſtaretur quando in ſe forent; hinc vna, & eadem anima rationali, homo eſt viuens, ſentiens, & rationalis: ergò cum dilectio formalis Dei, continet virtualitèr deteſtationem peccatorũ; poterit illa dilectio ſine formali pœnitentia, ſeu peccatorum deteſtatione, eſſe diſpoſitio ad iuſtificationem.

PROPOSITIO VII.

Securior, & verior ſententia eſt, extra caſum obliuionis naturalis, vel inconſiderationis nunquam remitti peccatum mortale ſine formali actu pænitentiæ.

FAuet huic Propoſitioni noſter Pater Corduba quæſt. 15. libro primo quæſtionum Theologorum. Probatur primo: quia

quia ex ſupra dictis contitio formalis per ſe loquendo, eſt medium neceſſarium ad remiſſionem peccatorum extra Sacramentum; ergò quando poteſt commodè adhiberi, non dabitur effectus ſine tali medio: ſed quando homo cogitat actu de ſuis peccatis, & ei licuerit ſumere tempus ad examinandam ſuam conſcientiam, & ſua peccata per formalem contritionem deteſtari, & ſumere voluerit, nec ſufficientem diligentiam adhibere ad ea reuocanda in memoriam, de quibus non egiſſet pœnitentiā, non legitimè excuſabitur exercendo ſolum actus amoris: quia amor non impedit peccatorum deteſtationem, ſi actu cogitantur; imo ita mouet ad illam, vt vix homo continere poſſet dolorē ſi vere amat. Sit aliud argumentum aſſumptum ex ipſa natura dilectionis Dei ſuper omnia, qualis neceſſaria eſt ad iuſtificationem extra Sacramentū: Nam, qui Deum efficaciter diligit ſuper omnia, non poteſt non deteſteri formaliter peccata, quorum eſt conſcius: quia perfecta charitas non exponit ſe dubio, relicta via certa; alioquin non eſt ſuper omnia, quia ſaltem non eſſet ſupra illud dubium, ſupra quod voluntariè, & ex electione nō operatur, omittendo viam certam de pœnitentia formali: at ſaltem dubium eſt: an in eo caſu ſola pœnitentia virtualis ſit ſufficiens compenſatio ex parte noſtra pro offenſa Diuina; ergò talis dilectio non eſſet ſecundum egem perfectè amicitiæ. Confirmatur: nam, qui relicta via certa, operatur dubiam; non ſatisfacit præcepto charitatis propriæ, & proximi; ergò multominus charitati Dei, quę perfectionem poſtulat amorem.

Tangit hoc argumentum difficultatem illam: vtrum opinio probabilis certò ſequi in conſcientia. Nos vt tantæ difficultati occurramus, præmittimus compendioſum diſcurſum de cònſcientia, & eiuſdem obligatione. Totum diſcurſum reſoluent ſequentes Propoſitiones. Initium ſit à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Conſcientia, & Synereſis non ſunt in voluntate, ſed in intellectu.

ITa communis Doctorum cum Scoto in 2.d.39.quæſt.1.&2. Probat Scotus ex illo Eccleſiaſtes 7. vbi ſic legitur: ſcit enim conſcientia tua, quod tu maledixiſti ei. Ponderanda particula illa (ſcit enim conſcientia tua) hinc dico: ſcire ſpectat ad intellectum; ergò ſi conſcientia ſit, conſcientia ſpectabit ad intellectum. Origenes lib. 2. in Epiſtolam ad Romanos: conſcientiam vocat pedagogum animæ, & ſpiritum correctorem; at dictare, dirigere, accuſare &c. denotant intellectū; ergò conſcientia ſpectat ad intellectum, cuius ſolius eſt dirigere voluntatem, & totum hominem. Item: conſcientia aliquando eſt vera, aliquando falſa, aliquando dubia, & aliquando opinatiua: at iſta ſpectant ad intellectum; ergò & conſcientia.

Aliqui opinantur conſcientiam eſſe bonam inclinationem voluntatis. Ita Henricus quolibeto, 1. quæſt. 18. qui vult, eſſe habitum vel inclinationem voluntatis cōformem dictamini practico. Non multum abeſt Durandus in 2.d.29.quæſt.4. aſſerens conſcientiam pertinere ad intellectum, & voluntatem ſimul. Aſt niſi me meum fallat iudicium, Durandus reduci poteſt ad bonum ſenſum: concedi quippè poteſt cōſcientiam pertinere ad voluntatem, accipiendo conſcientiam in ampla, & extenſa voce, prout ſignificat honeſtum operandi modum, qui per rectam conſcientiam menſuratur. Hoc in ſenſu dicimus aliquos eſſe bonæ, aut malæ conſcientiæ, & S. Paulus primæ ad Thimotheum cap. 1. hortatur illum habere fidem, & bonam conſcientiam, ſcilicet operationem conformem rectæ cōſcientiæ. Hoc eodem in ſenſu accipitur conſcientia, cum dicitur; quòd aliquando doctiores habent peiorem conſcientiam, & ignorantes habere meliorem. Noſtram concluſionem impugnantur quæ ſequūtur. Conſcientia remurmurat de malo opere: ſed remurmuratio eſt actus voluntatis; ergò conſcientia eſt actus voluntatis. Reſpondeo cum Scoto: intellectum remurmurare pro quanto dictat voluntati id, quòd amat, eſſe

Digitized by Google

eſſe malum, aut quod fugit eſſe bonum. Aliud argum. aſſumitur ex illo Hebræorum 9. vbi dicitur: quòd Sanguis Chriſti emundabit cōſcientias noſtras ab operibus mortuis: ſed hoc conuenit voluntati; ſicut, & etiam ipſi conuenit principalitèr maculari; ergò conſcientia ſpectat ad voluntatem. Vt reſpondeamus, noto 1. quòd conſcientiæ nomen frequentius ſignificat actum; imo aliquando ſignificat obiectum; vt cum dicimus, aperire conſcientiam in confeſſione: hinc ad argumentum dico, illud fore intelligendum de actibus directis per conſcientiam in eo ſenſu, quo ſupra explicauimus ſententiam Durandi: at noſtra Concluſio loquitur de conſcientia in ſe, & hanc pertinere ad intellectum, ſufficienter darent rationes adductæ pro concluſione.

PROPOSITIO II.

Conſcientia non conſiſtit in habitu.

Variè probatur hæc Propoſitio. Noſter Pater Foelix in Tentatiua Complutenſi, probat primò ex Sancto Hyeronimo vocante noſtram conſcientiam habitū. At certè S. Hyeronimus minimè nobis cōtrarius eſt, quinimo fauet noſtræ ſententiæ: etenim dicit conſcientiam eſſe ineſtinguibilem, nec fuiſſe extinctam in Caino poſtquam a Paradiſo expulſus eſt. Hinc patet D. Hyeronimum potius fauere ſententiæ docenti conſcientiam eſſe ipſum intellectum. Idem Pater Foelix probat ſecundo, hoc argumento: ſcientiæ habitus vno actu aquiritur, & vnico errore corrūpitur; ſed conſcientia eſt quædam ſcientia: ergò eſt habitus: Quilibet mediocriter doctus videt hoc argumentum nullius eſſe momenti. Etenim ſyllogiſmus conſtat quatuor terminis, 3. probat: quia alias in dormientibus non daretur conſcientia cum in illis minimè detur actus intellectus. Nec hoc valet argumentum: etenim reſponderi poteſt, concedendo in dormientibus non dari veram conſcientiam, 4. probat: quia ſi conſcientia non eſſet habitus, ſequeretur iuſtum peccantem venialitèr, habere conſcientiam malam, & peccatorem benè moralitèr operantem, habere conſcientiam bonam: nam habet dictamen actuale bonum. Argumentum hoc fundatur in æquiuocatione: quia quando dicimus hominem habere, bonam aut malam conſcientiam, non ſumitur conſcientia in propria ſignificatione, vt in præſenti de illa agimus; ſed pro voluntate, eiuſquè actu qui, per rectam conſcientiam commenſuratur; & in hoc ſenſu aimus aliquos eſſe bonæ, aut malæ conſcientiæ: hoc in ſenſu loquitur S. Paulus primæ ad Thimotheum cap. 1. dum illū hortatur habere fidem, & bonam conſcientiam, ſcilicèt operationem conformem rectæ conſcientiæ. Moneo quòd argumentū vrget in ſententia docente conſcientiam eſſe habitū: quippè quando peccator óperatur aliquod opus moraliter bonum, certum eſt quod habet actualem conſcientiam; ergò cum hæc ſit bona, peccator erit bonus &c. Concedo ergò quòd peccator operans conformiter ad rectum dictamen habeat conſcientiam rectam; communitèr tamen dicitur malæ conſcientiæ, pro quanto actus voluntatis talis peccatoris non conformatur practico dictamini, ſeu non habet operationem conformem rectæ conſcientiæ. Probat quinto: quia ſequeretur dari plures conſcientias ſpecie diſtinctas, ſicut dantur plura dictamina rationis ſpecie diſtincta. Tale argumentum nil probat: nam ſupponit eſſe abſurdum, quod nos putamus non eſſe abſurdum, quinimo aimus dari in hoc ſenſu plures conſcientias ſpecie diſtinctas. Probat 6. conſcientia habet plures actus verbi gratia teſtificari, accuſare, arguere &c. Ergò eſt habitus, & non actus. Minus concludit hoc argumentum: nam cum dicimus, cōſcientiam habere illos plures actus, ſenſus eſt, quòd conſcientia eſt plures actus.

PROPOSITIO III.

Probabilius eſt aſſerere, quòd conſcientia ſit ipſe actus intellectus, quo quis iudicat hic, & nunc aliquod eſſe appetendum, vel fugiendum.

Videatur Scotus in Reportatis, in 2. d. 39. poſt h. §. ideo dico, vbi ita legit: Ideo dico, quòd conſcientia eſt in intellectu, & ſi eſt actualis, eſt dictamē actuale in intellectu, & ſi eſt habitualis, eſt dictamen

ctamen habituale. Probatur concluſio primò: quia conſcientia dicitur aliquando ſubitò deponenda, quòd minimè conuenit habitui. Secundo: quia conſcientia vnico actu habetur, & vnico actu deperditur: hoc autem incongruit habitui. Tertio: habitus acquiritur medijs actibus: ergò priores ſunt actus, quam habitus: at ſi quis operetur contra primum dictamē rationis, quod habuit, ſine dubio ageret contra conſcientiam, licet actu nondum aquiſierit alium habitum; ergò &c. Moneo tamen quod iſtæ ſententię faciliter conciliari poſſunt ſi velimus diſtinguere conſcientiam (idem dico de Synereſi) in habitualem, & actualem imitando Scotum in Report. in 2.d.39.quæſt.2.poſt.h. §. ideo dico: vbi ita legit: Ideo dico quòd conſcientia eſt in intellectu: & ſi eſt actualis, eſt actuale dictamē in intellectu, & ſi eſt habituale dictamē eſt habituali dictamē. Hinc mihi placet aduertētia D. Bonau. in 2.d.39.art.1.q.1.&2. Riccardi & Gabrielis ibidem, & poſt ipſos Cordubæ libro 3.q.1. quòd cōſcientia aliquando accipitur in actu primò pro naturali facultate, vel pro habitu in dicendo, ſit ne operatio noſtra licita, aut prohibita. Aliquando verò pro actu ſecundo, qui aliud nil eſt, quàm iudicium, quo iudicamus, num aliquod ſit præceptum vel licitum, vel illicitum.

PORPOISTIO IV.

Synæreſis habitualitèr ſumpta, eſt habitus intellectus, inclinans ad aſſentiendum generalibus principijs.

VErbi gratia omne bonum eſt amplectendum: omne malum eſt euitandum: Synærenſis, eſt actuale dictamen tendens actu in illa principia. Quod Synærenſis vertetur circa prima principia moralia in vniuerſali, docent omnes qui diſtinguunt Sinærenſim à conſcientia: quia illa verſatur circa prima principia ſpeculatiua, ſed practica. Conſcientia vero eſt illa, quę verſatur circa principium particulare. Cōſcientiam habitualem dico eſſe habitum inclinantem ad aſſentiendam concluſionibus ex primis principijs deductis. Conſcientia actualis eſt ipſum dictamen actuale rationis, quo iudicatur aliquod eſſe proſequendum, vel fugiendum.

PROPOSITIO V.

Docebit hæc Propoſitio diuiſiones Conſcientiæ.

PRimo diuiditur ex parte obiecti; quo modo vna eſt de præteritis actionibus: talis eſt conſcientia rectè vel malè factorū: hinc primæ, Corinthiorum cap. 4. Paulus nihil ſibi conſcius eſt: & communitèr homines dicuntur examinare propriam conſcientiam. Alia eſt de futuris vel de præſentibus, v. g. aliquod eſt faciendum vt honeſte, vel vitandum, vt turpè. Conſcientia de præſentis v. g. iudicium dictans aliquod eſſe malè factum: eſt ſpeculatiua, quia non dictat ad vlteriorem operationē. Conſcientia de præſentibus, vel de futuris, eſt verè practica: quippè praxis directiua vt docet Scotus quæſt.4. prologi §. ad iſta. Secunda diuiſio conſcientiæ eſt in rectam, & erroneam. Conſcientia recta, eſt recta ratio: non eodem modo ab omnibus explicatur: quidam enim dicunt, eſſe illam, quæ eſt ſecundum appetitum rectum. Volentes rectitudinem conſcientię fore ſumendam per habitudinem ad appetitum rectum. Occaſio accepta eſt ex Ariſtotele, 6. Ethicorum cap. 2. Sed quoniam appetitus rectus non poteſt non dependere à recta ratione, manifeſte deducitur rectitudinem rationis eſſentionaliter eſſe priorem ante operationem voluntatis; ergò ſi à priori, & quidditatiuè conſcientiæ rectitudo explicanda eſt, ex alio termino, & hoc ex appetitu recto, ſumenda eſt eius rectitudo. Reſpondent aliqui fieri poſſe vt mutuo inter ſe pendeant rectitudo appetitus, & rationis.

Ego tamen non video: quomodo hoc ſit poſſibile; ſiquidem iudicium quo agnoſcitur aliquod obiectum ex ſe honeſtum antequam ſit operatio voluntatis per habitudinem ad obiectum, habere poteſt ſuam veritatem perindè, atq; quodlibet iudicium, ſpeculatiuum. Confirmatur: quoniam iudicium conſcientiæ, eſt propria enunciatio mentalis; ergò eius rectitudo, & obli-

Digitized by Google

obliquitas formalitèr conſiſtit in veritate, aut falſitate, quæ eſt conformitas, aut difformitas cum re enunciata. Dicendum eſt igitur ex ijs, quæ procedunt inter iudicium rationis, ratione obiecti præceptorum prouenire, vt obiectum ſit, aut non ſit conforme naturæ rationali: interdum quidem ex ſola rei natura: v.g. in mendacio: aliquando verò ex aliquo præcepto poſitiuo, v. g. in actu manducandi carnes hoc, vel illo tempore. Deinde, quod obiectum re ipſa eſt conforme, aut difforme naturæ rationali, naſcitur; vt ſit cognoſcibile ſicuti eſt; ac proindè vt iudicium, quo iudicamus operationem eſſe prohibitam, vel ſecus ſit verum, vel falſum. Conſcientia ergò recta, ſecundùm me, eſt iudicium practicum, quod eſt ſic conforme obiecto, vt dictat obiectum eſſe honeſtum, vel malum, prout re vera ſe habet. Vndè ideò hoc iudicium eſt verum; hic & nunc Deus eſt amandus, &c. quia reuera ita ſeſe habet. Conſcientia erronea eſt, quæ practicè, & in ordine ad opus determinatè proponit obiectum alitèr quàm eſt v. g. ſi iudicaret eſſe bonum, quod reuera eſt malum. Conſcientia erronea eſt, quando intellectus in iudicio de rebus agẽdis errat, ſiue ex ignorantia inuincibili, ſiue vincibili, quod poteſt accidere, vel quia iudicat eſſe preceptũ, quod eſt prohibitum, vel è contra, vel quod ſit bonum, quod eſt ex ſe malum.

Noſter Pater Fœlix cap. 1. difficultate 2. dicit, Conſcientiam veram, ſeù rectam, illam eſſe, quę ſine firmitate iudicat aliquod eſſe bonum, vel malum. Non placet iſta doctrina: nam etiam Conſcientia erronea inuincibilis iudicat aliquod eſſe faciendũ ſine formidinè: etenim quandò iudicaret cum formidine, iam non diceretur inuincibilis, nec excuſaret à peccato. Conſciẽtia erronea ſolet diuidi in erroneam iuris, & in erroneam facti: in conſcientiam vincibilem, & in inuincibilem. Ignorantia iuris explicatur per exemplum: moritur Petrus meus cognatus, cui verò ſuccedo in hæreditate, ſed ius illud neſcio; tunc habere dicor ignorantiam iuris. Si autem non ſuccedo; quia neſcio eſſe cognatum; habere dicor ignorantiam facti. Aliud exemplum: Contraho cum Religioſo, cum pupillo, cum paruulo, putans, vel non dubitans contractum cum illis valere: tunc dicor habere ignorantiam iuris: Etenim neſcio ius. Si ſcio ius prohibens contractum cum Religioſo, cum paruulo, cum pupillo; ignoro tamen illum eſſe Religioſum, vel pupillum: habeo ignorantiam facti. Talem ignorantiam habuit Iacob accedens Liam putans eſſe Rachelem. Similem Ignorantiam habet, comedens carnes feria ſexta, putans eſſe feriam quintam in obliuione. Ignorantia iuris diuiditur ſecundùm iuris diuiſionem: vndè alia eſt iuris naturalis, alia diuini poſitiui, alia iuris humani. Ignorantia facti pari ratione diuiditur. Alia facti ſecundum ſubſtantiam, vt in exemplis. Alia ſolius circumſtantiæ: vt ſi occidas ſcienter hominem, neſciens eſſe Clericum.

Ignorantia inuincibilis eſt, quando quis adhibita diligentia, quam tenetur facere ad rem ſciendam, adhuc ignorat. Dixi quam tenetur facere: quia non tenetur omnem poſſibilem diligentiam facere, ſed ſufficit moderata iuxta perſonę, & negotij circumſtantias; vnde qui non audiuit feſtum, aut vigiliam in Parochia publicari inuincibilitèr ignorat. Dixi ad rem ſciendam: quia, & ſi non facias diligentiam, quam teneris ex alio capite, modò facias eam, quam teneris; ex vi præcepti ſciendi, inuincibilitèr ignoraris: hinc ſi non vadis ad Curiam ex alio capite vocatus, & eo die, quo debebas adeſſe, promulgatur lex, eam ignoras inuincibilitèr: quia ad ſciendum eam, non tenebaris ire ad curiam. Vincibilis ignorantia eſt, quam diligentia vincere potes, & debes. Hæc clare patet ex declaratioe ignorantiæ inuincibilis: ſit exemplum: Contrahis cum Petro: & times contractum eſſe vſurarium: conſulis virum non ita doctum, & pium, & reſpondet negatiuè; vincibilitèr ignoras. Si doctus, & pius ita reſponderet, iuſtè ignorares. Deduco ergo, quod ignorantia vincibilis eſt voluntaria: non ſic autem inuincibilis. Ignorantia vincibilis diuiditur in affectatam, & craſſam. Ignorantia affectata eſt, quando quis directè vult, & expreſsè ignorare: Vndè talis de induſtria vult neſcire, vt liberius agat; & contraueniat: & ideò dicitur affectata: de qua intelligitur illud Iacobi 31. Scire vias tuas noluimus. Ignorantia craſſa dicitur: quando & ſi directè, & expreſsè non velis ignorare, tamen

Digitized by Google

tamen indirectè vis, quatenus voluntariè negligis inquirere, & ſcire, quæ teneris. Dicitur craſſa; quià quouis rudi, & craſſo eiuſdem ſtatus expelli poſſet. Dicitur etiam ſupina; quia in ijs ſolet eſſe, qui ſupini iacent nihil curantes ſcire quę ſunt ſui muneris. Habet ſuam latitudinem: Vndè à Iuriſtis diuiditur in latam, leuem, & leuiſſimam. Vincibilis diuiditur in eam, quæ eſt culpa, vel negligentia ſeui non ſufficienti ad mortale; & in eam, quæ ad mortale ſufficit.

Poſtremò diuiditur conſcientia in probabilem, dubiam: & ſcrupuloſam. Probabilis dicitur, quæ innititur in aliquo fundamento probabili, quæ interdum falſa eſt. Fundamentum autem probabilis conſcientiæ, aut eſt extrinſeca autoritas alicuius fide digni auctoris: aut ratio, quæ virum doctum mouere poteſt. Sunt etiam probabilia, quæ apparent omnibus, aut pluribus, aut Doctoribus, vt Ariſtoteles definit libro primo Topicorum: Conſcientia dubia dicit ſuſpenſionem animi non potẽtis iudicare, ſit ne operatio licita, aut illicita. In hoc differt conſcientia dubia à probabili; quod hæc eſt iudicium, quamuis non cum certitudine, nec ſine aliqua formidine: at verò conſcientia dubia non dicit determinationem intellectus in vnam, aut alteram partem: hinc Scotus in 3.d.39. notat dubium dici: quando ſuſpenditur iudicium neutri parti aſſentiendo; & hoc, ſiuè reflexè iudicaretur rem eſſe dubiam, vel non. Et multum refert in materia de fide tale iudicium, quia facit hæreticum ſi adſit pertinacia. Differt dubium à ſcientia, quod hæc ſit certa ſine vlla formidine. Ab opinione differt: quod hæc ſit aſſenſus alterius partis. A ſuſpectione differt, quod hęc magis in alteram incliner partem ſine aſſenſu. A ſcrupulo differt, quod hic ſit apparentia, vel formido actu pugnans cum opinione leui fundamenti inquietans animum. Tandem moneo dubium aliud eſſe practicum, aliud ſpeculatiuum. Exemplo res declaratur: dubium eſt ſpeculatiuum: quando dubito: an res in paterna hæreditate inuenta ſit mea. Dubium practicum eſt: quando dubito: an liceat mihi rem illam, tanquam meam diſtrahere, vendere, donare, &c. Denique conſcientia ſcrupuloſa eſt illa, quæ ex leuibus ſuſpectionibus, argumentis, aut coniecturis generatur, & quæ apparet probabilis, licèt reuera non ſit.

PROPOSITIO VI.

Bonitas interni actus dependet à lege æterna.

Ratio eſt, quia tunc rectiſſimè agimus cum iuxta regulam Diuinam operamur: peccamus verò, quando eidem Regulæ opponitur noſter motus iuxta id Auguſtini 22. contra Fauſtum; Peccatum eſt aliquid dictum, factum, vel concubitum cõtra legem Dei. Dependet etiam à noſtro recto dictamine. Videatur Scotus in 2. diſt.39. & 40. Ratio aſſertionis eſt, quia cum voluntas noſtra ſit potentia cœca non potens diſcernere inter bonum, & malum, dirigi debet per actum intellectus dictantis bonum, tanquam à regula, à qua ſi declinet, peccabit, iuxta id Romanorum 14 omne, quod non eſt in fide, (id eſt ſecundùm rectam conſcientiam) peccatum eſt: Vnde quando recta ratio proponit nobis aliquod agendum, tamquàm bonum, vel fugiendum, tanquam malum, tenemur nos conformari illi: hinc ſi dictat mihi me hodie teneri ad ieiunium: ſine dubio peccarem, agendo contra id dictamen. Voluntas ergò conformatur rationi rectæ, vt reguletur: ratio autem recta dicitur conformari voluntati: quatenus voluntas per ipſam rationem eſt regulata, nec hic habetur circulus. Videatur Scotus in 2.d.39. ad ſecundum; & q. 4. prologi §. ex iſto. Dices: indè ſequi non rectè operari eos, qui non actu cogitant de bonitate; quod tamen eſſet falſum; Et clarè concluditur ex eo, quod aſſuefacti operari benè, rectè operantur ſine vlla bonitatis aduertentia: hinc peccatores inueterati, paſſim peccant ſine aduertentia mali, ex quo non ſentiunt remunerationem voluntatis. Reſpondetur: Sequelam eſſe veram, nec exempla adducta probant oppoſitum: nam operantes benè maximè conſiderant bonitatem, & conformitatem cum lege æterna: peccantes ex conſuetudine etiam conſiderant, ſed valdè tenuitèr attendunt ad turpitudinem peccati: quia intensè tamen conſiderant

Digitized by Google

ſiderant delectationem peccati: cenſentur quaſi inaduertentes. Videatur Scotus in 4. d. 45. q. 2. §. dico ergò: vbi oſtendit, quod ex iuſtitia punitiua Dei non concluditur immortalitas animæ; quia ipſum peccatum eſt pœna ſui ipſius; quatenus ſcilicet eius turpitudo remurmurat iuxta id Auguſtini primò Confeſſionum 12: Iuſſiſti Domine, & ita eſt, vt pœna ſit ſibi omnis animus inordinatus. Hic autem remorſus nequit eſſe ſine actuali pulchritudinis, vel malitiæ aduertentia, quæ cauſat triſtitiam, & ſic eſt pœna ſui; Hic nota ex Scoto in 4. d. 14. q. 1. §. ex iſto; quod triſtitia cauſatur ex nolitione alicuius exiſtentis, & conſideratione actuali noliti. Idem habet ſubtilis Doctor in 3. d. 36. vbi docet; nec ipſos damnatos odire Deum ſine remorſu. iuxta illud Iſaiæ vltimo: Vermis eorum non morietur, &c. Reſtat ergo nos teneri ſequi propriam conſcientiam rectam: cuius ea ratio eſt: quia conſcientia propria, eſt regula proxima noſtrarum operationum, ſicut lex æterna, aut naturalis eſt regula remota: ſubinfero; ſed non conformari legi eſt peccatum: ergo multò magis non conformari propriæ conſcientiæ.

PROPOSITIO VII.

Inſtruet hæc Propoſitio, quomodo licitè operetur homo cum conſcientia erronea.

ERronea conſcientia eſt, quando dum homo operatur, intelllectus errat in ſuo iudicio. Dupliciter hic error contingit. Primo in materia, ſeu contra rei principia, vt quando iudicatur aliquod eſſe honeſtum, vel turpe, quod non eſt tale. Secùdò quando iudicatur aliquod eſſe præceptū vel prohibitum, de quo tamen nihil tale eſt: & vbique contingere poteſt ignorantia ſuperabilis, (quæ culpata eſt) & inſuperabilis inter opinantes, vna ſententia eſt affirmans actionem, quæ diſſentit à conſcientia erronea in indifferentibus eſſe malam: quia in his cum nulla ſit obligatio, vim habet obligandi conſcientia; quæ verò diſſentit à conſcientia erronea in his, quę de ſe ſunt bona, vel mala; non eſſe malam ſed bonam. Secunda ſententia docet conſcientiam erroneam non obligare ad faciendum id, quod dictat; quia cum dictet malum, ad id obligare non poteſt, ſed obligat ad deponendam conſcientiam: quia, ipſa manente, non poteſt quis contra eam agere ſine peccato, ideò obligat, vt deponat. Tertia ſententia eſt Durandi in 2. d. 39. q. 5. qui aliud inquit eſſe ligare, aliud obligare: obligari enim eſt, tamen ad aliquod faciendum: ligari verò impediri, ne aliquid agat ſicut impediſitur, qui corporaliter ligantur. Dicit ergo primo: Conſcientiam erroneam numquam obligare. Tum quia nemo obligatur ad agēdum malum, vel id, ad quod non tenetur: huiuſmodi autem eſt, quod dictat conſcientia erronea. Tum quia vera ratio, & vera cognitio, non tollit obligationem, & ſublato errore conſcientiæ, & poſita vera cognitione, non manet obligatio: quare nec etiam antea erat, Dicit ſecundò: conſcientiam erroneam culpabilem præcipientem malū, vel prohibentem bonum, ſemper ligare: quia dum quis habet talem conſcientiam, operari non poteſt; Dicit tertio: quod quando conſcientia eſt erronea inculpabiliter non ligat: quia poteſt quis operari ſecundum illam conſcientiam erroneam ſine peccato. Dicit quarto: Nullam conſcientiam, quæ dictat aliquid eſſe licitum, & non debitum ligare: quia abſtinere poſſumus à licitis, & non debitis: ſecus accideret, ſi dictaret aliquid eſſe licitum, aut debitum, aut illicitum. Quarta ſententia eſt D. Thomæ hic, & de veritate q. 17. art. 4. & in 2. diſt. 39. vbi diſputat de hac re cum cæteris Scolaſticis: & dicit conſcientiam erroneam ſemper obligare ad faciendum id, quod dictat non per ſe, ſed per accidens, & ex ſuppoſitione. Idem docet Capreolus in 2 diſt. 39. & alij grauiſſimi Doctores.

PROPOSITIO VIII.

Tenemur non agere contra conſcientiam errantem inuincibiliter, & proponentem obiectum, vt licitum, vel illicitum.

EST Scoti in 2. d. 39. Probatur, quia lex Diuina, aut humana non proponitur voluntati, niſi mediante noſtra cognitio-

Digitized by Google

gnitione: hæc voluntas noſtra dirigitur immediatè à bonitate, aut malitia, quæ eſt in obiecto in ſeipſo, ſed vt proponitur ipſi per intellectum; ergò quando intellectus inuincibiliter errans, poponit mihi obiectũ proſequendũm, vel fugiendum, vel tunc teneor non contradicere conſcientiæ proponenti mihi obiectum modo prædicto; vel numquam teneor obedire. Vrget ratio, quia cum tunc non proponatur homini aliqua ratio dubitandi de errore ſuæ conſciẽtiæ, non apparet, cur tunc non teneatur homo obedire, ſeq; conformare illi conſcientiæ. Probatur ſecundo ex illo ad Romanos 14. Omne; quod non eſt ex fide, peccatum eſt. vbi per fidem omnes intelligunt conſcientiam; & manifeſtè patet ex contextu: nam D. Paulus inquit. Eos, quibus apponuntur carnes, quæ ſecundum legem veterem putantur immundæ: & exiſtimant etiam in lege Euangelij, non licere eis verci, debere abſtineri: quia omne, quod non eſt ex fide; hoc eſt ſecundum cõſcientiam; peccatum eſt. Hac ratione Iacob non peccauit, accedens ad Liam, quam putauit eſſe ſuam vxorem. Similiter qui adorant hoſtiam, quam Sacerdos proponit adorandam, nondum conſecratam, non peccant. Hinc infero, quod aliquando licitum eſt, dare conſilium ad faciendum actum ſecundum ſe malum, quem tamen ille cui datur tale conſilium, propter inuincibilem ignorantiam, putat eſſe bonum v.g. coniugatis, qui vincibilitèr ignorant impedimentum occultum, licèt dare conſilium ad reddendum debitum. Conſule Nauarrum in Caput Si quis autem. Eſt contra Scotum. Item qui agit contra conſcientiam, oparatur id, quod exiſtimat eſſe peccatum, & contra legem Dei: ergò hoc ipſo amat peccatum. Sit aliud argumentum: Obiectum voluntatis eſt bonum ſibi à ratione propoſitum: vt per conſcientiam errantem inuincibilitèr proponitur obiectũ tanquam bonum, & cum obligatione amplectendi; ergò voluntas nequit agere contra conſcientiam errantem. Moneo tamen, quod ſi conſcientia dictet aliquod eſſe bonum, non tamen eſſe obligationem ad illud agendum; non correſpondens illi conſcientiæ minimè peccaret, nec faceret contra cõſcientiam: quia non tenetur homo facre omne bonum, ſed id tantum, quod proponitur ſub vinculo obligationis: Item ſi quis occideret, vel percuteret aliquem, quem inuincibilitèr crederet eſſe Regem: ſine dubio eſſet reus læſæ maieſtatis, & pro tali puniretur; ergò faciens contra conſcientiam erroneam verè peccat. Item qui faceret contra conſcientiam inuincibilitèr errantem in re talitèr eſſet diſpoſitus, ac ille, qui diceret, amplectar hoc obiectum, etſi ſciam in eo eſſe malitiam: ergo reuera peccat.

ROPOSITIO IX.

Actus conformis conſcientiæ inuincibilitèr erranti eſt bonus.

ITA communis cum Scoto, & D. Thoma 1.p. q.19. art.6. qui adducit exemplum de accedente ad alienam vxorem, quam putat eſſe ſuam. Probatur aſſertio: quia talis facit ſecundum ſuam regulam, nempè ſecundum dictamen, quod cum voluntas non ſequitur, obliqua eſt. Præterea: homo ſequens dictamen prudentiæ rectè facit; ſed prudentia dictat honeſtum eſſe accedere ad vxorem, quam morali modo ſcit, & iudicat eſſe ſuam; ergò licèt, vt ſic operetur: quocirca quando conſcientia erroneat dictat aliquod eſſe honeſtum ex ignorantia inuincibili, actus, qui eſt illi conformis, bonus eſt, & ſi ſit de obiecto malo. Accedat ratio: quia cum voluntas ſit potẽtia cœca, debet ſequi iudicium rationis; quod ſi hoc inculpabilitèr iudicat aliquid eſſe honeſtum, voluntas illud ſequens rectè operatur: etenim agere ſecundum legem Dei, & rectam rationem bonum eſt, & quia quando eſt ignorantia inuincibilis, conſcientia erronea proponit obiectum, vt eſt conforme rectæ rationi, & legi Diuinæ: Et vt eſt malus reſtat inuincibilitèr ignotus, conſequentèr inuoluntarius; ideò manet actus bonus. Ex quo colligitur in qua ſpecie virtutis reponendus eſt huiuſmodi actus: Conſtituendus enim eſt in ea ſpecie virtutis, cuius rationem habet, vt proponitur à conſcientia erronea. Hinc ſi putetur pertinere ad cultũ Diuinum, erit Religionis. Dices: vt actus ſit bonus debet eſſe conformis rectę rationi; ſed iſte actus non eſt conformis rectæ rationi,

Digitized by Google

rationi, ſed tantum conſcientiæ erroneæ: ergò non eſt bonus. Reſpondetur actum, qui fit ex conſcientia erronea, poſſe conferri, & cum ipſa ratione erronea, & cum actu conſcientiæ, quæ iudicatur voluntatem ſequi debere conſcientiam etiam erroneam. Licet igitur huiuſmodi actus, quatenus conformatur priori actui conſcientiæ, non ſit conformis rectæ rationi; eſt tamen conformis rationi rectæ, vt conformatur poſteriori, quatenus iudicat, poſita tali cognitione, ſecundum eam eſſe operādum: quod eſt duriſſimum. Replicabis. Ille actus ſequitur falſam cognitionem: nō igitur poterit eſſe bonus. Reſpondeo: illam cognitionem eſſe quidem falſam; verum vt eſt falſa, eſt inuoluntaria, atque adeò actus ab ea nullam accipit malitiam. Replicabis denuò; ergò quis gaudere poteſt, quod ad alienam vxorem acceſſerit. Item quod dederit in eleæmoſynam rem alienam. Reſpondetur: quod poteſt gaudere de acceſſu ad vxorem alienam ſub illa formalitate, quod ad illam acceſſerit veluti ad propriam, ſeu credens eſſe propriā vxorem: nequit tamen gaudere de tali acceſſu ſub formalitate, quod acceſſerit ad alienam. Idem dico, de re data in eleæmoſynam.

PROPOSITIO X.

Conſcientia inuincibilitèr erronea obligat hominem ad ſe conformandum illi, quamdiù durat.

PRobatur iiſdem rationibus, quibus Propoſitiones antecedentes firmatæ ſunt: quocirca qui putaret ſe inuincibilitèr ſub peccato mortali teneri ad mentiendum, teneretur mentiri, & non mentiendo peccaret mortalitèr: vndè Iacob inuincibilitèr putans Liam eſſe Rachelem ſibi matrimonio coniunctam, peccaret mortalitèr, ſi Liæ petenti debitum, non redderet: niſi aliundè excuſaretur. Moneo tamen conſcientiam erroneam non obligare per ſe, ſed tantum per accidens, & ex ſuppoſitione. Ratio eſt: quia conſcientia non obligat, niſi quatenus proponit aliquid voluntati tamqurm præceptum, at per accidens eſt, quod conſcientia proponat bonum tanquam malum; vel è contra: cum per ſe conſcientia ordinata ſit, vt proponat bonum tanquam bonum, malumque tanquam malum. Item huiuſmodi obligatio non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione, poſita ſcilicèt conſcientia erronea: vndè non obligat; quia ſit obligatio, ſed quia ſolum putatur eſſe. Hinc habetur hanc obligationem eandem eſſe cum illa, quæ putatur eſſe; & conſequentèr peccatum eſſe in eo genere, in quo eſſet, quandò eſſet vera obligatio.

PROPOSITIO XI.

Proponit, & ſoluit argumenta pugnantia contra Propoſitiones ſupra poſitas.

PRimum argumentum. Præceptum inferioris non obligat contra præceptū ſuperioris ex gloſſa Aug. in illo ad Romanos 16. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſt: conſcientia autem noſtra inferior eſt ad legem Diuinam; ergò cum aliquid præcipit contra legem Diuinam minimè obligat. Reſpondetur, quod quando præceptum inferioris putatur eſſe Superioris, tùnc obligat contra præceptum Superioris: at quod nobis proponitur per conſcientiam erroneam, proponitur tanquam præceptum Superioris. Ergo ſe conformans præcepto conſcientiæ inuincibilitèr erranti; non peccat. Secundum argumentum: Qui legem promulgat, non habet vim obligandi, niſi quatenus promulgat legem: Conſcientia autem noſtra nil aliud facit, quàm promulgare legem; quare quando non promulgat hanc legem, minimè habet obligare; & multò minus habet vim obligandi quando promulgat aliquid contra legem Diuinam; quod facit conſcientia erronea. Reſpondetur: promulgationem non habere vim obligandi, niſi quatenus promulgat legem quæ eſt, vel putatur eſſe: in noſtro autem caſu, homines credunt eſſe veram legem eam, quæ ei proponitur per conſcientiam inuincibilitèr ignorantem: ergò homines obedientes tali legi, minimè peccant. Accedat argumentum aliud ex Aug. 22. contra Fauſtum cap. 27. deſcribente peccatum hoc modo: peccatum eſt factum, vel dictū,

vel concubitum contra legem Dei;at quod nobis proponitur à conſcientia erronea,eſt contra legem Dei;ergo obediens conſcientiæ erroneæ,peccat. Dicimus: quod id nobis propoſitum per conſcientiam erroneã ſit propoſitum ſecundum legem Dei: Quocirca qui facit contra cõſciẽtiam erroneã, cenſetur facere contra legem Dei. Accipe aliud argumentum. ſequeretur eum, qui habet conſcientiam erroneam,eſſe ita perplexum, vt non poſſet non peccare: eam agendo contra legem Dei peccaret; & non ſequendo cõſcientiam etiam peccaret, ergo ſemper peccaret. Reſpondetur argumentum ſupponere falſum: ſupponit enim, quod agendo conformiter ad conſcientiam inuincibilitèr errantem, peccaret: hoc autem eſſe falſum probant noſtræ rationes ſuperius adductę in fauorẽ Propoſitionum ſtabilitarum. Cõcludo ergò quod obediẽdo tali cõſcientię,minimè peccaret.

PROPOSITIO XII.

Subſequuntur, & ſoluuntur alia argumenta.

SIT primum. Maioris auctoritatis eſt Deus, quàm ſit conſcientia: at Deus non poteſt obligare ad aliquod, quod eſt intrinſecè malum; ergò multo minus ad id poterit obligare conſcientia erronea inuincibilis. Reſpondetur Deum non poſſe obligare: quia cognoſcit ſemper rem ſicuti in ſe eſt; at conſcientia noſtra poteſt inuincibilitèr errare, & credere eſſe bonum id, quod in ſe eſt malum: ergò vtique ſtat, quod conſcientia obliget ad aliquod,quod in ſe eſt malum; cum tamen illa id appræhendat, & inuincibilitèr iudicet eſſe bonũ En aliud argumentum: Si teneremur ſequi conſcientiam erroneam, aut teneremur lege humana, aut Diuina: primum nequit dici: quia non datur huiuſmodi lex: non ſecundum: quia Deus non poteſt obligare ad id, quod eſt malum. Reſpondetur nos teneri ſequi noſtram conſcientiam lege Diuina; Ratio eſt, quia lex Diuina, aut humana non proponitur voluntati, niſi mediante conſcientiâ noſtra: nec voluntas dirigitur imediatè à bonitate, vel malitia, quæ eſt in obiecto in ſcipſo, ſed prout proponitur ipſi per conſcientiam: ergò tenemur nos conformare noſtræ conſcientiæ, illiq; non conformando peccamus. Aliud argumentum; Qui agit contra conſcientiam, ſæpè non operatur contra præceptũ; vt ſi conſcientia dicat eſſe ieiunãdum die, quo non tenemur ieiunare. Reſpondetur conſcientiam obligare in virtute illius præcepti, quod exiſtimatur eſſe, quamuis non ſit: ideò conſcientia dicitur obligare per accidens, non autem ſecundum ſe, quatenus ſcilicèt appræhendit vt bonum, vel vt malum, quod in ſe minimè eſt tale. Ratio huius accidentalis obligationis probatur; quia conſcientia non obligat niſi quatenus proponit aliquid voluntati, tanquam præceptum,& per accidens eſt, vt conſcientia proponat bonum tanquam malum, & è cõtra. Item huiuſmodi obligatio non eſt abſoluta, ſed ex ſuppoſitione, ſcilicet poſita conſcientia erronea; hinc non obligat,quia ſit obligatio, ſed quia putatur eſſe. Ex qua patet; hanc obligationem eſſe eandem cũ illa, quæ putatur eſſe, & conſequentèr peccatum eſſe in eo genere, in quo eſſet, ſi foret vera obligatio. Aliud argum. Sequeretur, ſi quis ex conſcientia erronea putaret eſſe peccatum. Deum ſuper omnia amare, quod amando Deum peccaret. Imò quod peccaret, & non peccaret; peccaret, quia ageret contra conſcientiam inuincibitèr errantem. Non peccaret,quia amor Dei ſuper omnia nequit eſſe peccatum. Dicimus primò: Caſum videri impoſſibilem; quis enim eſt tàm ſtultus, vt putet ſe iniuriam facere Deo ipſum amando ſuper omnia? Secundò. Admittimus caſum, quod ſtante illo iudicio foret peccatum amare Deum ſuper omnia, quia, vt dixi, noſtra conſcientia eſt applicatio Diuinæ legis, & quod proponitur nobis à conſcientia inuincibilitèr errante, iudicatur eſſe voluntatem Dei, quocirca talitèr amans ſecerit contra voluntatem Diuinam; & conſequentèr peccaret.

Peres. An ſit maius peccatum agere contra conſcientiam rectam, an contra cõſcientiam erroneam. Guglielmus Pariſienſis exiſtimat eſſe duplex peccatum agere contra conſcientiam rectam; Vnum:quia verſatur circa obiectum malum. Alterum: quia eſt contra conſcientiam. Quando verò agitur contra conſcientiam erroneam ſit

vnum

Digitized by Google

vnum ſolum peccatum. Mihi non probatur iſta opinio; quia conſcientia non obligat, niſi quatenus proponit obiectum, quod putatur obligare: id autem æq; facit vtraquè conſcientia: hinc quodnam ſit maius peccatum, ex alio excutiendum capite. Moneo: quod faciens contra conſcientiam, vnum dumtaxat committit peccatum. Ratio eſt quia conſcientia dictat peccatum fugiendum ratione virtutis cui opponitur: vna enim eſt ratio, qua caſtitas præcipit, abſtinendū à venereis: & qua conſcientia id ipſum dictat. Præterea: nulla virtus vel præceptum obligat, niſi mediante conſciētia, quæ eſt proxima regula noſtrarum operationum: hæc vero cum ſit generalis conditio, non aufert obligationem diſtinctam à virtute quæ violatur. Videatur Scotus à ſimili in 4.d.32.quæſt.2.§.ad ſecundum.

Petes ſecundo. An obligatio operandi ſecundum conſcientiam, ſit legis naturalis, an verò poſitiuæ?

Dico: Quando iudicium conſcientiæ proponit aliquid vt legem naturalem obligantem, eſſe naturalem: quando vero proponit legem poſitiuam, eſſe obligationem legis poſitiuæ, & peccatum proportionari cum illis, quæ in ſimili materia eſſent contra legem poſitiuam re ipſa latam. Ratio eſt manifeſta: quoniam conſcientia non habet vim obligandi ratione ſui, ſed ratione legis, quam applicat, quæ lex pari ratione obligat quando æqualiter cognoſcitur ſiue ſit à parte rei, ſiue non: ergò obligatio conſcientiæ proportionata eſſe debet obligationi legis quæ per conſcientiam applicatur: hinc efficitur quòd peccatum contra conſcientiam ſit mortale &c. Veniale vero, quando proponit probabiliter eſſe tantum veniale, vel ſaltem inuincibiliter ſine timore aut ſcrupulo maioris culpæ. Sequitur etiam peccatum contra conſcientiam non eſſe in aliqua peculiari ſpecie, ſed in illa, in qua homo exiſtimat ſe peccare, ſequitur tandem; malè docuiſſe aliquos, illum qui peccat contra conſcientiam erroneā, peccare tantum vnico peccato; illos vero qui peccant contra conſcientiam veram, peccare dupliciter. Nam licèt conſcientia falſa ſit, aut vera, vtroquè modo ſolum peccatur contra legem cognitam per conſciētiam. Quando verò quis per conſcientiam erroneam iudicat obiectum eſſe malum, abſtrahendo à veniali, & mortali, iudicādum eſt pro ratione materiæ peccatū pertinere v. g. ad iuſtitiam, temperantiam &c. Quod tamen attinet ad qualitatem culpæ mortalis, aut venialis, facilius concederem mortaliter peccare ratione periculi: quia abſquè ſufficienti examine, operans exponit ſe periculo maioris mali, ſicut ſi quis vellet generatim peccare, aut malè viuere: quia inde eſt non ſequi conſcientiam, & velle non rectè viuere. Colligitur ex Scoto in 3.d.35.§. ſed hic occurrunt. Et in 4. d.3.quæſt.2.§.de tertio: quibus in locis docet peccare mortaliter exponentem ſe periculo peccati mortalis. Legatur Aſſorius tomo 1. lib.2.cap.8.quæſt.6. Moneo tamē: quod cum occurrit ratio mali, ſubito occurrit, contra quam virtutem ſit: vnde facilè iudicabitur: an ſit mortale facere contra conſcientiā id proponentem: ſi vero quandoquè ita confusè proponatur, vt non determinatur materia mali particularis, nec ſub tali exſtimatione, vt conſtet eſſe leue, concludo eſſe mortale facere contra conſcientiam.

PROPOSITIO XIII.

Conſcientiam errantem vincibilitèr, indicantem aliquod eſſe bonum, quod verè eſt turpè, non licet ſequi.

Fauet Scotus in Report. d.39. quæſt.2. fauet ratio: quia error craſſus, & culpabilis, non excuſat aliquem à tranſgreſſione præcepti: ſed illa conſcientia eſt talis error; ergò eam non licet ſequi. Item: obiectum eſt verè turpè, & ignorantia culpabilis non excuſat: ergò non licet eam ſequi. Aliud argumentum: ſi actus circa obiectum malum non eſt malus, hoc inde eſt: quia eius malitia non eſt voluntaria; id autem non contingit quando ignorantia eſt vincibilis ergò &c. Sit aliud argumen. Actus qui ſequitur actum imprudentiæ, non poteſt eſſe bonus vt colligitur ex Ariſtotele, 2. Ethicorum cap. 6. vbi inquit: virtutem eſſe elicitiuam actus prout ſapiēs determinauit; ſed huiuſmodi actus ex ignorantia vincibili ſequitur imprudentiā (quippè ad-

Digitized by Google

pẽ adhibita minimè eſt diligentia vt benè fiat) ergò non licet ſequi talem conſcientiam.

PROPOSITIO XIV.

Conſcientiæ ex ignorantia vincibili diſtanti aliquod eſſe præceptum, vel faciendum, quod verè eſt prohibitum, non licet ſe conformare; quinimo ſe conformare eſt peccatum.

PRima propoſitio redditur clara ex ſupradictis. Secunda pars ſuadetur: quia cum voluntas ſit cæca, debet ſequi aliquod iudicium rationis; ſed ſtante tali iudicio erroneo, ſi appetat aliud, non poteſt ea proponi ſub ratione honeſta (cum obiectum iudicij erronei tantum videatur tale ex ſuppoſitione)ergò &c. Dices: ergò talis ſiue ſe conformet, ſiue non, neceſſario peccabit. Negatur conſequentia de neceſſitate abſoluta, ſed tantum exſuppoſitione. Ratio eſt: quid errorem deponere poteſt, & tenetur: ſi tamen in errore vult perſeuerare, neceſſario peccabit, ſed liberè ſimpliciter. Ita Scotus in 4.d.3.quæſt.1.

Petes. An Deus poſſit nobis diſpenſare, vt agamus contra talem conſcientiam. Reſpondeo: nullam poſſe dari talem diſpenſationem. Hanc doctrinam puto veram etiam in ſententia docente Deum poſſe diſponere præcepta legis naturalis: quippè licet concedamus Deum poſſe diſponere in hac uel illa lege; contradictionem tamẽ inuoluit, manente obligatione legis, eſſe diſpenſationem operandi contra illam legem: idem quippè eſt durare hanc legem, atquè durare iudicium conſcientiæ,quo iudicatur durare talem obligationem &c.Ex iſta ratione ſoluitur fundamentum, quod eſſe poſſet pro contraria ſententia, ſcilicet, quod Deus valeat diſpenſare in qualibet lege poſitiua, ac proinde in obligatione conſcientiæ: etenim reſpondendum: Deũ diſpenſare in lege poſitiua, quando tollit obligationem illius; ac proindè obligationis talis dictamen; contradictionem tamen inuoluere Deum diſpẽſare manente in ſuo eſſe dictamine obligationis legis poſitiuæ: qui enim contra hoc dictamen operaretur, eo ipſo eſſet voluntarius tranſgreſſor legis. Porro vt aliquis cenſeatur operari contra iudicium conſcientiæ, non ſatis eſt aliquãdo præcedere iudiciũ conſcientiæ: ſi enim quis operatur oblitus conſcientiæ, quam ante habuit, nõ operaretur cõtra conſcientiam: nihil enim tunc magis habet, quam ſi nunquam habuiſſet tale iudicium. Tunc igitur dicendum eſt, aliquem operari contra conſcientiam, ſi quando incipit, eſt actuale iudicium, aut ſaltem aliqua dubitatio de malitia eius quod fit. Accedat alia probatio noſtræ Propoſitionis: *Diſpenſare* eſt reuocare præceptum, ſeu id abrogare; ſed durante conſcientia manet præceptum, ſeu lex vera, aut talis exiſtimata, quæ eſt regula agendi: ergò remanente tali conſcientia, non poteſt in ea fieri diſpenſatio. Confirmatur:aut illa diſpenſatio foret nota homini; & ſic neceſſario mutaretur conſcientia: quia ſtante diſpenſatione, & ea cognita deberet homo iudicare licitum eſſe ſibi operari. Aut non eſſet nota; & ſic agẽdo contra illam conſcientiam peccaret. Dices non eſt repugnantia, quod Deus ſtãte præcepto dicat: quamuis ſit præceptum, tamen ego tecum diſpenſo, itaut faciendo contra conſcientiam non pecces. Reſpondetur id repugnare: implicat enim ſtante præcepto quin ego tenear id non adimplere.

Petes ſecundo. An ſit grauius peccatum ſequi conſcientiam erroneam, vel agere contra illam? Suppono non licere ſequi conſcientiam vincibiliter errantem, nec ea ſtante licere agere contra illam. Iam quæritur: quodnam ex his duobus ſit grauius peccatum. Scotus in Reportatis d.39.q.2 in hunc modum reſpondet: dico: quòd qui habet conſcientiam erroneam, ſimpliciter magis peccat agendo ſecundum illam,quã non agendo: quia fortiori præcepto obligatur ad non faciendum, vt potè lege diuina &c. Ad pleniorem huius rei intelligentiam, ſit tale exemplum: Putat quis ex conſcientia erronea ſe hic,& nunc obligari ad fornicandum. Tunc dicit Scotus: quòd grauius peccatum eſt ſequi illam cõſcientiam, quam non. Rationem dat:quia fortiori præcepto obligatur quis ad non ſequen-

ſequendam illam conſcientiam: quia lege Diuina tenetur homo non fornicari. Pro quo ſit.

PROPOSITIO XV.

Quando conſcientia erronea vincibilis dictat aliquod eſſe bonum, vel licitum, quod re vera aliqua lege ſub mortali eſt prohibitum: tunc grauius peccatum eſt ſequi conſcientiam, quàm non.

Redditur clara veritas noſtræ propoſitionis exemplo ſupra poſito de fornicatione. Dices: qui erroneæ putaret ſub mortali ſe teneri pro ſalute alicuius facere mendacium iocoſum, leuius peccaret ſequendo conſcientiam, quam non ſequendo: quia ſequendo conſcientiã ſolum peccaret venialiter, & non ſequendo, peccaret mortaliter, contra charitatem. Reſpondetur hac de cauſa me poſuiſſe illam particularem (ſub mortali) mendacium autẽ iocoſum non eſt prohibitum niſi ſub veniali, & conſequenter mirum non eſt, quod in eo caſu minus peccet ſequendo, quàm agendo contra illam. Dices, & ſi quis erronea putaret ſe ex charitate obligari ſub mortali ad periurium: tunc leuius peccaret periurando, quàm non periurando: quia periurando peccaret contra religionem, & non periurando peccaret contra charitatem. Negatur aſſumptum: grauius enim peccaret periurando: quia faceret contra duo præcepta diuina: & licèt peccatum contra charitatem cæteris paribus ſit grauius; tamen poſſet eſſe minus graue: quia in alio ſecundo præcepto augetur malitia. Pono etiam, quod quando conſcientia dictat aliquod eſſe malum, & contra aliquam virtutem, quòd tamen eſt bonũ: vidẽdũ eſt quænàm illarũ virtutũ ſit præſtantior, maior: quippè ſi virtus illa, quam conſcientia dictat ſit excellentior, leuius peccatum eſt ſequi conſcientiam: ſi vero altera virtus, à qua conſcientia erronea auertit, ſit melior, peius eſt ſequi conſcientiam.

PROPOSITIO XVI.

Quando quis ex vincibili errore conſcientiæ peccat, vbi nulla eſt obligatio à parte rei: tunc malitia peccati non minuitur ex eo, quod non ſit lex; conſequenter ille homo tunc tantum peccat, ac ſi eſſet lex tunc obligans.

Verbi gratia: omiſit quis audire ſacrum die feſti, putans eſſe diem feſtum: tunc ſic peccaret ac quando eſſet ille dies feſtus. Dices Eccleſia non mandat audire ſacrum, niſi in die feſto; ſed tunc non fuit dies feſtus: ergò &c. Reſpondetur, illum feciſſe contra conſcientiam æſtimantem eſſe diem feſtum; & hoc ſufficit ad peccatum. Ratio eſt: quia lex Dei, & cõſcientia non aliter eſt regula, & menſura noſtrarum actionum, quam vt propoſita ab intellectu: vnde ſi id, quod in ſe eſt bonum, proponatur ab intellectu, vt prohibitum, eſt peccatum.

PROPOSITIO XVII.

Agitur de Conſcientia probabili.

Iam ſupra dixi probabilem conſcientiã appellari eam, quæ innititur in aliquo fundamento probabili, & interdum vera, interdumquè falſa eſt. Fundamentum autem probabilis conſcientiæ, aut eſt extrinſeca auctoritas teſtiũ fide dignorũ, aut ratio, quę virum doctum mouere poſſit. Sũt etiam probabilia, quæ apparent omnibus, aut pluribus, aut doctioribus, vt Ariſtoteles definit libro primo Topicorum.

Supponi oportet, opinionem eſſe probabiliorem, diuerſum quid eſſe ab hoc, quod eſt eſſe tutiorem: hoc enim nihil aliud eſt, quàm eſſe opinionem, in qua non ſit periculum alicuis peccati, aut violationis legis: è contra verò probabilior eſt, in qua penſatis omnibus, ſunt rationes aſſentiendi magis apparentes: in qua re conſideratur multitudo, & grauitas Doctorum, ac momenta rationum ex vna, & altera parte. Vnde ſæpè contingit, vt opinio

quæ

Digitized by Google

quæ eſt minus tuta ſit probabilior; quoniã aſſeritur à Doctoribus magis fide dignis, & efficacioribus rationibus confirmatur. Do exemplum in materia de reſtitutione in illa quæſtione: an ille, qui dubitat de proprietate rei, quam apud ſe habet cum poſſeſſione bonę fidei debeat eã reſtituere. In qua opinio Adriani, qui aſſerit illam eſſe reſtituendam, eſt tutior: in hac enim reſtitutione nullum eſt animæ periculum, ſed crumenæ. Contraria tamen ſententia, quæ aſſerit non eſſe reſtituendam, quæ eſt minus tuta, id eſt cum aliquo periculo reſtituendi rem alienam, inſciè eſt probabilior: quia aſſeritur, & à grauioribus Doctoribus etiam ponderatis rationibus Adriani, & efficacioribus rationibus confirmatur.

In his ergò opinionibus quæſtio eſt: an ſit obligatio ſequendi ſemper partem tutiorem, quando eſt probabilior, aut æquè probabilis, quàm altera quæ eſt minus probabilis, & tuta. Quæſtio autem intelligitur, quando de ipſa obligatione, & honeſtate, ſunt cõtrariæ opiniones v.g. an ſit, vel non ſit honeſtus talis contractus: an liceat vel non liceat omittere tales circumſtantias in confeſſione.

Prima ſententia eſt: quando datur diuerſitas opinionum, non ſufficere ſequi opinionem probabiliorem non certam; ſed eſſe neceſſarium operari iuxta opinionem tutiorem, in qua nullum, aut minus ſit periculum peccandi, quam iuxta contrariam ſententiam. Ita Caietanus in ſumma, verbo opinionis vſum. Illum ſequitur Armilla eodem verbo, numero 2. eadem eſt ſententia Henrici quol. 4. q. 33. citatur etiã D. Thomas quol. 8. art. 13. immeritò tamen: quia D. Thomas non dicit eſſe neceſſarium ſequi partem tutiorem, quando in opinione contraria eſt aliqua formido, ſed quando propter diuerſitatem opinionum ſequitur dubitatio. In quo caſu diuerſa eſt ratio. Huius ſententiæ fundamentum eſt: quia actus bonus debet eſſe conformis certo iudicio conſcientiæ; hoc autem eſſe non poteſt, quando in opinione circa partem minus tutam perſeuerat ratio formidinis, & opinionis; ergò non eſt licitam cum tali opinione operari. Secundo; quoniam in opinione in qua non eſt certitudo, minimè repugnat eſſe falſitatem; ergò qui operatur voluntariè iuxta opinionem probabiliorem; excuſat opus ſine certitudine, tamen planè operatur cum periculo violandi præceptum; ac proindè inhoneſtè. Tertio ex vulgari regula: in dubijs tutior pars eſt eligenda: ſed quando non eſt rectitudo, neceſſario eſt dubitatio aliqua, ergò in tali caſu obligatio eſt ſequendi illam partem, quæ tutior eſt, videlicet, quæ nullum, aut minus periculum habet violandi aliquam legem.

PROPOSITIO XVIII.

Proponitur opinio ſubtiliſſimi Scoti.

SCotus in 4. d. 11. quæſt. 6. & d. 4. q. 2. §. de quinto; ponit tres maximas ad hoc propoſitum. Prima: ſi poſſibilitas adeſt; via tutior eſt tenenda. Secunda maxima: ſi non adſit, eſt tenenda via proximior tutiſſimè. Tertia maxima: ceſſante poſſibilitate, cautè ſupplendum, quòd poſſibilitas impediuit. Hinc dico; quotieſcunquè ſequendo viam probabilem, periculum eſt ne aliquod graue incommodum ſequatur nobis vel proximo, quòd ex iuſtitia vel charitate tenemur euitare, aut ne aliqua iniuria irrogetur Deo, vel rebus ſacris, vel aliquid aliud ſimile: quia tunc imprudentèr ſit, ſi relinquatur via certa. aut ſi aliquis ſe exponat periculo incurrendi in hæc mala. Imo idem puto accidere, quando quis ſine rationabili cauſa, relicta via certa, eligeret probabilem: quia huiuſmodi electio non videatur prudens. Quando vero, ſequendo viam certam, ſequuntur multi labores, & incommoda, quæ non ſunt in via probabiliori, poſſet aliquis ea relicta, ſequi probabilem: ſic enim, & ſi certus ſit aliquis, quod poſſit aliquid confiteri; & tamen ſit aliqua opinio probabilis, quòd idem etiam poſſit reticere, poterit id in confeſſione tacere: quia non tenetur pati erubeſcentiam, & alia incommoda vt ſequatur viam certam. Similiter ſi quis haberet copiam Sacerdotis, quem probabilius crederet eſſe ordinatum; non tamen id omnino certò ſciret, & poſſet habere Sacerdotẽ, de quo nulla eſſet dubitatio, ſi multa milliaria conficeret, nõ teneretur ſubire tot labores, vt ſequeretur viam certam.

Quod

Digitized by Google

Quod in adminiſtratione Sacramentorũ ſit ſequenda via tutior,& probabilior, probant aliqui: quia ſequendo opinionem probabilem, exponit ſe periculo irritandi Sacramentum: ergò &c. Ratio hæc non placet: quippè inde tantum ſequitur periculum faciendi malum materialitèr, non autem formalitèr. Sic etiam in omni alia materia, qui relicta opinione tutiori ſequitur probabiliorem, exponit ſe illi periculo; & tamen licitum eſſet adhærere opinioni probabili: ergò idem in Sacramentis. Probatio,ergò noſtra ex eo deſumitur:quia ex charitate erga proximum, tenetur quis remedium certum adhibere, quando commodè poteſt, ne ſi talis opinio probabilis non ſit vera, operatur graue damnum ſibi, vel proximo. Dices quod,& ſi ſtet in opinione: an attritio cognita vt talis, ſufficiat ad valorem Sacramenti pœnitentiæ;tamen non peccet accedens cum tali attritione,& ſi hæc opinio ſit minus tuta: quippè tutiſſimam eſt accedere cum cõtritione cognita, vt tali prout altera opinio dicit currere obligationem: ergò circa materiam, &: formam Sacramenti,licet aliquãdo ſequi opinionem probabilem minus tutam. Reſpõdet Vaſquez:illum tunc non peccare: quia non facit contra charitatem. Contra: licèt non faciat contra charitatem erga alios; facit tamẽ cõtra charitatẽ erga ſeipsũ. Dices: hominem ex charitate erga ſeipſum non teneri adhibere media, quibus gratia augeatur; alioquin in ſingulis momentis teneretur elicere actum ſimilem quando illi in mentem veniret. Contra: quia non datur ratio cur homo teneatur tutiorẽ partem eligere ex charitate proximi, & non ex charitate ſui. Item: ſi pœnitens poteſt licitè accedere ad confeſſionem cum attritione cognita vt tali, ſine dubio Sacerdos eum licitè abſoluit, & ſi ſciat ipſum non haberè dolorem,niſi attritionem cognitam; & tamen ſequitur tunc opinionem minus tutam: ergò non peccat contra charitatem proximi in hoc caſu miniſtrando.

Reſpondent alij. In articulo mortis hominem teneri ad contritionem habendam ob periculum damnationis; non teneri tamen extra graue periculum ob arduam difficultatem actus; & ideo ſufficere nunc attritionem cogniti.

Laudo reſponſionem: quippè conformis eſt noſtra ſententia docenti eſſe ſequẽdã opinionem certam, vel tutiorem, quando id poteſt fieri ſine graui incommodo, & damno proprio,vel proximi. Poteſt etiam dici,quod opinio aſſerens non ſufficere attritionem, non ſit probabilis, licèt a multis doceatur: quia contraria ſententia eſt certa ex Tridentino. Nec dicas Tridentinum loqui de attritione putata contritio. Tum quia hoc gratis dicitur. Tum quia Concilium ſolum dicit, ſufficere attritionẽ, vt diſtinguitur à contritione. Dices hinc ſequi; quòd in articulo mortis non teneatur quis ad contritionem. Conceditur.

Petes. Quænam ex duabus opinionibus probabilibus eligenda eſt: an quæ ſit fauorabilis Sacramento; an quæ ſuſcipientibus ſaltem in neceſſitate?

Reſpondetur. Opinionem fauorabilem ſuſcipientibus. Ratio:quia quando homo in duo præcepta perplexitur, præceptum, quod eſt ſtrictius, & nobilius, eſt implendum; ita res ſe habet in præſenti: ergò &c. Confirmatur: quia Sacramenta inſtituta ſunt vt ſint medicinæ ſuſcipientium: ergò non ægre ferunt exponi probabili periculo irritationis; dummodo finis,ob quõ inſtituta ſunt (nempe,ſalus ſpiritualis proximi tuta)relinquatur. Sit aliud argumentum: ſi quis conferret baptiſmum ſub illa forma incerta, ſcilicet ſub ratione Genitoris, Geniti, & Spirati,relicta forma certa,& ſi non careat probabilitate,formam illam baptizandi valere, tamen peccaret: quia temerè ſe exponeret periculo nõ baptizandi. Similiter: Medicus qui poſſet vti medicina certa ad ſanandum ægrotum, & vteretur dubia; & ſi probabilius ſit hanc eſſe æquè bonam, nihilominus peccaret: etenim exponit periculo vitam ægroti: Idẽ dico de eo qui poſſet habere confeſſarium, quem certo ſciret eſſe ordinatum, & habere iuriſdictionem; & tamen eligeret eum de quo poteſt eſſe dubitatio: etenim ſe exponeret periculo ſacrilegij. Ratio eſt: quia non prudenter operatur is, qui cum idem conſequi poſſet per viam certam, & æquali facilitatè, ſequitur incertam: Dices hinc ſequi, peccare eum qui ex opinione probabili non confitetur aliquod, v.g. aliquã circũſtantiam, quam certius eſt confiteri,quãdoquidẽ exponeret ſe periculo operãdi ſacrilegiũ. Vt his,&cõſimilibus ſatisfaciamus.

Moneo: quod in adminiſtratione Sacramentorum nonnulla ſunt obſeruanda. Primo eſt attendendus vſus Eccleſiæ, quem non licet omittere: quia inſtar legis ligat. Secundo eſt perpendenda debita reuerentia Sacramentis. Tertio eſt ante oculos habenda obligatio charitatis, vel alterius virtutis prouidēdi proximo de remedijs per Sacramenta. Nunc ad rem noſtram applicādo dico, quod determinatus vſus Eccleſiæ numquam eſt omittendus; quippe talis vſus nobis eſt inſtar legis. Quantum ad alia fateor, peccatum committere illum, qui æquali facilitate poteſt ſequi finem intentum per viam certam, vult tamen illum ſequi per medium non certum, licèt probabile: debet enim quiſque aſſumere viam certam, vt euitet damnum proximi. Ad argumentum ergò de tacente in Confeſſione aliquod; quod foret certius, & tutius confiteri ad euitandum periculum ſacrilegij; dico, quod ſequens opinionem probabilem, minimè ſe exponit periculo nullitatis Sacramenti: quia cum fundetur in opinione probabili, eſt certus morali certitudine de integritate confeſſionis.

Hinc collige conſequenter, quod quando occurrunt plures opiniones, quarum vna alteram ſuperat probabilitate; tenemur ſequi probabiliorem: cum ſcilicet adherendo opinioni probabili imminet periculum ſequi graue incommodum nobis, vel alijs, quod euitare tenemur, aut ne fiat iniuria Deo, vel rebus Sacris. Ita Palludanus in 4. d.36.q.2. art. 3. Sotus de Iuſtitia, & iure lib.3.q.6.art.5. ad quartum. Probatio accipitur ex dictis: quia ita ſe habet opinio probabilis ad probabiliorem, vti probabilior ad certam; at ſupra manet ſtabilitum nos ſæpè teneri relicta opinione probabiliori ſequi certam, ergò, &c.

Item tenetur quiſque facere quantum in ſe eſt, ne ex ſua culpa ſequatur aliquod incommodum, quod tenetur euitare; id autem non facit in dicto caſu, qui relicta opinione probabiliori ſequitur probabilem: ergò, &c.

Moneo tamen: quod quando ſequendo opinionem probabilem relicta probabiliori nullum ſequitur incommodum, & ſequendo probabiliorem, incurritur aliquod incommodum, vel eſt multum laborioſum: tunc minimè quis tenetur ſequi probabiliorem. Ratio eſt; quia non tenemur ſequi probabiliorem. Ratio eſt: quia non tenemur ſequi probabiliorem, niſi ex probabili ſequatur incommodum: quare ſi hoc non ſequatur, poſſumus ſequi probabilem. Item. Alias cum quis dubitaret, an fundus ſit ſuus, & probabilius iudicat non eſſe ſuum, tenetur eum reſtituere antè Iudicis ſententiam; & conſequentèr non eſſet melior conditio poſſidentis. Item: cum quis litigando ſit certus, quod aduerſarius habet cauſam probabiliorem, deberet ſtatim cedere: quod nemo dicet. Item: non tenetur quis magno ſuo incommodo, relicta opinione probabiliori, ſequi certam: ergo nec etiam relicta opinione probabili ſequi probabiliorem. Item: alioquin non poſſet Confeſſarius, relicta ſua opinione, ſequi opinionem pœnitentis probabilem, vt eum abſoluat: hoc autem eſſe falſum, oſtendam infra. Tandem concludo, quod cum nulla eſt cauſa, vt aliquis ſequatur opinionem probabilem relicta probabiliori, tenetur ſequi probabiliorem. Ratio eſt, quia ſine cauſa omitteret id, quod eſt magis tutum, quod tamen non videtur prudentèr fieri poſſe.

Peres. Quam opinionem teneatur ſequi Iudex? Veritatem dabit mox ponenda Propoſitio.

PROPOSITIO XIX.

Iudex non poteſt ferre ſententiam contra propriam opinionem, quā ipſe poſt ſtudium arbitratur eſſe probabiliorem.

FAuent nobis Summa Tabicena, & Sūma Roſella, Verbo Iudex. Fundo noſtram Propoſitionem in eo principio, videlicet, quod perſona Iudicis conſtituitur inter litigantes, vt ipſius examine, & iudicio, & non aliorum dirimatur lis: (eius enim iudicio remittitur ſententia) igitur iudicare debet ſecundum id, quod arbitratur eſſe probabilius: eſſet igitur iniurioſus parti litiganti, cuius actio eſt probabilior,

lior, ſi pro illo ſententiam non ferret: Vrget ratio; quoniam, quando probatio vnius partis eſt fide dignior, ſine dubio ſententia eſt pro illo ferenda: ergo pari ratione ſi habet ius probabilius; hoc autem ſolum debet menſurari ex Iudicis arbitrio: quippe iuxta aliorum ſententiam vtraque pars litigantium eſſet probabilior, ratione diuerſorum Doctorum, qui inter ſe contraria docent. Vnde ex aliorum ſententijs non poſſet determinari, prò quo foret ferenda ſententia fauorabilis: igitur determinandum eſt ex ſententia iudicis poſt diligens ſtudium; & examen rei.

Moneo tamen vnum dari caſum, in quo Iudex poteſt adhærere communiori ſentẽtiæ, quando ſcilicet opinio ipſius foret ita ſingularis, vt in appellatione ad Iudicem ſuperiorem poſſet ſtando principijs communioribus reprobari eius ſententia. Addo etiam, quod aliquando poſſet non ſtare iudex inferior propriæ ſententiæ, quando ſcilicèt ob nouitatem ſuæ opinionis, poſſet iudicari à ſuperioribus, non doctus, & minime verſatus in principijs vniuerſalibus, Quæ dixi de iudicibus, intellecta volo de iuris peritis, qui dicuntur acceſſores, & aſſignantur iudicibus, qui non ſunt iuriſperiti.

Quod Iudex debeat ferre ſententiam iuxta eam, quam ipſe iudicat probabiliorem, & minimè debere ad proprium arbitrium modo ſequi iſtã ſẽtẽtiã probabiliorem, & modo illam: hoc docebit iſta ratio, quod cum in caſu de reſtituenda aliqua re, ſint contrariæ opiniones probabiles, ita quod vna doceret rem eſſe reſtituendam, & alia non eſſe reſtituendam. Tunc Iudex poſſet agendo de cauſa amici, ſequi opinionem docentem rem non eſſe reſtituendam, & ſententiando, in cauſa inimici ſequi ſententiam adſtruentem rem eſſe reſtituendam: quod tamen videtur erroneum; ergo concludendum iudicem teneri ſequi opinionem ab eo iudicatam probabiliorem. Dices, quod cum confeſſarius in confeſſione habeat rationem Iudicis, videtur ſequi ex noſtra doctrina ipſum nũquam poſſe ſequi opinionem pœnitentis; ſed ſemper debere ſequi propriam opinionem. Quid in hac re ſit dicendum, docebit ſequens Propoſitio.

PROPOSITIO XX.

Confeſſarius non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur abſoluere pœnitentem contra propriam opinionem, ſi pœnitens velit iuxta ſententiam aliam probabilem operari.

Ratio difficultandi eſt: quoniam Confeſſarius in confeſſione habeat rationem Iudicis; hinc videri poterit alicui Confeſſarium teneri ad dandam ſententiam iuxta propriam opinionem; ac proindè minimè pœnitentem abſoluere poſſe, niſi conformetur propriæ opinioni videlicèt reſtituendo, quando Confeſſarius opinatur eſſe reſtituendum, & ceſſandum à coontractu, vel operatione, quando Confeſſarius opinatur eſſe ibi peccatum, & ſi ipſum non lateat contrariam ſententiam, cui pœnitens vult adhærere, eſſe probabilem, & ab alijs doctioribus iudicari probabiliorem.

PROPOSITIO XXI.

Confeſſarius ſaltem in aliquibus caſibus debet contra propriam opinionem abſoluere pœnitentem, qui iuxta aliam ſententiam probabilem vult operari.

An verò vniuerſalitèr; an tantum in aliquibus caſibus hoc contingat, non conſentiunt Doctores. Adrianus enim in 4. q. 5. de Confeſſione dubio 7. §. de ſecundo, eſt opinatus contingere id; quando opinio probabilis pœnitentis non eſt in damnum tertij, & propterea quando non ſperat pœnitentem mutaturũ ex ipſius auctoritate ſententiam, per quæ iudicat debere facere iuxta propriam ſententiam, quando opinio pœnitentis probabilis eſſet in damnum tertij, & ſperaretur pœnitentem conformandum opinioni confeſſarij. Alij verò doctores exiſtimant proprium confeſſarium, qui ex officio habet audiẽdi talem pœnitentẽ, obligationẽ, quauis pœnitens operetur iuxta opinionem probabilem

Digitized by Google

lem contrariã opinioni Cõfeſſarij. Quando verò Confeſſarius eſt ex cõmiſſione,qui nõ tenetur; dicunt non poſſe adminiſtrare Sacramentum, contra propriam opinionem. Ex parte hanc ſententiam ſequitur Ioannes Medina, Codice de Confeſſione q.de Confeſſ. dimidiata iteranda §. ſequitur etiam: dicit enim ſeruandam eſſe hanc diſtinctionem confeſſarij proprij,aut delegati in rebus, ex quibus ſequitur damnum proximi, Confeſſarium ſcilicèt delegatum in his rebus,minimè pœnitentem poſſe abſoluere iuxtà opinionem propriam.

Contraria ſententia vniuerſalis eſt probabilior: Confeſſarium non ſolum poſſe, ſed etiam teneri abſoluere quemcumque pœnitentem contra propriam opinionem,ſi ille velit iuxtà ſententiam aliam probabilem operari. Ita deſumitur ex Angelo, verbo confeſſio, num. 2. Nauarra cap. 26. num.4. & cap. Si quis de pœnitentia d. 7. à num.68. Soto in 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad quintum. Ratio eſt: quoniam Confeſſarius non poteſt negare abſolutionem, quãdo pœnitens eſt rectè diſpoſitus dolore, integra confeſſione, & propoſito non peccandi; huiuſmodi autem eſt pœnitens, qui operatur iuxta probabilem ſententiam, quam ipſæ per ſe didicit, aut ab alienis doctoribus, iuxtà quorum ſententiam operando nõ peccauit,nec eſt in poſterum peccaturus; ergò cum propoſito non peccandi, & dolore peccatorum, poteſt non conformari opinioni Confeſſarij. Debet igitur abſolui,quamuis nolit ſequi opinionem confeſsarij.

Niſi me mea fallat opinio, allatæ diſtinctiones nullius ſunt momenti: quia licèt eſſe Confeſſarium proprium, aut delegatum multum referat ad iudicandum:an teneatur, vel non teneatur audire pœnitentiam (proprius enim tenetur ratione officij) tamen ad hoc, vt poſſit, vel non poſſit contra propriam opinionem abſoluere, relinquendo pœnitentem in ſua probabili: illa diſtinctio eſt impertinens. Præterea licèt Confeſsarius delegatus poſſit nolle audire pœnitentem: tamen poſt auditam confeſſionem, non poteſt denegare abſolutionem diſpoſito pœnitenti; qualis, vt conſtat, eſt ille,qui ſequitur opinionem probabilem, etiamſi contrariam opinioni confeſsarij: quamuis negari minimè poſſit, maius eſse peccatum proprij Confeſsarij, qui denegat ſine cauſa abſolutionm, quam Confeſsarij ex commiſſione. Similitèr illa diſtinctio opinionis,quæ eſt in damnum proximi, cui eſset aliquid reſtituendum, eſt inutilis: quippè Confeſſarius non eſt cuſtos rei familiaris alterius, nec Iudex ciuilis, ſed criminum pœnitentis. Si enim aliquando cogit ad reſtituendum, id tantum eſt, vt conſulat bono ſpirituali pœnitentis, & ratione, qua debet procurare, vt pœnitens ceſset ab alijs peccatis, vt impleat omnia præcepta. Igitur non minus poteſt, & debet abſoluere pœnitentem, qui probabilitèr non vult reſtituere, quia putat ſe non teneri, ſicut debet abſoluere quemlibet alium pœnitentem, qui propter ſententiam probabilem qua excuſatur, non vult conformari opinioni Confeſsarij. Addendum verò eſt, interdum pœnitentem non eſse determinatum ex aliqua ſententia probabili, ſed quærere à Confeſsore quid agere debeat.

Hoc in caſu ſi quæſtio ſit de reſtitutione, vel de alia re pertinente ad iuſtitiam: Confeſsarius dicere quidem poteſt ſententiam ſuam, non tamen cogere, ſed admonere pœnitentem, quomodo ſit probabilis cõtraria ſententia, ne ſcilicet deciperet pœnitentem cogendo ad reſtituendum, quam fortè ille non faceret ſi cognoſceret ſecundum ſententiam communem, & probabilem poſse ſine peccato à reſtitutione ceſsare, vel fortaſse propter contrarietatem opinionum reſtitueret partem, & non totum. quod non eſt malum conſiliũ.Quando igitur Cõfeſsarius in tali caſu nõ eſt omninò certus,ſed ſolũ habet opinionẽ probabiliorẽ cuius contraria ab alijs iudicatur probabilior, non poteſt pœnitentem cogere, aut decipere, non manifeſtando illi diuerſitatem opinionum, quas ſequi poſset, niſi malit potius gubernari ſola opinione Confeſsarij.

Digitized by Google

DISCVRSVS
DE ADVOCATIS.

SEntentia Soti ex libro 5. Iuſtitiæ q. 18 art. 3. dicens Aduocatum poſse patrocinari pro parte contraria ipſius opinioni, modò pro illa ſit aliqua ſententia probabilis, quando cauſa non eſt ſanguinis, nec in ea ageretur de proprietate omnium bonorum: dicit tamen in his duobus caſibus non poſse patrocinari pro parte, quam putat minus probabilem.

PROPOSITIO VNICA.

Hæc diſtinctio Soti non probatur.

MOueor: quia inæqualitas boni de quo agitur, non videtur ſufficere, vt in vno caſu liceat patrocinari contra opinionem propriam; non autem in alio; ſed ſolum facere poteſt, vt ſi patrocinari non licet contra opinionem propriam. maius peccatum ſit hoc facere in cauſa ſanguinis, in qua agitur de maximo bono, quàm in alijs. Potius igitur vniuerſalitèr dicendum eſt, Aduocatum poſſe patrocinari pro qualibet parte, pro qua putat eſſe probabilem ſententiam, licèt ipſe credat alteram partem habere ius probabilius. Ita ſumo ex Angelo verbo Aduocatus, num. 17. Syluestro quæſt. 10. Armilla numer. 20. Antonino 2. par. tit. 1. c. 19. §. octauo. Ratio me mouens eſt: quia officium Aduocati non eſt rem definire, ſed ſyncerè proponere fundamenta, quæ faueant parti, pro qua patrocinatur, vt Iudex videat qua ſit probabilior: fortaſſis enim ipſius opinio, cuius arbitrio res eſt definiēda erit in fauorem illius partis, quàm Aduocatus arbitratur minus probabilem. Duo tamen ſunt obſeruanda ab ipſo Aduocato. Primum: vt poſt diligentem conſiderationem proponat parti probabilitatem, quam ipſe putat eſſe in ſua cauſa; vt ille videat: an expediat litem mouere, vel quærere alium Aduocatum. Secundùm eſt: vt minime ſuſcipiat patrocinium rei, quæ per ſe non habet probabilem ſententiam, iuxtà quam Iudex ſine iniuſtitia poſſit ferre ſententiam pro illa parte.

De Conſulente verò nonnuli abſolutè reſpondent licitum eſſe reſpondere ſecundum propriam ſententiam, quæ exiſtimatur probabilior, vel ſecundum ſententiam contrariam, ſi is, qui dat conſilium, probabilem illam putet. Quando enim à Doctoribus petitur conſilium, non tàm quæritur, quæ ſit aliorum ſententia, ſed quæ ipſius propter eius doctrinā vel boni nominis exiſtimationem aliquis deſiderat ipſius opinione gubernari. Mentiretur ergò doctor, qui reſponderet aliquid fieri poſſe ſolum, quia ſcit eſſe contrariam ſententiam probabilem, cum tamen ipſe exiſtimet oppoſitum eſſe probabilius. Quæ ratio ex hoc iudicio confirmatur, nam ſi Doctori ſine alia declaratione integrum eſt hoc, vel illo modo reſpondere ſecundum propriam, aut alterius ſententiam, poſſet amicis reſpondere, illos non teneri ad reſtitutionem, quando eſt probabilis ſententia, quod non teneatur; etiamſi ipſe contrarium exiſtimet; alij verò, quos ipſe exiſtimat non teneri, poſſet reſpondere, teneri, videlicet, vt reſtitutio cadat in commodū ſuorum amicorum; in qua diſſimilitudine reſpondendi, per ſe apparet inordinatio, & vt ego arbitror culpa iniuſtitiæ.

Igitur alio modo reſpondere debet explicando quidem ſententiam ſuam, vt ſuam, vel ſi nolit ſuam detegere aſſerendo eſſe aliquorum Doctorum ſententiam probabilem, teneri, aut non teneri: ita tamen, vt is, qui petit conſilium non decipiatur, recipiendo, vt ſententiam eius à quo petitur conſilium, quare ipſa ſententia ipſius non eſt, ſed probabilis aliorum. In rebus autem, quæ ad iuſtitiam v. g. ad reſtitutionem pertinent, in quibus fit, vt res vnius alteri vendatur, eſt magis neceſſarium, quod diximus, ne is, qui petit conſilium reſtituat contra ſuam voluntatem ex ignorantia, quod non poſſit ſine periculo ceſſare à reſtitutione. In his enim rebus longè præſtantius eſt, quandò doctor, non eſt certus de aliqua parte, & videt ſententiam contrariam eſſe probabilem, ſecundum quam licet operari. Vnus eſt caſus: quando opinio Doctoris eſt valdè ſingularis, & nollet eam manifeſtare, ne haberetur temerarius in opinando, in quo poſſet

Digitized by Google

ſet iuxta communiorem ſententiam reſpõdere: & ſine declaratione ſuæ ſententiæ: nec enim tenetur cum tali diſpendio reſpondere, explicando ſuam ſententiam; nec debet ceſſare à reſponſione, propter ſuam opinionem ſingularem; habet enim cauſam rationabilem reſpondendi ſecundùm communem ſententiam, ſi arbitretur eam eſſe probabilem, nec ſuam eſſe certam, & euidentem.

DISCVRSVS DE MEDICIS.

SOLET eſſe quæſtio: An poſſit ſequi in medendo quamlibet opinionem probabilem: & res eſt certa non poſſe relinquere certam ſententiam ſine periculo infirmi, ſi illam ſcit; nec probabiliorem, minus periculoſam, penſatis omnibus; ſin minùs iniuſtè medicum agere, nec ſatis proſpicere ſaluti infirmi alitèr medendo. Qui quidem caſus notandus eſt pro multis alijs: nam licèt vbi eſt delectus opinioni ſolum ad declinandum peccatũ, ſatis ſit eligere opinionem probabilem; tamen quando fit propter vtilitatem alteram v.g. propter ſalutem infirmi, vel alterius proximi, non ſatis eſt probabilitas, quando eſt tutior, & certior alia via. Nam licèt probabilitas, quamuis fortaſſe coniungatur cum falſitate, ſufficiat, vt in re tollatur peccatum, & periculum animæ actuale: tamen nihil efficit, vt medicina proſit, ſi opinio eſt falſa, etiamſi ſit probabiliſſima: & ideò non ſatis eſt eligere medicinam, de cuius vtilitate eſt probabilior ſententia, relinquendo aliam, quæ ſit certa. Hac ratione in adminiſtratione Sacramentorum, v.g. Baptiſmi, licèt opinio ſit probabilis, eſse validum baptiſmum collatum in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati: non tamen (vt ſupra adnotauimus) propterea licitum erit ſub prædicta forma baptiſmum conferre; non ſolum propter conſuetudinem Eccleſiæ conferendi alio modo, quæ in tali re vim habet præcepti; ſed etiam ratione obligationis charitatis, quæ reſpicit vtilitatem eius, cui confertur Sacramentum: hic enim nullam vtilitatem poteſt recipere ex ſola probabilitate, ſine veritate Sacramenti: Et ideò obligatio eſt miniſtrandi Sacramentum ſine periculo vtilitatis. Iſta doctrina eſt valdè notanda, quoniam longè alia ratio eſt, quando ſolum agitur de opinionibus tantum propter honeſtum operatis, atq; cum agitur de eodem opinionum delectu propter aliam vtilitatem.

DISCVRSVS DE CONSCIENTIA DVBIA.

AD cuius ſagaciorem intellectum, moneo primo ex Scoto in 3.d.39. dubium dici quando ſuſpendis iudicium neutri parti aſſentiendo. Eſt ergò conſcientia dubia, quæ ob rationes vtrinq; æqualitèr mouentis, non inclinamur magis in vnam, quàm in alteram partem. Quare conſcientia dubia mediat inter cõſcientias rectam, & erroneam. Cum enim conſcientia ſit iudicium quodam rationis de agendo, vel non agendo; fieri poteſt, vt aliquis non habeat hoc determinatum iudicium, ſed indeterminatum, propter rationes vtrinque paritèr probabiles. Differt ergò dubium à fide; opinione, & ſcrupulo. Fides dicit determinatum aſſenſum ad vnã partem cum certitudine ſaltem humana. Opinio dicit determinatum aſſenſum ad vnam partem, ſed cum formidine oppoſitæ partis. Scrupulus dicit aliquod leue motiuum, aut rationem contra intellectum iam ad vnam partem determinatam, quàm non reuocat in dubium, ſiuè quia id fieri non poſſit cum ſit de re præterita, licèt dubitationem faciat, an res geſta ſit, vel non: licet motiuum ſit debile, moleſtat tamen animam, nec permittit animum ſine vlla excitatione aſſentiri. Differt à ſcientia: quod hæc ſit certa ſine vlla formidine.

Moneo ſecundo: Conſcientiam dubiam poſſe eſſe duplicem. Vnam vniuerſalem, & quaſi ſpeculatiuam; alteram particularem, & practicam. Hæc eſt ea, quæ omnibus circumſtantijs conſideratis adhuc manet dubia, an bonum ſit, vel malum id, quod

Digitized by Google

quod eſt agendum: an teneamur, vel non teneamur illud agere. Conſcientia vniuerſalis eſt, ex qua oritur dubitatio practica, & poteſt naſci ex multis capitibus, quæ ad duo principia reuocantur. Primum eſt ex ignorantia iuris, quod varijs modis accidere poteſt. Primo: Si ignoretur an aliquis contractus ſit licitus, nec ne. Secundò; Si notum ſit aliquid eſſe malum, dubitatio tamen ſit: an poſitis quibuſdam conditionibus ſit licitum, nec ne: vt ſi quis ſciat mendacium eſſe malum, dubitat tamen; an pro ſalute totius Reipubl. liceat mentiri. Tertiò: Si non ſolum dubitet, an liceat, ſed etiam an teneatur aliquo præcepto: vt ſi v.g. aliquis dubitet, an teneatur præcepto ad mentiendum, vt ſaluet vitam alicuius, animamq; ſimul. Quartò ſi ſit dubium inter duo præcepta, quæ ſimul videntur concurrere, & obligare, v.g. ſi quis dubitet: an audiendum ſit ſacrum, an verò ſubueniendum ægroto, qui eſt in interna neceſſitate.

Moneo tertio. Dubium aliquando tantum eſſe ſpeculatiuum, & aliquando practicum. Primum, vocari poteſt, quod eſt de re, quæ nudè, & abſtractè concipitur, auulſa ſcilicèt à circumſtantijs, ſeu conditionibus hic, & nunc, & operatione v.g. an hic ſit meus maritus. Practicus aſſenſus dicitur quando intellectus perpendit rem cum circumſtantijs in actionem præſentem concurrentibus, vt quamuis eſſet ſpeculatiuè dubium: an huic viro ſit reddendum debitum, tamen perpenſis circumſtantijs poſſeſſione, & periculo damnorum, dicitur iudicium practicum, quod huic exigenti hic, & nunc reddendum ſit debitum. Aduertendum maximè eſt regulam propriæ voluntatis, & honeſtæ operationis eſſe conſcientiam hanc practicam, ſeù practicè certam, aut iudicium practicum: non enim ſunt neceſſariò connexa, & conformia inter ſe hæc iudicia; ſed poteſt eſſe certum practicum non obſtante iudicio ſpeculatiuo dubio: vt patet in exẽplo allato; ratio huius regulæ ſumitur ex ipſa naturali hominis inclinatione: quia ſæpè eſt illi impoſſibile adiudicare quid in re verum ſit, cum tamen illi, ſæpè ſit moralitèr neceſſarium operari: ergò oportet, vt practicè ſaltim poſſit ad opus determinari.

Moneo quartò. Cum agitur an actio ſit licita, vel honeſta, expendi debere eius conformitatem, vel maximè ad hoc iudicium practicum, & quod ad rem præſentem ſpectat: an iudicium practicum ſit certum, vel dubium: quamuis enim iudicium ſpeculatiuum ſit dubium, tamen ſi iudicium practicum ſit certum, & ex varijs principijs elicitum; hoc ſatis eſt ad honeſtè operandum ex cap. Dominus de ſecũdis nuptijs, & cap. Inquiſitioni. Sicut è contrario, quando eſt dubitatio in iudicio practico, quidquid ſit de ratione ſpeculatiua, non poteſt conſcientia ſic dubia honeſtè, & rectè operari. Ratio eſt: quia hęc dubitatio excludit certitudinem practicam de honeſtate actionis, quæ tamen certitudo neceſſaria eſt ad bonitatem actionis: nam qui ſic dubitat, an actio ſit bona, vel mala, & non timet malitiam actionis temerè, & imprudentèr operatur, vt omnes recentiores affirmant.

Moneo quinto. Teneri aliquando hominem deponere conſcientiam. Hinc ponderandum non rectè aſſeruiſſe Caietanum prima ſecundæ q.19.art.5. poſſe hominem ad libitum deponere, vel mutare conſcientiam: quippè adhuc maneret temeritas operantis ſi abſq; motiuo id faceret: & proindè etiam non ſufficit certitudo, quæ eſt ex parte ſubiecti tantum, quæ potius temeritas, aut pertinacia dicitur: quia excedit proportionem medij ex voluntaria adhæſione. Debet ergò fieri hæc mutatio per ſufficientia principia practica, quæ prudentèr ſuadeant hic, & nunc licitè poſſe hominem non operari iuxta tale iudicium ſpeculatiuum. Principia autem iſta ſunt diligens inquiſitio, vrgens neceſſitas operandi, conditio poſſidentis, bona fides in perplexo, operatio ipſa ex defectu alterius medij, & ſimilia. His ſtantibus veritates ſpectantes ad conſcientiam dubiam, dabunt quæ ſequuntur Propoſitiones. Sit igitur.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

Vt voluntas ſit bona, oportet intellectum non eſſe practicè dubium, ſed debet determinatè iudicare hic eſt nunc eſſe agendum.

EST communis. Ita docent Angelus verbo dubium num. 1. Silueſter q. 2. Armilla num. ſecundo, Adrianus quol. 2. puncto 2. Nauarrus in cap. Si quis de pœnit. Corduba lib. 3. q. 5. & alij quamplurimi; & definitum eſt in cap. ad audientiam: & cap. Significaſti, & cap. Iuuenis de ſponſalibus, vbi traditur illa regula iuris: in dubijs tutior pars eſt eligenda; & ideò colligitur illum, qui dubitat an fuerit homicida debere ſe habere irregularem, niſi tollatur dubitatio. Colligitur etiam ex verbis Pauli Rom. 14. Quod autem non eſt ex fide, peccatum eſt: vbi vt ſæpiùs notauimus, agit de obligatione operandi ſecundùm credulitatem, & exiſtimationem conſcientiæ; non autem dixit ſolùm contrariè: quod eſt contra fidem, eſſe peccatum, ſed contradictoriè, ſcilicet, quod non eſt ex fide eſſe peccatum. Ratio eſt manifeſta; quia qui operatur cum dubio; an ipſius operatio ſit honeſta ſine dictamine, quod ſibi liceat, manifeſtè operatur cũ periculo faciendi illicitum: quòd conſtat eſſe irrationabile: Si enim quis cum dubio faceret id, de quo dubitetur: an ſit in damnum, vel contra voluntatem amici, planè violat legem amicitiæ: ergo qui operatur cum dubio ad aliquid, ſit peccatum, & cõtra Dei voluntatem cenſendus eſt violare legem amicitiæ Dei. Sicut autem diximus illum, qui in vniuerſali iudicat aliquid eſſe malum, non poſſe iudicare illud eſſe honeſtum in particulari, niſi mutando aliquã circumſtantiam ex parte ſubiecti, de quo iudicatur; ita nunc dicimus illum, qui dubitat in vniuerſali, ſeruatis iiſdem circumſtantijs ex parte ſubiecti non poſſe dubitare de caſu particulari. Cæterum ſicut contingit ſpeculatiuè iudicare aliquid eſſe prohibitum cum iudicio, quod ſuppoſita probabili opinione aliorum hic, & nunc poſſit licere: quoniam circumſtantia illa opinionis aliorum additur in ſubiecto ſecundi iudicij, quæ non ponebatur in propoſitione ſpeculatiua: ita contingere poteſt, vt quis dubitet de re conſiderata ſecundum ſe, ſine reſpectu ad opiniones probabiles; iudicet tamen illam non ſolum in ſingulari, ſed in vniuerſali, ſuppoſita tali ſententia, eſſe licitam: quod ſufficiet ad honeſtè operandum: propterea diximus illum operari malè, propter conſcientiam dubiam, qui penſatis omnibus etiam opinione extrinſecè probabili adhuc eſt dubius, an ſibi liceat operatio, de qua conſulat hîc, & nunc.

Petes. Quanta debet eſſe certitudo huius practicæ. Reſpondeo ſufficere certitudinem moralem; hoc eſt: vt ſit aſſenſus prudens, quo intellectus aſſentitur vni parti, etiam ſi aliqua formido maneat oppoſitę partis; quia id ſatis iudicatur ad tollendam dubitationem.

PROPOSITIO II.

Qui operatur cum hac dubitatione practica, peccat peccatò eiuſdem ſpeciei, cum eodem, quo dubitat.

VErbi gratia, ſi quis dubitet: an ſit ſacrilegium, peccat peccato ſacrilegij. Perpendenda tamen eſt qualitas dubij, vt cognoſcatur grauitas peccati. Legendus D. Thomas quol. 8. art. 13. Nauar. cap. Si quis autem; de pœnit. d. 7. Cõcludo, quod ſi dubites: an ſit furtum, quod facis, peccas contra iuſtitiam. Ratio eſt: quia te exponis pœnis periculo peccandi contra iuſtitiam.

PROPOSITIO III.

Quando quis practicè dubitat: an aliquid ſit licitum, & ex altera parte credit, vel opinatur, vel certò ſcit omitere illam actionem, vel aliam exercere, non eſſe malum; debet omittere illam actionem, de qua dubitat an ſit licita, vel ad illam exercendam teneatur, & agere id, quod ſcit licitè poſſe fieri:

VErbi gratia dubitat aliquis: an teneatur ad ieiunandum, & ſcit licitè poſſe

Digitized by Google

poſſe ieiunare, tenetur ieiunare. Similiter: iubet Prælatus ne aliquid agas: dubitas: an iure præcipiat, & ſcis obediendo non peccare: teneris obedire. Ita D. Thomas, Adrianus quol. 2. Nauar, cap. ſi quis autem de pœnitentia, d. 7. & in manuali cap. 26. num. 5. colligitur ex capite ſi quis autem de pœnitentia d. 7. & cap. ad audientiam de homicidio: & cap. Iuuenis de ſpõſalibus: & cap: ſignificaſti ſecundo de homicidio. Ratio autem eſt: quia ſi quis operetur cum iſta conſcientia dubia ſe exponit periculo peccandi, quod fieri prudentèr haud poteſt, cum habet aliam vim euadendi, & hoc docet regula illa iuris: in dubijs tutior pars eſt eligenda. Colligitur ex Scoto in 4. d. 3. quæſt. 2. §. de quanto. Moneo tamen Concluſionem intelligi quando vrget neceſſitas operandi alterutrum, & nec propria, nec aliena induſtria neutrum deponi poteſt. Iſto in caſu, cum vtrumquè vitare nequeat, quod minus peccatum eſt, ſine peccato committis. Ratio aſſertionis ſit: quia non eſt admittenda perplexitas, & culpa, caret qui facit bonũ, quod poteſt. Dices: facit ſcientèr malum: ergò peccat. Reſpondetur: non peccare qui facit id, quo melius facere nequit: & licèt occurrat ratio mali, tamen ſub aliqua ratione oſtenditur pro qualitate rei, & circumſtantiarum ſecundum aliquam probabilem apparentiã ita vt operans aliquo modo concipiat ſibi licere id, quod melius eſt facere.

PORPOISTIO IV.

Quando aliquis eſt ita dubius, vt quidquid agat, dubitet, an ſit peccatum: v. g. ſi Prælatus iubeat ne dent panem ei, de quo dubito, an ſit in extrema neceſſitate, aut ſi dubitem: an id, quod præcepit, ſit contra legem Dei?

PRimo debeo vel aliorum conſilio (ſi poſſum) vel permetipſum procurare expellere dubium, & habere veram cõtritionem rei agendæ. Quod ſi non poſſum eo modo, vel per meipſum, vel per alios, conſiderare debeo, quod ſit minus malum, pro qua parte ſunt leuiores rationes, quæ faciunt rem dubiam, & eligere id, quod omnibus penſatis videtur minus malum: ſic enim non peccatur, teſte Auguſtino de mendacio cap. 18. ita dicente: peccata eſſe deſinunt, quæ propter grauia vitanda ſuſcipiuntur. Ratio eſt: quia quando voluntas eligit minus malum, non manet conſcientia dubia practica, ſed ſe determinat ad vnam partem; & quamuis ſpeculatiuè dubitet an ſit malum in præſenti, tamẽ abſolutè iudicat eligendum eſſe. In iſto iudicio ſi error eſt dicendus inculpabilis: poteſt autem voluntas ex ignorantia inculpabili eligere ſine illo peccato id, quod alioquin foret malum. Hinc fit clarum, quod ſi non faceret quantum in ſe eſt, vt dubium expelleretur eligendo minus malum peccaret: quia illud non eligeret ex ignorantia inuincibili.

Sit ratio probans noſtram Propoſitionẽ: quia actio, quæ fit ex prudenti iudicio, non eſt peccatum: at tunc conſideratis omnibus circumſtantijs, prudenter iudicat eligendum eſſe minus malum; cum nihil melius fieri poſſit: ergò &c. Secundo: quia ideo actio eſt mala, quia non eſt conſona rectæ rationi; at in illo caſu eligere minus malum, conſonum eſt rectæ rationi ergò: Tertio: quia illud malũ non eligitur tunc vt malum, ſed vt bonum: quippè quando occurrunt duo præcepta contraria de eadem re maius ligat, non minus: qui eligit minus malum, eligit id, quod iudicatur contra minus præceptum, quod poſitis his circumſtantijs non obligat: ergò &c. Quarto: quia nunquam debet eſſe homo ita perplexus: vt neceſſario ſit illi peccandum, ſi pro ſuo ſtatu, & conditione faciat quod in ſe eſt.

DISCVRSVS
DE SVBDITO.

An ſubditus contra propriam opinionem, & in dubio debeat parere ſuperiori?

VEritatem dabit ſtatim adferenda doctrina. Ad quam tutius ſciendum, ſibi nonnulla de Obedientia ſubditorum anteponenda iudicaui. Quocirca ſit.

Digitized by Google

PROPOSITIO VNICA.

Agitur de obedientia ſubditorum.

MOnemus primò; obedientiam variè definiri à Sanctis Patribus, & Doctoribus. Communior eſt iſta: Obedientia eſt ſpontaneum, & rationale propriæ voluntatis ſacrificium. Primum: de rebus exterioribus; & fit per votum paupertatis. Secundum: de proprio corpore: & fit per votum caſtitatis. Tertium; per oblationẽ ſpiritus, & propriæ voluntatis: & fit per votum obedientiæ. Sed.

Noto, Duplicem eſſe obedientiam. Vna eſt perfectionis; altera neceſſitatis. Perfectionis eſt illa; qua ſubditus in omnibus obedit, quæ non ſunt contra Deum. Neceſſitatis verò eſt; quæ terminis regulæ, & votorum coarceatur. S. Thomas diſtinguit obedientiam in materialem, & formalem. Illa importat executionem cuiuſcunquè actus virtutis, cadentis ſub præcepto: & hæc obedientia non eſt virtus ſpecialis, ſed generalis, complectens omnes virtutes: nam vt ſic omnis actus virtutis obligatorius, obedientia eſt. Sed obediẽtia formalis eſt habitus virtuoſus, inclinans voluntatem ſubditi ad exequendum mandatum prælati, vt mandatum eſt hac formali, & præciſa ratione; quia præceptum eſt: & vt ſic eſt virtus ſpecialis. Suppono, quod huiuſmodi virtus eſt neceſſaria tanquã mediũ ad finẽ cõſequẽdũ: ſine enim huiuſmodi virtute, nulla Religio, nullus ordo ſaluus conſiſtere poteſt. Patet ex fine: finis enim religioſorũ eſt, tẽdere ad perfectionẽ vt autẽ quis ad perfectionẽ tendat, oportet inſtrui, exercitari, & dirigi ad motum alterius, ſecundum cuius arbitrium inſtruitur & dirigitur vt perueniat ad finem: ergò naceſſarium eſt ſubdi per obedientię virtutem alicui inſtruenti, & mandanti. Patet etiam neceſſitas obedientiæ ex mala inclinatione voluntatis humanæ, quæ prona eſt ad malum, & ſine aliquo gubernaculo quaſi frenetica ſe præcipitem daret, & ſicut frenetico cuſtodia, & lex imponenda eſt; ſic humanæ voluntati per ſuperioris præcepta, & obedientiam.

Noto 2. Quod formale obiectum obedientiæ vt eſt virtus ſpecialis, eſt mandatum ſuperioris tacitum, vel expreſſum. Probatur; quia ſubditus ſuam tenetur conformare voluntatem cum voluntate prælati; ergò cum iſta fuerit nota, implicitè, vel èxplicite, obligabit religioſum ſubditum ad ſui executionem; ergò verſatur circa hoc, tanquam ſuum obiectum. Scito; quod huiuſmodi præceptum, quod eſt obiectum obedientiæ, ſemper obligat ſubditum ad aliquam culpam ſiue lethalem, ſiue venialẽ. Moneo tamen, quod de ratione obedientiæ neceſſe eſt vt ſuperior manifeſtet ſuam voluntàtem ſubdito expreſsè vel interpretatiuè; nec enim obligatur ſubditus, quãtum vis ſciat volunterem prælati eam exequi, niſi ſibi nota fiat, & intimatur. Patet; nã ſubditus non ſubditur prælati imperia, niſi externo, & quod humano more poteſt fieri manifeſtum: tunc enim non erit manifeſta humano more prælati voluntas, etiam ſi ſciat talem eſſe ſubditus: quia nec expreſſè, ſcilicet diſertis verbis, ſuam præceptiuam perexplicuit voluntatem: nec interpretatiue, ſcilicet per aliquod ſimplex verbũ, ſignum vel nutum. Nec Deo enim hoc modo tenemur obedire: nam quantumuis aliquis ſciret Dei voluntatem de faciendo, vel non, talem rem, niſi iniungat, vel prohibeat talem rem, non tenetur illam exequi. Hinc fit: quòd quando ſuperior rogat ſubditum vt faciat, vel ne aliquam rem; ſi non exequatur, non erit inobediens, dũmodo ad illud non tenetur ex diuino præcepto vel regulæ. Ratio eſt: quia preces non obligant preceptum ad obſequendum ex debito iuſtitiæ, ſed ex humanitate. Dices, Superioris preces ſunt præcepta, vt habet gloſſa in clementia 1. de teſtibus. Reſpondetur: quod ſunt præcepta humanitatis, & perfectionis, non autem neceſſitatis. Eodem modo dicendum ſi prælatus conſulat ſubditum ad aliquid faciendum, ſubditus non erit inobediens ſi non faciat: quia conſules non imperat, nec vult obligare obſeruantiam conſilij: tunc enim non eſſet differentia inter mandare, & conſulere.

Noto, 3. Quod omnis ſubditus tenetur obedire prælato: & ſi aliquis contemnat obedire; tunc ex contemptu dicitur peccare. Tum enim ex contemptu quis peccat, quando eius voluntas reſpuit ſubici ordinationi vel regulæ, ad faciendum contra

legem

Digitized by Google

legem vel regulam: ad peccandum enim ex contemptu non ſufficit facere contra præceptum regulæ, ſed requiritur voluntas refutans, & renuens ſubici legi, vel regulæ, ſeu prælato, qui dicitur lex animata; & ſic peccare ex cõtemptu etiam in re leui mortale eſt: nam peccare ex contemptu, eſt non ſolum tranſgredi præceptum, ſed nolle ſubici regulæ, & prælato; quod eſt directè contra votum profeſſionis, quod conſiſtit in ſubiectione regulæ, & ſuperioris: ergò quantumuis ſit leuis materia, ex reſiſtentia tamen, quia non vult ſimplicitèr, & abſolutè illi ſubici, leuius non eſt: & ideo mortalis. At ſcito: quod contemnere prçceptum ſimplicitèr, quia non vult ſubici vel obedire, mortale eſt; ſed contemnere ſecundum quid, id eſt, ſecundum hic, & nunc, & in re leui, veniale eſt, quia tunc non contemnit ſimplicitèr, ſed occaſione aliqua tum occurrente; vt ſi prælatus dicat claude oſtium, & ego nolo, ſecundum hic, & nunc non pecco mortalitèr: nam re uera nõ contemno ſuperiorem, vt præcipientem, & à Deo auctoritatem habentem: ſed præceptum contemno, quod cum ſit in re leui, veniale eſt. Scito vlterius ſubditum non teneri obedire Superiori prçcipiẽti aliquid contra præceptum alterius ſuperioris altioris ordinis, puta Dei, Eccleſiæ, vel Prælati dignoris, & potentis ordinare. Res iſta eſt clara apud omnes. Hinc fit Subditum non teneri ad reuelandum crimen occultum fratris ſui, mandante Superiore: vel dicere mendacium iocoſum vel officioſum: cum ex natura ſua ſint prçcepta altioris ordinis. Nec tenetur Subditus obedire in his quæ ſunt, & faciunt vel pertinent ad materiam corporis; ne videlicet comedat, vel bibat, vel medicamentũ accipiat: quia in natura omnes ſumus pares, nec vnus alteri ſubijcitur: hinc ſubditus iuſſus ſe nudare, non tenetur obedire: quia contra virtutem honeſtatis. Nec quod abſtineat à comeſtione carnis (ſi liceat) dummodo non ſit in pœnam: & his ſimilia. Nec ſubditus tenetur obedire Prælato præcipiẽnti aliquid circa actus merè internos: nam de his, quæ homo iudicare non poteſt, legẽ facere nequit; ſed actus interni non ſubſunt humano iudicio: ergò.

Nota tamen hoc verum eſſe de actibus mere internis: quia de his qui coniuncti onem habent cum actibus externis, poteſt præcipere: vt v.g. recitare horas canonicas eſt actus externus, ſed requiritur actus internus, nempè attentio, & intentio, hæc licitè poſſunt præcipi à Superiore quamuis interna, quia habent connexionem cum externis. Hinc deducitur, quod ſi quis oret vel celebret pro aliquo, tenetur habere intentionem applicandi illi, pro quo ſuperior mandat applicare: nam non præcipit de actu interiori, niſi quatenus coniunctus eſt cũ exteriori actu celebrationis, vel orationis vocalis. Sed nota: quod ſi aliquis vouiſſet in aliquo ordine ſe obedire Prælatis etiã in actibus internis: puta circa orationẽ: mẽtalẽ, tũ Subditus tenetur obedire, & Prælatus poteſt rectè iniungere: nam ſicut aliquis poteſt rectè vouere actum internum: puta orationem mentalem, ſic etiam poteſt vouere ſub conditione, quòd ſi Prælatus ſibi iniungeret obedire &c.

Eſt difficultas non leuius: An Sacerdos applicans Sacrificium contra voluntatem Superioris, peccat mortaliter? & cui proſit: An ei, cui applicatur à Sacerdote, vel cui applicatur à Prælato? Puto Sacerdotem, peccare mortalitèr, ſacrificium tamen valore pro eo, cui applicatur à Sacerdote.

Nota 4. Duplicem eſſe inobedientiam: formalem vnam: materialem alteram. Formalis inobediantia eſt, quando ſubditus non vult obedire ne obediat; id eſt; ex eo principalitèr, quia iubetur: & hæc ſemper includit contemptum, & iudicandum eſt, ſicut diximus ſupra de contemptu, eſtquẽ ſemper mortalis culpa. Inobedientia materialis eſt illa, qua ſubditus non eo, non vult obedire ne obediat, ſed vel ex negligentia, ira, moleſtia, ignorantia, triſtitia &c. & de hac iudicandum eſt iuxta materiam præceptum, ſi enim eſt grauis, grauis eſt culpa, ſi leuis, leuis.

Non ordinaria, quinimo magna eſt difficultas. An Subditus teneatur obedire Prælato dubitans, quod præcipitur eſſe cõtra Deum, vel Eccleſiam, vel regulam.

Vt reſpondeamus moneo, quod dubium poteſt eſſe practicum, & ſpeculatiuum: hoc eſt in communi dubitare de re præcepta, an ſit licita vel illicita. Dubitare verò practicè, eſt dubitare hic, & nunc an res ſit licita, vel illicita, vel ſit parendum, vel

Digitized by Google

non,ſtante tali dubio hic, & nunc. Sciendum etiam, quòd dubium poteſt oriri, vel ex parte præcepti ſolum, dubitando an ſit vel non illa res ſub præcepto, ſciens tamen eſſe honeſtam, & ſuperiorem habere poteſtatem præcipiendi. Vel poteſt oriri ex parte rei præceptæ, an ſit contra Deum, Eccleſiam, vel regulam. Vel poteſt oriri ex parte Prælati, dubitando de eius auctoritate, an ſit legitima &c. Tunc ſic: ſi ſubditus: an ſit poſitum aliquod præceptum, vel ne, de faciendo, vel non faciendo aliquam rem, quod præceptũ obliget ad mortale, & facta ſufficienti diligentia, adhuc dubitat de tali præcepto; manet obligatus ad obſeruantiam illius præcepti. Probatur: quia in dubijs tutior pars eſt eligenda, ex capite ad audientiam; ſed tutius eſt poſitum eſſe tale præceptum, cum ſit honeſtũ, & æquum: ergò ſubditus tenetur ad eius obſeruantiam. Item in dubijs; an res præcepta, & iuſſa à Prælato ſit licita nec ne, ſubditus tenetur obedire Prælato; dummodo res iuſſa nõ ſit ex illis, in quibus ignorantia non excuſat, vt ſunt articuli fidei &c. Petet ex cap. 11. Quid ergò quæſt. 3. vbi dicitur: quod in dubijs ſuperiori eſt parendum, loquẽdo de dubio ſpeculatiuo: nam cum dubio practico non tenetur obedire: quia eſt contra dictamen conſcientiæ practicæ, quod nullo caſu eſt licitum: Verum tamen eſſe, quod accedent mandato Superioris, tale dubium practicum eſt deponendum: quia tum procederet à conſcientia erronea. Hinc colligitur, quod quando infirmus dubius eſt: an teneatur ieiunare, vel recitare officium; tenetur obedire prælato præcipienti non ieiunare, vel non recitare.

Item dico: Quod quando dubitat Subditus, vel ſcit id, quod præcipitur eſſe peccatum, & certus eſt non peccare non obediendo: quia res quæ præcipitur, excedit limites poteſtatis Prælati, & dubium ſit practicum, ſiue ſpeculatium; non tenetur Subditus obedire. Dat exemplum noſter Pater Rodriquez: ſi Prelatus iubeat vt Subditus accipiat pecuniam in regula Minorũ, dubitans Subditus, ſiue practicè, ſiue ſpeculatiuè peccare mortalitèr accipiendo: eo quod Prælatus in hoc diſpenſare non poteſt, quia excedit ſuam poteſtatem: non tenetur Subditus accipere, & accipiendo lethalitèr peccat. Probatur: quia nullum Superioris mandatum eximit hominem ab obſeruantia iuris diuini, vel naturalis: ſed agere contra conſcientiam valdè dubiam peccati lethalis, ex lege diuina, eſt prohibitum; ergò &c. ſemper enim maius bonũ, & minus malum eſt eligendum; ſed in caſu maius bonum eſt facere illud, quod ſcitur eſſe bonum, quàm illud de quo dubitatur valdè an ſit malum: ergò. Item quando conſtat rem impoſitam eſſe licitam, & tamen dubitat ſubditus, an excedat limites auctoritatis Prælati, tunc parere tenetur. Probatur: quia in dubijs tutior pars eſt eligenda. Tandem dic in iſta materia: quòd ſi Subditus dubitat de auctoritate Prælati, & tamen Prælatus ſit in pacifica poſſeſſione, & licita præcipiat, non excedentia limites ſuæ poteſtatis, obedire tenetur: ſecus ſi non eſſet in pacifica poſſeſſione: quia tunc nullam iuriſdictionem haberet, nec in re, nec ad rem.

Reſpondetur ad principale quæſitum.

HVnc ad rem noſtram. An Subditus teneatur contra propriam opiuionẽ & in dubio obedire Superiori. Videlicet: quando Superior præcipit iuxta opinionẽ probabilem, ſubditum debere obedire ſuperiori, etiamſi ipſe arbitretur ſuam opinionem, quæ eſt probabilior docere oppoſitum. Reſpondemus affirmatiuè. Ratio eſt: quia vt ſupra notauimus, licitum eſt operari ſequendo opinionem probabilem contra propriam opinionem: ergò ſubdito licitum eſt ſimili modo obedire. Si autem poteſt obedire, ſine dubio, ſuperior poteſt talem opinionem honeſtam conſtituere in materia neceſſaria, & illam præcipere: ergò poſt præceptum ſubditus nõ ſolum poteſt, ſed etiam debet obedire Superiori præcipienti ſecundum opinionem probabilem. Quod intelligendum eſt quando opinio probabilis non eſt de electione, & poteſtate Superioris: quando enim eſt probabilis opinio, quòd aliquis non ſit Superior (dũmodo non ſit in pacifica poſſeſſione) Subditus honeſtè poteſt non obedire. Nec verò Subditus obediens contra propriam opinionem, operabitur contra propriam conſcientiam: nam poſt præceptum habere poteſt, & debet præcedens dictamen; quod

licet

Digitized by Google

licèt probabilius ſit ſpeculatiuè loquendo id, quod illi præcipitur eſſe malum, liceat tamen operari iuxta ſententiam probabilẽ contrariam.

Oppoſitum huius opinatur Adrianus quol. 2. puncto 3. quoniã vniuerſalitèr docuerat nullum poſſe agere contra propriã opinionem, quod iam ſupra refutauimus. Illud quidem etiam docuerat Corduba libro 2. quæſt. 3. dicit tamen ſubditum propterea debere obedire contra propriam opinionem, quia tutius eſt obedire: nam maius periculum eſſet inobedientia. Iſta tamen ratio in nonnullis caſibus deficeret, in quibus non obedire, non eſſet tantum peccatum, quantum eſſet periculum alterius maioris peccati, quod Subditus opinatur probabilitèr eſſe in operatione, quã Superior præcepit ſequendo opinionem contrariam.

Circa alteram partem de Subdito dubitante, ſit, aut non ſit honeſtũ id, quod præcipitur a Superiore. Adrianus quol. 2. pũcto 2. ad ſecundum: abſolutè docet: nullum inferiorem debere obedire in dubio: quia operaretur cum conſcientia dubia. Quod quidem in ſenſu (vt dicunt) compoſito: id eſt; manente dubio etiam poſt præceptum, verum eſt: quia nullus poteſt honeſtè operari ſine dictamine, quod ipſi liceat operatio.

Abſolutè tamen aſſerendum eſt: Subditum debere deponere dubium, & operari obediendo Superiori, qui communitèr iudicetur prudens, & doctus. Ita docet Silueſter Verbo: Bellum, art. 1. concluſ. 4. & cum ipſo Angelus verbo: obedientia num. 6. Bonauentura in 2. d. 39. art. 1. qu. 3. Sotus in opuſculo de tegendo ſecreto mẽbro 3. quæſt. 2. Pallud. in 2. d. 39. quæſt. 4. num. 7. & ſumitur ex doctoribus qui aſſerunt: Subditos, Regis deberi ex præcepto Regis ire ad bellum, ſi non conſtet de iniuſtitia belli. Victoria in re electione de iure belli à num. 30. Corduba lib. 3. qu. 8. & eſt aperta ſententia Auguſtini libro 22. contra Fauſtum cap. 74. & refertur can. Qui culpatur: aſſerit enim virum iuſtum etiam ſubditum Regis ſacrilegi, illo iubẽte, poſſe rectè bellare, ſi conſtet id, quod iubetur non eſſe contra Dei præceptum, vel certum non eſt, verum ſit, itaut licèt fortaſsè reum faciat Regem iniquitas operandi, innocentem tamen militem oſtendat ordo ſeruiendi. In quibus verbis optima eſt reſolutio pro noſtra opinione, videlicet ordinem ſeruandi, poſtulare vt obediatur, quando non eſt certũ eſſe contra Dei præceptum id, quod præcipitur.

Et quidem quando aliquis eſt Subditus, ſicut ſeruus, qui ex iuſtitia tenetur obedire: vna ratio eſſe poteſt: quia conditio poſſidentis damni, facit, quod in pari cauſa ipſe præferatur. Deinde: quoniam peccatum iniuſtitiæ, cuius eſt periculum ſi taliter ſeruus non obediat ſæpius eſt maius, quã peccatũ de quo ſeruus dubitat ſi obediat & ideo tutior in illo pars eſt obedire, in qua eſt periculũ materiale minoris peccati: ideoquè ratione talis circumſtantiæ fit honeſtum. Vniuerſalitèr vero ratio eſt; quæ etiam vrget in ſubditis, quando vocantur ad bellum de cuius iniuſtitia certum non eſt; quoniam inferior, quamuis dubitet honeſtate operationis ante præceptum, tamen poſt præceptum ſi facto examine veritas non cognoſcatur, auctoritate prudentis Superioris poteſt dubium deponi, aut ſaltem poteſt formari dictamen rectum, quod ſibi ſubdito poſt præceptum latum quod certò cognoſcit, eſſe licitum hic, & nunc obedire; quod ſatis eſt ad honeſtam operationem; ac proindè vt teneatur obedire, quia Subditus poſt præceptũ, ſi poteſt honeſtè operari, tenetur; quippè Superior poteſt in materia neceſſaria conſtituere quod honeſtè fieri poteſt. Si autem conſtaret Superiorem cum eodem dubio præcipere; an ſit honeſtum, & an ſibi liceat præcipere; arbitrior, quod ſicut Superior non poſſet præcipere, ita nec inferior tenetur obedire; quoniam ſuperior non habet auctoritate talitèr præcipiendi. Quãdo autem hoc non conſtat, iudicandum eſt pro Superiore, arbitrando illum iudicare eſſe honeſtum id quod præcipit, & ideo illi obediendum, quando Subditus certus non eſt de malitia operis præcepti, quod Superior præcipit tanquàm honeſtum.

DI-

DISPVTATIO VIII.

De quantitate doloris ad validitatem veræ contritionis requiſita, vbi de cęteris ad eiuſdem valorem neceſſarijs etiam agitur.

Qvadruplicem quantitatem poſſe conſiderari in contritione, docent cuncti Theologi. Prima eſt quantitas, quæ à Theologis vocatur appretiatiua, quæ conſiſtit in quadam comparatione duorum dolorũ, aut plurium, qua vnus dolor cum altero collato, dicitur illo maior: propterea, quod quoties datur nobis optio, vel fit comparatio, vel inſtat obligatio præcepti, vnum habemus altero poſthabito: v.g. dolet quis de morte filij, parentum, vxoris, vel de quocunquè alio malo pœnæ etiam grauiſſimæ: dolet etiam de peccato commiſſo: horum dolorem, tum ille, qui eſt de peccato, eſt maior appretiatiuè in eo homine; quando facta comparatione, vel data opinione, vel vrgente obligatione præcepti pœnitentiæ, dolorem de peccato habet, quamuis alterum dolorem deponat. Quotieſcunquè ergò ex duobus doloribus de malis, vnum retinemus, alterum reponimus facta comparatione, vel data optione, ille, quem retinemus eſt appretiatiuè maior. Secunda maior quantitas vocatur extenſiua, & deſumitur à duratione temporis. Tertia intenſiua, ita vt ſit maior, aut minor, quo plures partes, aut gradus intenſionales habuerit. Quarta dicitur maior obiectiuè ex eo, quod plura, vel pauciora peccata deteſtetur. His ſtantibus: veritatem docebunt quæ inſequuntur Propoſitiones. Quarum ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Non requiritur certa temporis duratio ad perfectam contritionem.

Communitèr citatur Scotus in 4. d. 14. quæſt. 2. art. 2. §. de ſecundo principali, O. quaſi docuerit contritionem non eſſe vltimam præparationem ad gratiam, niſi duret ad certam temporis moram ſoli Deo cognitam. Falſo tamen citatur Scotus pro hac ſententia: nam in 4. d. 20. §. ad argumenta ſub F. ita legit: Nunc autem ad legem ſimplicitèr ordinatam pro ſtatu iſto naturæ lapſæ requiritur, quòd pœnitentia poſſit eſſe fructuoſa: & qua ratione in quocunquè inſtanti ſanitatis, pari ratione & in extremis &c. Hæc Scotus? His in verbis ponderandum Scotum docere contritionem de lege ordinaria poſſe eſſe pro quocunquè inſtanti ſanitatis. Hinc deduco; quod ſecundum Scotum minimè requiritur certa temporis mora ad contritionem, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem. Item Scotus in 4. d. 16. q. 1. §. Ad propoſitum ſub D. ita legit: iſte ergò actus qui eſt propria cauſa proxima triſtitiæ, dicitur contritio. Hic perpendendum, quòd Scotus vocans illum actum contritionem, nil dicit de neceſſitate durationis: ergò in doctrina Scoti minimè eſt neceſſaria temporis duratio.

Propoſitionem probo primò ratione aſſumpta ex doctrina, quæ eſt in littera Scoti in 4. d. 14. quæſt. 2. ſi ad contritionem foret neceſſarium aliquod tempus ante infuſionem gratiæ, ſequeretur quòd aliquis poſſet habere contritionem, & tamen minimè haberet gratiam. Sequela probatur: nam poſito caſu, quòd aliquis habens contritionem perfectam in genere moris, quæ debeat durare per horã, non continuet actum illum, quinimo intellectus, & voluntas conuertantur ad aliquod impertinens, vel diſtrahens (hoc tamen ſit ſine peccato) hic non iuſtificabitur, & tamen præceſſit contritio perfecta in genere moris; accedat aliud argumentum. Per actum deliberatum in momento quis poteſt auerti à Deo: ergò, & conuerti. Tum quia cum auxi-

auxilio Dei in momēto poteſt quiuis peccator facere, quod in ſe eſt ad obtinendam gratiam: ergò Deus illi non denegabit eandem. Tum quia in momento temporis, poteſt quis adimplere aliqua alia præcepta; vt dilectionem Dei, dilectionem inimicorum: ergò in momento temporis etiam præceptum Pœnitentiæ adimplere poteſt. Tum quia ex Concilio Viennenſi cap. firmitèr de Summa Trinitate, & fide Catholica habemus, lapſum poſt baptiſmū per veram pœnitentiam, poſſe ſemper reparari, ergò ſufficit momentanea pœnitentia; alioquin non ſemper poſſet reparari. Tum quia Ezechielis 18. & 33. dicitur: In quacumque die, in quacunque hora conuerſum peccatorem recipi à Deo. Idem autem valet in quacumque die, & in quacumque hora, ac in quocumque temporis momento: ſicut è contrario ibidem dicitur: In quocumque die iuſtus impietatem fecerit, iuſtitiæ eius non recordabuntur amplius: hoc eſt in quocumq; momento. Item Iſaiæ cap. 30. legitur: Cum ingemueris, tunc ſaluus erit translationem ſeptuaginta. Plura alia ex Scriptura, poſſunt videri apud noſtrum Patrem Vegam.

Quod ſi aliqui Doctores Scholaſtici, inter quos videtur eſſe Scotus d. 14. q. 2. art. 2. exigant certam temporis continuationem, vt peccatorum deteſtatio reponat hominem in gratia, vel exigant certam aliquam intentionem in actu. Exponantur ſicut eos exponit noſter Pater Vega libro 13. cap. 23. ſcilicèt, quod id non ſit ſimplicitèr neceſſarium; ſed regularitèr ita fieri: qua ratione etiam Caietanus in 3. par. q. 187. art. 1. explicat S. Thomam dicentem. Ad deteſtandum peccatum mortale requiri, vt peccator adhibeat diligentiam ad rememorandum ſingula, vt ſingula deteſtetur. Id intelligit Caiet. non de neceſſitate ſimplicitèr, ſed regularitèr. Eodem modo poſſumus nos dicere, Scolaſticos Doctores, noſtrumque Scotum non exigiſſe neceſſariò in pœnitente certam durationem, ita vt quantacumque minor, vel breuior non ſufficiat, vbi longior vita non fuerit, vel ita vires extenuatę non fuerint, vt maior, aut feruentior dolor haberi poſſit. Alia eſt ratio inter conſtitutum in articulo mortis, & extra illum: nam in priori caſu peccator facit, quod in ſe eſt, cui Deum denegare gratiam, non eſt credendum, ne nimiæ ſeueritatis Deum arguamus, neuè ponamus peccatorem extra ſtatum ſalutis. In poſteriori autem caſu cum peccator poſſit longiùs, & perfectiùs durare in dolore, ſi id non facit, non cenſetur facere, quod in ſe eſt, & ita regularitèr peccatum dimittitur per vehementem dolorem, & continuatum.

Reſpondemus ſecundò Scotum facere ſermonem de contritione conſiderata in ſuo fieri: non vero de ea inſpecta in facto eſſe. Ad intelligentiam moneo: quod actus contritionis poteſt duplicitèr contēplari, ſcilicèt in eſſe naturæ, & in eſſe moris. Conſideratur in eſſe naturæ quatenus contemplatur tantum in ſua ſubſtantia; vt ſcilicet procedit à principijs elicitus. Conſideratur in eſſe moris, pro quanto ille actus reſpicit circumſtantias, ſeu eſt circumſtantionatus debitis circumſtantijs. Moneo ſecundo actum contritionis contemplatum in eſſe moris, requirere præter bonitatem propriam ex motiuo intrinſeco, aliam etiam ex fine charitatis; requirit votum Sacramenti, & vitæ emendationem; ſupponit actum fidei, ſpei, amoris, &c. quę omnia fiunt in tempore: hinc vt habeatur contritio perfecta, ſcilicèt vt contritio ſit integralitèr perfecta, communitèr requiritur tempus.

Ad rem noſtram dico, Scotum tantum velle eſſe neceſſariam aliquām moram, ſeu durationem temporaneam ad contritionē, ſi iſta conſideretur in ſuo fieri; tamen in eo inſtanti, quo contritio eſt integrè producta ſecundum debitas circumſtantias, ſubitò ſequitur infuſio gratiæ, nec minima aliqua expectatur duratio temporanea. Dices Scotum docere attritionem informem continuatam, fieri contritionem: ergò ſecundum Scotum contritio expoſtulat durationem temporis. Reſpondemus Scotum non loqui de perfecta contritione ex proprio, & intrinſeco motiuo, ſeù complacentia diuinæ voluntatis; ſed de complacentia ſumpta in amplo vocabulo, quæ talis dicitur, quia eſt coniuncta cum ſtatu gratiæ, à quo accipit valorem, & dignitatem. Noſtra autem propoſitio intelligitur de contritione perfecta ex intrinſeco motiuo, & quæ eſt vltima diſpoſitio, ad quam infallibilitèr de lege ordinaria ſequitur

quitur

Digitized by Google

quitur ſanctificantis gratiæ infuſio.

Dices ad noſtra argumenta: illa tantum probare contritionem perfectam poſſe eſſe in inſtanti, non tamen requiri aliquam temporis moram, vt habeat in comitem gratiam ſanctificantem.

Contra: quod ſi eſſentialitèr eſſet requiſita talis duratio temporis, ſiue illud tempus ſit determinatum, ſiue indeterminatum, ſequitur, quod ſi quis in dimidio illius temporis ingemuerit, & conteratur, non ſaluabitur: & etiam, quod in illo tempore, non poſſet conuerti, cuius oppoſitum docent Patres Scrip. & Pontifices, docentes poſſe eſse conuerſionem in momẽto. Prætereà ſi contritio poteſt eſſe tota ſimul in inſtanti; ergò non præſupponit aliam contritionem naturalem eſſentialitèr, vel ſupernaturalem imperfectam; ac proindè ſequitur non requiri temporis durationem; alias quotieſcumque currit obligatio præcepti pœnitentiæ, teneretur quis ad habendam non ſolum contritionem, ſed etiam attritionem naturalem, vel ſupernalem informem: quod eſt abſurdum. Aliud argumentum deſumimus ex paritate aliarum virtutum, quæ in ſuis actibus, haud requirunt aliquam temporis durationem: ergò idem dicendum de contritione perfecta. Denique ſit aliud argumentum: Hoc non implicat ex parte Dei, qui præſtat auxilia; neque ex parte voluntatis, quæ cum auxilio poteſt elicere actus in inſtanti. Rurſus in inſtanti, in quo proponitur peccatum deteſtandum propter Deum finem naturalem, aut propter pœnas inferni, vel amiſſionem gloriæ, vel propter alia motiua inferiora, poteſt poni ad deteſtandum ex motiuo charitatis, ergò ex illo motiuo in inſtanti illo, poteſt elicere actum contritionis, & ſic non eſt neceſsarium, quòd præcedat ad contritionem actus motus imperfecti præter actus fidei, &c. qui vt dixi poſsunt eſse in inſtanti cum contritione.

PROPOSITIO II.

Dolor, ac deteſtatio peccati, ſeu contritio perfecta, non debet habere certam aliquam intentionem, ad hoc, vt remiſſionem, & iuſtificationem conſequatur; dummodò ſit ſuis circumſtantijs alijs perfecta.

ITA habet noſter Pater Vega libro 13. cap. 4. Nec oppoſitum docet Scotus in 4.d.15.q.1.art.4. G. vbi videtur exigere certam intenſionem in contritione. Reſpondemus enim Scotum ibi eſſe loquutũ de contritione ſatisfactoria; non autem reconciliante, de qua aimus minimè requirere certam intenſionem qualitatiuam. Petrus Sotus lectione 14. de pœnitentiæ Sacramento cenſet, debere eſſe dolorem maximum intenſiuè, non quidem abſolutè, ſed quando ſit comparatio inter ipſos dolores, aut inter mala, de quibus dolemus. Idem videntur ſignificare, Bonau. in 4. d.16.q.1. art.2. Riccardus in 4.d.17. art.1. ad tertium Durandi.

Noſtra tamen Propoſitio probatur primo; quia difficile eſt, & omnino ignotum, quo intenſionis gradu, vnus actus alterum ſuperet. Secundo: quia in cæteris virtutibus ſufficit ordo appretiatiuus. Tertiò, quia quemlibet actum charitatis, quamuis maximè remiſſum, ſatisfacimus præcepto diligendi Deum ſuper omnia, & meremur incrementum gratiæ, & gloriæ. Quartò. Quodlibet peccatum lethale quamuis maximè remiſſum, totam gratiam expellit: ergò contritio, quamuis remiſſa, ſufficit vt vltima præparatio ad gratiam recuperandam, & peccatum expellendum. Accedit quod iſte modus intenſionis eſt gratiæ iugum impoſitum hominibus ſine auctoritate Scripturæ, aut Conciliorum. Nam Concilium Trid. in 6. ſeſſione cap. 6. nuſquam meminit intenſionis, vbi de diſpoſitione hac loquitur, & tamen cum ibi tradatur de doctrina dogmatica, ſi talis gradus intenſionis exigeretur, non eſſet à Concilio prętermiſſus. Et ex Scriptura, & Patribus oppoſitum colligitur: nam Iſaiæ trigeſimo, iuxta editionem ſeptuaginta interpretum dicitur. Cum reuerſus ingemuerit

Digitized by Google

rit ſaluus eris; &c. Et Ezechielis 18. Sæpè promittit Deus indulgentiam illis, qui à peccato auertuntur: at qui deteſtatur peccatum, & dolet de eo, ex eo quod ſit offenſiuum Dei, verè auertitur à peccato; ergò talis actus ſufficit ad remiſſionem peccati. Sanctus Chriſoſtomus Epiſtola ad Lapſum: Et habetur in cap. talis de pœnitentia d. 3. dicit Quantalamcumque, & quamlibet breui tempore, non reſpicit pœnitentiam: Et infra ait: non patitur exiguæ etiam pœnitentiæ amitti mercedem.

Si dicatur: In Sacra Scriptura dolor ſummus exigitur de peccatis: Et idem à Patribus, Micheæ 4. Dolet ſatis quaſi parturiens. Deuteronomij 4. Cum quæſieris Dominum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Et S. Ambroſius ad Virginem lapſam cap. 8. Et libro 8. de pœnitentia cap. 10. Et Aug. de Vera, & falſa pœnitentia cap. 14. Et Cyprianus ſermone 5. de lapſis. Et alij Patres, quos noſter Vega libro 13. cap. 24. propè finem citat, aſſerentes: Ad expiandas culpas magnum & feruentem dolorem exigi. Reſpondeo primo in genere. Aliud eſt loqui, de remiſſione culpæ; aliud de remiſſione pœnæ. Ad illam ſufficit quantalacumque contritio cum ſuis circumſtantijs debitis. Ad hanc pro diuerſitate culparum, maior vel minor. In ſpecie verò reſpondendo: ad locum primum ex Michea, & ad Sanctos Patres dicimus id non ex præcepto, ſed conſulendo tradi; quod ſcilicet non ſit neceſſitas ſimpliciter, ſed decentia, & conuenientia: vt quo peccatum eſt grauius, eo deteſtatio ſit intenſior. Ad locum Deuteronomij; dicimus; idem eſſe toto corde, ac tota tribulatione animæ, Deum quærere, ac perfectè; cum ſcilicet in Deo ſolo confidimus, & ab eo remedium noſtrorum peccatorum poſcimus, deteſtantes peccata, ex eo, quia ſunt Dei offenſa.

Quod ſi dicatur videri contra rectam rationem, vt non minor contritio exigatur ad remiſſionem grauiſſimi peccati, quàm leuioris: cum illud ſit deteſtabilius, quàm hoc; & plura peccata deteſtabiliora ſint, quàm vnum. Reſpondemus: Ad remiſſionem culpæ, vel culparum mortalium de neceſſitate non exigi imparem deteſtationem, vel odium: decens verò eſſe, & conuenientius, ſi magis pro vno grauiori, & ſi magis pro pluribus, quàm de minus graui, & paucioribus doleamus; non tamen id eſſe præceptum. Ad remiſſionem verò pœnæ exigi neceſſariò intentionem maiorem pro qualitate delictorum: libentèr damus.

PROPOSITIO III.

Deteſtatio peccati mortalis debet eſſe ſumma appretiatiuè actu, vel virtute.

HOC eſt autem aliquid diligere, vel odio habere ſuper omnia appretiatiuè, cum talis appretiatio poſita eſt in tali amore vel odio, vt vrgente neceſſitate potiùs voluntas demoueatur ab amore alterius boni, vel odio alterius mali, quàm illius, quod ſuper omnia dicitur amare, vel odio habere. Legatur Bellarminus libro ſecundo de pœnit. cap. 11. qui benè declarat quis dolor ſit ſummus intenſiuè, & quis ſummus appretiatiuè. Ille enim attenditur ex parte ſubiecti, quando ſcilicet voluntas ſummo conatu deteſtatur aliquid hic autem attenditur ex parte obiecti, cum voluntas pluris exiſtimat deteſtationem alicuius mali, quàm conſecutionem cuiuſcumque boni, aut alterius mali euitationē: Conſulatur Vega lib. 13. cap. 25. Propoſ. 3.

Propoſitio noſtra probatur: quia peccatum, facta comparatione malorum omnium huius vitæ, vel data opinione, vel occurrente ſibi obligatione præcepti pœnitentiæ, præferre debet dolorem de peccato commiſſo cuicumque dolori de quocumque alio malo. Confirmatur ex ijs locis, vbi præcipitur Deus diligendus toto corde, vt Deutoronom. 6. Matthæi 22. Lucæ 10. Si ergò ex toto corde diligendus eſt Deus: ergò toto corde deteſtare debemus peccatum dirimens Dei amicitiam: nam peccatum eſt malorum omnium maximum: Ergò ſuper omnia deteſtandum, & fugiendum: ergo de eo dolendum magis appretiatiuè, quàm lætandum de quouis opere bono.

Quod ſi aliqui videntur exigere dolorem grandem etiam, quoad intenſionem maximum, comparatione facta ad alios dolores, ſicut videtur ſentire Sanct. Bonauent. in 4. d. 14. ar. 2. q. 1. Riccardus in 4. d. 17. art. 1. q. 5. ad tertium: debent interpretari de intenſione eſſentiali, ſeu obiectiua, quæ eſt eadem cum appretiatiua: &

Digitized by Google

ita arbitror Scotum debere intelligi in 3. diſt. 27. q. vnica, vbi pro eodem videtur ſumere dilectionem ſuper omnia appretiatiuè, & intrinſecè loquendo (vt arbitror) de intenſione eſſentiali, ſiue obiectiua; non de illa graduali, quam poteſt habere actus, vt eſt tale indiuiduum: vt enim fieri poteſt, vt ob conſuetudinem, vel delectationem, vel præſentiam magis frequentem, vel ob aliud huiuſmodi opus intenſius diligat amicum, quàm patrem, non tamen illum magis diligit appretiatiuè, nec intenſiuè loquendo de intenſione eſſentiali, ſiue obiectiua: cum patri maiora bona velit, quàm amico, & magis ſit paratus incommoda pati pro patre, quàm pro amico. Ad pleniorem notitiam iſtius Propoſitionis, accedat iſta.

PROPOSITIO IV.

Ad contritionem veram multorum peccatorum, quorum vnum eſt grauius alio, neceſſe eſt, vt peccator plus doleat de eo, quod eſt deterius.

PRobatur iſta veritas ex Deuteronomio, in quo dicitur: Iuxta menſuram delicti debet eſſe plagarum modus. Et Apocalipſis 18. Quantum glorificauit ſe in delicijs, tantum date illi tormenti, & luctus, &c. Sed hæc quantitas maior, aut minor in dolore, qui eſt de pluribus peccatis grauioribus, & leuioribus, eſt quantitas appretiatiua, & non eſt neceſſe vt ſit intenſiua: quoniam ſi per impoſſibile inter duo peccata vnum eſſet eligendum, quod leuius eſt, deberet eligi, vt quod grauius eſt vitaretur: ſicut cum duo præcepta ſibi inuicem occurrunt, ita vt ſimul impleri nequeant implemus arctius. Vndè cum quis pluribus peccatis lethalibus tenetur, quorum alia alijs ſunt grauiora, non neceſſe eſt, vt intenſius doleat de his, quæ ſunt deteriora; quinimò ſatis eſt ſi de his ſingulis doleamus, vt ſingula Deum offendunt, & vt ſingula ſunt Dei charitati cõtraria: nam eo ipſo appretiatiuè magis dolet de his, quæ ſunt grauiora, & inter illa magis dolet de eo, quod eſt omnium grauiſſimum: ſicut vno, & eodem actu aliquando volumus finem, id, quod eſt ad finem, & implicite maius volumus finem appretiatiuè eo ipſo, quod volumus medicinam, vt vtilem ſanitati. Item eodem actu ſimul aliquando diligimus Deum, & proximum, vel parentem, amicum; nihilominus Deum, magis appretiatiuè, quàm proximum parentem, quàm amicum. Ratio horum eſt: quia dilectio eo ipſo, quod determinatur in duobus obiectis bonis, vt ſunt in ſeipſo bona magis appretiatiuè verſatur circa id, quod eſt melius. Sic etiam eo ipſo, quod per contritionem quis deteſtatur peccata vt ſunt Dei charitati contraria, magis appretiatiuè odio habet, quod eſt grauius peccatum: quoniam eſt magis charitati contrarium. Ex dictis colligitur, quare debeamus diligere Deum ſuper omnia. Et quare amor Dei debeat eſſe omnium maximus: hoc enim intelligi debet appretiatiuè; & inter ea, quæ charitate diliguntur eſt ordo appretiatiuus, quo vnus magis diligitur, quàm alius. Sic etiam contritio neceſſe eſt, vt ſit dolor omnium maximus, videlicet appretiatiuè. Et inter ipſa peccata, quod attinet ad dolorem, eſt ordo appretiatiuus. Vnde cum dicitur furtum, v.g. debemus magis deteſtari, quàm quodcumque aliud malum: intelligitur, non quod de illo debeamus magis dolere appretiatiuè, quàm de homicidio, ſed quod debeamus de eo dolere pluſquam de quocumque malo pœnæ, & plus quam de quocumque alio leuiori peccato: ac proinde de venialibus legitima contritione dolemus, cum dolemus de his magis, quàm de malis pœnæ, ſed non magis, quàm de lethalibus. Vtrum verò expreſſim, & ſpeciatim contritio debeat eſſe dolor de ſingulis peccatis lethalibus.

Commune eſt votum inter Theologos in hoc, quod de ſingulis peccatis lethalibus, quorum recordamur, oportet nos dolere expreſſim, & ſpeciatim. Vt ſi recordemur trium peccatorum, dolor debet eſſe de illis tribus: de cæteris verò quorum ſumus obliti, ſatis eſt ſi doleamus implicitè, & generatim. Et hoc requiritur tàm in contritione, vt eſt actus virtutis, quàm vt eſt pars Sacramenti ratione confeſſionis peccatorum, quæ fit. Legatur Riccardus in 4. d. 16. art. 4. q. 2. At quia hic poteſt difficultari: Ideò ſit.

PRI-

Digitized by Google

PRIMA DIFFICVLTAS.

An de ſingulis peccatis ſingulos dolores habere debeamus, ita vt quot ſunt ſpecie, & numero peccata, tot ſunt numero cõditiones.

AD quod reſpondere: nos tot numero, & ſpecie dolores oportet habere, quot ſunt ſpecie, & numero peccata eſt ridiculum; cum ſatis ſit, vt vna contritio expreſſim refertum ad ſingula peccata: ita vt ſicut, qui videt ſimul plures colores vno actu verſatur circa omnes illos colores; ſic etiam vna contritione poteſt quis deteſtari mille peccata ea ratione, dum quis confitetur, duobus verbis dicit: peccaui millies.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

An ad veram contritionem neceſſarium ſit, vt quis diligentiam adhibeat in reuocandis ad memoriam peccatis, vt ſingula expreſſim deteſtetur, quamuis vna deteſtatione antè iuſtificationem, (ſi commodè poteſt) vel ipſa, aut poſt ipſam.

INter iuniores duæ ſunt opiniones. Prima eſt: ſolum eſſe neceſſarium ex ordine, & reſpectu, quem contritio continet ad Sacramentum. Ita Caietanus. Secunda opinio eſt Soti, etiam antè legem Euangelicam fuiſſe neceſſarium ad veram contritionem, vt eſt actus virtutis, diligentiam adhibere in reuocandis in memoriam peccatis, vt de his quis expreſsè doleat; ſed eam diligẽtiam debere adhibere cum quis commodè poteſt. Id probant: quia hoc natura ipſius contritionis depoſcit: nam ſicut ex ſingulis peccatis in mentem veniẽtibus, debet quis expreſſim dolere cum cõmodè poteſt, ita etiam ratio pœnitentiæ, vt eſt virtus, poſtulat, quod ſingula peccata commiſſa, ſi commodè poſſumus ad memoriam reuocemus, vt ea ſingula, deteſtemur: eo quod contritio eſt mentis ad Deum ex toto corde per veram pœnitentiam conuerſio, at qui diligenter non cogitat ſua peccata, quæ fecit, etiam ſi tunc non confiteatur, ſed tantum dolet de ſingulis, quorum meminit, nulla alia adhibita diligentia ad hoc, vt reliquorum recordetur, non ex toto corde conuertitur, ſed ex parte. Deindè probant ex Sacra Scriptura Iſaiæ 88. Recogitabo tibi, &c. Ezechielis 18. Si impius egerit pœnitentiam, &c. Pſalm. 76. Cogitaui dies antiquos, &c. Et D. Thomas videtur eſſe huius ſententiæ: nam de veritate q.28. art. 5. ad quartum, ait: Ad iuſtificationem non requiritur, quod in ipſo iuſtificationis momento aliquis de peccatis ſingulis cogitet: recogitatio autem ſingulorum peccatorum debet, vel præcedere, vel ſaltem ſequi iuſtificationem.

Hæc ſententia videtur eſſe probabilior, & magis cum ratione naturali congruere: quoniam inter peccata, alia ſunt grauiora, aliis: ergò natura, & ratio contritionis poſtulat, vt ad memoriam reuocentur, ſi id cõmodè fieri poterit, vt de grauioribus magis appretiatiuè doleamus, quã de leuioribus.

Vtrum verò ad perfectã contritionem ſit neceſſarium propoſitum formale non peccandi de cætero. Certum eſt propoſitum iſtud eſſe neceſſarium ad perfectam contritionem. Legatur noſter Pater Aretinus in 4.d.14. q.7. art.8. Pluribus Sac. Scripturæ locis probatur hæc veritas. Sufficiat nobis illud ad Epheſios 4. deponentes veterem hominem, induite nouum, &c. Ad Rom. 13. Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Fauet Florentinum in literis vnionis, vbi decernitur; ad partem pœnitentię pertinere dolorem de peccato commiſſo cum propoſito de non peccando de cætero. Legatur Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. vbi habetur: contritionem eſſe dolorem, ac deteſtationem de peccato non peccandi de cætero. Fauet ratio: quippè perfecta contritio dicit perfectam conuerſionem ad Deum: iſta autem eſſe nequit ſine hoc propoſito.

TERTIA DIFFICVLTAS.

An hoc propoſitum debeat eſſe explicitum, & formale: an ſufficiat virtuale.

NOnnulli sũt opinati ſufficiat virtuale exigi propoſitũ explicitum. Et probatur hęc pars ex Scripturis,& Patribus ſupra adductis. Fauet ratio: quippe in motu nõ datur receſſus à termino à quo,ſine acceſſu ad terminum ad quem: ergò in motu iuſtificationis non eſt auerſio à peccato ſine cõuerſione ad iuſtitiam. Niſi me mea fallat ſententia reſpondendum difficultati cum diſtinctione.

Si adſit memoria vitæ futuræ, eſt neceſſarium expreſſum propoſitum formale. Si verò adſit naturalis obliuio, ſufficit propoſitum virtuale. Quod ſtante memoria futurę vitę neceſſarium ſit explicitum propoſitum non peccandi de cætero: mihi ſatis probatur rationibus ſupra adductis, ex Sac. Scrip. Concilijs, &c. Huic parti fauet Scotus in 4. diſt. 4. §. Ad primum argumentum: & cum ipſo omnes Scotiſtæ. Pro ſecunda parte,ſcilicet,quod recedente memoria futuræ vitæ ſufficiat virtuale propoſitum, docet Scotus in 4. diſt. 22. q. vnica §. Secundo: quia quanto, art. 3. ſub Mata dicens: pœnitens quotieſcumquè dignè pœnitet, obligat ſe ſaltem voto ad non peccandum in poſterum: quia ſine tali propoſito non eſt digna pœnitentia..

Probatur iſta noſtra doctrina, quoad vtramq; partem; Nam quando quis habet plura peccata mortalia, & non recordatur niſi vnius, illudq; ſufficientèr deteſtetur, plenè diſponitur cum ſola virtuali deteſtatione aliorum peccatorum. Adde, quod non eſt maior ratio de dilectione Dei, ac de propoſito non amplius peccandi: ſed aliquando ſufficit dilectio virtualis Dei, & non eſt ſemper neceſſaria dilectio formalis, vti ſupra probauimus: ergò idem de propoſito. Item: deteſtatio formalis peccatorum non eſt ſemper neceſſaria, quinimò aliquãdo ſufficit virtualis, vt ſupra probauimus: ergo aliquando ſufficit virtuale propoſitum non peccandi de cætero. Item ſi propter aliquam rationem foret neceſſarium expreſſum, & formale propoſitum non peccandi, id eſſet: quia non ſine illo homo deteſtaretur omne peccatum, vel præteritum, vel præſens, vel futurum: at hoc eſt falſum: quippè ſumma peccati diſplicentia ſufficientèr ſeparat cor hominis ab affectu peccandi: cum in omni peccato reperiatur offenſa Dei.

DISPVTATIO IX.

De Eſſentia, Conuenientia, & Diſcrimine formali attritionis, & contritionis.

QVÆ nobis occurrunt dicenda in præſenti Diſputatione; docebunt quæ inſeſequuntur Propoſitiones. Exordiamur à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Dolor de peccatis, & deteſtatio eorumdem, ſi ſit attritio propriè dicta, non eſt diſpoſitio proxima ad remiſſionem eorumdem, & infuſionem gratiæ ſine Sacramento.

PRopoſitio hæc noſtra ſic declaratur,& probatur. Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap.4.

cap.4. de attritione propriè dicta loquendo dicit: Vel ex turpitudine peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communitèr concipi. Hæc itaq; ex Concilio eſt attritio propriè dicta, dolor ſcilicet, & deteſtatio de peccato ex metu gehennæ, vel ex fœditate peccati exorta: Contritio verò, de qua idem Concilium ibidem, & ſeſſ.6. cap.6. eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo ob Dei amorem cum propoſito non peccandi de cætero. Dicimus ergò attritionem propriè dictam diſtingui à contritione, eamq; non eſſe proximam præparationem ad remiſſionem peccatorum. Probatur: Actus differentes ex ſuis rationibus formalibus, ſe ipſis differunt: huiuſmodi verò eſt attritio propriè dicta, & contritio; ergò ſe ipſis differunt. Maior eſt in multis locis Scoti, maximè in 1.d.13.q.vn. d.14. q.1. ad ſolutionem ſecundi. Minor verò probatur; quia alitèr rationes, quæ adducuntur à cæteris propter quas attritio, & contritio ſunt diſtinctæ, vel non ſunt eſſentiales, ſed accidentales, vel conſequuntur diſtinctionem ſpecificam ipſorum actuum, ſicut Scotus in 2. d.1.q. vltima alias differentias inter animam, & Angelum, quas aliqui ponunt: vt eſſe vnibilem, & non vnibilem ad materiam, & cætera huiuſmodi, conſequuntur naturam animæ, vel Angli: Vndè quia hæc, & illa natura eſt alterius, & alterius rationis, ideo habet alias, & alias formalitates. Quod autem cæteræ differentiæ aſſignatæ a Theologis non ſint ſufficientes ad diſtinguendum formalitèr attritionem propriè dictam à contritione, videatur Suarez diſp.5. ſeſſ.1.num.6.tomo 4. Maneat ergò ſuis rationibus formalibus diſtingui, quamuis poſſint diſtingui tales actus cauſalitèr, vel quaſi cauſalitèr ex motiuis: cum contritio ſit peccati deteſtatio propter Deum; attritio verò ex aliquo motiuo ſupernaturali; quod tamen non ſit ipſe Deus, quatenus eſt ſummum bonum, à quo peccatum auertit.

Ad pleniorem intelligentiam tanti diſcriminis moneo, à Doctoribus varios eſſe excogitatos modos diſtinguēdi attritiōē à cōtritione. Paludanus in 4.d.14.q.1.art.5. concluſ.3. ait attritionē à cōtritione diſtingui ex intentione, & duratione, itaut contritio ſit intenſior, & diuturnior attritione.

PROPOSITIO II.

Hic modus dicendi non eſt admittendus.

NON me latet talem modum dicendo ab aliquibus tribui Scoto in 4. d.14. q.2. §. de ſecundo principali, vbi videtur aſſerere deteſtationem peccati continuatione, & duratione, contritionem fieri. Errant tamen, vt ſupra aliàs adnotauimus; Nam Scotus in 4. d.16. q.1. §. ad propoſitum docet; quod contritio ſtatim vt eliçitur abſolutè contritio eſt, ait enim: iſte ergò actus, qui eſt propria cauſa triſtitiæ contritio dicitur. Idem docet diſt.20. §. In iſta quæſtione; & §. ad argumenta, vbi habet hæc verba: Nunc autem ad legem ſimplicitèr ordinatā pro ſtatu naturę lapſæ; requiritur quod pœnitentia poſſit eſſe fructuoſa; & qua ratione in quocumque inſtanti ſanitatis pari ratione, & magis extrèmis. Hęc Scotus. Ergò ex Scoto in quocūq; inſtanti contritio eliciatur, cōtritio eſt; ergò non requirit durationem, neque intenſionem, vt contritio ſit. Quomodo autem veniat intelligendus Scotus notaui ſupra, probando contritionem non neceſſario requirere intenſionem gradualem; nec quantitatiuam durationem.

Caietanus docet contritionem diſtingui ab attritione pœnes Diuinam acceptationem: nam contritio acceptatur à Deo, non verò attritio.

PROPOSITIO III.

Hic modus dicendi non eſt admittendus.

CRedimus nos hoc diſcrimen non eſſe eſſentiale diſtinctiuum. Tum quia propter talem acceptationem non conſtituitur deteſtatio peccati in ratione contritionis: ergò neque attritio propter nouam acceptationem; quippè cum acceptatio ſit ſe tenens ex parte Dei acceptantis, & ſit mera extrinſeca; non videtur eſſentiale diſtinctiuum.

Alij dixerunt attritionem, & contritionem diſtingui per informationem gratiæ; talitèr, quod contritio ſit deteſtatiua peccati, quia eſt informata gratia: non verò attritio, cum non ſit informata gratia.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

Hic quoquè modus dicendi haud eſt admittendus.

SCio nonnullos eſſe opinatos Scotum docuiſſe ſupra poſitam doctrinã; quippè in 4.d. 14. q. 2. principali aſſerit, quod actus qui in primo inſtanti fuit attritio, poſtea ſucceſſo tempore fieri contritionem. Verũ hęc differentia nõ eſt potiſſima. Ratio eſt: quia datur vera contritio ante gratiæ informationem: quippè eſt diſpoſitio ad, gratiam, & de ratione diſpoſitionis eſt præcedere id, ad quod eſt diſpoſitio, ſicut via eſt prior termino.

Concludo ergò, diſcrimen proprium. & nobis clarius eſt, vt contritio habeat pro obiecto motiuo, aliquod increatum, ſeu Diuinum: attritio vero habeat pro obiecto motiuo aliquod creatum. Ita habet Scotus in 4.d.20.quæſt.vnica §.In iſta quæſtione, B. vbi hæc habet verba: ad hoc, quod diſplicentia valeat, & ſit ordinata, oportet, quod ſit debitè circumſtantionata, & maximè circumſtantia finis, & principij actiui principalis; vt ſcilicet ſit voluntaria propter Deum. Quod iſta attritio, quæ habet pro obiecto motiuo aliquod creatum, minimè ſit proxima diſpoſitio ad gratiam, apertè docet Tridentinum in ſeſſ. 14. vbi inquit: Eam attritionem eſſe quidem Spiritus Sancti impulſum, non qnidem in habitantis, ſed tantum mouentis; eandem ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem non poſſe.

PROPOSITIO V.

Attritio iſta rigoroſe ſumpta poteſt aliquo modo fieri contritio virtute Sacramenti pœnitentiæ.

HVius noſtræ Propoſitionis veritatem docent multi; differunt tamen valdè inter ſe in explicanda eiuſdem veritate. Ex in primò poteſt intelligi attritionẽ fieri contritionem per accreſcimentum alicuius perfectionis accidentalis, puta intenſionis, aut durationis actus. Et hoc modo putat Suarez diſp. 5. ſeſſ. 3. 4. tomi ſenſiſſe Scotum. At falſum illi imponit. Et nos longo ſorm. probauimus in antecedentibus. Breuitèr ſuadetur hæc opinio: quia ratio formalis alicuius non variatur ob conditionem accidentalem; nec conditio accidentalis facit rem tranſire de vna ſpecie in aliam: at duratio vel intenſio ſunt conditiones accidentales attritionis, & contritionis, quæ ſunt ſpecie diſtinctæ; ergò non poſſunt facere attritonem fieri contritionem. Accedit, quod ex Concilio Trid. ſeſſ. 14.cap.4.attritio per ſe ad iuſtificationem non poteſt perducere peccatorem ſine pœnitentiæ Sacramento: ergò quantumcumquè creſcat, vel duret, non poteſt fieri contritio, quæ ſine Sacramento pœnitentiæ in re ſufficit.

Secundo poteſt intelligi attritionem fieri contritionem ſtante vno, & eodem actu deteſtationis peccati in voluntate, mutato tantum obiecto, puta: ſi prius quis dolebat de peccato propter metum gehennæ, & deteſtabatur illud, deinde incipiat deteſtari illud idem ob amorẽ Dei, vel quia eſt offenſa Dei; & ita tranſit actus de vna ſpecie in aliam, manente eadem ſubſtantia ſiue entitate actus, ſicut putat actum, quo quis vult dare elemoſinam propter ſubleuandam miſeriam proximi, poſſe fieri actũ vanæ gloriæ, ſi velit eundem actum vt appareat hominibus; & ita putat manere eundem actum entitatiuè; mutari autem tantum ſecundum ſpecies morales.

PROPOSITIO VI.

Hæc doctrina minimè valet.

PVto enim eſſe actus omnino diſtinctos in entitate, & moralitate, ſicut ſpecificantur ex obiectis, ita ſuo modo dependent ex eiſdem: ſunt autem diuerſa motiua ergò actus ſpecie morali variantur; & etiã in entitate. Confirmatur: tales actus ſecundum ſuas entitates ſunt eſſentialitèr actus: ergò etiam ex obiectis habent eſſentiales ſpecies reales, & phyſicas. Non habent autem ex obiectis materialibus tantum: quia hoc eſt commune omnibus habitibus, & actibus: ergò habent ex obiecto formali vltimam ſpeciam. Sunt autem alia

alia motiuá attritionis,& contritionis:ergò ſunt entitatiuè,& phyſicè alij, & alij actus. Confirmatur: quia ſicut habitus in habitum non tranſit,ita nec actus videtur tranſire in actum.

Tertio explicatur à victoria re electione, 1.de poteſtate Eccleſiaſt.quæſt.2.num.9.& ſequitur Ledeſma 2.par.quarti ſent.quæſt. 20. art.1. Hi putant attritionem fieri contritionem per additionem actus exterioris, ſine quo non cenſeretur homo facere quâtum poteſt,vt ſe ad gratiā diſponat. Quod explicant, quia aliquis poteſt habere dolorem de omnibus peccatis ſuis,vt ſunt offenſa Dei, & ſolum habebit attritionem, & non contritionem; ex eo: quia non tollit aliquam rationem proximam peccandi, vel non reſtituit, quod debet: quod ſi id poſtea faciat; eſtò quod dolor non creſcat vel mutetur, attritio fiet contritio.

PROPOSITIO VII.

Doctrina iſta nobis non probatur.

QVia, aut is,qui dolet propter Deum, tenetur ad actum illum externum, quem iſti dicunt: puta auferendi occaſionem peccati, vel reſtituendi, pro illo inſtanti,pro quo dolet, aut non; Si ſecundo modo;verè erit contritus: hoc enim exigit Concilium Trid. ſeſſ.6. cap.6.de iuſtificatione, vbi modum præparationis ad iuſtificationem aſſignat. Si verò tenetur pro eo inſtanti,pro quo dolet is, ſicut tunc non habet contritionem, ita neque deinde habebit, niſi alium actum habeat. Probatur: quia prius erat in peccato, licèt doleret imperfectè, eo quod non faciebat ad quod tenebatur: ergò ſi poſtea habebit cõtritionem per nonum actum internum, debet mutari,cum de non præparato fiat præparatus, vel diſpoſitus. Adde etiam quòd in via Thomiſtarum: actus externus moralitèr bonus, non dat perfectionem actui maiorem,quā det actus internus: ergò per ſolum actum externum non poterit attritio, dolor ſcilicet imperfectus, fieri contritio, qui eſt dolor perfectus.

Poteſt etiam intelligi Attritionem fieri contritionem per additionē alicuius actus interioris: puta ſi prius homo habeat dolorem de peccatis ex metu gehennæ abſq; vllo actu elicito charitatis; deinde verò addat vltra hunc actum alium actum amoris Dei, in quem referat illum eundem dolorem prius habitum; is dolor tunc incipiet eſſe contritio. Sed vt ſuprà dicebamus: cum ex ratione formali varietur actus; is dolor,qui prius erat ob metum gehennæ, ſi deindè ſit propter Deum dilectum, erit alius; & ſic non propriè attritio fiet contritio, ſed potius attritioni ſuccedet contritio. Si verò intelligamus eum dolorē poſſe vocari cõtritionē ex hoc,quod cõpoſita eſt talis cõtritio ex pluribus actibus,ſcilicet ex dolore, & ex amore, & tunc etiam non poteſt propriè dici,quòd attritio fiat contritio: nam prior ille dolor, nunquam eſt contritio, ſed totum illud aggregatum ex dolore, & amore; appellatur contritio.

PROPOSITIO VIII.

Explicatur verus modus dicendi.

REſtat igitur vltimus modus declarandi, quem aſſumo ex noſtro Patre Vega libro 13.cap.34.Putat hic doctiſſimus Pater: Attritionem fieri contritionē ex vi Sacramenti pœnitentiæ extrinſecè tantum, vel quoad æquiualentiam, quia (inquit) ille actus qui erat ante ſuſceptionem Sacramenti attritio, inuariatus manens, dicetur fieri contritio; quoniam ad reparandum lapſum, tantùm valet cum Sacramento pœnitentiæ, quantùm actus,qui ex ſe, & ſua perfectione, ad id ſatis eſſet per Dei miſericordiam,& qui intrinſecè eſt contritio. Hæc Pater Vega.

Videtur mihi fauere huic noſtræ doctrinæ Scotus in 4.d.14.quæſt.4. ad ſolutionē ſecundi, in fine columnæ. Senſus itaquè eſt: deteſtationem peccati ob metum gehennæ, & dolorem animi ex eodem metu conceptum, accedente Sacramento pœnitentiæ perinde valere adhoc, vt obtineat remiſſionem peccati ad iuſtificationem; ſicut valet contritio ſine Sacramento pœnitentiæ in re ſuſcepto.

Ex his facilè eſt declarare: quomodo ex attritio quiſpiam fiat contritus. Vel enim poteſt intelligi, quod mutet dolorem ex imperfecto in perfectum, ſicut quiſpiam ex

Digitized by Google

nigro fit albus. Vel quod dolori imperfecto addat amorem, ex quibus duobus quaſi coaleſcat contritio. Vel poſtremò, quòd ſine mutatione actus, accedente Sacramento, infunditur gratia, ſicut extra Sacramentum pœnitentiæ homini habenti dolorem de peccato, & deteſtationem eiuſdem ob amorem Dei confertur gratia. Et hic vltimus eſt is, quem nos ex Vega declarauimus; quem puto annuiſſe Scotum in 4. d. 19. in fine illius, vbi inquit: ſed eſto, quod non habuerit ſufficientem attritionem per modum meriti ad iuſtificationem, & per conſequens in peccato exiſtentes, tamen aliqualitèr attriti conſitentur in vltimo inſtanti recipiunt gratiam virtute Sacramenti. Hæc Scotus.

DISPVTATIO X.

In quo genere cauſæ contritio remittat peccata.

Contritionem de lege Dei ordinaria prærequiri ad peccati expulſionem, negabit nemo. Claris enim terminis à Sacro Cōcilio Tridentino ea neceſſitas demonſtratur, dum ſeſſ. 14. cap. 4. ita legit: fuit quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius. Vnde *Lucæ* 7. dicitur Magdalenæ: Remittuntur ei peccata multa: quia dilexit multum. Nodus ergò difficultatis in eo ſtat: num ſcilicet contritio ſit cauſa formalis expulſionis peccati. Non eſſe cauſam efficientem ſuppono: quippè contritio actus immanens cum ſit ſub catalogo ſterilium, militat: & ſtatus infecundus, eſt actus vltimus potentiæ, vltimaquè eius potentiæ perfectio. Tota ergò difficultas reducitur ad genus cauſæ formalis.

Pater Vaſquez 1. par. diſp. 203. dicit duo. Primum eſt: apud ipſum nunquam probabilitate caruiſſe ſententiam adſtruentem per ſolam contritionem, vel amorem Dei ſuper omnia, poſſe adæquatè haberi peccati exulationem ab anima. Monet tamen defacto peccati expulſionem haberi ſolius gratiæ ſanctificantis beneficio. Non quod opinetur defacto contritionem vim hanc iuſtificandi non habere: quia cum hæc vis ſit intrinſeca, & formalis, minimè poteſt ab ea aliquando ſeparari: ſed quia defacto ſemper gratia habitualis, quæ non minus, quàm contritio eſt forma formalitèr ſanctificans, & emundans à peccato, antecedit contritionem; vel tempore, vt in paruulis, & adultis, qui attriti iuſtificantur per Sacramentum. Vel ſaltem natura: vt in his, qui proprio actu iuſtificantur extra Sacramentum: eſt enim gratia principium efficiens contritionis, quæ adhoc (inquit Vaſquez) datur, vt per eam contritionem eliciamus: (non enim contritio datur, vt per eam gratiam mereamur) ergò prius natura, quàm homo iuſtificetur proprio actu contritionis, ſupponitur iuſtificatus per habitum gratiæ: ergò licèt defacto contritio vim habeat delendi peccata formalitèr, quia tamen illa reperit deleta per gratiam prius natura infuſam, non delet: quia nulla forma confert effectum, quem reperit collatum. Et ſanè quoad iuſtificationem paruulorum, & adultorum per Sacramentum, cenſet de fide, eam fieri per habitum gratiæ: quoad iuſtificationem verò adultorum extra Sacramentum, ſolum putat probabilius habitũ natura præcedere actũ, atquè in eo priori peccatorum completè, & perfectè iuſtificari per gratiam. Pro hac ſententia à Patre Vaſquez citantur alij Doctores. Nos quid magis ad veritatem accedat docebimus in ſubſequētibus propoſitionibus. Incipiamus à prima.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA.

Contritio ex charitate elicita non remittit peccata formalitèr, ſed diſpoſitiuè.

ITA expreſsè docet Scotus in 4. d.14.q. 2.§.de ſecundo principali: vbi actum cõtritionis aſſerit expreſsè eſſe meram diſpoſitionem præuiam, meritoriam de congruo primæ gratiæ, & eadem d. quæſt.1. ait: actum contritionis eſſe diſpoſitionem, vt deleatur peccatum. Eſtquè communis ſententia apud omnes Scoti diſcipulos.

Probatur noſtra propoſitio primò ſcrip. teſtimonijs, omnibus videlicet in quibus dicitur dilectioni, & pœnitentiæ tribui iuſtificationem, & remiſſionem peccatorum, tanquam quid poſterius ipſis, & intuitu earum eſſe à Deo conceſſa. De dilectione legitur Eccleſiaſt. 2. diligite Deum, & illuminabuntur corda veſtra. Ioannis 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & Lucæ 7. Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum. De pœnitentia verò apud Iſaiam 45.legitur: conuertimini ad me, & ſalui eritis. Ieremiæ 12. ſi conuerſa fuerit gens illa &c. Conuertar, & ego, & miſerebor. Zachariæ, 1. conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Ezechielis, 18. ſi impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor. Sapientiæ 11. diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Ioelis 1. conuertimini ad Dominum Deum veſtrũ: quia benignus, & miſericors eſt, patiens, & multæ miſericordiæ,& præſtabilis ſuper malitia. Ex his auctor: hanc deduco conſquentiam: ergò ſola conuerſio in Deum, quæ eſt contritio ipſa ad remittenda peccata minimè eſt ſatis. Conſequentiam inde probo: nam ſi ſufficeret ſola contritio, ſine rationabili cauſa, quinimò fruſtra Propheta promitteret iam conuerſis peccatorum condonationem: eſt enim commune axioma apud omnes,promiſionem minimè fieri de re habita,ſed de re habenda. Clareſcit indè, quòd ſi in ipſa contritione includeretur peccatorum condonatio, veluti effectus formalis in ſua forma, non poſſet Propheta conuerſis iam, & contritis illam promittere; alias promitteret, quòd iam ſupponitur collatum.

Noſtram veritatem clariorem reddunt verba à Sancto Propheta ſubitò ſubiuncta: quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem. Moneo hic non indè à Sancto Propheta fuiſſe eà verba adiuncta, quaſi apud ipſum foret ſub dubio: num Deus contritis peccata foret remiſſurus. Tantum ergò illis verbis voluit Propheta docere nos, hanc remiſſionem peccatorum connumerandam, vt diſtinctum beneficium à contritione ipſa.

Varijs vijs incedunt aduerſarij, vt aliquam ſolutionem noſtris argumentis valeant præſtare. Nonnulli ſunt opinati, Sanctum Prophetam ſermonem habuiſſe de pœnitentiæ imperfecta,quæ vulgari lingua attritio appellatur; non verò de pœnitentia perfectà. Contra temen eſt: tum quia gloſſa iſta expreſsè videtur repugnantiam habere cum contextu Sancti Prophetæ. Præmiſerat enim Propheta magna cum aduertentia verba illa: nunc ergò dicit Dominus: conuertimini ad me in toto corde veſtro. Vbi ponderanda illa verba, (in toto corde) quæ euidentèr habent pro termino contritionem perfectam. Adde,quod ex conſimili modo hortandi peccatores,arguimus perfectam cordis contritionem: Deuteronomij 4. cum quæſieris Dominum Deum tuum ex toto corde, inueniens eum. Ieremiæ 29. inuenietis me cũ quæſieritis me in toto corde veſtro. Iſtũ modum expreſſit Deus in ipſa forma præcepti, quo nos adſtrinxit ad ipſum Deum amore proſequendum ex perfecta charitate: deuteron.6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Accipe aliud argum. Sanctus Propheta hoc in loco hortatur peccatores, ad peccatorum remiſſionem obtinendã media pœnitentia: at peccatores minimè obtinent remiſſionem peccatorum media pœnitentia imperfecta, ſed perfecta, quæ ſolitaria eſt diſpoſitio proxima,& infallibile medium ad obtinendam reconciliationẽ cum Deo, ergò tunc Propheta minimè ſermonem habebat de contritione imperfecta. Adde: aliàs inde duceretur Prophetam fuiſſe deffectuoſum, nec ad ſufficientiam docuiſſe homines de me-

Digitized by Google

medijs ad ſalutem conſequendam : non enim contritio imperfecta eſt infallibile medium, nequè ex natura ſua, nequè ex Diuina ordinatione ad conſequendam remiſſionem peccatorum extra Sacramentũ. Nequè imperfectè contritio debetur efficax auxilium ad actum contritionis perfectæ, ſi peccator vlterius non moueatur: præſertim cum eo tempore inſtruerentur homines à Prophetis de medijs neceſſarijs ad ſalutem. Nequè video qua ratione poſſet Propheta excuſari de inſufficienti documento, dato circa media ad ſalutem neceſſaria: etenim cùm quiſpiam ad finem aliquem per certa media conſequendum hortatur, non hortatur ad illum per media remota infallibilem connexionem, cum fine minimè habentia, ſed per media proxima, quæ indubitantèr habent finem talem comitem fidelem. Obſerua etiam, quod in eo cap. poſt Propheticam exortationem habitam ad populum, vt toto corde ad Deum conuerteretur: ſequitur mentio reconciliationis Dei cũ populo; quod euidens ſignum eſt, quòd per conuerſionem totius cordis in Deum, Sanctus Propheta intelligat perfectam pœnitentiam, cuius tantum effectus eſt Diuina reconciliatio: præſertim cum eo in capite non habeatur aliqua mentio de contritione imperfecta. Tandem fauet nobis Catechiſmus Romanus de Sacramento pœnitentiæ num. 28.

Reſpondent alij: promiſſionem non eſſe de remiſſione peccatorum, ſed vrgere de ſpeciali auxilio prærequiſito ad actum contritionis. Volunt ergò iſtum eſſe ſenſum ſcripturæ, & Prophetæ: conuertimini ad me, & conuertar ad vos, qui quantum eſt ex mea parte, paratus ſum vobis ea omnia præſtare, quæ ad contritionem habendam neceſſaria iudicantur. Ac certè horum doctorum mens toto Cœlo diſtat à veritate: nam poſita conuerſione in Deum, promittitur beneficium remiſſionis peccati: ergò talis promiſſio non eſt de auxilio prerequiſito ad contritionem: quippè principium productiuum actus, non poteſt dari propter ipſum actum, ſeu mereri per ipſum actum habendum: ſed auxilium Dei prærequiritur, vt principium contritionis; ergò non poteſt dari in præmium ipſius contritionis, quinimo anteriore debet eam, ea ratione, qua productiuum anteit productũ ab eo. Adde, quòd actus re ipſa in ſe, & in mente Diuina exiſtens, nequit non ſupponere principia, ex quibus eſſentialitèr pendet: ergò ſupponit auxilium collatum efficacitèr; ergò non poteſt auxilium conferri in præmium ipſius actus.

Alijs placuit aſſerere: per contritionem promitti gratiam, & iuſtitiam permanentem, non tamen remiſſionem peccatorum, quæ per ipſam contritionem ſupponuntur remiſſa.

Contra: quia in citato teſtimonio Prophetæ expreſsè promittitur remiſſio ipſa peccatorum. Inquit enim: quis ſcit an ignoſcat Deus &c. Quod ſi alibi huius remiſſionis non ſit expreſſa mentio, eſt quia hæc iucluditur in ipſa gratia, quæ permittitur vt effectus formalis in ſua forma.

PROPOSITIO II.

Alia datur ratio, probans noſtram Propoſitionem.

ARgumentum aſſumo ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. docẽte vnicam eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtificationis: ſed teſte ipſo Vaſquez, gratia habitualis eſt noſtræ iuſtificationis cauſa formalis; ergò cõtritio minimè eſt forma noſtræ iuſtificationis: alias enim non vna quinimo duplex eſſet noſtræ iuſtificationis cauſa formalis. Nec valet reſponſio Vaſquez: quod libet actus contritionis, & charitatis ſit forma ſuaptè natura ſufficiens ad formalitèr iuſtificandum; defacto tamen non iuſtificare: quia actus charitatis, & contritionis influxum recipit ab habitu gratiæ, & cõſequẽtèr ſẽper gratiam anteire contritionem, & eſſe formam primam formalitèr iuſtificantem. Contra: nam primo falſum ſupponit vltimam diſpoſitionem eſſe partum gratiæ, vt latius docebit propria Propoſitio infra. Deinde conceſſo gratis, quod contritio perfecta agnoſcat pro ſuo principio habitũ gratiæ, tamen ex parte paſſi contritio anteit, & præcedit tanquam diſpoſitio, vt fatetur ipſe Vaſquez: ergò in hoc ordine conſtituet contritio hominem iuſtum, & in exilium mittet cuncta peccata. Conſequentia patet; quia forma quæ ex ſe formalitèr

Digitized by Google

maliter confert aliquem effectum, cum primo; & quocumque ſigno intelligitur in aliquo ſubiecto, ſubito eſt, & intelligitur cum ſuo effectu formali: ſiquidem ſuum effectum confert per ſuam eſſentiam, vt vnitam ſubiecto: nihil enim aliud eſt parietem eſſe album, quàm albedinem eſſe in pariete: cum forma det eſſe communicando ſuam propiam entitatem: ſed ad aures Vaſquez actus contritionis, & charitatis eſt forma de ſe ſufficiens ad iuſtificandum formalitèr, & ex parte paſſi, ſeù ſubiecti intelligitur anteire habitum gratiæ; ergò neceſſaria conſequentia concluditur hominem eſſe redditum formalitèr ſanctum, & iuſtum per ipſam contritionem: ergò in hoc ordine iuſtificatio prima minimè eſt partus gratiæ habitualis, quinimò habebitur formalitèr per ipſam cõtritionem: quod dicet nemo: aliàs enim duæ eſſent cauſæ formales noſtræ iuſtificationis; vna habitus gratiæ; altera verò actus charitatis, & contritionis,

Nec video, qua ratione id negare valeat Vaſquez, etſi illi darem actum contritionis numquam antecedere infuſionem habitus gratiæ, quinimò ſemper conſequi: id enim non poteſt tollere, quin actus iuſtificet etiam diſtincta iuſtificatione ab habitu gratiæ, ſicut contritio eſt forma diſtincta. Diſcurſum noſtrum ex eo probo; quia etſi contritio ſupponat habitum gratiæ (quod tamen abſolutè negò) tamen eſt forma ex ſe ſufficiens iuſtificare; ergò licèt ſupponat iuſtificationem per habitum, iuſtificabit etiam ipſa tamquam actus ſecundus: quia forma exiſtẽs in aliquo ſubiecto capaci, nõ poteſt non coferre illi ſuum effectũ formalẽ: Nec Deus facere poteſt, vt in pariete ſit albedo, & per nouam adiunctam albedinem non reddatur de nouo albus. Exemplum poteſt dari in doctrina Recentiorum, & ipſius Vaſquez, qui docet, quod licèt Chriſtus ſupponatur Sãctus formalitèr per gratiam hypoſtaticæ vnionis, tamen etiam ſit Sanctus formalitèr per gratiam habitualem licèt diſtincta ſanctitate: quia gratia habitualis eſt forma ex ſe formalitèr ſanctificans. Subinfero: At actus charitatis, & contritionis ſecundum Vaſquez habet vim formalitèr ſanctificandi; ergò licèt contritio ſupponat iuſtificationem factam per habitum gratiæ, etiam ipſa in ſuo genere formalitèr iuſtificabit: ſiquidem iuſtificatio per actum non opponitur iuſtificationi per habitum.

Dices hunc effectum iuſtificandi hominem non eſſe vnius rationis ſpecificæ, ſed genericæ, & ideò variari poſſe ſecundum diuerſas formas, per quas conferri poteſt diuerſo modo vnicuique illarum accommodatè; ac per conſequens etiam ſi ſint cauſæ totales, neutram illarum eſſe ſuperfluam: quia etiam ſi conueniant in hoc, quod eſt iuſtificare, tamen differunt in modo præſtandi hos effectus: nam actus contritionis præſtat, non ita permanentèr, ſicut habitus. Imo addit Vaſquez actum contritionis, & dilectionis perfectæ iuſtificare per modum meriti, ſeù per modum ſatisfactionis; gratiam verò habitualem non ita, ſed vt formam ſolum incompatibilem. Ex quibus etiam poteſt inferri, nil obſtrare, quod tàm actus contritionis verè dicatur diſpoſitio ad iuſtificationem, quia cum iſtæ formæ iuſtificationis habeant diuerſum modum iuſtificandi, poterit vna, ſcilicèt actus contritionis, ratione ſuæ entitatis, & informationis iuſtificare, & ratione ſui particularis modi iuſtificandi; actualitèr diſponere ad aliam formam iuſtificantem habitualitèr.

Contra. Si actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia totalitèr diſponeret animam ad infuſionem gratiæ habitualis, & verè illam formalitèr iuſtificaret; ſequeretur primo in iuſtificatione adultorũ, quæ fit per contritionem in infuſione primæ gratiæ habitualis; non eſſe primam iuſtificationem, ſed ſecundam: quod nemo dicet: quia actus diſponens ad formam, ordine ſaltim naturæ pręcedit formam: quia eſt vera cauſa materialis eius. Quod confirmat Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. dicens: hanc diſpoſitionem, ſeù præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſolum peccatorum remiſſio, ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum. Secundò ſequeretur per infuſionem primæ gratię habitualis, non fieri hominem ex iniuſto iuſtum, ex inimico amicum: ſed ex iuſto iuſtiorem extenſiuè, vt ita dicam; ſeu ex iuſto vno modo, fieret alio modo iuſtus: quod eſt expræſsè contra Tridentinum, quod poſt verba citata docet; per ipſam

Digitized by Google

fieri hominem ex iniuſto iuſtum, & ex inimico amicum: & cap.4. hanc ipſam iuſtificationem, quæ fit per infuſionem gratiæ. & donorum definiens dixerat, eſſe translationem à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, & redemptionis filiorum.

PROPOSITIO III.

Adducitur altera probatio.

CAuſa diſpoſitiua ad aliquem effectum formalem, non poteſt eſſe cauſa formalis illius effectus; quia diſpoſitio non diſponit ad ſeipſam, nec ad ſuum effectum formalem, ſed actus contritionis eſt cauſa diſpoſitiua ad iuſtificationem, & remiſſionem peccati, ergo non eſt cauſa formalis huius effectus. Maior eſt certa ex vera Philoſophia. Minor negari non poteſt: colligitur enim apertiſſimè ex Concilio Tridentino. Nam enumerata dilectione, & contritione, vt diſpoſitione ſeſſ.6. inchoat cap.7. dicens hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem, iuſtificatio ipſa conſequitur: ergò contritio ex Concilio, & dilectio Dei eſt diſpoſitio ad iuſtificationem.

Pater Vaſquez reſpondet cap. 9. Cum Conſilium docet, dilectionem, & contritionem eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem, & remiſſionem peccati, non loqui de dilectione, & contritione perfecta, ſed tãtũ de dilectione, & cõtritione imperfecta, quæ eſt attritio, & amor Dei concupiſcentiæ, vt boni noſtri; atque adeò ſolum loqui de iuſtificatione, quæ fit per realem ſuſceptionem baptiſmi, quæ non poſtulat de neceſſitate contritionem, ſed attritionem: Ad hanc ergò attritionem medio Sacramento baptiſmi conſequitur iuſtificatio infundente Deo habitualem iuſtitiam.

Re uera dicendum eſt Concilium loqui de omni prima iuſtificatione ſiue fiat per Sacramentum baptiſmi, ſiue extra, ſiuè cum attritione, ſiuè cum contritione. Primò: quia Concilium tradit dogmaticam, & integram doctrinam de iuſtificatione: ergò nõ tantùm loquitur de iuſtificatione, quæ fit cum reali ſuſceptione Sacramenti, ſed etiam èxtra. Confirmatur hoc ex cap. 4. vbi poſtquam deſcripſit iuſtificationem, dicendo eſſe translationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ; ſubdit; quæ quidem translatio poſt Euangelium promulgatum ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt; ergò loquitur Conſilium de iuſtificatione, tàm quæ fit per lauacrum, & baptiſmum in re ſuſceptum, quàm per votum eiuſdem; cum contingit aliquem iuſtificari per contritionem perfectam contra Sacramentum. Sed iuſtificatio per realem ſuſceptionem Sacramenti fit per gratiam habitualem ex Concilio: ergò etiam ea, quę fit extra Sacramentum: ſiquidem Concilium de vna, & eadem iuſtificatione loquitur, cum ait: fieri aut per baptiſmum, aut per votum eius: aliàs æquiuocè, & confusè loqueretur, & ad hanc iuſtificationem à ſe deſcriptam diſputationes aſſignat. Deindè: quia valdè diminuta eſſet doctrina Concilij: nec hæreticis omninò reſtitiſſet, quorum errores vniuerſales erant: & ad omnem iuſtificationem tàm intra, quàm extra Sacramentum. Imò illi præcipuè loquuntur de iuſtificatione extra Sacramentum: ergò doctrina Concilij debuit eſſe vniuerſalis, & de modo iuſtificationis extra Sacramentum: in quo pręcipue errabant hæretici. Meminit verò baptiſmi: quia prima iuſtificatio in lege gratiæ, regulariter fit per baptiſmum in re ſuſceptum, & ſemper in eius voto: & quia modus, & cauſa iuſtificationis formalis vnica ſemper eſt.

Præterea ponderandum eſt id, quod dicit Concilium, dum docet; hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa conſequitur, &c. Vult enim ſine dubio diſpoſitiones, quas præcedenti cap. enumerauit tales eſſe, vt ad eas ſtatim iuſtificatio conſequatur. Hoc autem certiſſimum eſt de dilectione, & cõtritione perfecta: de attritione verò extra Sacramentum eſt omninò falſum, & cum Sacramento adhuc non eſt certum de fide: quia nondum eſt ab Eccleſia expreſsè definitum talem attritionem cum Sacramento iuſtificare: ergò per illam diſpoſitionem non intelligit ſolam attritionem, ſed contritionem etiam compræhendit. Confirmatur. Nam in cap.6. docet de hac diſpoſitione ſcriptum eſſe; Confide filij, remittuntur tibi peccata tua; illa autem cofidentia fuit vera contritione formata: aliàs minimè

nimè obtinuiſſet remiſſionem peccatorum, quæ extra Sacramentum abſque contritione numquam obtenta fuit in adultis. Tandem can. 3. ita habet Concilium: Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus Sancti inſpiratione, & eius adiutorio, hominē credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. Ex his verbis nemo negare poteſt, loqui Concilium de dilectione perfecta, & ſuper omnia, & de perfecta pœnitentia per contritionem; Sicut enim credere, ſperare, &c. dicit actus fidei, ſpei, quæ ſunt virtutes Theologicæ; ita, & diligere dicit actum charitatis erga Deum, quæ eſt virtus Theologica: ſed dilectio Dei, de qua hic loquitur Concilium eſt diſpoſitio ad iuſtificationem: hoc enim ſignificat illud: ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur: Nam illa particula (vt) habitudinem dicit vnius ad alterum, quæ non poteſt eſſe niſi diſpoſitionis ad formam. Quis etiam non videat, dilectionem Dei, de qua ibi eſt ſermo, diſtingui à forma iuſtificationis cum dicat, neminem diligere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur? Hic verò non loqui Concilium de iuſtificatione dūtaxat, quæ fit per Sacramentum, eſt euidens: quia ad iuſtificationem in Sacramento non requiritur dilectio Dei ſuper omnia, quæ tamen neceſſaria eſt ad iuſtificationem, de qua loquitur hic Concilium; cum dicat: ſicut oportet, &c.

Ponderemus Tridentinum in ſeſſ. 14. cap. 4. vbi dicit: contritionem fuiſſe omni tempore neceſſariam ad impetrandam veniam delictorum, & in homine poſt baptiſmum lapſo, reparare ad remiſſionem peccatorum. Nunc ſit tale argumentum: Actus non impetrat ſuum effectum formalem; quis enim dicet per dilectionem impetrare hominem, vt diligat Dum? neque actus diſponit ad ſuum effectum formalem, ſed per ſe confert illum: ſed contritio impetrat remiſſionem peccatorum, & præparat ad illam; ergò non eſt cauſa formalis, ſed diſpoſitiua ſolum remiſſionis peccatorum.

Reſpondet Vaſquez cap. 9. numero 103 Contritionem diſtinguere Concilium à forma iuſtificante. tamen nōn eſſe ſermonē de contritione perfecta, ſed de contritione in vniuerſali; non quidem, quod omnis contritio fuerit neceſſaria ad impetrandam veniam, & diſtinguatur à forma iuſtificante; ſed quod aliqua contritio, nempè imperfecta fuerit ad id neceſſaria, & à forma iuſtificante diſtinguatur. Fateor Concilium loqui de contritione in communi, non in ſenſu à Vaſquez adducto, excludente perfectam contritionem; ſed quod loquatur de contritione, prout eſt communis ad perfectam, & imperfectam, quæ eſt attritio. Hoc conſtat ex eo, quod in initio Capitis definit contritionem: quod ſit animi dolor, ac deteſtatio de peccato cōmiſſo cū propoſito nō peccādi de cętero: quod eſt cōmune contritioni perfectæ, & imperfectæ. Dico tamen doctrinam Concilij potiſſimum verificari de contritione perfecta: Et probo. Nam de illa contritione verificatur; quod ſit impetratio veniæ, & remiſſionis peccatorum, de qua aſſerit Concilium fuiſſe omnī tempore neceſſariam ad talem veniam, & remiſſionem: Sed contritio imperfecta, quæ attritio eſt, non fuit omni tempore neceſſaria: quia ſine illa poterat quis iuſtificari, non tamen abſque contritione perfecta: vt patet in lege veteri, vbi abſque perfecta contritione nemo adultus iuſtificabatur; ergò perfecta contritio verè impetrat iuſtificationem, ergo hæc non eſt effectus formalis eius. Quod verò ait Vaſquez Concilium non dixiſſe, contritionem fuiſſe neceſſariam omni tempore ad iuſtificationem, ſed ad veniam peccatorum: ego non capio, quam vtilitatem ipſe Vaſquez ex iſta ſua doctrina reportet: Si quidem per veniam intelligit, veniam peccati, & eius remiſſionem, quæ abſque iuſtificatione non fit. Deinde, quod Concilium de contritione etiā perfecta intelligat impetrare remiſſionem peccati, patet: quia de contritione, quæ impetrat hanc remiſſionem, intelligit, fuiſſe dictum à Dauide: Tibi ſoli peccaui. Clamaui in gemitu meo lauabo per ſingulas noctes lectum meum, &c. His autem verbis ſignificaſſe Prophetam veram, & perfectam contritionem, nemo eſt qui non fateatur: & ſignificat Concilium, cum ibidem dicit: Hos clamores ex vehementi quodam odio actæ vitæ, & ingenti peccatorū deteſtatione manaſſe. Confirmo, quia paucis interpoſitis, incipit loqui in particulari de contritione imperfecta

fecta

Digitized by Google

fecta vt ſic, dicens: Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, &c. ergo antea loquebatur de contritione perfecta, aut de contritione, prout comprehendit contritionem perfectam, & imperfectam.

PROPOSITIO IV.

Conſiderantur motiua, deſumpta ex Tridentino à Patre Vaſquez verſus noſtra aſſerta.

Pater Vaſquez conatur oſtendere, ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. & 7. non colligi dilectionem Dei, & contritionem perfectam eſſe diſpoſitionem, & remiſſionem peccat. Ait ergò Vaſquez num. 88. in ſeſſ. 6. cap. 6. Tridentini non eſſe ſermonem, de diſpoſitionibus, quæ ſimul tempore ſunt, cum remiſſione peccati, & iuſtificatione; ſed de illis, quæ antecedunt tempore, quas vocamus remotas, qualis eſt attritio. Præterea, quod nomine dilectionis non intelligit Concilium dilectionem perfectam, quæ eſt charitatis; ſed imperfectam; & per odium, & deteſtationem, non intelligit contritionem perfectam charitate formatam; ſed imperfectam, quæ eſt attritio. Quod verò ita dicendum ſit; colligit Pater Vaſquez, primo ex verbis concilij cap. 7. ibi enim dicitur; diligere incipiunt: non dixit diligere ſuper omnia, quæ eſt dilectio charitatis; ſed diligere abſolutè, quòd de imperfecta verificatur. Deindè: quia Concilium data opera dixit: diligere incipiunt, &c. Et non dixit, diligunt, vt denotaret imperfectam, & inchoatam dilectionem, quæ nondum eſſet charitatis. Secundo: quia diligere illum tamquam omnis iuſtitiæ fontem, dicitur, quod fit per actum concupiſcentiæ, per quem diligimus Deum, vt bonum noſtrum, & fontem, ac datorem iuſtitiæ: per amorem verò charitatis, diligimus propter ſe. Tum quia ſubditur: Et inde mouentur aduerſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, &c. vbi illud (aliquod) diminuit, & indicat non eſſe odium perfectum caritate: aliàs cur appellaſſet odium aliquod, & non odium abſolutè? Præterea: quia ſic videtur declaraſſe Concilium; Nam declarans quale debeat eſſe hoc odium, & deteſtatio peccati, ſubdit: hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agere oportet: at ante baptiſmum non eſt neceſſe agere pœnitentiam perfectam, ſed ſufficit attritio; ergò ibi eſt ſermo de contritione imperfecta. Quod etiam ſolùm agatur de iuſtificatione, quæ fit per baptiſmum in re, ex eo patet: quia cap. 8. ſolus baptiſmus aſſignatur cauſa inſtrumentalis noſtræ iuſtificationis: at baptiſmus ſolum eſt cauſa iuſtificationis, quæ fit cum ipſe actu ſuſcipitur. Tum quia vt patet ex titulo capitis, & ex omnium ſententia ibi agitur de iuſtificatione impij: impius verò propriè dicitur infidelis: iuſtificatio autem infidelis fit per baptiſmum; ergò, &c.

Laudo ſpeculationē Vaſquez; tamen dico Conciliū aſſignare dilectionē, & contritionē perfectam pro diſpoſitione ad iuſtificationem, illamq; diſtinguere à forma iuſtificante. Hinc cenſeo Concilium loqui de iuſtificatione in communi, ſiue fiat per Sacramentum in re: ſiue per Sacramentum in voto: imò exiſtimo non ſolum loqui de iuſtificatione, quæ fit in ſtatu legis Euangelicæ, ſed etiam de ea, qua iuſtificabantur peccatores ante legem Euangelicam: Ex quo dum enumerat diſpoſitiones ad iuſtificationem, omnes enumerat tàm remotas, quàm proximas, tùm quæ tempore antecedunt, quùm quæ ſimul ſunt cum illa doctrina, ergò illa capitis ſeptimi, quod cauſa formalis noſtræ iuſtificationis ſit iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus: ſed qua nos iuſtos facit: Et quod hæc ſit nobis inhærens, communis eſt vtrique iuſtificationi, tàm legis veteris, quàm nouæ, tùm ei; quæ fit per Sacramentum in re, quùm in voto. Rurſus quòd dicitur cap. 5. Exordium iuſtificationis eſſe ſumendum à Deo, &c. commune eſt diſpoſitioni remotæ, & proximæ. Et cap. 7. dicitur: hanc, &c. iuſtificatio ipſa conſequitur: non dixit medio Sacramento, ſed conſequitur abſolutè, vt notaret ſermonem eſſe de omni iuſtificatione, tàm infra, quàm extra Sacramentum. Præterea: ob id in cap. 1. promiſit Concilium, tàm naturam, quàm legem inutilem extitiſſe ad homines iuſtificandos, & neceſſarium fuiſſe aduentum Chriſti, vt nos iuſtificaret, & ſignificaret ſe ſuſcipere diſpoſitionem de omni iuſtificatione tàm in lege naturæ, quā in lege veteri, & Euangelica, Confirmatur

tur ex locis Scripturæ adductis à Patribus in illis capitibus ad confirmandam ſuam doctrinam. Zachariæ 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: vbi petitur conuerſio hominis ad Deum, tanquã diſpoſitio præuia ad conuerſionem Dei in hominem: Deus enim non cenſetur conuerſus ad peccatorem, à quo auerſus fuit per peccatum, quouſque peccator per contritionem perfectam ſe conuertat ad Deũ. Et cap. 6. adducitur locus ex primo Regũ 7. Præparate corda veſtra Domino, &c. Quod autem intelligatur de præparatione per contritionem perfectam, & dilectionem Dei ſuper omnia, patet ex verbis antecedentibus: In toto corde veſtro conuertimini ad Dominum; conuerſio autem ex toto corde, eſt contritio, & dilectio perfecta.

Ponderandum hic, quod hæc dicta ſunt ad peccatores illius temporis, quando ſola attritio cum Sacramento non ſufficiebat ad remiſſionem peccati. Non me latet, quod aliqua loca Scripturæ, quæ adducuntur in illis capitibus, intelligi poſſunt de contritione imperfecta: vt illud Actuum 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſq; veſtrum. Tamen hoc confirmat, noſtram ſententiam: quod Concilium loquatur in illis capitibus de iuſtificatione in cõmuni, tã de ea, quæ fit cũ Sacramẽto in re, quã in voto, & de diſpoſitionibus remotis, & proximis ad iuſtificationẽ, nec nocent, quæ adducuntur à Vaſquez: primo nõ obſtat, quod dicit per illud odiũ, & deteſtationẽ, quam Concilium ait præparare ad iuſtificationẽ, intelligi contritionem imperfectam: nam de eadem contritione eſt hic ſermo, de qua loquitur Concilium ſeſſ. 14. cap. 4. vt etiam in margine adnotatur: ſed ſeſſ. 14. cap. 4. manifeſtum eſt, propriè eſſe ſermonem de contritione perfecta, vt oſtendimus ſupra, ergò de eadẽ intelligitur ſeſſ. 6. cap. 6. Nec officit, quod dicit per odium aliquod: illud enim aliquod non diminuit perfectionem odij. Non enim dixit per aliquale odium, quod ſonat imperfectionem, ſed aliquod, quod de perfecto etiam verificatur. Quod autẽ intelligat Conciliũ de dilectione perfecta, quæ eſt ſimul cum iuſtificatione, patet quia de eadem dilectione loquitur hic c. 6. de qua loquitur poſtea can. 3. dum definit, debere procedere ex inſpiratione Spiritus Sancti, vt iuſtificationis gratiam conſequamur: Nam hic Canon illi capiti reſpondet, & doctrinam traditam in eo capite in ſummam redigit, ac definit: ſed dilectio, de qua eſt ſermo Can. 3. eſt dilectio perfecta charitatis, vt probatum eſt: ergò etiam de illa, de qua eſt ſermo cap. 6. Haud etiam difficultatem facit, quod dicitur: diligere incipiunt. Verè enim incipit quis diligere ex charitate perfecta, cùm primo illam elicit. Nec illud tanquam totius iuſtitiæ fontem, &c. indicat eſſe ſermonem de amore imperfecto concupiſcentiæ: nam illud tanquam fontem, non accipitur reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè: quaſi dicat; incipiunt Deum diligere auctorem, & fontem totius iuſtitiæ, tamen propter ſe: Nam ex eo, quod Deus conſideretur, vt actor alicuius boni noſtri, mens inſurgit, vt ipſum propter ſe, & propter illam fontalem bonitatem amore amicitiæ proſequatur.

Neque obſtant illa alia verba, quæ addit Concilium ad declaranda priora; hoc eſt per illam pœnitentiam, quam oportet agere antè baptiſmum. Ex hoc enim non ſequitur ſolum loqui Concilium de contritione imperfecta, quæ eſt attritio. Vnde ponderandum eſt, non dixiſſe Concilium, quam oportet agere cum baptiſmo, ſed antè, intelligit ad remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem obtinendam. Vt enim aliquis iuſtificetur antè baptiſmum, perfectam contritionem agere oportet. Tum etiam, quia Concilium noluit definire, ſicut nec hactenus definitum eſt ab Eccleſia, quod attritio ſola cum Sacramento ſatis, ſit ad iuſtificationem; & ita abſtrahendo ab opinionibus, ſolum petit pœnitentiam ante baptiſmum, ſiuè illa perfecta, ſiuè ſit imperfecta. Moneo tamen hoc vltimum non libentèr à me concedi: videtur enim deſtruere ſententiam Concilij, ſenſum priorum verborum iuxta noſtram interpretationem. Nam ſi per illud odium, & deteſtationem intelligit contritionem perfectam, charitate formatam, quomodo poſtea ſubdit: hoc eſt per eam pœnitentiam, quam oportet agere ante baptiſmum? Nam ſi per hanc pœnitentiam, intelligit, ſiue perfectam, ſiuè imperfectam, non potuit intelligere per illud odium perfectam cõtritionem: ſiquidem hæc verba declarant priora: ergo ſi hæc intelligit Concilium de

pœni-

Digitized by Google

pœnitentia abſtrahente à perfecta, & imperfecta; etiam priora. Placet ergo prior reſponſio: Et addimus, licèt attritio ſufficiat cum baptiſmo ad iuſtificationem, tamen abſolutè eſt verum dicere, quo aliquando oportuit agi perfecta pœnitentia ante baptiſmum, nempè in lege naturæ, & in lege ſcripta. Et ſi dicas, quod Concilium non dixit, quam agere oportuit, ſed quam agere oportet ante baptiſmum: quod videtur ſignificare ſe loqui de pœnitentia præmittenda ante baptiſmum, & in hoc ſtatu legis nouæ. Tamen dico, etiam in hoc ſtatu aliquando oportere agere perfectam pœnitentiam ante baptiſmum, nempè quandò non eſt eius copia. Si autem dicas hoc eſſe per accidens in ſtatu noſtro. Reſpondeo: doctrinam Concilij in his capitibus per ſe tradi ad omnem iuſtificationem pro quocunque caſu, & euentu vniuerſali.

Vltimo: Non obſtat, quod dicebat Vaſquez Concilium ſolum agere de iuſtificatione cum Sacramento in re ſuſcepto. Cõtrarium enim ſupra oſtendimus ex eodem Concilio aſſerente, iuſtificationem fieri, aut per Sacramentum, aut per votum eius. Meritò autem aſſignat pro cauſa inſtrumẽtali baptiſmum: quia agit de iuſtificatione, quæ fit per Sacramentum in re, aut in voto: Cùm vero iuſtificamur per Sacramentum in re, baptiſmus eſt cauſa inſtrumentalis iuſtificationis: iuſtificatio etiam peccatoris, ſiuè intra Sacramentum, ſiuè extrà generalitèr appellatur iuſtificatio impij.

PORPOISTIO V.

Proponuntur, & ſoluuntur motiua, impugnantia noſtram Propoſitionem: Initium ſit à primo.

PRimum motiuum aſſumitur ex Sacra pagina docente Sanctitatem eſſe, prædicatum de ſe conueniens dilectioni perfectæ Dei. Fauet illud Ioannis 14. Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, &c. ergò qui diligit Deum, diligetur à Deo, & Deus manet in eo: ergò cum in hoc ſtet Sanctitas noſtra, clareſcit nos reddi iuſtos, & Sanctos per dilectionem, qua Deum diligimus; Facillimo negotio huic auctoritati & cõſimilibus ſacræ paginæ reſpondemus media diſtinctione, ſcilicet dilectionem nuncupari ſanctitatem noſtram, non quaſi ſit forma ſanctificans, ſed quia eſt diſpoſitio ad illam: hac eadem ratione apud ſacram paginam dicitur, eleæmoſynam extinguere peccata, ſicut aqua extinguit ignem: & eſt ſenſus: homines beneficio eleæmoſynæ impetrare à Deo peccati expulſionem. Simili modo aimus per dilectionem Dei impetrari ab homine formam iuſtificantem. Eadem doctrina reſpondemus, & ſoluimus obiectiones deſumptas à Vaſquez ex Sanctis Patribus contra nos. Quod verò maximo cum fundamento ita poſſemus Sãctos Patres, euincitur ex eo, quod Patres dicunt Sanctitatem nobis præmitti in præmium noſtræ dilectionis. Hinc Chyſoſtomus hom. 5. de pœnitentia hæc habet verba: Expectat cõuerſionem noſtram Deus, vt reuertamur ipſi ad gratiam: Expectat lachrymas, vt profundat pietatem ſuam. D. Auguſt. in Enchiridion cap. 65. ſic fatur: nec de magnis criminibus deſperanda eſt miſericordia Dei agentibus pœnitentiam. Et explicans illud Pſalmi 144. Miſericors, & miſerator Dominus, longanimis, & multum miſericors, ait Deus conuerſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi tuæ, diem craſtinam non promiſit. Patet ergò iuſtificationem dari in præmium noſtræ dilectionis. Vndè dilectio perfecta Dei, tantum eſt diſpoſitio ad formam iuſtificantem. Moneo nonnulla Sanctorum Patrum aſſerta fore intelligenda, non de actu dilectionis, ſed de charitate habituali, quæ eſt realiter gratia. Quando ergò Auguſtinus de natura, & gratia cap. 45. inquit: Charitatem ipſam eſſe veriſſimam, & perfectiſſimam iuſtitiam: & quando Bernardus ſerm. 3. de timore Dei, docet, dilctionem Dei eam eſſe, per quam anima fit ſimilis, & conformis Deo: Et rurſus, quod dilectio maritat animam Deo, &c. Reſpondemus: dicta Sanctorum Patruum, eo in ſenſu interpretanda eſſe, vt velint dilectionem Dei eſſe diſpoſitionem ad formam ſanctificantem. Maritat ergò diſpoſitiuè tantum.

Secundum motiuum. Si homo exiſtens in peccato aſſumeretur, ſeu eleuaretur ad Deum clarè videndum, & diligendũ abſq; habitu

Digitized by Google

habitu gratiæ, & luminis gloriæ; negaret nemo eum fore beatum: quippè beatitudo non in habitu, quinimò in operatione ſita eſt: ergò tunc fatendum eſt illum fore Sanctum, iuſtum, & à macula purgatum; ergò cum dilectio patriæ, & viæ ſint eiuſdem rationis, ſicut in patria iuſtificaret, & emundaret à peccato, ſic, & in via. Reſpondemus primò, negando, quod ſupponitur à Vaſquez de identitate amoris viæ, & patriæ; quippè Scotus in 4. d. 49. docuit nos amorem viæ, & patriæ ſpecie diſtingui. Hinc habetur, quòd, & ſi dilectio beatifica foret forma ſanctificans; id tamen minimè præſtaret dilectio viatoris. Reſpondemus 2. motiuum Vaſquez procedere non de potentia Dei ordinaria, ſed abſoluta: ſupponit quippè ſine habitibus luminis gloriæ, & charitatis hominem aſſumptum ad claram Dei viſionem, & dilectionem; noſtra verò Propoſitio diſputat de iuſtificatione ſecundum præſentem ſtatum, ſeu legem Diuinam. Dicendum igitur, quòd in caſu præſuppoſito à Vaſquez, tunc miſericors Deus remitteret peccatum, non ex vi formalis iuſtificationis, quam homo tunc haberet beneficio illorum actuum; ſed haberet tale beneficium per ſolam extrinſecam condonationem: quod eſſe poſſibile Deo de potentia abſoluta, docebit propria Propoſitio infra ponenda. Quòd ſi nollet Deus talem condonationem præſtare, reſtaret homo ille in peccato habituali: quòd de potentia abſoluta minimè eſt incompatibile cum dilectione ſupernaturali; nec in via: quia poſſet Deus peccatori contrito non condonare peccatum; nec etiam in patria in illo caſu, etiamſi coniuncta eſſet dilectio cum clara viſione Dei.

Impugnabis; ergò iam eſſet ſumma fœlicitas, nempè beatitudo, cum ſumma miſeria ſimul, nempè cum peccato. Reſp. primò: ſummam fœlicitatem phyſicam, & moralem, non poſſe eſſe cum ſumma miſeria morali; verùm ſumma fœlicitas phyſica tantum, quæ conſiſtit in actu phyſico, quo Deus attingitur, vtiquè poteſt de potentia abſoluta ſtare cum ſumma miſeria morali peccati: quia Deus voluit remittere miſeriam illam, per cuius remiſſionem cōpletur ſumma fœlicitas phyſica, & moralis hominis, Reſp. 2. Illam tunc non fore perfectam beatitudinem, ac proindè ſummam fœlicitatem abſolutè: quia etſi haberet aliquam Dei viſionem, dilectionem, & fruitionem; tamen, vt acutè notauit Scotus, illa non eſſet ſufficiens ad beatitudinem perfectam: non enim in eo caſu eſſet ille ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Tum, quia deficeret ab eo perfectiſſima entitas gratiæ habitualis, in qua conſiſtit decor, & pulchritudo ſupernaturalis, defectu cuius non eſſet ſummè fœlix homo ille. Tum, quia ille actus amoris v.g. defficeret ab illa perfectione, quam præſtaret habitus. Moneo tamen, quòd quando Deus illi homini non infunderet gratiam, reſtaret ille miſer moralitèr per peccatum, & ſi eſſet fœlix phyſicè per beatitudinem. Non eſt autem contradictio, vt quis ſit miſer moralitèr, & fœlix phyſicè: etenim cōtradictio debet eſſe reſpectu eiuſdem, quòd tunc eſſet, quando aliquis foret miſer phyſicè, & fœlix phyſicè: non autem ſi foret miſer moralitèr, & fœlix phyſicè. Ratio eſt: quia iſta non opponuntur: nam oppoſitio debet eſſe inter res eiuſdem generis: quòd haud eſſet in caſu aſſumpto à Vaſquez: etenim peccatum pertinet ad genus morale, & fœlicitas phyſica non ad genus morale, ſed phyſicum.

Tertium motiuum. Per actum charitatis præcisè, & amori circumſcripto habitû, diceretur homo vnus ſpiritus cum Deo, ac proindè iuſtus, & rectus, ſeu benè ordinatus cum ipſa regula Diuina: ergò nō eſſet iniuſtus. Reſp. quòd fieri hominem vnum ſpiritum cum Deo, minimè eſt vniri Deo ſolo affectu actuali; quinimò eſt eius ſpiritum intimè, & permanentèr participare, quod fit medio habitu. Hinc non concedimus hominem vnum ſpiritum fieri cū Deo per ſolam dilectionem. Similitèr negandum eſt, reddi hominem iuſtum, rectum, & benè ordinatum propriè, vt ſumitur cum habitu, & cauſa formali iuſtificationis: ſic enim non intelligitur rectitudo, quæ fit per affectum, ſed rectitudo eſſentialis permanens, & permanentèr conſtituens hominem filium Dei. Quando autem dicitur: qui diligit Deum, vnus ſpiritus eſt cum Deo; intelligitur de potentia ordinaria; quatenus gratia habitualis, per quam formalitèr fit vnus Spiritus cum Deo, connexa eſt infallibilitèr cum diſpoſitione amoris. Replicabis. Actus eſt per-

Digitized by Google

fectior habitu: ergò per actum magis perfectè adhæremus, & vnimur Deo, quàm per habitum; ergò per actum magis efficimur vnus ſpiritus cum Deo. Reſp. omittendo Antecedens, negando conſequentiam, quam etiam Vaſquez negaret loquẽdo de ſanctificatione, vt illa ſe habet de facto: nam idem Vaſquez fatetur gratiam habitualem defacto eſſe formam iuſtificationis. Ratio autem quare negatur, ea eſt: quia eſſe formam iuſtificationis impij, non conſiſtit in maiori perfectione entitatiua formæ, ſed in hoc, quod ſit maior in gratia in genere gratiæ, & fauoris, talis videlicèt gratia, per quàm nobis Deus reddatur amicus, & placatus. Vnde ſit, quòd ſi de potentia abſoluta Deus remitteret peccatum, & redderetur nobis placatus, & amicus ſine gratia habituali; vt eſſe poſſibile, propria docebit Propoſitio; ſic eſſe amicum, & placatum, abſquè dubio eſſet noua gratia in genere gratiæ, & in genere gratiæ eſſet maius donum, & beneficium, quàm auxilium quòd nobis tribuit. vt diligamus ipſum, & diſponamur ad remiſſionem peccati. Ita ſimilitèr in præſenti, & ſi demus, quòd contritio ſit entitatiuè perfectior, quàm gratia habitualis, non inde infertur nos reddi amicos Dei per contritionem, ſed per habitualem gratiam, quæ ſaltem in genere gratiæ liberalitatis, & beneficij, quo efficimur amici, & filij Dei; quomodo licèt in genere entis diſpoſitio eſſet magis perfecta, quàm forma; ſufficit, quòd in genere, gratiæ, forma ſit perfectior quã diſpoſitio. Nota, quòd etiam dato perfectiorem eſſe actum, nulla tamen eſt conſequentia: quoniam gratia, ſeu remiſſio peccati minimè fit formalitèr per conuerſionem, & adhæſionem hominis ad Deum, ſed per reſpectum Dei ad hominem, id eſt per eam formam, quàm Deus ponit in homine cum intentione remittendi peccatũ, & per quam incipit illum diligere, vt amicum: auxilium autem, quod dat Deus ad contritionẽ, non eſt quo ſe cõuertit ſeu reſpicit hominem, vt amicum, ſed vt ſe præparet homo, & diſponat ad amicitiam. Vnde clareſcit differentia inter peccatum, & gratiam: peccatum enim debet eſſe ab homine, & ideo eſt actus, gratia verò à ſolo Deo, & proindè eſt habitus. Accedat altera reſponſio, & conſiſtit in negatione antecedentis, præcipuè de actu ſupernaturali reſpectu habitus: etenim habitus ſupernaturalis ſimplicitèr, & abſolutè eſt perfectior, quàm actus, licèt ſecundum quid propter actualitatem, ſeu vitalitatem actualem dicatur actus perfectior. Quòd autem habitus ſupernaturalis perfectior ſit abſolutè ſuis actibus, ex triplici capite prouenit, Primò: quia habitus ab intrinſeco eſt quid permanens; actus autem ab intrinſeco quid tranſiens, & ſi ab extrinſeco, & per accidens permanens eſſe poſſit. Secundo: quia habitus præſertim ſupernaturalis eſt principium dans poſſe, ac proinde eſt quaſi potentia reſpectu ſuorum actuum; talitèr, quòd actus ſupernaturalis nequeat phyſicè augere, ſicut nec producere habitus ſupernaturales. Vnde ſicut conceditur potentias naturales, quas non poſſunt nec producere, nec augere actus, eſſe ſimplicitèr quid perfectius ſuis actibus; ſic ſimilitèr concedendum eſt de habitibus ſupernaturalibus. Vnde quidquid actus naturalis eſt perfectior ſuo habitu, quem, & producit, & auget, & à quo ſimplicitèr non producitur; hoc non currit in ſupernaturalibus, imo in eis comparatio debet fieri, ſi fiat cum naturalibus reſpectu actus, & potentiæ, non tamen reſpectu actus naturalis cum habitibus naturalibus: vnde ſicut potentia naturalis perfectior ſuo actu, ſic, & habitus ſupernaturalis ſuo actu perfectior eſt.

Replicabis; quòd actus charitatis talem oppoſitionẽ habet cũ actu peccati mortalis, vt de potentia abſoluta nõ poſſit cõparari cũ illo; & iſtam oppoſitionẽ non habet gratia habitualis: ergò perfectior eſt actus charitatis, quàm habitus. Conſequentia probatur: nam illud eſt perfectius ens, quod habet maiorem repugnantiam cum eo, quod eſt peius, iuxta regulam Ariſt. 2. Ethicorum cap. 3. aſſerentis; illud eſt melius, cuius oppoſitum eſt peius. Accedat altera Confirmatio: Illud eſt perfectius, quòd magis recedit à ſummo malo, & accedit ad ſummã regulam rectitudinis: ideo enim Deus eſt ſummè perfectus, quia non poteſt deuenire à ſua regula rectitudinis. Secundò: gratia ordinatur ad actum charitatis precipuè patriæ, tanquam ad finem vltimum; ergò eſt imperfectior illo. Tertio; Illud eſt perfectiſſimum, per quod con-

conſumatur noſtra vltima, & perpetua fœlicitas; ſed per actum beatificum amoris Dei conſtituitur, & conſumatur noſtra perfectiſſima, & perpetua fœlicitas: ergò &c. Quarto: Actus amoris beatifici, vtpotè non amiſibilis, potiorem habet rationem amabilitatis; ergò, & bonitatis, ſeu perfectionis, quàm gratia viæ, quæ deperdi poteſt.

Reſpondetur in primis: ſi ex incõpoſſibilitate actus cum peccato propter modum vitalitatis, deduceretur maior perfectio in habitu, vtique ſequeretur, quòd actus naturalis efficax amoris Dei, qui ſecum nullatenus compatitur actum peccati, eſſet perfectior, quàm habitus ſupernaturalis gratiæ; ac proinde illo actu iuſtificaremur, eſſetquè ſimiliter perfectior ſua potentia naturali, idemquè contingeret in actu naturali, quo quis efficacitèr decerneret obedire Deo in omnibus; cum quo non compatitur grauis aliqua violatio præcepti: vnde neganda eſt conſequentia. Ad probationem illius dicendum, quòd quando duo ita ſunt ſubordinata, vt vnum ſit radix ſimplicitèr, ſeu potentia reſpectu alterius, non ideo, quia illud alterum, ſcilicet effectus, ſeu actus ſecundus illius radicis, magis immediatè opponatur maiori malo, perfectior eſt talis actus, quàm ſua potentia, vel cauſa habitualis: nam actus ſecundus eſt perfectio debita potentiæ, cui eſt ſubordinatus, & in qua eminentèr ſimplicitèr continetur, vt ſatis apparet in exẽplis ſupra allatis. Sic ergò in caſu noſtro: cum actus charitatis ſit effectus ſimplicitèr proueniens ab habitu ſupernaturali: erit autem ſignum maioris perfectionis, quando comparatio fiat inter actus, & potentias omninò ſubordinatas alteri, tanquam radici, aut principio ſimplicitèr ſic, quòd illud non ordinetur alicui vt illi deſeruiat: & ſic optimè intelligitur Ariſt. Hinc patet ad primam confirmationem: nam licèt actus charitatis ſecundum ſe conſideratus, importet hanc perfectionem, qua magis accedit ad regulam ſummæ rectitudinis propter vitalitatem actualem, quam perfectionem formalitèr non habet habitus charitatis; importat tamen habitus illam perfectionem quaſi eminentialitèr, quatenus eſt principium illius perfectionis, quam habet ſibi propriam, vt potè ſibi connaturalitèr debitam; imò aliquid amplius habet, quòd non habet actus, eſſe, videlicet, principium productiuum eius.

Dices: ergò ſaltem gratia ſub ea formalitate, qua dicitur gratia, non erit perfectior, quàm actus. Patet conſequentia: quia ſub illa formalitate non reſpicit actum, vt principium illius, ſed tantum ſubiectum, quod facit gratum, Reſp. quòd maximè mihi probabile eſt diſtinctionem gratiæ à charitate tantum eſſe rationis, quæ non impedit perfectionem dictã realem. Deinde, licèt ex natura rei diſtinguerentur, adhunc gratia in ratione gratiæ, illam perfectionem haberet: intelligeretur enim tunc quaſi radix charitatis, cui charitas debet identificari ſecundum eandem realitatem, ad eum modum, quo anima dicitur in opinione Scoti radix potentiarum; ac proinde haberent dictam perfectionem de primo ad vltimum reſpectu actus charitatis. Ad ſecundam confir. reſpondetur, quòd actus eſt finis vltimus formalis, ſeu tanquam quo, hoc eſt, quo mediante attingitur, ſeu adipiſcitur obiectũ, vel finis vltimus obiectiuus: licet, ergò de ratione vltimi finis obiectiui; id eſt Dei, ſit eſſe ſimplicitèr perfectius, quàm omne illud, quod id ipſum ordinatur; non tamen de ratione illius finis, qui ſe habet, vt quo, ſeu vt medium quo attingitur ipſe finis vltimus. Cuius rei manifeſtiſſima exempla habemus.

Aliud argumentum. Quando homo elicit actum contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia, neceſſariò amatur à Deo: ergò neceſſariò iuſtificatur. Probatur Antecedens: quia homo alitèr ſe habet nunc, quàm prius per actum contritionis: ergò ſignum eſt quod ipſum Deus amat: amor enim Dei notificatur ex effectibus: quia cum non ſit vacuus, & vanus, quemcunquè amat, aliquo dono afficit; ſed iſte eſt affectus dono, ſcilicet auxilio mediantè, quo elicit actum contritionis: ergò amatur à Deo, ac per conſequens eſt amicus Dei. Reſp. Verum eſſe, quòd in tali caſu homo amatur à Deo, ſed non amat illum, vt amicum, ſed vt contritum, & diſpoſitum ad amicitiam. Ratio eſt: quia non vult in tali caſu illo actu diligere hominem, ſed diligi ab homine diſpoſito per actum contritionis, qua contritione moueatur Deus ad amandum ipſum hominem. Hinc reſtat,

Digitized by Google

quòd dilectio Dei ſit tantum impetratiua formæ iuſtificantis. Et ſi quæras. Quòd ſi homo ille moriatur in tali ſtatu; foret nè damnatus, vel ſaluus? Reſp. quod periret, & damnaretur. Si vrgeas. Habet eſſe ſupernaturale per talem diſpoſitionem ſupernaturalem; ergò eſt ordinatus ad gloriam: ergò Deus non priuabit illum gloria. Reſ. quod eſſet ordinatus tantum diſpoſitiuè ad gloriam: quia tantum habet eſſe ſupernaturale diſpoſitiuè: hinc non fieret ei aliqua iniuria, ſi ex lege, & ex peccato, vel ordinatione Diuina non ſaluaretur, & priuaretur gloria, ad quam non eſt perfectè acceptus.

PROPOSITIO VI.

Contritio, quam ſupra demonſtrauimus inſufficientem ad reddendum animam Sanſtam, & filiam Dei adoptiuam, non eſt ex ſe potens ab anima expellere peccatum; quinimò non eſt diſpoſitio ex propria natura, ſed tantum ex ordinatione Diuina.

SIC ſuſtinet Scotus in 4. d. 1. quæſt. 6. & d. 15. quæſt. 1. & d. 16. q. 2. & d. 14. q. 2. art. 2. docens illam diſpoſitionem eſſe meritoriam de congruo. Sumus, ergò in voto, contritionis actum minimmè ſua virtute poſſe ab anima peccatum in exiliũ mittere; ſed aimus hominem indigere nouo Dei beneficio poſt elicitam contritionem, vt peccatum expellatur; hinc volumus, ſtante contritione eſſe neceſſariam nouam gratiam, ſeu nouum beneficium, & nouã applicationem meritorum Chriſti. Itaquè duo beneficia præſtat homini Deus. Vnum dando auxilium ſupernaturale, medio, quo potentia aliàs de ſe inſufficiens, reddatur potens producere actum ſupernaturalem contritionis. Alterum auxilium, eſt actualis peccatorum remiſſio. Probatur iſta veritas ex locis Sacræ Scrip. ſupra notatis, in quibus docetur, homini pœnitenti, & contrito, dari in præmium contritionis remiſſionem peccati. Hinc Iſaiæ 35. Reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius; & ad Deũ noſtrũ, quia multus eſt ad ignoſcendum. Ioelis, 2. Reuertimini ad Dominum, qui benignus, & miſericors eſt. Ob idquè canit Eccleſia: Ad te reuerſis exhibe remiſſionis gratiam.

At ſolent Doctores nobis contrarij explicare præfata, & conſimilia loca, de contritione imperfecta, & de attritione; atq; adeò ſolum velint remiſſionem peccati eſſe gratiam, & beneficium diſtinctum à gratia attritionis.

Probo tamen Scripturam non loqui de pœnitentia, & contritione imperfecta, ſed perfecta. Sit prima ratio: Zachariæ 1. dicitur: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos &c. Promittit Deus, quòd poſita conuerſione ex parte peccatoris ad Deum, ſequitur ſtatim conuerſio Dei ad peccatorem: ſed Deus non conuertit ſe ad peccatorem, agentem ſolum pœnitentiam imperfectam; ergò intelligitur de pœnitentia, & conuerſione perfecta. Ioelis, 2. dicitur: conuertimini ad me in toto corde veſtro, & ſcindite corda veſtra, quia benignus, & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia. Quod hic ſit ſermo de perfecta contritione, & dilectione ſuper omnia, indicat illud: in toto corde veſtro, & ſcindite corda veſtra: ſic enim Chriſtus dixit: diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo. Poſita verò conuerſione ad Deum ex toto corde, ſubdit Propheta, Deum eſſe benignum, & miſericordem: ergò, quod poſita contritiõne, & dilectione perfecta, remittatur peccatum, eſt noua gratia, & beneficiũ Dei. Confirmatur ex Ezechiele 18. ſi impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius amplius non recordabor, id eſt, delebo atquè remittam. Quòd verò ſit ſermo de pœnitentia perfecta, patet: quia poſita ſolum pœnitentia imperfecta, non eſt verum ac infallibile, quòd Deus iniquitatem impij non recordabitur; & illa particula, ſi, indicat immediatam conſecutionem remiſſionis promiſſę. Confirmatur: nam alicui pœnitentiæ promittit Deus immediatè remiſſionem peccati; ſed hæc promiſſio non fit pœnitentiæ imperfectæ: quia nec illa poſita ſolum deletur peccatum, nec propter illam eſt certum ac infallibile Deum daturum auxilium efficax ad contritionem perfectam: cum contingat

Digitized by Google

gat non rarò aliquem habuiſſe attritionem, & poſtea non habuiſſe contritionem, talemquè damnari: ergò ſoli pœnitentiæ perfectæ in eo loco facta eſt certa, & infallibilis promiſſio veniæ peccati: ergò expulſio peccati non eſt effectus formalis contritionis: quia in effectu formali formæ, non eſt diſtinctum beneficium à beneficio conceſſionis formæ, ſicut idem beneficium eſt dare alicui albedinem, & facere ipſum album; imo ab eo axpellere nigredinem: nec Deus alicui promittet, ſi habuerit albedinem, futurum eſſe album: quia poſita albedine neceſſariò ſequitur quod ſit albus: ergò cum Deus promittat impio, quod ſi habuerit contritionem perfectam, erit liber à peccatis; ſequitur quòd liberatio à peccatis, nec eſt neceſſario connexa cum contritione, nequè quòd per ſe illam conferat; ſed ſit nouus fauor, & gratia, licèt contritio ad eam diſponat.

Nec obſtat quòd aduerſarij notant apud Ezechielem, 18. non ſolum fieri mentionem pœnitentiæ, ſed etiam adimpletionis aliorum præceptorum, & facere iudicium, & iuſtitiam, & Ioelis. 2. ieiunij: quòd ſi ſermo eſſet de pœnitentia perfecta, non eſſet opus mentionem facere de his: quia habenti perfectam contritionem, ſemper remittitur peccatum, & in ea virtute continetur aliorum præceptorum adimpletio. Hoc non eneruat noſtram rationem: quia licet implicitè cōtineatur in actu pœnitentiæ perfectæ obſeruationes omnium mandatorum, tamen ſuo tempore explicitè debemus exequi, & opere implere omnia alia præcepta: hinc eorum Propheta facit mentionem, vt diſtinctè oſtendat qualis conuerſio, & pœnitentia poſtulatur. Nec quidquam valet reſponſio aduerſariorum; dicentium, in his locis non permitti remiſſionem peccatorum verè pœnitentibus ſed; ſolum declarari vis, & efficacia contritionis; ac ſi quis dicat: ſi ſol illuminauerit aerem, expellentur tenebræ. Item cum Iſaias, 30. dicit: cum conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris; id eſt, ſi conuerſus ingemueris, habebis ſalutem animæ per eandē conuerſionem. Hæc tamen reſponſio ab inconuenienti ſolum eſt adinuenta, ad euadendum vim argumenti: quinimò eſt contra Sanctos Patres, agnoſcentes in huiuſmodi loquutionibus veram promiſſionem remiſſionis peccatorum. Auguſtinus ponderans verba Pſalmi 144. Miſericors, & miſerator Dominus, longanimis, & multum miſericors, ait: Deus conuerſioni tuæ indulgentiam promiſit, ſed dilationi tuæ diem craſtinum non promittit, & illum ſenſum verba iſta ſatis ſignificant. Obijcies nobis. Ioelis 2. poſtquam dictum eſt: conuertimini ad me in toto corde veſtro, & ſcindite corda veſtra &c. additur: quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat: ergò ibi non promittitur remiſſio peccatorum pœnitentiæ perfectæ: alias certum eſſet poſt illam conuerſionem dandam eſſe remiſſionem; cum tamen ſcriptura ſub dubio illam proponat. Et actorum 8. dicitur: pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deū ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Vbi particula, fortè, dubiam reddit remiſſionem: ergò non eſt ibi ſermo de pœnitentia perfecta. Reſp. tamen cum Ambroſio, quòd licèt particula, fortè, videatur dubitationem continere hic, tamen nullam eſſe; ſed, vt Gregorius benè notauit, additur aliquando talis particula ad indicandum arbitrij libertatem, quam diuina præſcientia, & voluntas non tollit; aut difficultatem rei, vel paucitatem facientium, id, de quo agit, aut propter aliud myſterium: imo forſitan aliquando ſignificat certitudinem, iuxta illud Ioannis 8. Si me ſciretis, forſitàn, & Patrem meum ſciretis.

Solent alij reſpondere, doctrinam à nobis notatam eſſe intelligendam de iuſtificatione in ſua prima radice; quatenus à Deo gratis præſtatur peccatori auxilium quo ad iuſtificationem diſponatur; quæ gratia ſufficit adhoc, vt omnia quæ ſequuntur, dicantur dari gratis, etiamſi gratis non dentur, prout ad iuſtificationem conſequūtur præcisè.

Parui momenti hæc eſt reſponſio. Ratio eſt: quia etiamſi in operibus meritorijs vitæ æternæ reperiatur illa gratia radicalis, ſeu antecedens, tamen adhuc Scriptura non dicit gloriam dari gratis: ergò ſi nulla alia gratia daretur, præter illam, quæ ſit in radice, iuſtificatio non diceretur fieri gratis. Accedat altera probatio ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. vbi hanc rem tractat, & ita ait: cum verò Apoſtolus ait, nos iuſtificari gratis, declarat Sancta Synodus in eo ſen-

eo ſenſu accipiendum eſſe, quem perpetuus Catholicæ Eccleſiæ ſenſus tenuit, vt ideo gratis iuſtificari dicamur, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promerentur &c. In iſto decreto nomine iuſtificationis intelligit Concilium formaliſſimum effectum iuſtificationis; quando videlicet per receptionem gratiæ habitualis tranſimus à ſtatu peccati ad ſtatum filiorum Dei: de hac enim loquitur tota illa ſeſſione. Vnde eam iuſtificationem definit cap.4.& 6.& tandem cap.8.eſſe gratis aſſerit: quia eius diſpoſitiones inſufficientes ſunt ad illam merendam, agitquè de diſpoſitionibus ſupernaturalibus, non naturalibus: quandoquidem enumerat fidem, vbi excludens meritum reſpectu iuſtificationis, excludit etiam condignam ſatisfactionem reſpectu peccati.

Probemus etiam noſtram Propoſitionē ratione mephyſicali. Si contritio eſſet diſpoſitio ex natura rei expulſiua peccati, tunc talis contritio opponeretur ex natura rei peccato: at contritio minimè ex natura rei opponitur peccato; ergò contritio minimè eſt ex natura phyſica diſpoſitio ad peccatum. Minorem probo oppoſitio ex natura rei, ſecundum Philoſophum eſt quadruplex, contraria, relatiua, contradictoria, & priuatiua: at nullo horum modorum contritio opponitur peccatò; ergò &c. Minor probatur, non opponitur contrariè: nam ad oppoſitionem contrariam requiritur, quòd vtrumquè extremum ſit poſitiuum: at peccatum pro formali non conſiſtit in poſitiuo; ergò non opponuntur relatiuè: nam peccatum minimè eſt relatio. Non opponuntur contradictoriè: quippè ad talem oppoſitionem requiritur, vt vnum extremum ſit negatio alterius, & peccatum non eſt formaliter negatio contritionis. Non opponuntur priuatiuè: quia quando aliqua opponuntur priuatiuè, vnum eorum neceſſariò debet eſſe in ſubiecto, quando ſubiectum aptum natum, eſt ad illud habendum: ſed nec peccatum, nec contritio debent neceſſario eſſe in homine: quippè homo poſſet dari in pura natura, & eo in ſtatu, nec haberet peccatum, nec contritionem; ergò non opponuntur priuatiuè. Maior patet exemplo de cecitate, & viſu: quia cæcitas, & viſus priuatiuè opponuntur, vnum eorum de neceſſitate debet ineſſe oculo. Sit altera probatio: peccatum priuatiuè opponitur rectitudini debitæ in eſſe actui ſecundo, vt ſuppono cum Scoto in 2. d.37.& in 4. d.16.& vbiquè in ſua doctrina: ergò non opponitur contritio priuatiuè peccato. Conſequentia eſt legitima: quia vni priuationi vna correſpōdet forma: ergò ſi peccatum eſt priuatio rectitudinis debitæ in eſſe, concluditur, quòd peccatum minimè ſit priuatio contritionis, atquè adeò non opponuntur priuatiuè. Accedat aliud argumentum: oppoſita debent eſſe ſub eodem genere: nam contraria dicuntur, quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt: ſed contritio, & peccatum minimè ſunt ſub eodem genere: quippè contritio eſt in genere phyſico, & ſupernaturali, peccatum non ita; ergo peccatum, & contritio minimè opponuntur ex natura rei, ſed tantum ex diuina diſpoſitione, pro quanto Deus ſuo decreto efficaci ſtatuit, ad poſitionem cōtritionis ſupernaturalis condonare peccatum.

PROPOSITIO VII.

Adducuntur, & ſimul ſoluuntur ea quæ noſtram impugnant Propoſitionem.

PRimum argumentum tale eſt: Qui Deū diligit, adhæret Deo, & vnus fit Spiritus cum eo; ergò eſt formalitèr iuſtus: quia amor transformat, & vnit amantem cum re amata. Secundum. Qui diligit Deum, eſt dignus, vt à Deo diligatur amore amicitiæ: ergò eſt iuſtus: cum iniuſti nō ſint digni, vt hoc amore diligantur. Accedat tertium argumentū: efficacior eſt actus contritionis, & dilectionis ab vnoquoquè elicitus, vt per ipſum iuſtificetur, quam fuit peccatum actuale Adami, vt omnes eſſemus peccatores: cum actus contritionis ſint actus proprij, & a propria voluntate liberè eliciti; peccatum verò Adæ fuerit actus alterius ſuppoſiti; ergò ſicut peccatum protoparentis Adami fuit ſufficiens, vt nos redderet peccatores, ita actus dilectionis, & contritionis ſufficientes erunt ex propria natura ad reddendum nos iuſtos.

Ad

Digitized by Google

Ad primum reſpondemus, per ſolam dilectionem Dei adhærere nos Deo, modo ſufficienti ad formalem iuſtificationem, & adhoc, vt ſimus vnus ſpiritus cum Deo; ſed hoc tantum facit ſenſum, nos eſſe in ſtatu proximo, & benè diſpoſiti ad formã iuſtificantem; non tamen deducitur nos actu eſſe vnum ſpiritum cum Deo propriè: requiritur enim præter hoc, quòd Deus etiam nobis adhæreat, & communicet nobis ſuum ſpiritum modo permanenti, quòd ſolum præſtatur per actum amoris, quo Deus infundit nobis gratiam habitualem. Ad 2. negamus hominem exiſtentẽ in peccato, per hoc præcisè, quòd Deum diligat, etiam ſi hoc faciat ex auxilio Dei, reddi dignum, vt à Deo diligatur amore amicitiæ, qui conſiſtit in ordinatione hominis ad vitam æternam, & remiſſionem peccatorum; ſolum per hoc habet diſponi quantum eſt ex parte ſua, adhoc, vt Deus, licèt liberalitèr, infallibilitèr tamen proptèr ſuam promiſſionem infundat gratiam habitualem, quæ eſt forma reddens hominem dignum prædicta dilectione, & amore amicitiæ. Ad 3. dicimus, quòd adhuc data hypotheſi &c. non ſequitur actum contritionis eſſe cauſam formalem noſtræ iuſtificationis; ſed ſolum ſequi eſſe cauſam: ſiquidem actus peccati Adami à quo ſumitur argumentum non fuit noſtrum peccatum formalitèr, ſed effectiuè, & demeritoriè. Moneo tamen nos minimè concedere hypotheſim: negamus enim actum contritionis ab vnoquoquè elicitum eſſe efficaciorem; imo ita efficacem ad noſtram iuſtificationem, ac actus peccati Adami fuit, adhoc vt eſſemus peccatores: quia peccatum proto parentis fuit cõdignè meritoriũ priuationis iuſtitiæ, & gratiæ habitualis in ſuis poſteris proptèr pactum Dei cum illo factum de transfundenda iuſtitia originali in poſteros, quando parens minimè comederet. At actus contritionis elicitus ab homine peccatore non eſt condignè meritorius infuſionis gratiæ, & remiſſionis ſui peccati mortalis; quia eſt actus hominis iniuſti.

Sit aliud argumentum. Suppoſito peccatum, debitum eſt ex natura rei vt homo ſe diſponat ad gratiam ſumma diſpoſitione, quæ eſt poſſibile ipſi homini: ſed ſumma diſpoſitio, quæ poſſibilis eſt homini ex auxilio gratiæ, eſt iſta contritio; ergò contritio eſt ex natura rei ſufficiens diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem. Rurſus ex natura rei eſt ſumma, quæ excogitari poteſt: ergò ex natura rei eſt ſufficiens, & efficax. Reſpondetur, quòd quamuis ſit ſumma diſpoſitio, quam homo habere poteſt, non tamen eſt ex natura rei ſufficiens ad expellendum peccatum: quippè, vt ſupra diximus, non habet contritio ex natura rei oppoſitionem cum peccato, & expulſio ex natura rei debet prouenire à forma ex natura rei oppoſita. Aliud argumentum. In naturalibus actus ex natura rei eſt ſufficiens & efficax diſpoſitio ad habitum: ergò etiam in ſupernaturalibus contritio, quæ eſt actus ſupernaturalis, erit ex ſe, & propria natura diſpoſitio ad gratiam, per quàm formalitèr expellatur peccatũ. Confirmatur diſcurſus: ex eo actus naturalis ex natura rei eſt ſufficiens diſpoſitio ad habitum: quia in genere entis habet proportionem cum habitu ſuo. Rurſus in genere entis reſpicit idem obiectum: ſed totum hoc inuenitur etiam in actu contritionis, & dilectionis, ac in habitu gratiæ; ergò ſicut Deus, aut creatura inferret violentiam, quando non tribuerit habitum naturalem debitum actui naturali, v.g. Logicæ, vel Phyſicæ, ſiue hic actus concurrat in genere cauſæ materialis, ſiuè efficientis, ita etiam inferret violentiam ſi non tribueret hunc habitum gratiæ habenti actum dilectionis. Negatur paritas: quia, vt ſupra obſeruauimus inter diſpoſitionem, ſeu contritionem, & peccatum, non datur oppoſitio naturalis, ſed tantum moralis; quæ tamen oppoſitio realis, & phyſica datur inter actum naturalem, & habitum naturalem: hinc per actus temperantiæ corrumpitur habitus intemperantiæ. Adde, quòd quando aliqua ſunt ex natura rei contrariè oppoſita, vnum eorũ poteſt aliud deſtruere in ſubiecto, vt patet de calore deſtruente frigus, & è contra: ſed contritio non poteſt ex natura rei deſtruere gratiam ſanctificantem; ergò contritio, & gratia minimè opponuntur ex natura rei. Minor probatur: nam ſicut gratia habet eſſe tantum per creationem in probabiliori ſententia, ſic non poteſt deſtrui niſi per anihilationem: ſed nulla creatura poteſt aliquid anihilare ſicut nec creare; ergò ſi homo contritione non poteſt anihi-

anihilare gratiam, contritio non opponitur ex natura rei gratiæ: ergò ex poſitione contritionis non euidentèr habetur expulſio peccati, quæ tantum obtinetur de facto beneficio gratiæ ſanctificantis.

PROPOSITIO VIII.

Contritio non producitur ab habitu gratiæ ſanctificantis.

DIſputat præſens Propoſitio. An actus, quibus vltimò reddimur diſpoſiti perfectè ad gratiam ſanctificantem, procedant ab ipſo habitu gratiæ; an verò ab aliquo ſpeciali auxilio gratiæ actualis ſupernaturalis. Et concludimus vltimam diſpoſitionem ad gratiam habitualem, quæ eſt contritio, vel dilectio Dei, minimè procedere effectiuè ab ipſo habitu gratiæ, quo formalitèr reddimur iuſti, ſancti, & filij Dei adoptiui, ſed volumus produci à ſpeciali quodam auxilio ſupernaturali, præcedente ſaltem natura formam iuſtificantem. Ita habet noſter Scotus in 4. d. 14. q. 2. §. de ſecundo principali, & d. 15. q. 1. Noſter Seraphicus Bonauen. eadem d. 14. prima parte diſtinctionis ar. 2. q. 2. Noſter Pater Vega lib. 6. in Tridentinum cap. 28. & 29. Noſter Corduba lib. 5. q. 2. & multi cum iſtis. Probatur noſtra Propoſitio. Habitualis gratia infunditur homini, quia eſt contritus: ergò talis contritio non poteſt eſſe effectiuè ab eodem habitu gratiæ. Antecedens patet ex dictis per ſuperiora: vidimus enim ex mente Concilij Tridentini contritionem, & dilectionem eſſe diſpoſitionem vltimam ad gratiam habitualem: ergò quia homo diſponitur per contritionem, infunditur ſibi gratia habitualis. Si autem contritio eliceretur ab habitu gratiæ habitualis, & cauſalis, eſſet vera: homo conteritur, quia habet habitum gratiæ, vel habitus gratiæ infunditur illi, vt conteratur; quia habitus ſupernaturalis, ideò infunditur à Deo, vt per illum homo eliciat actus ſupernaturales; ergò hæc eſt vera: quia homo habet habitum gratiæ, vel charitatis, elicit primam contritionem; ſicut quia habet lumen gloriæ, elicit viſionem: ſed hæc propoſitio opponitur alteri cauſali, ſcilicèt: quia homo habet contritionem ideò infunditur illi habitus charitatis: ergò admitti non poteſt. Confirmatur: Nam quia lumen gloriæ datur intellectui, vt eliciat viſionem, proindè non poteſt lumen gloriæ infundi, quia homo habet viſionem: & quia vocatio datur homini, vt ſe conuertat in Deum per amorem, vel contritionem, non poteſt tribui vocatio, quia homo ſe conuertit: at habitus charitatis infunditur homini, vt eliciat actum amoris, & contritionis; ergò non poteſt infundi, quia homo iam habet contritionem: ſed in prima infuſione, ideò infunditur, quia homo elicit contritionem, vel amorem: ergò talis dilectio, vel contritio non elicitur ab habitu charitatis. Accedat aliud argumentum: Effectus cauſæ efficientis nequit eſſe diſpoſitio ad ſuam cauſam efficientem; aliàs viſio poſſet eſſe diſpoſitio ad lumen gloriæ, & conuerſio ad vocationem: ſed contritio prima, & dilectio Dei eſt diſpoſitio ad gratiam, & charitatem habitualem; ergo nequit eſſe effectus eius in genere cauſæ efficientis. Maior illa, ex qua cætera pendent nota, eſt ex terminis: Nam diſpoſitio ad aliquam formam præcedit formam ordine naturæ, & cauſalitatis; ſi autem eſſet effectiuè à forma, forma deberet præcedere: quia cauſa præſertim efficiens prius eſt, & prius exiſtit ordine naturæ, quàm operetur; atque ita ſi contritio eſſet diſpoſitio ad gratiam; & à gratia effectiuè promanaret, eadem contritio, eſſet prior, & poſterior gratia habituali.

Reſpondet Pater Vaſquez cap. 5. nu. 13. gratiam habitualem dari ſingulis, non quia contriti ſunt, ſed vt conterantur: atque adeò non eſt verum: eò quod homo contritus eſt infundi illam gratiam à Deo.

Hanc reſponſionem ſatis reiecimus ſupra vbi oſtendimus ex mente Concilij, cōtritionem perfectam eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem: atque adeò propter illam, tanquam propter diſpoſitionem moralem, quam Deus petit ab homine gratiam iuſtificantem infundi: ait enim Concilium, hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa conſequitur. Et cap. 7. loquens de gratia iuſtificante, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundum propriam vniuſcuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem, ait: ergò proxima ratio, ob quam vni maior, & alteri minor habitualis gratia confertur, eſt propria vniuſcuiuſque diſpoſitio

Digitized by Google

ſitio; ergò hæc cauſalis eſt vera: quia homo conteritur, vel diſponitur tanta contritione, aut dilectione, tanta habitualis gratia illi infunditur; ergo non infunditur, vt conteratur, prout aiebat Vaſquez; nec enim hæc duo poſſunt verificari: quia ſumus tales, datur nobis aliqua forma, & datur nobis eadem forma, vt ſimus tales; ſicut benè aimus cum Paulo: elegit nos vt eſſemus Sancti, non verò elegit, quia ſumus Sancti. Reſponderet Vaſquez; Concilium non loqui de contritione perfecta, ſed imperfecta. Aſt ſimilis reſponſio ſatis abundè à nobis ſauciata manet: nam etſi etiam hoc concederemus Vaſqueſio, adhuc tamen reſtat difficultas ab ipſo ſoluenda: etenim exiſtimat ipſe de facto contritionem perfectam eſſe diſpoſitionem ad iuſtificationem: quomodo ergò negare poteſt hanc eſſe veram: quia homo conteritur, infunditur illi habitus gratiæ: ſiquidem Deus non poſtulat diſpoſitionem à nobis, vt aliquid conferat intuitu talis diſpoſitionis, & quia diſpoſiti ſumus, talem formam nobis confert.

Sotus alia via incedit, & ait: motum contritionis duobus poſſe modis conſiderari. Primo, quatenus procedit ex libero arbitio, & vt ſic eſt prior natura, quàm gratia habitualis, & diſpoſitio ad illam. Secundò quatenus procedit à gratia; & vt ſic eſt meritoria de condigno gloriæ, & poſterior gratia.

Debilis ſanè reſponſio. Cum enim ait Sotus contritionem in illo priori ſigno eſſe à libero arbitrio, vel vult eſſe à ſolo arbitrio, vel etiam ſimul à gratia, tamquam à duobus principijs partialibus integrantibus vnum principium totale: Si dicat primum: eſt aperta doctrina Pelagij, & ſuorum: ſic enim actus elicitus ſolis naturæ viribus, & abſque auxilio gratiæ, foret vltima diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, quod eſt error citati Pelagij. Si verò Pater Soto intelligit, & conſiderat actum contritionis, vt procedentem à libero arbitrio ſimul cū gratia; rurſus interrogo; vel gratia, quæ in illo priori eſt principium ſimul cum voluntate actus contritionis, eſt gratia actualis, & ſpeciale auxilium eius; vel eſt gratia habitualis. Si primum: hoc non intendimus. Si ſecundùm; hoc non facit ad rem: nam quando duo comprincipia integrant vnum totale in ordine ad aliquem effectum producendum, ambo comprincipia concurrunt in eodem ſigno, & vt dici ſolet (quicquid ſit de hoc agunt) vna, & indiuiſibili actione. Non ergo contritio datur à libero arbitrio, quin etiam non detur ab auxilio ſupernaturali.

Ferrarienſi ſicut & Conrado placuit alia via occurrendi noſtro argumento. Aiunt ergò gratiam habitualem duobus modis conſiderari poſſe. Primò in quantum eſt à Deo. Secundò inquantum recipitur in anima: hinc aiunt gratiam habitualē, prout eſt à Deo, eſſe priorem contritione, & ab ea vt ſic procedere contritionem; gratia tamen eadem in quantum recipitur in ſubiecto eſt poſterior contritione; & ſic eſt diſpoſitio ad illam gratiam.

Horum reſponſio nil maioris habet efficaciæ, quàm opinio præcedens: etenim gratia prout eſt à Deo, etiam eſt poſterior contritione: ergò gratia prout eſt à Deo infundente pręſupponit contritionem. Antecedens ex eo patet: quia Deus intuitu contritionis infundit gratiam, vt ſignificant Concilia pręſertim Tridentinum: quatenus docet Deum diſtribuere illam ſecūdum vniuſcuiuſq; diſpoſitionem; ergò niſi primo videat diſpoſitionē ad gratiam, minimè vult diſtribuere gratiam: nàm gratia prout procedit à Deo inæqualis ſecundùm inæqualitatem diſpoſitionum; ergo Deus non dat illam inæqualitèr, niſi præuideat inæqualem eſſe diſpoſitionem, in vno maiorem, in alio minorem: ergò gratiæ prout venit à Deo, etiam eſt poſterior contritione; atque adeò vt ſic non erit principium efficiens illius. Præterea: vel gratia in illo ſigno, in quo intelligitur ex Deo eſſe intelligitur recepta in ſubiecto, vel non. Si primum: ergò non ſolum prout eſt à Deo, ſed etiam prout recepta in ſubiecto, ſcilicet in anima, eſt prior contritione; quod ipſi negant. Si autem non intelligitur recepta; ergò non poteſt intelligi operans, & producens contritionem. Patet hoc: quia forma priùs præſtat ſuum effectum formalem, quàm effectum in genere cauſæ efficientis: at effectus formalis formæ, eſt informare ſubiectum, illudq; facere tale; (hoc autem præſtare non poteſt, niſi in eo recipiatur) ergò ſi in illo priori non intelligitur recepta in anima, nec etiā

Digitized by Google

poterit intelligi operans. Rem declaro. Gratia habitualis non poteſt intelligi operans; niſi & intelligatur exiſtens: ſed non exiſtit niſi in anima cum ſit accidens, quod naturalitèr nequit, niſi in ſubiecto eſſe; ergo implicat, quod gratia prius ſit operans, quàm inhærens.

Pater Vaſquez parum diſtat à diſcurſu Ferrarienſis. Ait enim poſſe conſiderari duos ordines in iuſtificatione, quorum quilibet in ſuo ordine ſit prior, & independẽs ab alio. Primus ordo eſt ex parte efficientis. Secundus eſt ex parte paſſi, & ſubiecti. Dicit ergò ex parte efficientis gratiam habitualem eſſe priorem contritione, & ſic eſſe principium eius: ex parte tamẽ paſſi, prior eſt contritio, quàm gratia habitualis: quia contritio præparat animam ad eius receptionem. Vndè vlterius dicitur in hoc modo diſcurrendi contritionem ſolum eſſe diſpoſitionem ad receptionem gratiæ; non autem ad infuſionem eius ex parte Dei, atque ita hæc cauſalis eſt vera: gratia recipitur in anima, quia homo eſt contritus; non autem recipitur, vt conteratur: reſpectu tamen gratię, vt infuſæ contrarium dicendum eſt: gratia enim infunditur vt homo conteratur; non autem infunditur, quia eſt contritus.

Contra hunc modum dicendi ſtant illa, quæ ſupra contra Ferrarienſem addnximus. Imò aperitur ianua, vt quis dicat, habitum luminis gloriæ ex parte efficientis, & prout à Deo infunditur eſſe priorem viſione, eiuſque principium efficiens; ex parte tamen paſſi, priorem eſſe ipſam viſionem, & præparare ad receptionem talis habitus. Quis autem non videat hoc eſſe contra rationem. Accedat ratio. Gratia habitualis, vt operetur, præſupponitur recepta in ſubiecto: quia non operatur, niſi pendentèr à ſubiecto; diſpoſitio verò: quæ præcedit formam; ad hoc præcedit, & diſponit ſubiectum, vt introducatur forma, & recipiatur in ſubiecto: ideò enim dicitur diſpoſitio ex parte paſſi, quia preparat illud, vt recipiat formam. Quomodo ergo intelligi poteſt; quod eadem forma efficiat operationem, quæ diſponit, vt recipiatur in ſubiecto: ſic enim, & conciperetur in ſubiecto ante diſpoſitionem: quia debet illam operationem efficere: & non conciperetur: quia vt recipiat, debet eſſe prior operatio, & diſpoſitio: quæ omnia euidentèr claudunt repugnantiam.

DISPVTATIO XI.

De effectu Pœnitentiæ in ordine ad remiſsionem peccati mortalis.

EA eſt propoſitæ difficultatis connexio cum habitualis peccati quidditate, vt minimè illius ſolutio obtineri integrè poſſit, niſi prius habitualis peccati natura ſciatur; quod eſt petere: quid manet in peccatore poſtquam mortalitèr peccauit.

Noſtra docebit ſententia peccatum habituale non eſſe alind, quàm ipſummet actuale moralitèr perſeuerans: hinc prius examinabimus quidditatem peccati actualis, quà cognita, erit nobis clara habitualis peccati quidditas.

Supponimus diuiſionem peccati in peccatum cordis, oris, & operis, quæ vtitur Eccleſia in generali Confeſſione. Peccatum ergò cordis, eſt, quod mente ſola conſumatur; peccatum oris, quod ore: peccatum operis, quod operibus externis. Diuiditur etiam peccatum in peccatum, quod eſt contra Deum, vt blaſpemia: contra proximum, vt furtum, contra ſeipſum, vt nimia crapula, Hæc non eſt propriè dicta diuiſio; tùm quia omne peccatum eſt contra Deum, quatenus eſt auerſio ab ipſo; tum

tùm quia omne etiam peccatum; eſt contra ipſum peccantem; quia multa damna illi infert. Tum quia vnum, & idem peccatum adulterij, eſt contra Deum, proximum, & ſeipſum peccantem; vnde illa diuiſio ſolum denotat eſſe aliqua peccata, quæ ſpecialem iniuriam inferunt Deo; alia proximo, alia peccanti; non ſecus, ac quędam virtutes ſpecialitèr verſantur circa Deum, vt Theologia; quædam circa proximum, vt iuſtitia: quædam quibus homo ſuas proprias operationes moderatur, vt temperantia, continentia, &c. Tertia diuiſio eſt in carnalia; & ſpiritualia peccata, eſtq; diuiſio adequata: quia omne peccatum conſumatur in carne, vel ſpiritu, eiuſdem diuiſionis: aliam dat rationē Scotus in 2. d. 42. q.5. Voluntas noſtra propter connexionem ſui cum appetitu ſenſitiuo, nata eſt tendere in delectabilia tali appetitui, & ſecundum illa delectabilia, poſſunt aſſignari peccata carnalia; ſpiritualia autem ſolum id, quod eſt delectabile voluntati in ſe, nō propter appetitum ſenſitiuum, v.g. ſuperbia. Alia diuiſio eſt in peccatum ex malitia, & infirmitate; peccatum ex certa malitia ſecundùm Scotum ſupra d.43. eſt, quod fit nulla præcedente perturbatione, paſſione, & ignorantia, & hoc modo fortè (inquit peccauit) Adam quia in eo non pręceſſit perturbatio, paſſio, vel ignorantia; peccatum verò ex infirmitate, oppoſito modo explicari debet. Item peccatum, aliud eſt peccatum contra Spiritum Sanctum; aliud non; peccatum in Spiritum Sanctum, non eſt omne id, quod fit ex certa malitia, vt habet Scotus, quia poteſt quis ex certa malitia peccare contra præcepta ſecundæ tabulæ, & etiam contra præceptum humanum, & nullum peccatum contra iſta præcepta, dicitur eſſe contra Spiritum Sanctum: itaque ad peccatum contra Spiritum Sanctum requirit Scotus ſupra tres conditiones. Prima, quod ſit ex certa malitia; ſecunda, quod ſit contra præcepta primæ tabulæ. Tertia, quod ſit actus oppoſitus perfectiſſimo actui conuerſiuo ad Deum; vndè, quia ipſe ibidem dicit non poſſe dari odium formale Dei, quod opponatur charitati eius in ſe; ideò docet peccatum in Spiritum Sanctum eſſe contra perfectiſſimam actionem hac caritate, nimirum contra ſpeciem, & id peccatum dicit eſſe impenitentiam ex deſperatione prouenientem, quæ non eſt mera negatio, ſed actus poſitiuus, quo quis ex deſperatione non vult finalitèr pœnitere; ideoque videtur Scotus ſentire ſolam illā impœnitentiam eſſe peccatum in ſpiritum Sanctum; ſed iam communitèr latiùs ſumitur peccatum in Spiritum Sanctum, pro omni peccato ex malitia contra affectionē, vel proprietatem Spiritus Sancti.

Diuiditur etiam peccatum in peccatum commiſſionis, & omiſſionis. Circa quam diuiſionem hæc dico.

Primò, peccatum commiſſionis, eſt illud, quod elicitur cōtra præceptum negatiuum prohihens ne aliquid fiat; peccatum verò omiſſionis eſt libera omiſſio rei, quam debeat quis facere. Ratio eſt: quia quando res eſt mihi hic, & tunc præcepta, ita vt teneat illam poſitiuè exercere, vel amplecti; ſi hoc non facti, iure merito dicor omittere illam rem, ſiuè omittam per aliquod poſitiuum incompoſſibile cum re præcepta, ſiuè per puram omiſſionem; è contra verò, quando mihi prohibetur ne faciam aliquod, & contrarium facio, meritò dicor committere contra præceptum. vt ex terminis videtur clarum.

Dico ſecundò, diuiſionem peccati in omiſſionem, & commiſſionem eſſe adæquatam: quippè omne peccatum, vel eſt contra legem, iubentem aliquid fieri, & ſic eſt omiſſio, vel prohibentem ne fiat, & ſic peccatum eſt commiſſio. Si quæras quomodo differunt præceptum affirmatiuum, & negatiuum; Reſpondeo, quòd differunt maximè triplicitèr. Primò, quia affirmatiuum verſatur primò circa actum; negatiuum verò, primariò circa nō actum. Cur autem Adam *ly primario*, paulò poſt explicabo. Secundò, quia affirmatiuum præcipit honeſtum; negatiuum prohibet turpè, & inhoneſtum. Tertiò, quia licèt affirmatiuum obliget ſemper, non tamen pro ſemper, ſed ſolum temporibus congruis, vel à præcipiente deſignatis.

Obijcies primo: Iudex omittens defendere innocentem, peccat contra præceptū non occides: ſed non offendere eſt omiſſio, ergò omiſſio aliquando eſt contra præceptum negatiuum, & conſequentèr malè explicamus peccatum omiſſionis, quod ſit contra præceptum negatiuum. Alia argumenta

menta contra defintionẽ peccati omiſſionis fieri poſſunt. Primò: quia orare ſine deuotione, & attentione eſt peccatum commiſſionis, & tamen non eſt contra præceptum negatiuum; ſed contra præceptum affirmatiuum de orando: Secundò: poſitiuè nolle audire Sacrum in die feſto, eſt peccatum commiſſionis, & tamen eſt contra præceptum affirmatiuum, quo tenemur audire ſacrum in die feſto. Tertiò comedere carnes diebus vetitis eſt commiſſio, & tamen eſt contra præceptum affirmatiuum ieiunandi; ex quibus infertur hæc conſequentia: ergò malè diximus in concluſione peccatum commiſſionis eſt contra præceptum negatiuum.

Pro ſolutione moneo, in omni præcepto negatiuo virtualitèr includi præceptum affirmatiuum de facienda illa re, quæ eſt neceſſaria ad adimplendum negatiuum, è contra in præcepto affirmatiuo virtualitèr includi negatiuum, quo prohibetur, ne fiat aliquod impediens actum præceptiuum. Exemplum primi: in præcepto negatiuo: non furandi: virtualitèr includitur præceptum affirmatiuum reſtituendi; in præcepto negatiuo, non mechandi, virtualitèr includitur præceptũ affirmatiuum eijciendi concubinam; exemplum ſecundi; preceptum affirmatiuum, hic & nunc orandi, includit præceptum negatiuum non dormiendi, & non ſe inebriandi; & præceptum affirmatiuum Deum honorandi cultu Religionis; includit præceptum negatiuum non blaſphemandi. Ratio horum omnium eſt, quia ad obſeruandum præceptum affirmatiuum, ſæpè; imò ferè ſempèr neceſſaria eſt obſeruantia præcepti negatiui, vel tamquam medij, vel conditionis neceſſariæ: è contra verò ad obſeruationem præcepti negatiui, neceſſaria eſt obſeruatio præcepti affirmatiui.

Ex his ad argumenta. Reſpondeo ad id, quod primo dicitur, non eſſe ad rem, ſed potius in contrarium: quia Iudex numquam iudicat per puram omiſſionem, ſed per actum poſitiuum, quo iudicat talem eſſe morte plectendum; etſi talis ſententia feratur in innocentem cognitum, vt talem, vtique eſt peccatum commiſſionis contra præceptum negatiuum non occides. Ad primum verò argumentum contra explicationem de peccato omiſſionis. Reſpondeo præceptum affirmatiuum orandi inuoluere implicitè præceptum negatiuum, de non orando diſtractæ; nam ſicuti explicitè obligatur ad faciendum aliquod, ita implicitè ad non faciendum aliquod, quod id impediat fieri, ita quod, qui tenetur ad orandum deuotè, tenetur etiam ad non orandum diſtractè, & ad non ponendum aliquod, quod impediat deuotionem neceſſariam ad orationem; eodem modo reſpondendum, eſt ad ſecundum, quod præceptum affirmatiuum de audiẽdo Sacrum, non tantum explicitè obligat ad ipſam auditionem, ſed etiam implicitè ad non ponendum aliquod, quod ſit incompatibile cum auditione, vt per ſe patet. Ad tertium concedo, quod peccatum id comextionis, ſit peccatum commiſſionis, ſed nego, quod ſit contra præptum affirmatiuũ: nam præceptum ieiunandi eſt formaliſſimè præceptũ negatiuum; quia abſtinentia à comextione prohibita, eſt formaliſſimè ieiuniũ; clarum eſt abſtinentiam eſſe meram negationem poſitiuæ comextionis. Ex his conſtat primò non eſſe contra rationem peccati commiſſionis, quod ſit virtualitèr omiſſio, nec contra rationẽ peccati omiſſionis, quod includat virtualitèr commisſionem, ſicut non eſt contra rationem præcepti negatiui, quod includat virtualitèr maximè, nec contra rationem affirmatiuam, quod includat virtualitèr negatiuum; & ideò in prima differentia, quam inter hæc præcepta aſſignaui, dixi præceptum affirmatiuum verſari primariò, ſeù formalitèr contra actionem; negatiuum verò primariò contra non actum. Conſtat ſecundò, vt cenſeatur aliquod præceptum eſſe affirmatiuum, vel negatiuum, attendendum eſſe, an primarium motiuum legislatoris ſit abſtinere à malo, vel facere bonum; ſi primũ; preceptum eſt negatiuum; ſi ſecundum; eſt affirmatiuum. His ſtantibus, veritatem docebunt, quæ ſubſequuntur Propoſitiones. Quarum ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Formale peccati, non conſiſtit in aliquo poſitiuo, ſcilicet in ſubſtantia actus.

ITA docet ſubtilis Doctor in 2. d. 35. vſque ad 37. §. iſte quæſtiones, & §. iſta

iſta ſolutione: aſſerens rationem formalem, & eſſentialem peccati, eſſe priuationem rectitudinis debitæ in eſſe actui, conuerſionem verò poſitiuam, quæ in peccato commiſſionis reperitur, eſſe ſubiectum, & veluti materiale rationis formalis peccati, ſicut ratio formalis cœci eſt priuatio viſus, oculus verò eſt ſubiectum, & materiale cœcitatis, & ita cenſet iſta ſententia malitiam moralem, & peccati formalē, rationem eſſe puram priuationem, nec vllo modo, aut in totum, aut ex parte in poſitiuo conſiſtere. Hanc ſententiam ſequuntur præclari Doctores: Seraphicus Doctor in 2. d.34. art. 2. q. 3. Alenſis 2. parte quæſt. 94. membro 2. Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 35. l. D. R. Riccardus, Gabriel, Marſilius, Henriquez, Almainus, & ex recentioribus Pater Radà, & Pater Herera Belarminus, & Valentia.

Et quod hæc ſententia ſit etiam Sancti Thomæ, quidquid reclament Caietanus, & aliqui Thomiſtæ; expreſsè colligitur ex pluribus locis, in quibus tàm apertis verbis dicit rationem peccati eſſe priuationem, vt deceptus ſit in eius doctrina; qui aliud intelligere velit: nam tertia contra gentes cap.9. ait actum moralem dici malum ex priuatione boni, & in 2. d.34. q.1. art.2. ad tertium, docet, actui prouenire malitiam ex priuatione finis debiti, & prima ſecundæ quæſt.21. art.6. ait actum eſſe malum ex eo, quod caret debita cōmenſuratione: ſed quidquid ſit de mēte D.Thomæ; noſtri Scoti veriſſima ſententia eſt, & ſic eam oſtendamus auctoritate, & ratione.

Contrarium habemus Caietanum prima ſecundæ quæſt.18. artic.5. & quæſt.17. artic.16. aſſerentem rationem formalem peccati conſiſtere in poſitiuo, ſcilicet in poſitiua conuerſione ad obiectum. Dicit ergo, duplex eſſe malum, ſeu malitiam quandam ſimplicitèr, quandam verò moralem, & in genere moris, quam appellat malitiam ſecundum quid. Malitiam ſimplicitèr, inquit eſſe formalitèr negationem, ſeù priuationem, & ita formalitèr eſſe nihil, quamuis denominatinè dicatur ens. Malitiam verò moralem ait eſſe, quæ eſt in ſe bonum quoddam, & quædam natura, homini tamen malum; & hoc inquit, poſitiuè opponi bono morali. Docet ſecundò poſitiuā malitiam eſſe priorem, imò fundamentum malitiæ priuatiuè, & ita, quamcumque actum peccati, eſſe duplicitèr malum, ſed primario malitia morali. Docet tertiò; cum peccatum ſit in duobus generibus, ſcilicet mali ſimplicitèr, & mali moralis; hinc eſſe, vt in genere mali ſimplicitèr collocetur per malitiam priuatiuā, in genere verò mali moralis, & ſecundum quid, per poſitiuam; vt vnamquamque iſtarum inquit in ſuo genere eſſe magis intrinſecam, quàm aliam. Docet quartò, ſi ſimplicitèr, quis interroget quidnam ſit præcipuum in peccato, malum morale, vel malum ſimplicitèr? Reſponderi non poſſe abſolutè, ſed cū prædicta diſtinctione, ſed tandem concedit præcipuū in peccato eſſe malum morale, quàm malum ſimplicitèr.

Noſtra tamen ſententia, quæ eſt Scoti, vt vidimus ſupra, Probatur ratione. Primò: quia malum eſt, priuatio, & non ens, ergò malum morale, quod verè malum eſt, debet eſſe priuatio: patet conſequentia: quia malum morale eſt inferius ad malum, vt ſic: ergò ſi malum, qua malum eſt, dicit priuationem; ſimilitèr malum morale dicit priuationem: quippè, quidquid conuenit ſuperiori, conuenit inferiori: Reſpondent Authores oppoſitæ ſententiæ, dicentes, quod aliud eſt malum tranſcendentale, & aliud malum morale. Primum enim opponitur priuatiuè bono tranſcendentali, quod conuertitur cum ente; ſecundum verò non opponitur priuatiuè bono tranſcendentali, ſed bono morali, & ideò benè poteſt eſſe aliquid ſecundum ſuā entitatem bonum trāſcendentali bonitate, & malū malitia morali, & ſic dicunt, quod illa entitas poſitiua, in qua peccatū cōſiſtit, eſt malum morale, & tranſcendentale.

Certè ſolutio hæc nititur in quodam impoſſibili: impoſſibile enim eſt, vt bonum tranſcedentale ſit malum morale; quia bonum tranſcendentalé habet inrer alia, duas conditiones omnino repugnantes malo morali, qua tale eſt, vna eſt eſſe amabile, non tantum à nobis, ſed à Deo; hinc ſapientiæ ij: *diligit omnia, quæ ſunt*: Altera eſt, qui bonum tranſcendens ſecundum ſuam entitatem, eſt participatio entitatis Diuinæ, & ab eo exemplatum, quòd peccato ſecundum illam rationem, quà peccatum eſt formalis, concedere videtur eſſe abſurdum. Hæc conuenientia vitare putant,

Digitized by Google

tant, qui dicunt malitiam illam moralem peccati non eſſe illam entitatem poſitiuam realem actus ad obiectum, ſed relationem ad naturam rationalem, & rationem, quæ relatio, non eſt quid reale, ſed rationis. Sed contra eſt, quia hanc opinionem oſtẽdemus falſam examinãdo ſententiam Vaſquez.

Reſpondent alij, malum morale non eſſe malum abſolutè, ſed malum alicui, ſcilicèt diſconueniens naturæ rationali, & quòd hac ratione malum eſt, poteſt eſſe entitas poſitiua. Contra, & ſit altera probatio noſtræ propoſitionis. Malum morale, & peccatum, non eſt tantum malum alicui, ſed malum ſimplicitèr, & abſolutè; ergò non poteſt eſſe entitas poſitiua; conſequẽtia patet. Antecedens probo. Primò authoritate Diui Baſilij, ho. 2. exameron, & hom. quòd Deus non ſit autor malorum, abſolutè diſtinguit hæc Duo mala, id quòd ſecundum ſe eſt malum, & quod eſt malum alicui, & dicit peccatum eſſe malum primo modo: aliud inquit, eſt malum natura ſua, quòd eſt peccatum; aliud quòd triſte, & durum eſt ſenſibus noſtris. Primum omninò eſſe malum, quod eſt peccatum, alterum eſſe malum apparens, quòd afflictionem præbet. Anſelmus libro de concordia cap. 1. diſtinguit malum incommoditatis, & malum abſolutè, & peccatum, dicit eſſe malum abſolutè. Secundo probo idẽ antecedens: id quod eſt, maximum malũ, debet conſtituere eſſentiam peccati: ſed priuatio rectitudinis eſt maximum malum; ergò in ea debet eſſe eſſentia peccati. Maior patet, quia omnes Patres, & Theologi cenſent peccatum habere ſummam malitiam, & excedere in ratione mali cætera mala, propter quod dicunt, non poſſe appeti vlla ratione, neque propter aliquem finem; ita vt, minimum peccatum vniuerſale nequeat elici propter finem quantumuis bonum, & quamuis cedat in honorem Dei, vel in aliam vtilitatem, etiam ſi interponatur ſolus totius Mundi, & ob eãdem ſummam malitiam non poteſt eſſe à Deo per ſe, aut per accidens, cum poſſit à Deo eſſe quodcumquè aliud malum. Minor probatur, quia priuatio nil habet boni, ergò eſt maximum malum; nam quod eſt malum alicui, non eſt malum ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Accedat altera probatio, & eſt deſtructio oppoſitæ aſſerſionis: ſi enim peccatum, malum eſt alicui naturæ; ideo malum erit, quia priuat aliquo bono; nam nihil poteſt eſſe diſconueniens, & nociuum alicui, niſi, quod aufert aliquid illi conueniens, quod eſt inducere priuationem; ergò peccatum erit diſconueniens naturæ rationali, quia aufert aliquid conueniens, ergò habet rationem mali, quatenus cauſa eſt priuationis; ipſa ergò priuatio erit magis malum: nam, ſi poſitiuum malum eſt, quia malum infert, id malum, quod infert, quod eſt priuatio, maius malum erit.

Quod autem nil ſit malum alicui, niſi, quia priuat aliquo bono, & patet authoritate Diui Auguſtini, & vniuerſali experientia; Auguſtinus enim libro de moribus Manicheorum cap. *3.* ait: quidquid nocet, bono aliquo priuat eam rem cui nocet; nã ſi nullum bonum adimit, nihil prorſus nocet; experientiam etiam patet diſcurrendo per omnes naturas rerum, vbi ſemper reuocari ſolet malitia ad aliquem peculiarem defectum, atquè adeo ad priuationem alicuius perfectionis debitæ illi rei, cui dicitur mala; ſic enim in ſubſtantijs naturalibus, monſtra dicuntur eſſe mala naturæ, eo quòd illis deficiat aliquod bonum debitum tali ſpeciei; vndè ſi foret aliqua ſpecies, leonis v.g. quæ vnicum pedem poſtularet, non diceretur malus, aut monſtruoſus indiuiduus leo, vnico pede conſtans; quia non eſſet priuatus perfectione debita ſuæ ſpeciei. Tota igitur malitia monſtri, ad priuationem reuocatur. Similitèr accidentia naturalia non ſunt mala ſubſtantiæ, niſi quia inferunt priuationem alicuius perfectionis debitæ; calor enim eſt malus aquæ: quia illam priuat frigiditate, vndè ſi prædictam priuationem non inferret, vtiquè malum aquę non eſſet ſicut malę non ſunt aliæ qualitates, quæ nulla perfectione debita priuat elementum aquæ; quòd maximè notandum: quia ſi aliquid eſt in ſe ens, & bonum, & nullum bonum adimit eorum, quæ ſimplicitèr, vel ad melius, neceſſaria, vel vtilia ſunt habere, illud nil aliud erit, quàm habere vnum aliud bonum ſine diſpendio, quòd intelligi non poteſt quare diſconueniens ſit. Item inter omnes operationes naturales, illæ dicuntur malæ, quæ afferunt priuationem debitè perfectionis in ope-

Digitized by Google

operando; motus enim claudicationis, ideo dicitur malus · quia priuat perfectione, quę in inceſſu debetur animalibus: triſtitia, ideo eſt mala creaturæ ſenienti, vel intelligenti, quia ſcilicèt illam priuat lætitia, quam exoptat, vel aufert debitam aptitudinem ad alias operationes, vel tollit debitã corporis conſiſtentiam; quibus, aut ſimilibus priuationibus deficientibus nullum ſuperet malum in triſtitia. Idem patet in artefactis, nulla delineatio eſt mala, niſi quia priuat ea compoſitione partium, quàm ſecundum exemplar habere debent. Concludo, ergò, omnem rationem malitiæ ad priuationem reuocari debere. Vndè à veritate diſtat Caietanus collocans peccati rationem in reali poſitiuo. Diſplicet etiam Caietanus, quia cum in peccato commiſſionis concedat voluntariam priuationem rectitudinis, ratione cuius habet actus, quod ſit moralitèr malus ſimplicitèr, & abſolutè tamquam à forma, & vera malitia, non debebat ponere actu, & formalitèr aliam malitiam antecedentem in ipſo actu, ſcilicèt conuerſionem, ſeù ordinem tranſcendentalem, & ſecundũ dici ipſius actus ad obiectum prauum; ſed ſufficiebat huic conuerſioni, ſeu ordini tranſcendentali, actus in obiectum prauum attribuere eſſe malitiam cauſalitèr, ſeu fundamentalitèr, eo quòd iſta conuerſio, ſeu hic ordo tranſcedentalis actus in obiectum prauum, eſt cauſa, ſeu fundamentum, ob quod ſequitur in prædicto actu, prædicta priuatio rectitudinis, quæ eſt, in qua ratio formalis, & eſſentialis malitæ actu, & formalitèr cõſiſtat. Sequela patet: nam ponere in peccato commiſſionis duas malitias morales actu, & formalitèr exiſtentes, ſicut ponit Caietanus, ſuperfluum eſt; imò abſurdum eſt, non ſecus ac eſſet ſuperfluum, & abſurdum ponere in vno Patre reſpectu vnius filij duas Paternitates, aut in vno homine duas riſibilitates. Rem declaro: quia ſi actus peccati commiſſionis, vt eſt conuerſio, ſeu ordo tranſcendentalis ad obiectum prauum, ſolum dicitur malus moralitèr in ſententia Caietani, quia eſt diſconueniens naturæ rationali; certè actus peccati commiſſionis, vt eſt conuerſio, ſeu ordo tranſcendentalis ad obiectum prauum, non erit actù, & formalitèr malus moralitèr; ſed ſolum hoc conuenit ei fundamẽtalitèr, & cauſalitèr. Sequela probatur: nam cum nulla entitas poſitiua dicatur alteri diſconueniens, niſi, quæ aufert aliquod bonum, ſeu aliquod conueniens illi; actus peccati commiſſionis, ſolúm habebit eſſe diſconueniens naturæ rationali, quatenus eo ipſo, quod eſt conuerſio, ſeu relatio tranſcendentalis in obiectum, habet, quòd ſit cauſa, ſeu fundamentum priuationis rectitudinis, quòd idem eſt, bonitatis, & conuenientiæ ad naturam rationalem, quam habebat habere. Hoc autem eſt, eſſe diſconueniens non formalitèr, ſed fundamentalitèr.

PROPOSITIO II.

Adducuntur aliæ rationes, probantes rationem farmalem peccati minime conſiſtere in aliquo reali poſitiuo.

EAdem entitas actus, quæ nunc dicitur peccatum, potuit ab eadem voluntate circa idem obiectum elici ſecundum totam ſuam rationem poſitiuam abſquè vlla prorſus malitia in ea ſubiectata: ergò nil entitatis poſitiuæ actus, habet eſſentialitèr rationem formalis malitiæ. Conſequentia euidens eſt: ſunt enim eſſentiæ rerum ſubſtantialitèr immutabiles. Antecedens probatur: in eodem inſtanti, quo v.g. carnes comedo, vel volo comedare carnes contra præceptum ſuperioris, potui velle eaſdem carnes comedere, & non contra præceptũ Superioris: ſed cum talis volitio elicitur contra preceptum, eſt peccatum, & quando non, nullo modo eſt peccatum, ergò &c. Minor patet, quia nil eſt peccatum, quòd ſaltem ſecundum apprehænſionem intellectus non ſit contra aliquam legem. probatur: quia potuit Superior pro illo inſtanti me non obligare ad carnes non comedendas, quo caſu mea volitio comedendi non eſſet peccatum: at eſſet eadem volitio, quo ad ſubſtantiam, quàm elicio, dum eſt præceptum ſuperioris, ergò, Minor probatur: quia nil prorſus eſt aſſignabile, quòd ipſum indiuiduum volitionis diuerſificare valeat: nam in eodem inſtanti temporis eliceretur, & ab eadem potentia, & circa eaſdem carnes, nec præceptũ extrinſecum Superioris, ſubſtantiam actus mutat:

mutat: alioquin viſio, quà cerno parietem ex alterius Conſilio, diuerſa neceſſario eſſet à viſione, qua video ſine conſilio; ergò malitia peccati formalitèr non conſiſtit in ratione poſitiua actus, ſed in priuatione. Probatur hæc vltima conſequentia: cum actus ſecundum ſuam entitatem poſitiuam non inuoluat rationem malitiæ, non eſt aſſignabile aliud poſitiuum, ſequens ad actum, in quo ratio malitiæ conſiſteret, niſi relatio aliqua, ſiue realis, ſiue rationis, difformitatis, diſconuenientiæ, ſiue diſſonantiæ ad legem, ad naturam rationalē, vel ad legem, vt per rationem voluntati propoſitam: ſed non conſiſtit hæc malitia in relatione ad legem ſecundum ſe, nec ad naturam rationalem, vt videbimus examinando opinionem Vaſquez, ergò &c. Item ratio peccati, vt ſic, habetùr in ſola priuatione, vbi nulla huiuſmodi poſitiua relatio reperitur; ergò ratio peccati, ſiue in commiſſione, ſiue in ommiſſione, non in relatione, ſed in priuatione conſiſtit. Antecedens probatur: quia ratio peccati, vt ſic, inuenitur in pura ommiſſione: at in pura ommiſſione nil poſitiuū de nouo acquiritur: quia voluntas nullum actum elicit, ergò. Vrgetur ratio: quia ratio eadem, & communis, numquam contrahitur ad poſitiuum, & ad priuationem, tamquam ad ſua inferiora: alias negotio eſſet de eſſentia poſitiui; aut poſitiuum de eſſentia priuationis: ſed peccatum, vt ſic eſt priuatio (alias non inueniretur in ſola ommiſſione) ergò non contrahitur ad peccatum ommiſſionis, & commiſſionis; conſequens, ergò eſt, quòd ratio illa peccati conſiſtat in priuatione, & non in aliquo poſitiuo. Secundo in eo inſtanti, quo voluntas ſuum actum elicit, raro, aut numquam durat actus intellectus, dictantis id eſſe cōtra legem, ſed ordinariè præcedit tempore: at relatio realis exigit realem exiſtentiam extremorum; ergò intèr hæc extrema, ordinariè non reſultat relatio realis, nec opus eſt, quod aliquod fingatur ens rationis: cùm peccatum à parte rei comittatur, ergò abſolutè, ſiue talis relatio ſequatur ad actum ſiue non, non in ea, ſed in priuatione conſiſtit malitia peccati.

Accedat altera probatio: eadem entitas phyſica inuariata, & non mala moralis; poteſt fieri moralitèr mala: ergò ſignum eſt, quod malitia non conſiſtat in ratione phyſica. Probatur antecedens: nam in actibus malis, quia prohibitis, ablata prohibitione, eadem entitas Phyſica perſeuerat abſque malitia, & in actibus intrinſecè malis poſita inuincibili ignorantia turpitudinis obiecti, non variatur entitatiuè actus voluntatis, licèt in ratione moralis malitiæ varietur. Reſpondebis, quod cum actus interni ſpecificentur ab obiecto, non eſt vtcumq; ſed iuxta propoſitionem ab intellectu factam; ſi diuerſi modè poſtea proponatur obiectum, neceſſariò diuerſificatur actus; vnde ſi primò proponebatur obiectū, quà bonum, actus erit bonus; ſi autem proponatur, quà malum, actus erit malus, & diuerſus numero à primò actu. Contra, quia actus tendens in obiectum ſub ratione delectabilis cum ignorantia malitiæ; poteſt inuariatus perſeuerare addita cognitione malitiæ: nam malitia non ſpecificat (nemo enim intendens in malum, operatur:) ergò, quia perſeuerat eadem ratio delectabilitatis ſpecificans actum, poterit perſeuerarè idem actus voluntatis: ſufficit enim, quod perſeueret actus circa propriū obiectum quocumq; motiuo id fiat. Rem declaro: ſunt, quis in Eccleſia celebrare ſacrum, ignorans Eccleſiam eſſe interdictā, & ſtatim aduertit ratione interdicti eſſe illam celebrationem malam, adhuc tamen non mutat ſententiam: quia fuit motus ad celabrandam Miſſam, non ex honeſtate ſacrificij, ſed ex alio motiuo, puta, vt inde reciperet ſtipendium ad ſubſtentandos parentes. Hinc cum duret idem motiuum ſpecificatiuum actus, intrinſicè, & entitatiuè durabit idem actus. Negabis conſequentiam paritate deſumpta ex actibus intellectus: non enim poteſt idem actus intellectus, v.g. eadem propoſitio mentalis tranſire de vera in falſam, ergò nec actus voluntatis de bono, in malum: quia ſicut veritas, & falſitas ſunt conformitas, & difformitas actus intellectus ad obiectum: ita bonitas, & malitia ſunt conformitas, & difformitas actus voluntatis ad legem. Negatur paritas: diſparitas eſt, quòd actus intellectus, imago cum ſit naturalis obiecti, & ſpecies expreſſa indiuiſibilis, & per conſequens idem actus nequeat aliter repreſentare obiectum, niſi eo modo, quo repreſentat cum primò elicitur (imagò enim

enim naturalis, adeò immutabilis eſt, vt aliam formam non admittat,) actus verò voluntatis non eſt ita imago; rurſus quo ad bonitatem, & malitiam dependet à poſitione, vel non poſitione legis cognitæ; & quia lex eſt aliquod valdè extrinſecum actui, lege variata, non tollitur ſubſtantia actus, ſed conformitas ad legem. Facit etiam pro veritate noſtræ propoſitionis: quia aliàs ſequeretur non poſſe eundem actum voluntatis habere duplicem ſpecie malitiam; vndè quis occidens Clericum, non haberet duplicem malitiam diſtinctam ſpecie, malitiam ſcilicèt homicidij, & ſacrilegij explicandam in confeſſione, quod nemo dicet. Sequela probatur: quia implicat eamdem phyſicè entitatem actus, & ſe multiplicem ſpecie, aut numero: quia iam eſſet, & non eſſet vna entitas; ſed per aduerſarios, phyſica entitas actus eſt formalis malitia, ergò implicabit hanc formalitèr multiplicari, niſi actus phyſicè plurificentur, quod dicet nemo.

PROPOSITIO III.

Subſequuntur aliæ probationes.

NIL reale poteſt eſſe de nouo in actu voluntatis, niſi ab influxu voluntatis, & in ordine ad obiectum à quo mouetur: at inuariato influxu voluntatis, & obiecto actus, qui prius nullam malitiam moralem habebat, induit malitiam moralem: ergò hæc minimè in poſitiuo eſt collocanda. Antecedens ex eo euincitur: quia multum probabile dico actum de non libero tranſire in liberum, & non malo in malum. Rem explico in actibus primo primis, ſi inſurgat in nobis aliquis actus ſine præuia deliberatione, & malitiæ, poteſt ex libertate continuari actus; ergò iam hic actus redditur malus, & conſequentèr ſine influxu voluntatis actus tranſit de non malo ad malum; ergò habetur malitia moralis actus ſine omni concurſu, ac proindè non erit malitia aliquod poſitiuum: cum nullum tale, eſſe valeat ſine influxu. Sit tale argumentum: fundamentum malitiæ moralis eſt eſſe liberum: at eſſe liberum in actu non eſt quid intrinſecum, & reale: ergò nec malitia moralis. Minor ita breuitèr probatur: ex eo quod actus ſolum dicatur liber, quia manet à potentia libera, etſi conſideremus actum procedere à potentia libera potente agere, & non agere, erit liber actus nullo intrinſeco ſuperaddito actui. Conſequentia fit clara ex eo, quod ens reale exigat fundamentum reale; ergo ſi libertas, quæ eſt fundamentũ malitiæ non eſt quid reale, idem concludendum de malitia. Aliud argumentum, malitiæ, peccati omiſſionis non conſiſtit in aliquo poſitiuo: ergò nec malitia peccati commiſſionis. Antecedens libentèr concedunt Aduerſarij. Conſequentiam probo: in actu, quo volo occidere v.g. datur modus quidam realis circa obiectum diſſonum, in quo ſecundùm Caietanum ſiſtit malitia peccati commiſſionis: ergò in actu, quo volo non audire miſſam, qui eſt peccatum omiſſionis, dabitur modus quidam realis circa obiectum diſſonum. Dices diſcrimen eſſe, quia alterum eſt obiectum poſitiuum, ſcilicèt occiſio, & ita ab eo ſumit actus malitiam poſitiuam; alterum verò eſt obiectum negatiuum, ſcilicèt omiſſio Sacri, & ita ab eo nequit actus ſumere ſpeciem, & malitiam poſitiuam, ſed tantum priuatiuam. Contra: nam circa obiectum negatiuum poteſt dari realis tẽdentia: hinc cognitio entis rationis eſt quid reale, licèt obiectum non ſit ens reale, & aſſenſus propoſitionum contradictoriarum, ſunt poſitiui, & reales, licèt alterum extremum obiecti ſit negatio: ergò circa omiſſionem Sacri, poteſt eſſe in voluntate realis tendentia, & ordo; ergò cum obiectum ſit malum, & difforme legi, in tali ordine collocabitur malitia illius actus non minùs, quã in peccato commiſſionis: Vrgeo difficultatem. Actus, quo quis vult abſtinere à carnibus in die ieiunij eſt bonus bonitate morali poſitiua: (nam ad aures eorum, contra quos diſputamus, bonitas moralis eſt quid poſitiuum reale; & tamen obiectum eſt negatio, ſcilicèt non velle comedere carnes, & idem eſt, cum volo non occidere, non furari, &c. ergò actus, quo volo non audire miſſam, cum teneor, erit malus malitia poſitiua, & reali; licèt obiectum ſit negatio. Dato ergò dari actus malos malitia reali, vt ſunt peccata commiſſionis; idem debet dicit de peccato omiſſionis, quod non conceditur.

PROPOSITIO IV.

Adducũtur probationes ex authoritatibus.

PRima authoritas ex Diui Auguſtini in Ioannem, declarantis illa verba: *ſine ipſo factum eſt nihil, &c.* ait peccatum, non per ipſum factum eſſe, quia peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cum peccant Iſta authoritas adducitur à Scoto in 2. d. 35. probando ſuam ſententiam, & confirmat illam in d.37. quæſt. vnica §. ſed nunc reſtat infra literam A. vbi ait: qui cauſa eſt omni enti, vt ſit, non eſt cauſa non eſſendi, ergò nec cauſa peccati, quod formalitèr eſt non eſſe. Ecce ego, quàm clarè Scotus cum Diuo Auguſtino affirmet peccatum eſſe nihil. Origenes tomo primo in Ioannem eodem modo explicat locum Ioannis (omitto modo an ſenſu iſte ſit literalis, vel non; potius enim exiſtimo cum Ruberto libro in Ioannem, & recentioribus in eundem locum; idem ſignificari prædictis verbis, quod ſignificatum fuerat in præcedentibus, dum dixerat: omnia per ipſum facta ſunt.) Solum ergò contendo, non ſemel à Sancto Auguſtino peccatum appellari nihil, atque adeò priuationem, alibi etiam agendo de malo, vndecimo de Ciuitate in fine ait; mali nulla natura eſt, ſed omiſſio boni, mali nomen accepit. Sanctus Ambroſius libro de fuga ſæculi cap. 4. citans locum Ioannis 14. vbi vulgata noſtra legit: venit enim Princeps mundi huius,& in me nõ habet quidquam, &c. Decet in fine capitis, pleraſq; legere, & in me non inuenit nihil; hoc eſt (vt dicit Ambroſius)malitiam non inuenit: quia malitia nihil eſt. Solent Aduerſarij reſpondere ad hæc teſtimonia,ideò Sanctos Patres dixiſſe peccatum eſſe nihil, & nullam habere entitatem, quaſi per axagerationem diminuendo entitatem,& rationem mali, & extenuando illam, quaſi dicant, nullius eſſe momenti, & extimationis; ſic enim rem vilem, & abiectam, ſolemus dicere: pro nihilo reputari debere. Sed ſolutio hæc vilis eſt, & nullius momenti: nàm Patres ſupra citati hoc dicunt, intendentes explicare, & definire quid ſit malum, & contradicere Manicheo, qui multa entia poſitiua, & realia dicebat eſſe mala; cui per oppoſitum reſpondent Patres; nullum ens in quantum ens eſſe malum; friuola autem eſſet doctrina ſi cõcederent aliqua entia eſſe mala, & vocari nihil, figurata loquutione. Deindè non valet ſolutio: quia alij Sancti abſolutè dicunt peccatum eſſe priuationem boni, vt Damaſcenus lib. 2.Fidei cap. 14. neque (inquit) aliud quidquam eſt malum, quam priuatio boni, ſicut tenebræ nil aliud ſunt, quàm luminis orbitas; & Dionyſius de Diuinis Nominibus cap. 4. part. 4. inter alia, hæc ait: *eſt malum priuatio,defectus, infirmitas, & alia nomina huiuſmodi, quia priuationem dicunt.* Et Scotus ſupra d. 35. in fine adducit Anſelmum de conceptu Virginis, & caſu Diaboli, qui ex intentione probat noſtram ſententiam cap. 16.

Solent reſpondere Aduerſarij, Deum eſſe cauſam mali moralis, non mali ſimplicitèr. Contra tamen eſt, quia hinc victoriam reportant Lucterani,& Caluiniſtæ, dum dicunt Deum eſſe cauſam mali, ex quo hominis damnatio oritur. Hoc autem eſt malum morale. Item, vt notat Suarez diſp.7.ſeſſ.3. eſſe morale non diminuit rationem mali; quinimò auget, faciens illud pertinere ad genus moris: ergò non tollit malum à ratione abſoluti, & ſimplicitèr mali, ergò ſi ad malum morale Deus concurrit, concurrit ad malum ſimplicitèr. Quod autem Deus concurrat,vt cauſa prima, & indifferens ad peccatum; voluntas verò creata concurrat determinatè; non tollit difficultatem cùm ſimili modo concurrat ad effectus omnium cauſarum, & tamen communitèr dicunt Sancti Patres, non ita Deum concurrere ad peccatum,ſicut ad alias res naturales, & Trid. ſeſſ. 6. cap.6. Anathema dicit ijs, qui volunt Deũ non permiſſiuè ſolum, ſed propriè, & per ſe ad peccata concurrere. Dices diſparitatem eſſe, quia Deus ad bonum, gratia præueniente, nos excitat, non ſic ad malum. Diſcurſus iſte nullius eſt momenti: nam hoc ſolum facit moralitèr Deum diuerſo modo concurrere, ad bonum, & malum: quia cauſa moralis eſt illa, quæ excitat cauſam phyſicè effectricẽ ad opus; Phyſicè autem eodem modo concurrit, quod non videtur Sanctis Patribus conforme. Dices cum Caietano, Deum eſſe cauſã malitię moralis, non peccati. Cõtra, quia

Digitized by Google

quia SS.Patres negant malum morale eſſe à Deo. Ratio eſt: quia ſi Deus foret cauſa malitiæ moralis; ſimplicitèr fore dicendus cauſa peccati; quippè cauſaret illud, quod eſt precipuum in peccato, ſcilicèt malitiam moralem: quippè ad aures Caietani, in conuerſione ad obiectum indebitum, malitia moralis præcipuè conſiſtit. Minus ſolidè Reſpondent alij dicentes peccatum non habere pro cauſa Deum, licèt ſit entitas poſitiua realis, & hoc: quia peccatum eſt entitas deficiens, & conſequentèr ſolum pendet à cauſa ſecunda, cuius eſt deficientia. Impugnamus iſtum diſcursũ; quia videmus indè ſequi creaturam ſine concurſu Dei efficere entitatem poſitiuam peccati; quod concedere non licet, cum ſit mihi valdè durum pati ens poſitiuum independens in ſuo fieri immediatè à Deo, vt à prima cauſa. Sunt, qui reſpondeant Deum non fore dicendum cauſam peccati, etſi formalitèr concurrat ad eius eſſe: quia entitas peccati non pendet à Deo ea peculiari ratione, qua peccatum eſt: ſicut quantumuis Deus concurſu phyſico attingat generationem animalis. Non indè tamen ſequitur Deum dicendum generare animal: cuius rei, ea eſt ratio: quia generatio eſt origo viuentis à virture in ſimilitudinem naturæ, vt habet Scotus in 3. d.8. hinc peculiari ratione dependentiam agnoſcit animal à cauſa ſecunda generãte, ſecundùm quam minimè eſt cauſa prima pendentiam habet. Friuola ſolutio. Quippè ex ea, ad plus infertur Deum non ſortiri peccantis dènominationem, etiamſi in actionem peccaminoſam ſuum prębeat influxum phyſicum. Non tamen aliqua via ſaluat, quia Deus veniat dicendus peccati cauſa; ſicut ex hoc, quod animal peculiari ratione pendentiam agnoſcat à cauſa generante, deducatur ſolum Deum non dici generare animal; cum hoc tamen ſtat, quòd verè, & realitèr Deus geniti animalis cauſa phyſica dicatur.

PROPOSITIO V.

Peccatum non conſiſtit in aliquo conflato ex poſitiuo, & priuatiuo, tamquàm ex partibus eſſentialibus.

PRobatur noſtra propoſitio. Primo: quia priuatio entis, & ens reale non poſſunt per ſe eſſentialitèr conuenire ad componendum vnum ens: alioquin ſequeretur, quod non ens eſſet de eſſentia entis, & quod ens eſſentialitèr componeretur ex non ente, quod quidem in nulla compoſitione reperitur. Secundò communitèr conceditur hoc axioma: genus contrahitur differentijs proprijs, ideſt, ſpectantibus ad idem prædicamentum: conſtat autem poſitiuum, & priuatiuum pluſquam genere differere. Facit etiam pro noſtra Propoſitione aliud vulgare axioma: *non entis non ſunt ſpecies poſitiuæ*; eſſent autem, ſi malitia, ſeu ratio formalis peccati; pro genere diceret priuationem, & pro differentia poſitiuum. Repugnantiam ergo dicunt docentes non implicare conſtitutionem vnius per ſe ex entitate poſitiua, & priuatione; quippè illa, nec concurrere valent, vt materia, & forma, qua ratione partes componunt vnum per ſe phyſicum, neque vt partes integrantes vnitæ indiuiſibilibus; qua ratione partes componunt vnum per ſe phyſicum, neque vt partes integrantes vnitæ indiuiſibilibus, qua ratione concurrunt partes vnum per ſe quantitatiuum componentes, tàm quantitate molis, quàm quantitate virtutis; nec vt genus, & differentia, qua ratioue concurrunt partes facientes vnum per ſe metaphyſicum.

Accedat altera ratio: Illud eſt ratio formalis peccati, per quod conſtituitur formalitèr in aliqua vna ſpecie, ſi non propriè, ſaltem reductiuè: ſed non poteſt conſtitui in vna ſpecie peccati per poſitiuum, & priuatiuum ſimul, ergò non poteſt fieri ex eis vna ratio formalis peccati. Maior patet: quia ratio formalis rei, eſt ratio ſpecifica. Minor probatur, quia ſpecies poſitiua deſumitur ſaltem extrinſecè ex conuerſione ad obiectum diſſonum; ſpecies verò priuatiua deſumi debet à rectitudine immediatè oppoſita priuationi, ſicut cœcitas reducitur ad viſum. Subinfero: at iſta obiecta ſunt diſtincta ſpecie; ergò per ordinem ad illa non poteſt conſtitui peccatum in aliqua vnica ſpecie; aliàs idem peccatum ad duplicem pertineret ſpeciem. Dices, quod vtrumque eſt de eſſentia cuiuſdam tertij. Vana ſolutio: quia tunc peccatum non eſſet vnum

Digitized by Google

per ſe; Reſpondent hoc eſſe verum: eſt enim ens per accidens, & veluti monſtruum quodam, ſicut tenebroſum, eſt ens per accidens; moralitèr tamen peccatum poteſt dici vnum per ſe, quia priuatio per ſe videtur coniuncta cum actu malo. Non probatur hic diſcurſus, quia omnes concipiunt malitiam, ſeu rationem formalem peccati commiſſionis, vt vnam per ſe (ideò enim genera, & ſpecies ei aſſignantur; hinc de eò diſputant Theologi.) Dices; ſicut Domus licèt conſtet ex pluribus v.g. ex lignis, & lapidibus, tamen eſt vna in genere artis, ergò licèt peccatum non ſit vnum in genere phyſico, tamen erit vnum in genere moris. Contra: quia forma, & figura, quam dicit Domus, ſubiectiuè recipitur in lignis, & lapidibus: ergò ſimilitèr probatio rectitudinis debet eſſe recepta in entitate poſitiua tamquàm in ſubiecto: ergò priuatio minimè ſpectat ad rationem formalem conſtitutiuam peccati. Item forma Domus in genere entis, non ſunt ligna, & lapides; quinimò eſt vna ſimplex forma; ergò peccatum in genere moris debet eſſe vna ſimplex forma indiuiſibilis. Videatur pro iſto diſcurſu Scotus in 1. d. 3. q. 5. §. ad queſtionem igitur, & §. contra iſtam, litera N. verſ. ad videndum, vbi Scotus ait, quod differentia ſpecifica eſt ſimplicitèr ſimplex, & irreſolubilis in plures conceptus: cum ergò peccatum ſit diffinibile, vt ſupponunt Theologi, id debet eſſe vnum per ſe. Legatur Scotus in 4. diſt. 1. q. 2. §. hic primo videndum, & §. de 2. principali, verſiculo videndum litera G. Tandem principalitèr faciunt contra iſtam opinionem rationes illæ, quibus probauimus Deum eſſe cauſam peccati, ſi peccatum pro formali diceret ſiue in toto, ſiue in parte rationem poſitiuam.

PROPOSITIO VI.

Formale conſtitutiuum peccati commiſſionis non poteſt eſſe poſitiuum morale ſuperadditum actui.

EST contra eos, qui volunt, vel conſiſtere in relatiuo ſecundum dici, ſeù in extrinſeca denominatione difformitatis ad regulam rationis, & naturam rationalem, quam difformitatem dicunt ſuperaddere actui moralitatem, vel in relatiuo rationis (non quidem formalitèr ſumpto: quia malitia eſt in actibus nullo intellectu cogitante) ſed fundamentalitèr quatenus malitia moralis, quæ eſt à parte rei, dat fundamentum intellectui eam concipiendi cum ordine diſconuenientiæ ad naturam rationalem, & ità ſe ſe declarat Vaſquez cap. decimo numer. 44. vocat autem malitiam, ſeù difformitatem à natura rationalem relationem rationis, quia licèt ſit à parte rei nullo intellectu cogitante tamen in modo loquendi ſub illa denominatione, denominatur ſemper reſpectus ad intellectum vtentem tali denominatione, qua ſignificat conceptũ ſuum. Et quia Vaſquez omninò negat formale peccati eſſe phyſicum poſitiuum; hinc de poſitiuo morali debet intelligi, dum poſitiuum eſſe acquirit.

Probamus ergò rationem formalem peccati non conſiſtere in poſitiua illa relatione diſſonantiæ. Illa non eſt ratio formalis peccati, quæ ſupponit peccatum in facto eſſe; talis eſt relatio diſſonantiæ, ergò, &c. Maior ſupponitur certa: quippè id, quod ſequitur ad eſſe rei eſſentia, ſed paſſio appellandum venit. Minorem ita probo: diſconuenientia, ideò adeſt; quia conuenientia non adeſt, ſeu quia adeſt priuatio conuenientiæ: ergò relatio diſſonantiæ, ſupponit priuationem conuenientiæ, & conſequentèr ratio peccati conſiſtit in illa priuatione conuenientiæ, & non in relatione diſconuenientæ, quæ ſupponit conuenientiæ priuationem. Explicatur: ſi adeſſet conuenientia, minimè adeſſet relatio diſconuenientiæ, ergò ideò adeſt relatio diſconuenienriæ, quia adeſt priuatio conuenientiæ. Proſequor diſcurſum. Eo ipſo, quod intelligimus in actu carentiam, ſeù priuationem debitæ commenſurationis ad naturam rationalem, ſtatim habetur ratio peccati, & actus dicendus eſt malus, cum habeat priuationem bonitatis debitę ſed ante relationem diſconueniente præintelligitur in actu priuatio debitæ commenſurationis ad naturam rationalem; ergò in illa priuatione conuenientiæ eſt ponenda ratio peccati. Minorem probo: ideò adeſt relatio diſconuenientiæ, quia non adeſt ratio conuenientiæ; quæ ex præcepto debe-

Digitized by Google

debere ineſſe, ergò antecedentèr ad relationem diſſonantiæ, ſupponitur in actu ratio mali, ſcilicet priuatio conformitatis. Antecedens probo: quia ſi adeſſet conformitas ad legem, nequaquam adeſſet relatio diſſonantiæ; ergò ad hoc, quod poſſit adeſſe relatio diſſonantiæ, videtur neceſſarium, quod prius adſit priuatio cōmenſurationis, ſeù conformitatis, & in iſta priuatione, conformitatis, collocanda eſt ratio formalis peccati, & non in relatione diſſonantiæ, quæ ſubſequitur. Explicatur melius: etſi in actu ſit relatio diſſonantiæ, tamen negabit nemo, quod ea relatio præſupponat carentiam debitæ commenſurationis, in qua veluti in fundamento proximo ſubiectatur relatio diſſonantiæ; ergò ratio peccati rationabilitèr conſtituēda eſt in illa priuatione conſonantiæ. Antecedens probo exemplo caloris habentis rationem diſconuenientiæ ad naturã aquæ. Ita diſcurro: iſta relatio diſconuenientiæ, quam dicit ignis ad naturam aquæ, ſupponit in igne priuationem conuenientiæ ad naturam aqſiæ, quandoquidem, ſi in igne eſſet relatio conuenientiæ ad naturam aquæ, certè in igne non inſurgeret relatio diſconuenientiæ ad naturam aquæ; ergò vt inſurgat relatio diſconuenientiæ, debet præſupponi in igne priuatio, ſeu carentia conuenientiæ ad naturam aquæ: ita in caſu noſtro; ergò in actu prius eſt priuatio cōformitatis, quàm inſurgat relatio diſſonantiæ.

Altera probatio. Relatio diſſonantiæ debet habere fundamentum, & rationem fundandi in ſubiecto; ſed pro ratione fundandi talem relationem diſſonantiæ non poteſt aſſignari ſolus actus liberè elicitus, (quandoquidem actus liberè elicitus, eſt indifferens ad bonitatem, & malitiam:) ergò aſſignandum eſt aliquid aliud; ſed illud aliud conſiſtit in priuatione conformitatis, ergò priuatio conformitatis ſupponi debet ad relationem diſſonantiæ: ergò actus eſt malus antecedentèr ad talem relationem diſſonantiæ, ac per conſequens non conſtituitur in eſſe per relationem diſſonantiæ. Fauet nobis, quod Ariſtoteles 10. metaphyſices Textu commento 15. enumerans oppoſitiones, ſic ait: *oppoſitiones ſunt, contraditio, priuatio, contrarietas, & relatio, &c.* Priuatio eſt fundamentum contrarietatis; hinc pro tanto forma aliqua maiorem habet contrarietatem cum alia quanto maiorem priuationem habet reſpectu illius; hac ratione, pallidum non eſt tantum contrarium albo, ſicut nigrum eſt contrarium albo: quia pallidum non habet tantam priuationem albi, ſicut nigrum; vndè docet Ariſtoteles, maximam contrarietatem reperiri inter extrema, & hoc, quia vnum maximè diſtat ab alio, ſcilicèt habet tantam priuationem illius, quantam poteſt habere. Sit tale argumentum: Contrarietas, vel diſſonantia, fundari debet in priuatione, & tantò eſt maior contrarietas, vel diſsonantia quantò maior eſt priuatio; ergò relatio diſſonantiæ, quam ponit Vaſquez, neceſſariò fundari debet in priuatione, & proindè illa priuatio, ea eſt, in qua conſiſtit conceptus formalis peccati. Dic, quod quando magis vna res dicit priuationem alterius, tantò maior eſt diſſonantia, vel contrarietas ad illud: ergò tantò maior erit priuatio conſonantiæ, ſeù conformitatis: ſignum euidens priuationem ſemper præſupponi ad relationem diſsonantiæ. Antecedens claret; & ideò eſt maior relatio diſsonantiæ, vel cōtrarietatis albi ad nigrum: quàm ſit pallidi ad nigrum: quia album dicit maiorem priuationem nigredinis, quàm dicat pallidum.

PROPOSITIO VII.

Adducuntur aliæ rationes pro noſtra propoſitione.

SIcut relatio ſimilitudinis, & æqualitatis, quæ ſunt relationes primi generis, ſemper fundantur in vnitate quantitatis, & quatenus, quæ quidem vnitas dicit carentiam exceſſus in eſtenſione, aut intenſione; ſic etiam relationes tertij generis conformitatis, fundantur in adæquatione menſuræ cum ſua menſura; relationes vero deformitatis, aut diſſonantiæ, fundantur in priuatione, aut carentia talis adæquationis menſuratis cum ſua menſura, per exceſſum, ſiue per defectum; ſemper ergò relatio diſſonantiæ, aut diſformitatis præſupponit carentiam adæquationis, tamquã fun-

Digitized by Google

fundamentum : ſi ergò inter actum peccaminoſum, & inter naturam rationalem, aut regulam rationis eſt relatio diſſonantiæ ; talis relatio præſupponit carentiam, aut priuationem adæquationis actus cum natura, aut cum regula rationis ; talis, ergò priuatio, erit malitia formalis in peccato commiſſionis. Dices primò, quòd ; & ſi iſta relatio præſupponat carentiam dictę adæquationis ; tamen illa non eſt priuatio, ſed negatio, & hoc videtur eſſe ad mentem recenſiorum, qui nullam priuationē agnoſcunt in peccato commiſſionis, prætèr priuationem gratiæ, quæ eſt in peccato mortali.

Contra ; qui ſi carentia adæquationis eſſet mera negatio, non foret ſufficiens fundamentum ad relationem diſſonantiæ intèr actum peccati, & naturam rationalē : carentia enim alicuius perfectionis, quæ non eſt debitè actui ; non ſufficit, vt actus dicatur diſſonus naturæ rationalis vt patet in operibus, quæ Concilij aduerſantur. Dices ſecundò, quòd & ſi iſta priuatio ſupponatur tamquàm fundamentum ad huiuſmodi relationem ; tamen formalis malitia non conſiſtit in huiuſmodi priuatione, ſed in ipſa relatione, quæ conſequitur. Contra, quia ſi ſemel admittas actum carere debita adæquatione cum regula rationis ante dictam relationem ; iam quidem intelligitur actus malus, ac per conſequens, ibi intelligitur malita. Declaratur : quia illa priuatio debitæ cōmenſurationis actus cum regula rationis opponitur bonitati : ergò illi eſt malitia. Antecedens patet : quia bonitas moralis adhuc ſecundum ſententiam recenſiorum tantùm conſiſtat in conformatione ad naturã rationalem ; ergò priuatio talis conformationis erit formalitèr malitia moralis.

PROPOSITIO VIII.

Ratio formalis peccati conſiſtit in priuatione rectitudinis.

ITA Scotus cum ſuis, Probatur : illud eſt ratio farmalis alicuius rei, ſine quo illa res, nec eſſe, nec intelligi poteſt etiam per abſtractionem : ſed præciſa priuatione rectitudinis, & poſitis omnibus alijs non poſſumus intelligere peccatum : ergò priuatio rectitudinis eſt ratio formalis illius. Minor probatur : quia præciſa priuatione rectitudinis nō poſſumus intelligere dictũ, factũ, vel concupitũ contra legē Dei ; ergò non poſſumus intelligere peccatũ. Antecedens patet : quia actũ eſſe contra legē Dei, nil aliud eſt, quàm non eſſe conformē illi : ſed non eſſe conformē legi, eſt non habere rectitudinem, quam tenetur habere ex præcepto legis : ergò de primo ad vltimum, eſſe contra legem Dei, eſt habere priuationem rectitudinis debitæ, & conſequentèr, non intellecta priuatione, nequit intelligi illa contrarietas. Confirmatur hæc ratio in peccato prodigalitatis, in quo, præciſa priuatione rectitudinis debitæ, ſolum remanet contrarietas, ſeu oppoſitio, quam habet ad actum liberalitatis ; huiuſmodi autem oppoſitio, ſeu contrarietas, non eſſet peccatum formalitèr in tali caſu ; tùm quia, nulla exiſtente lege, adhuc manere illa oppoſitio, non tamen maneret peccatum (*vbi enim non eſt lex, nec prævaricatio dicit Apoſtolus*, Romanorum 4.) Tum etiam quia in homine non habentem vſum rationis, qualis eſt amens, ſi reperiantur actus prodigalitatis, & liberelitatis, reperitur contrarietas, & oppoſitio illorum, non tamen reperitur peccatum, quia in eo prodigalitas non habet priuationem rectitudinis debitæ : cum ſubiectum illud non ſit aptum habere rectitudinem moralem, ſi tamen reperiatur priuatio, ſeu carentia rectitudinis debitæ abſquè aliquo actu poſitiuo, ſeu contrarietate poſitiua, ſicut reperiri poteſt in peccato omiſſionis ; tunc reperitur vera ratio formalis peccati : ergò manifeſtè conſtat talem rationem formalē cōſiſtere in priuatione : patet conſequentia, quia neceſſariũ eſt, aliqua rationem communem aſſignare peccatis, tàm commiſſionis, quàm omiſſionis.

Altera ratio ; peccatum pro formali eſt obiectum ſummi odij Dei : ſed poſitiua entitas, vel tendentia actus liberi ad obiectum diſſonum, non eſt obiectum ſummi odij Dei : ergò ratio formalis peccati commiſſionis non conſiſtit in reali entitate, vel poſitiua tendentia actus liberi : ergò conſiſtit in priuatione rectitudinis. Vrgetur ratio ;

Digitized by Google

ratio: ſummum odium Dei eſt illud, quod nihil habet admixtum actus amoris: ſed actus odij, quo Deus tendit in poſitiuam tendentiam actus liberi in obiectum diſſonum, non ſolum, vt quid delectabile eſt, qua ratione iſta tendentia, eſt quid phyſicum, ſed etiam, vt quid diſſonum rationi, qua ratione eſt quid morale, habet admixtum aliquid actus contrarij, ſcilicèt amoris: ergò poſitiua, & realis iſta tendentia, non eſt obiectum ſummi odij Dei: ergò tale obiectum eſt ſola priuatio rectitudinis. Probatur minor: Deus ita proſequitur odio iſtam tendentiam, vt ſimul velit, & complaceat in aliquibus prędicatis illius, ergò actus, quo Deus tendit in illam tendentiã, eſt admixtus cum actu odij, & amoris. Probatur antecedens: Deus cauſat aliqua prædicata iſtius tendentiæ, ſcilicèt rationem entis, rationem voluntarij, imo, & ipſam tendentiam: cum quid phyſicum ſit, & relatio realis tertij generis: ſed omnia hæc cauſat per voluntatem, & complacentiam; ergò illa vult, & in ipſis complacet; ergò ſi peccatum commiſſionis formalitèr eſſet entitas poſitiua ſiue illa tendentia, iã Deus haberet complacentiam de ipſo peccato pro formali, quòd dicet nemo; ergò rationabilius eſt dicere rationem formalem peccati conſiſtere in priuatione rectitudinis.

Sit altera ratio: nil poteſt eſſe malum formalitèr, niſi quia caret aliqua bonitate, ergò malitia formalitèr ſumpta, tantum eſt carentia bonitatis. Antecedens probatur: nulla entitas eſt alicui mala, quatenus eſt entitas, (entitas enim, vt ſic bona eſt) ergò ſolum dicitur mala, quatenus priuat ſubiectum aliqua bonitate, ſeu perfectione ſibi debita: ſi enim non tolleret aliquam perfectionem, ſeu bonitatem, minime poſſet dici malum: v. g. calor cenſetur malus aquæ, quia aufert ab aqua ſuam naturalem perfectionem, & proprietatem; quòd ſi illam non tolleret, non diceretur aquæ malus: quia nullum malum inferret aquæ; ſicut igitur malum cauſalitèr dicitur illud, quod aufert aliquam perfectionem à ſubiecto, ita malum formalitèr dicitur illud, quod caret aliqua perfectione ſibi debita; ergò ſicut tota ratio malitiæ cauſalis conſiſtit in oblatione illius perfectionis, ſeu bonitatis; ita etiam tota ratio formalis malitiæ conſiſtit in carentia, ſeu priuatione rectitudinis debitæ.

Dices, verũ eſſe, quòd in quolibet malo, & peccato reperitur carentia perfectionis, ſeu rectitudinis debitæ; quia tamen iſta carentia conſequitur ad actum poſitiuum, quo tendit homo in obiectum diſſonum, qui actus cum ſit circa obiectum diſſonum, debet neceſſariò eſſe malus, ideo in tali tendentia, ſeu ordine poſitiuò, potius, quàm in priuatione debet conſiſtere ratio formalis peccati. Contra, nam ex eo aliquod obiectum eſt diſſonum, quia non habet conſonantiam, quam tenetur habere cum regula rationis (hoc enim importat ly diſſonum,) ergò tota ratio diſſonantiæ, ſeu malitiæ in obiecto, eſt carentia rectitudinis, ſeu conformitatis, quam debebat habere: ergò ſimilitèr actus circa illud obiectum, dicetur malus; quia caret rectitudine ſibi debita: non enim eſt malus formalitèr actus per malitiam obiecti, nec per malitiam potentiæ, ſed per propriam malitiam. Item malitia actus non deſumitur ex ordine poſitiuo ad obiectum, ſed ex priuatione rectitudinis; hoc ſic manifeſto: ponamus v.g. quod alicui proponatur hoc obiectũ: Deus hic, & nunc eſt diligendus, & quod ipſe habeat hunc actũ: nolo diligere Deũ quod eſſet grauiſſimũ peccatũ: tunc inquiro à, quo deſumatur malitia illius? nõ vtiquè ab obiecto, quia illud obiectũ propoſitum, bonum eſt, & ſic non poteſt tribuere malitiam actui: ergò neceſſario deſumenda eſt ex eo, quòd operando circa illud, non habet homo rectitudinem, quã debebat habere: ergò illa malitia eſt formalitèr priuatio rectitudinis: ergò vera noſtra propoſitio, docens rationem formalem peccati conſiſtere in priuatione rectitudinis debitæ.

PRO-

PROPONVNTVR ARGVMENTA.

Probantia malitiam moralem non poſſe conſiſtere in priuatione, & ſoluuntur his ſubſequentibus propoſitionibus. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

PRimum argumentum, calor dicitur diſconueniens aquæ, & conſequentèr malus: ſed reſpectus diſconuenientiæ eſt poſitiuus; igitur malum pro diſconuenienti eſt poſitiuum. Deindè dari poteſt forma pro ſe diſconueniens ſubiecto, etiam ſi non tollat aliam formam poſitiuam oppoſitam: v. g. dolor eſt malus tactui materiali, etiã ſi non tollat aliquam oppoſitam voluptatem, ſed quia male per ſe afficit animal. Tum, quia forma excludat aliam oppoſitã: non ſolum eſt mala, & diſconueniens per talem excluſionem, ſed etiam, quia per ſe illi repugnat: nam aqua v.g. prius ſe habet cum calore, quàm ſi ſolum careret frigore, & voluntas peius ſe habet cum actu, & habitu prauo, quàm ſi ſolum careret bono; & intellectus, prius cum errore, quàm cum ſimplici neſcientia; igitur non ſolum ratione illius priuationis, ſed per ſe, & formalitèr, & poſitiuè poteſt forma eſſe diſconueniens, & mala ſubiecto; vndè damnati mallent anihilari, & carere omni bono, quàm pati acerbum illud malum, quod patiuntur.

Reſpondetur, quòd poſitiuus ordo diſconuenientiæ non eſt malitia formalitèr; ſed priuatio frigiditatis aquæ debitæ. Dices: ergò ſi per impoſſibile conſeruaret Deus ſimul cum calore frigus in aqua: error cum ſcientia, & cum dolore voluptas, illa omnia non eſſent mala ſuis ſubiectis, quia nihil boni auferrent, & nullam perfectionem connaturalitèr debitam. Reſpondeo adhuc mala eſſe ſuis ſubiectis, quià illa priuarent ſtatu eis connaturali, qui eſt in aqua, tantum eſſe frigidam, non verò calidam, aut frigidam, & calidam ſimul; idem dicendum de dolori, & voluptate, errore, & ſcientia. Dicimus, ergò errorem, ſecundum Phyſicum poſitiuum, quod dicit, bonum eſſe intellectui: eſt enim eius vitalis operatio cõnaturalitèr ab ipſo profluens, malum verò eſſe formalitèr proptèr priuationem coniunctam, non ſolum, quià priuat bonis actibus oppoſitis, & per habitus, quos inducit, inhabilitat ad veram cognitionem; ſed, quià priuat conformitate ad regulam, & facit intellectum non aſſimilari; ſed difformari obiecto. Et proptèr hoc, plus eſt errare, quàm neſcire, & ignorantia prauæ diſpoſitionis, quàm ſimplicis neſcientiæ. Idem docent de triſtitia nonnulli Doctores, quòd ſcilicèt ſecluſa priuatione boni ſecundum phyſicum poſitiuum, quod dicunt, non ſunt mala, imò bona, & appetibilia ex ſuppoſitione mali illati: quia de proprio vel aliquorum malo, dolore, natura ipſa, & caritas poſtulat, Plus autem eſt triſtari quàm non gaudere: quia triſtitia non ſolum dicit excluſionem gaudij, ſed inhabilitatem quandam ad gaudium: impedit enim connaturalitèr gaudium; proindè priuat expedita potentia ad gaudendum; pugnat etiam cũ ſalute, & bona corporis diſpoſitione, & quamuis non tollat ſubſtantialem vitam ſpiritualem, inhabilem tamen reddit animum ad opera vitæ: quia ſic ligat ad cogitandum de malo præſenti, vt difficile ſit de alijs cogitare.

Ad id de calorè, noſtrum confirmat intentum: hic enim eſt in ſe bonus, & malus aquæ, quia illam priuat ſua frigiditate. Patet, quia ſi ſolum non haberet frigiditatem, poſſet ſe ad illam reducere, & habendo calorem, impeditur nè ad naturalem ſtatum redeat. Reſtat ergò, quòd phyſica entitas non ſit formalitèr malitia: quippè phyſica entitas ſecundum poſitiuũ, quod dicit, nec poteſt eſſe in ſe mala, nec mala alteri, ſcilicèt voluntati à, quà ſit. Non eſt in ſe mala: quia ens, & bonum conuertuntur; ergò eo ipſo, quo aliquid, habet eſſe; ſecundum tale eſſe, perfectionem dicit, & in ſe bonum eſt. Non eſt mala voluntati: tum quia bonum in ſe, ratione ſuæ bonitatis præcisè, nulli poteſt eſſe malum, ſed ratione alterius connotati, quatenus ſcilicèt priuat illud aliquo proprio bono, vt patet diſcurrenti per omnia mala reſpectiua; & eſt expreſſa ſententia Diui Auguſtini: nam libro 2. de moribus Manicheorum, inquit; malum alteri eſt, quòd nocet alteri; quidquid autem nocet, bono aliquo priuat rem, cui nocet: tum quià,

quià; quòd alteri malum phyſicè eſt, ſemper alteri bonum eſt, vel tamquàm connaturali ſubiecto, ad quod ordinatur, vt perfectio eius,vel tamquàm connaturali principio,à quo dimanat;ità calor malus aquæ, bonus igni eſt: ſed actus voluntatis humanæ ſecundum phyſicum, quod dicit, nulli alteri ſubiecto bonus eſt, & voluntatem reſpicit, vt proprium ſubiectum, & connaturale principium, & eſt circa obiectum voluntati proportionatum, nempè bonum, ſaltem delectabile, vel vtile: ergò voluntati phyſicè malus eſſe non poteſt.

Secundum argumentum: illud eſt ratio formalis conſtitutiua peccati in ſpecifico eſſe, per quod ab alijs peccatis differt ſpecie: ſed peccatum commiſſionis non differt ſpecie ab alijs peccatis per ſolam priuationem rectitudinis, ergò priuatio rectitudinis minime eſt formalis ratio conſtitutiua peccati commiſſionis. Minor probatur, ſpecialitèr de illis peccatis, quæ vni, & eidem virtuti opponuntur, qualia ſunt auaritia, & prodigalitas, quæ opponuntur liberalitati:hæc enim peccata ſpecie diſtinguntur, ſed non per priuationes rectitudinis: ergò peccatum commiſſionis non differt ſpecie ab alijs peccatis per ſolam priuationem rectitudinis. Minor probatur: priuatio rectitudinis reperta in prodigalitate, non diſtinguitur ſpecie à priuatione rectitudinis reperta in peccato auaritiæ: ergò ille priuationes nō diſtingūt ſpecie prodigalitatem,& auaritiam.Probatur antecedens: nam ſicut priuationes ſpecificantur à formis poſitiuis, ſic ſpecie diſtinguuntur iuxta diſtinctionem ſpecificam illarum,ſed rectitudo, cuius priuatio reperitur in prodigalitate, eſt eiuſdem ſpeciei cum rectitudine; cuius priuatio reperitur in auaritia: quia habent eumdem terminum,nempè liberalitatem:ergò ipſe priuationes ſunt eiuſdem ſpeciei,& pro indè non diſtingunt ſpecie prodigalitatē, & auaritiam, & conſequentèr priuatio nequit eſſe ratio conſtitutiua peccati.

Noſter Pater Vulpes Reſpondet, quòd peccatum commiſſionis eſſentialitèr dicit duo ſcilicèt poſitiuum,& priuatiuum, tamquàm materiale, & formale, ex quibus conſlatur vnum concretum; & quia auaritia, & prodigalitas ſunt diuerſa concreta ſpeciè, quià prodigalitas opponitur liberalitati per exceſſum,auaritia per defectū; cōſequētèr iſta duo ſpecie diſtinguntur.

Inſurgit contra Aluarez: quia ſi prædicta vitia ex parte formæ non diſtinguntur ſpecie; ergò ſimplicitèr ſunt eiuſdem ſpeciei. Addimus nos, quòd poſitiuum minime ſpectat ad rationem formalem peccati; ergò omninò eſt impertinens ad diſtinctionem ſpecificam peccatorum. Occurrit Vulpes, dicendo, quòd peccatum commiſſionis vtrumque per ſe includit, ſcilicèt materiale,& formale, ſicut homo animam, & corpus. Fallitur hic Doctor in ſuo diſcurſu, & aſſumit falſum: quia in primis ſequeretur peccatum commiſſionis eſſentialitèr conſtitui ex priuatiuo, & poſitiuo ſimul, quòd ſuperius impugnatum eſt. Tum etiam, quia ſecundum Scotum pluribus in locis, & præcipuè in 2.d.37. littera E. & quolib.18. peccata diſtinguuntur ſpecie, non ratione actus in eſſe naturæ, ſed ratione priuationis diuerſę rectitudinis: nàm cum peccatum pro formali conſiſtat in priuatiuo, conſequentèr diſtinguuntur peccata ſpecie, penès diuerſas priuationes ſpecie; hæ vero, non diſtinguntur ratione ſubiectorum; ſed ratione habituum,quibus ſubiectum priuant, & cum in præſenti vitia extrema,oppoſita eidem virtuti,important priuationem eiuſdem rectitudinis liberalitatis, conſequentèr ſunt eiuſdem ſpeciei.

Hinc reſpondemus nos cōcedendo primam maiorem, & negando minorem, & ſimilitèr concedendo maiorem probationis, & negando minorem, & ad huius probationem nego antecedens; vndè quando dicitur: quòd rectitudo, cuius priuatio reperitur in prodigalitate, & rectitudo cuius priuatio reperitur in auaritia, non diſtinguuntur ſpecie; diſtinguendum eſt; non diſtinguuntur ſpecie formalitèr; concedo; non diſtinguntur virtualitèr; nego. Ad huius intelligentiam moneo,liberalitatem eſſe virtutem inclinantem ad dandum alteri,quemadmodum oportet dare, ſeu id, quòd conueniens eſt dare,& ad relinquendum ſibi, quod conueniens eſt non dare; vndè actus liberalitatis, licèt formalitèr ſit vnus; duos tamen actus virtualitèr continet, nempè actum dandi alteri, quod con-

Digitized by Google

ueniens eſt dare,& actum relinquendi ſibi, quod conueniens eſt non dare alteri, quia ſcilicèt, ſibi neceſſarium eſt; ſicut igitur vnus, & idem actus liberalitatis includit virtualitèr duos actus, nempè actum volendi ſibi relinquere, quod conuenientèr non poteſt dare, & actum volendi alteri dare, quod conuenientèr dare poteſt; ſic vna, & eadem rectitudo liberalitatis includit virtualitèr duas rectitudines, nempè rectitudinem dandi alteri, quod conuenientèr ei dari poteſt, & rectitudinem relinquendi ſibi, quod conuenientèr dari non poteſt alteri, quę rectitudines, cum reſpiciant diuerſos actus, tamquàm terminos, ſunt inter ſe ſpiecie diuerſæ. Hinc, cum prodigalitas inclinet ad vnam relinquēdo ſibi, quod conueniens eſt, & ſibi neceſſarium eſt; habet priuationem rectitudinis relinquendi ſibi, quod non poteſt conuenientèr dare; & cum auaritia inclinet ad non dandum, quod conuenientèr dari poteſt, habet priuationem rectitudinis dandi alteri, quod conuenientèr poteſt dare; quæ priuationes neceſſariò ſpecie diſtinguuntur ſicut rectitudines, cuius ſunt priuationes, & pro indè prodigalitatem, & auaritiam, ſpecie diſtingunt, & per conſequens nihil inconuenit, quòd priuatio rectitudinis ſit formalitèr conſtitutiua peccati.

Addimus: quòd etſi prodigalitas, & auaritia habeant eamdem priuationem; tamen cùm prodigalitas habeat priuationem liberalitatis per exceſſum, & auaritia per defectum; ex iſto diuerſo modo priuandi, non erunt prodigalitas, & auaritia eiuſdem ſpeciei. Inſurges: quòd iſti diuerſi modi priuandi,non poſſunt diſtinguere ſpecie illas rectitudines: quippè, eiuſdem ſpeciei eſt cæcitas,ſiue ſit per humorum exceſſum, ſiue per defectum, idem de ſurditate &c. Dicimus magnam eſſe diſparitatem intèr priuationes phyſicas, & morales: nàm priuatio phyſica, cum ad ſui conſtitutionem plus requirat,quàm priuatio moralis;etiam plus requiritur ad diſtinctionem priuationis phyſicæ, quàm moralis. Quo fit,quòd cum priuatio moralis ſit minimæ entitatis, parum ſufficit ad ipſius diſtinctionem, ac propterea ex diuerſo modo priuandi, poterunt diſtingui. Fauet huic doctrinæ,quòd etſi motus rectus, & circularis reſpiciant eumdem terminum, nihilominus ex diuerſo modo tendendi in illum terminum, ipſi duo motus, diſtinguuntur ſpecie. Videatur Scotus in 3 d.14.quæſt.2.§. ad primum argumentum in ſolutione ad ſecundum. Hinc cum priuatio moralis conſiſtat in ſproportione ad rectum dictamen, ſeu in carentia conformitatis ad illud, ſufficiat, quòd diuerſo modo talis conformitas tollatur, vt priuationes ſint diſtinctæ ſpecie.

Alia ſolutione occurrimus argumento principali. Quando dicitur, quòd priuatio rectitudinis reperta in prodigalitate,nō diſtinguitur ſpecie à priuatione rectitudinis,repertæ in auaritia; diſtinguendum eſt: priuatio rectitudinis liberalitatis in prodigalitate, non diſtinguitur ſpecie à priuatione rectitudinis liberalitatis, quæ reperitur in auaritia; concedo; priuatio rectitudinis, & conformitatis ad præceptum, ſeu dictamen rationis,prohibens prodigalitatem, non diſtinguitur ſpecie à priuatione rectitudinis in auaritia ad præceptum prohibens ipſam auaritiam; nego; de prodigalitate enim, & auaritia, dantur diuerſa, & diſtincta præcepta, aut dictamina rationis, & pro indè ad illa præcepta dantur diuerſę rectitudines; quapropter in prodigalitate, & auaritia, prætèr priuationes rectitudinum liberalitatis, dantur priuationes rectitudinum ad illa præcepta, aut dictamina rationis; quæ priuationes, cum ſint ſpecie diſtinctæ, ſicut, & ipſæ rectitudines, quarum ſunt carentiæ; etiam ſpecie diſtingunt prodigalitatem, & auaritiam.

PROPOSITIO II.

Tertium argumentum,ſi peccatum formalitèr conſiſteret in priuatione rectitudinis, ſequeretur, quòd peccatum cōmiſſionis non eſſet grauius, & maius peccatum, quàm peccatum omiſſionis circa eamdem virtutuem, vt v. g. non eſſet maius, aut grauius peccatum fidem apertè poſitiuè negare, quàm ea non confiteri palam tempore, quo vrget præceptum ad cōfitendi: ſed hoc eſt falſum: ergò in priuatione non conſiſtit ratio formalis peccati. Probatur ſequela: priuatio non ſuſcipit maius, aut minus, ſed ſicut in peccato negandi

Digitized by Google

gandi apertè poſitiuè fidem, reperitur priuatio rectitudinis ſic, & in peccato omiſſionis, nempè non confitendi fidem; ergò ſi in priuatione conſiſteret ratio formalis peccati, & mali moralis; non eſſet maius peccatum commiſſionis, quàm ommiſſionis circa eamdem virtutem; ſed hoc nequit admicti; ergò ratio formalis peccati non eſt priuatio.

Negata ſequela; ad exemplum nego, quod non eſſet maius peccatum fidem poſitiuè negare, quàm eam non confiteri tempore præcepti; & ratio eſt: quia actus negandi fidem poſitiuè; habet duplicem priuationem, nempè priuationem rectitudinis virtutis fidei: quia eſt contra ipſam fidem directè, & pro indè eſt Infidelitas; & priuationem rectitudinis præcepti de confitēda fide; at omiſſio, ſeu non confiteri fidem; habet tantum priuationē rectitudinis præcepti de confitenda fide, & non priuationem virtutis fidei: nam cum hoc, quod aliquis non confiteatur fidem palàm publicè, benè ſtat, quòd credat omnes articulos eius. Replicabis: ſi ratio formalis peccati eſt priuatio rectitudinis, concluditur, quòd non ſit maius, & grauius peccatum deſperare de miſericordia Dei, quàm non ſperare tempore, quo quis tenetur: ſed hoc eſt falſum; ergò &c. Sequela patet: quia in vtroquè æqualitèr reperitur priuatio rectitudinis virtutis ſpei, & priuatio rectitudinis præcepti de habenda ſpe: nam omiſſio ſpei huiuſmodi eſt non ſperare, ſicut eſt carentia actus ſpei, ſic neceſſariò includit carentiam rectitudinis ipſius, & etiam deſperare, cum ſit poſitiuè contra ſpem, neceſſariò importat priuationem illius rectitudinis, & cum vterquè actus ſit contra præceptum de ſpe habenda, in vtroque reperitur priuatio rectitudinis præcepti; ergò ſi ratio formalitèr conſtitutiua peccati conſiſteret in priuatione, non eſſet maius peccatum deſperare, quàm non ſperare tempore quo quis tenetur ſpem habere.

Negatur ſequela: nam licèt in non ſperare, & in actu deſperandi reperiantur priuationes rectitudinis ad virtutem ſpei, & ad præcepta de illa habenda; adhuc tamē deſperare eſt maius, & grauius peccatum, quàm non ſperare, quando quis tenetur: quando enim aliquis non ſperat, non negat ſimplicitèr miſericordiam Dei, nec eam contemnit, ſed ſolum iudicat ſe pro illo tunc miſericordiam non conſequuturum: at verò, qui deſperat, ſeu habet actum deſperandi, quantum eſt de ſe, negat ſimplicitèr miſericordiam, eamquè contemnit; vndè proptèr circumſtantiam, negādo ſimplicitèr miſericordiam Diuinam, eamque contemnendo, deſperare eſt maius peccatum, quam non ſperare.

Replicabis: ſi tota malitia moralis conſiſtit in priuatione. Sequeretur ſufficere in confeſſione explicare ſolam illam priuationem. Rem explico; ſi quis commiſit peccatum adulterij fornicationis, aut ſtupri, ſufficeret dicere in confeſſione feci contra votum, aut virtutem caſtitatis, non explicans eum habuiſſe actum fornicationis, an vero adulterij, aut ſtupri: ſed hoc nullus admittere poteſt: ergò tota ratio formalis malitię non conſiſtit in priuatione. Sequela probatur. nam in confeſſione, vt ſit valida, ſufficit explicare totam malitiam culpæ: ergò ſi tota malitia conſiſteret in priuatione rectitudinis, ſufficeret in confeſſione explicare illam dicendo ſe habuiſſe actum contra tale, vel tale præceptum, vel contra talem, vel talem virtutem: quia per hoc ſufficientèr priuatio rectitudinis explicatur, cum igitur hoc nequeat admicti, ſequitur, quòd tota ratio peccati non conſiſtit in priuatione. Reſpondemus, conceſſa maiore, negando minorem. Ad probationem negamus ſequelam: nam peccata, quæ ſunt contra caſtitatem, vt ſimplex fornicatio, adulterium, ſtuprum, &c. Prætèr malitiam, quæ eſt priuatio rectitudinis caſtitatis, proptèr diuerſas circumſtantias prohibitas ſpecialibus præceptis, aut dictaminibus rationis, habent alias malitias morales ſpecie diſtinctas, & ſpeciem mutantes, quæ quidem conſiſtunt in priuationibus rectitudinis ad illa diuerſa præcepta, aut dictamina rationis; & ideo neceſſariū eſt expreſsè declarare an habuerit actum adulterij, an verò ſtupri &c. & non ſufficit dicere ſe habuiſſe actum contra caſtitatem: ſiquidem habuit aliam malitiam pretèr illam, quæ conſiſtit in priuatione rectiudinis virtutis caſtitatis.

Ponderandum, ergò, quòd ſicut duplex eſt dubium, ſeu obligatio moralis, alia, quæ conſurgit ex natura rei: alia, quæ conſurgit ex lege, vel præcepto tantùm; ita

Digitized by Google

duplex eſt peccatum, ſeù delictum; aliud quod conſurgit ex natura rei; hoc eſt ex propria oppoſitione, quam habet cum hac, vel illa virtute; aliud vero, quod conſurgit ex lege, ſeù præcepto precisè (non dico ideo malum, quia prohibitum, aut prohibitum, quia malum) quantum ad diſtinctionem, ſeu obligationem confitendi. Hoc me docuit Scotus in 4. d. 17. §. de 2, dum dicit ſaltem illas circumſtantias dico agrauantes, eſſe neceſſariò confitendas, quæ ſpeciali prohibitione prohibentur.

Dices, ergò in peccato prodigalitatis, & auaritiæ ſufficiat quempiam dicere: accuſo me, quòd peccaui contra liberalitatem: cum magis, vel minus hac in re non mutet ſpeciem. Patet hoc, quia ex Concilio Trid. non tenetur pœnitens explicare in confeſſione, niſi ſpeciem, & numerum peccatorum, ex quo colligunt Theologi, quòd non tenetur pœnitens explicare in confeſſione circumſtantias aggrauātes etiā notabilitèr, ſed ſolum illas, quæ mutant ſpeciem. Ergò etiam ſi peccatum commiſſionis ſit grauius peccato ommiſſionis, non tenebitur pœnitens explicare vtrum peccatum ſit commiſſionis, vel omiſſionis. Pater Maſtrius Reſpondet, quòd circa circumſtantias notabilitèr agrauantes, duplex verſatur opinio, vtraquè probabilis; ſcilicèt pœnitentem teneri, & non teneri ad explicandas prædictas circumſtantias, & ita ſequendo opinionem, quòd non teneatur aperire prædictas circumſtantias, concedit Maſtrius pœnitentem non eſſe obligatum ad confitendum, ſi peccatum ſit cōmiſſionis, vel omiſſionis: ſi odij, vel omiſſionis amoris: ſi hæreſis, vel omiſſionis actus credendi, dummodo non adſit aliqua cenſura, vel reſeruatio circa vnum illorum, quia tunc ratione cenſuræ, & reſeruationis tenetur pœnitens explicare, ſi peccatum ſit commiſſionis, vel omiſſionis. Hæc Pater Maſtrius.

Nos reſpondemus, quòd licèt hoc verum ſit per ſe loquendo, quòd pænitens non teneretur explicare illas circumſtantias aggrauantes, & non mutantes ſpeciem. Per accidens vero tenetur: quia communitèr, & regularitèr, illa duo peccata ſunt contra diuerſas virtutes: exempligratia, reſeruās pecuniam per auaritiam tempore, quo debebat ſuccurrere proximo; non ſolum peccat contra liberalitatem, ſed etiam, & præcipuè contra charitatem proximi; ſimilitèr prodigus peccat contra pietatem, & ius naturale, quo tenetur bona ſua ſibi, & ſuis reſeruare, ac prouidere: hinc ex adiuncto, & quaſi per accidens, naſcitur illa obligatio confitendi diſtinctè illas circumſtantias.

PROPOSITIO III.

Aliud argumentum; actus odij Dei v.g. habet rationem formalem peccati: ſed non habet priuationem rectitudinis: ergò priuatio non eſt ratio formalis peccati. Minor probatur: nam priuatio eſt carentia in ſubiecto apto nato, ſeù capaci formæ; ſed odium Dei non eſt capax, aut aptum ad habendum rectitudinem, (cum intrinſecè ſit malum, eo quod ſit formalis nolitio ipſius Dei, & formalis auerſio à ſummo bono;) ergò non habet priuationem rectitudinis, ac pro inde illa non eſt ratio formalis conſtitutiua peccati.

Reſpondent aliqui Scotiſtæ, quòd licèt odium Dei ſecundum ſpeciem non ſit capax rectitudinis, ſed potius negatum; tamen ſecundum genus rectè dicitur priuatum, eo modo, quò Talpa, licèt ſecundum ſpeciem dicat negationem Viſionis, tamen ſecundum genus dicitur priuata, quatenus ſecundum, quòd animal eſt, ipſi non repugnat viſio. Non poſſumus votum dare huic doctrinæ; quia ſi actus odij Dei ſecundum ſpeciem, non dicit priuationem rectitudinis; ergò ſecundum ſpeciem nequit dici malus: quippè non habet priuationem rectitudinis ſpecificæ in quà formalitèr conſiſtit malitia ſpecifica. Nec eſt, quod dicas, quod prædictus actus odij, vt dicatur malus ſimplicitèr, ſatis ſit, quod ſecundum genus ei debeatur rectitudo, quà ratione Talpa dicitur ſimplicitèr priuata visù, eo quod ipſi ſecundum quod animal eſt, debeatur viſio; Nam contra primo eſt, reſponſionem iſtam ſupponere falſum, videlicèt actui humano, vt ſic deberi rectitudinem. Falſitatem oſtendimus; quia actus humanus, vt ſic, præſcindit à bono, & malo: ergò ei non debetur nec bonitas, nec malitia, ſicut animali, vt ſic non debetur rationalitas, vel irrationalitas. Tum etiam, quia ſequeretur non dari actus indif-

Digitized by Google

indifferentes, neque, quoad ſpeciem, neque quo ad indiuiduum: quia ſi actui humano, vt ſic debetur rectitudo; ergò cuilibet actui ſecundum ſpeciem, & indiuiduum debetur etiam rectitudo: etenim, quod conuenit generi, conuenit etiam ſpeciebus, & indiuiduis. Tamdem: quia improbabile videtur, quòd actui ſecundum genus debeatur rectitudo, quam nequit habere ſecundum ſpeciem, & indiuiduum.

Ad exemplum de Talpa; dico quod illa priuatio ſolum eſt appellanda ſecundum quid, eo modo, quo Scotus in 2.d.28.qu. 2. ad primum docet Bouem dici priuatum ratione ſecundum genus tantùm: quia licèt Boui ſecundum ſpeciem repugnat habere rationem, non tamen ipſi repugnat ſecundum quod animal: hanc tamen priuationem Scotus appellat ſecundum quid; quia non dicit incapacitatem ſimplicitèr ad habendam formam oppoſitam; vndè iſta duo ſunt diſtinguenda; habere debitũ habendi formam ſecundum genus, & habere non repugnantiam ſecundum genus. Primum negatur de Talpa, & etiam de odio Dei; ſecundum admittitur de vtroquè; ſed hæc priuatio ſecundum non repugnantiam, non importat aliquam imperfectionem ex parte ſubiecti: aliàs carentia producibilitatis in Patre æterno, quæ ipſi conuenit ſecundum genus, ſcilicèt, vt eſt perſona Diuina, importaret aliquam imperfectionem in Patre; ſimilitèr carentia ſenſibilitatis in lapide, quatenus lapidi non repugnat ſenſibilitas, vt ſubſtantia eſt, foret imperfectio in lapide; ergò ſimilitèr priuatio rectitudinis, quæ conuenit actui humano ſecundum genus, non eſt ſufficiens ad denominandum ipſum malum moralitèr.

PROPOSITIO IV.

Proponitur ſolutio Patris Errera.

ISTE doctiſſimus vir in ſuo Tomo de peccatis Diſp. 3. aſſerit carentiam, in quà conſiſtit formalitèr peccatum, eſſe priuationem rectitudinis debitæ, non ipſi actui peccaminoſo, in quo reperitur de facto priuatio, quinimo eſſe priuationem rectitudinis debitæ alteri actui, quem voluntas debebat elicere conformitèr ad regulam rationis, vt v. g. quando quis habet actum nolendi reſtituere rem alienam; in tali actu peccaminoſo nolendi reſtituere, datur priuatio rectitudinis debitæ per, quam formalitèr conſtituitur in eſſe peccati; & tamen (inquit iſte Doctor) non eſt priuatio rectitudinis, quæ deberet in eſſe ipſi actui nolitionis reſtituendi, (quia dicit illum actum nolendi, eſſe incapacem rectitudinis;) ſed eſt priuatio rectitudinis debitę, ſeù, quę debebat ineſſe in alio actu, quem voluntas tenebatur elicere, nempè in actu volendi reſtituere rem alienam.

Hic modus dicendi non mihi probatur. Hinc dico, quod priuatio, quæ eſt ratio formalis conſtitutiua peccati, & reperitur in actu peccaminoſo, non eſt carentia rectitudinis debitæ alteri actui, quem tenebatur voluntas elicere, ſed rectitudinis debitæ ipſi actui peccaminoſo. Hanc doctrinam probo. Primò: quia priuatio non reperitur niſi in ſubiecto, quod eſt aptum natum ad formam habendam, ſed talis priuatio reperitur in ipſo actu peccaminoſo, & non in alio actu, quem voluntas tenebatur elicere: ergò illa priuatio eſt carentia rectitudinis debitæ actui peccaminoſo, qui eſt de facto, & non alteri actui. Sit aliud argumentum: priuatio formæ debitæ, & ipſa forma reſpiciunt idem ſubiectum (nam non niſi ab eodem ſubiecto ſe mutuo expellunt, ſeú excludunt:) ſed priuatio, quæ eſt ratio formalis peccati, reſpicit pro ſubiecto entitatem phyſicã ipſius actus peccaminoſi: ergò ipſe actus peccaminoſus eſt, cui debetur illa rectitudo, & pro indè priuatio, per quam formalitèr conſtituitur peccatum, eſt carentia rectitudinis debitæ, non alteri actui, quinimo ipſi actui peccaminoſo. Accedat altera probatio: forma, quæ reperitur in vno ſubiecto, nequit eſſe carentia formæ debitæ alteri ſubiecto ab ipſo realitèr diſtincto, ſed alius actus, quem voluntas debebat elicere, eſt ſubiectum realitèr diſtinctum ab actu peccaminoſo, in quo reperitur priuatio rectitudinis; ergò priuatio reperta in actu peccaminoſo, non eſt carentia rectitudinis debitæ alteri actui, ſed rectitudinis debitæ ipſi actui peccaminoſo. Maior eſt contra.

Etil-

Digitized by Google

Et illam docet ſubſequens exemplum: cæcitas in Petro v.g. non eſt carentia viſus debiti Paulo, ſed carentia viſus debiti ipſi Petro: ergò priuatio in vno ſubiecto reperta, nequit eſſe priuatio formæ debitæ alteri ſubiecto ab ipſo realitèr diſtincto, & proinde priuatio rectitudinis, reperta in actû peccaminoſo, non eſt carentia rectitudinis debitæ alteri actui, ſed ipſi actui peccati.

Dices: non eſt inconueniens, quòd vnus actus habeat priuationem rectitudinis, quamuis ipſi non debeatur talis rectitudo, ſed alteri actui, & probatur exemplo de cæcitate in catulo: catulus enim ante nonum diem habet cæcitatem, ſeu priuationem viſus, & tamen in illo tempore ipſi non debetur viſus, ſed in alio tempore, nempe poſt nonum diem; ita à paritate; vnus actus poteſt habere priuationem rectitudinis, quamuis ipſi non debeatur, ſed alteri actui. Doctrina hæc minimè tollit difficultatem noſtri argumenti: nam in primis, carentia viſus in catulo, non eſt propriè priuatio ante nonum diem: quia eius potentia viſiua ante nonum diem, non habet aptitudinem ad habendum viſum, nec viſus naturalitèr eſt ei debitus, at poſt nonum diem, ſi per indiſpoſitionem potentię, aut vi alterius impedimenti careat viſu, illa carẽtia propriè dicitur priuatio: quia licèt per quamdã diſpoſitionẽ accidẽtalitèr fiat cæcus; hoc tamen non tollit quin habeat aptitudinem naturalem ad illum habendũ; vndè licèt catulus, vt reduplicatiuè cæcus eſt, repugnat ei, quòd poſſit videre, aut, quòd habeat viſum; potentiæ tamen viſiuæ ſpecificatiuè ſumptæ, non repugnat; ſicut igitur carentia viſus in catulo poſt nonum diem, eſt priuatio viſus debiti ipſi catulo, & non carentia viſus debiti alteri, ab eo realitèr diſtincto; ita carentia rectitudinis in actu peccaminoſo debet eſſe priuatio rectitudinis debitæ ipſi actui peccaminoſo, & non alteri actui, quẽ voluntas debebat elicere; & ſicut potentia viſiua in catulo, vt reduplicatiuè cæca, nequit eſſe videns, ſeù habere viſum, & tamen carentia viſus in ipſa eſt priuatio propriè: quia potentia ſpecificatiuè ſumpta, habet aptitudinem naturalem ad habendum viſum; ſic ſimilitèr, licèt actus malus, vt reduplicatiuè malus, nequeat eſſe bonus, aut rectus; hoc tamen non tollit quin carentia rectitudinis in tali actu ſit propriè priuatio: quia ille actus ſpecificatiuè ſumptus habet aptitudinem ad bonitatem, & rectitudinem habendam. Solutio ergò data, potius confirmat noſtrum argumentum, quàm illud debilitet.

PROPOSITIO V.

Proponitur alter modus ſoluendi argumentum.

Reſpondent multi Scotiſtæ, voluntatem eſſe immediatum ſubiectum priuationis, & rectitudinis oppoſitæ, non vero actum ſecundum, & iuxta hanc ſententiam: ruit argumentum ſupra poſitum: quia licèt actui elicito odij non conueniat priuatio rectitudinis (cum ipſi non ſit poſſibilis ipſa rectitudo) conuenit tamen voluntati, cui eſt poſſibilis tàm rectitudo, quã eius priuatio. Doctrina iſta mihi maximè probabilis eſt, & dico, quòd voluntas eſt immediatum actionis peccaminoſæ ſubiectum, ſaltem quando actus ſunt incapaces bonitatis, vt odium Dei &c. ita Ouandus in 2. ocan. quolib. 3. quæſt. 4. ad ſecundum dubium, Almainus 1. moralium 13. Gabriel in 2. d. 23. articulo 6. Molina prima parte quæſt. 50. Diſp. vnica, Salas Tract. 3. Diſp. 2. ſeſ. 2. Videtur de mente Scoti: quia explicans prædicta verba, ſubiungit: voluntas enim libera debitrix eſt, vt omnem actum eliciat conformitèr regulæ ſuperioris, ſcilicèt ſecundum Diuinum præceptũ; & ideo quando agit diſcorditèr ab illa regula, caret iuſtitia actuali debita. Ex quibus verbis videtur ſecundum Scotum, actũ non eſſe immediatum priuationis malę ſubiectum, ſed ſic dici occaſionalitèr; quia mediante actu vero, vel interpretatiuo, voluntas priuatur rectitudine debita: non enim dixit priuationem eſſe in actu, quia ipſi debebat ineſſe rectitudo, ſed quia (inquit) voluntas libera, debitrix eſt omnem actum elicere conformitèr regulę ſuperioris, & ideo quando diſcorditèr agit, caret iuſtitia actuali debita; vbi notandum, Scotum non dicere actum carerè iuſtitia, ſed ipſam voluntatem, ac per conſequens in voluntate ponit immediatè priuationẽ,

quæ

Digitized by Google

quæ idem eſt, ac carentia iuſtitiæ. Fateor, quòd poſſet poni in quibuſqam actibus rectitudinis, oppoſitæ capacibus, vt v. g. quando das eleæmoſynam ex vanagloria.

Eodē modo exponi poteſt alius Scoti locus in 4. d. 14. q. 1. §. de primo ſciendo; vbi ait: animam non eſſe immediatū ſubiectum rectitudinis, & priuationis eius, ſed tantum actum ſecundùm. Dicimus enim Scotum ibi intelligere per actum ſecundū, voluntatem per modum actus ſecundi ſe habentem: alioquin omiſſio pura non poſſet dari, quam tamen dandam in doctrina Scoti non repugnare, tuentur multi Scotiſtæ: Præterea quolib. 18. artic. 3. §. Reſpondeo, de hac re dubitat: fortè (inquit) non ineſt immediatè voluntati, ſed ipſi actui, & eo mediante, voluntati, quia hæc nota eſt immediatè recipere habitum, & operationem. Nec obſtant verba ſequētia, quæ habet Scotus dicto §. concedo igitur: hæc eſt iuſtitia, quæ deberet ineſſe actui, & non ineſt, & hæc carentia in quantum eſt actus voluntatis deficientis, eſt formalitèr peccatum actuale, &c. Quibus verbis Scotus videtur ponere carentiam, ſeu priuationem iuſtitiæ immediatè in actu. Reſpondemus enim intelligi per actum ſecundum ipſam voluntatem per modum actus ſecundi ſe habentem, quòd contingit quoties ſe exercet poſitiuè, vel omiſſiuè circa obiectum: quia ſunt voluntas non eſt merè in actu primo.

Præterea, quod hoc ſit de mente Scoti; ſuadetur: quia iuxta ipſum datur pura omiſſio, vt maximo cum fundamento, quamplurimi tuentur Scotiſtæ, ergò cum Scotus aſſerit hic; peccatum eſſe priuationem rectitudinis in actu ſecundo; non intelligit de actu ſecundo verè elicito, ſed de voluntate per modum actus ſecundi ſe habente: quia hoc tantùm ſenſu poteſt conuenire omiſſioni puræ. Dices Scotum loqui citato loco de peccato commiſſionis, cuius priuatio eſt in actu elicito verè, non verò de peccato omiſſionis purè, quod nullum habet actum. Contra: quia ibi agit Doctor de peccato in communi, & refutatis tribus prædictis opinionibus de eius ratione formali, concludit conſiſtere in priuatione rectitudinis debitæ in eſſe in actu ſecundo, quòd ſi tantùm intelligeretur de peccato commiſſionis, valdè inſufficientèr proceſſiſſet, quòd minimè dicendum de tanto Doctore. Præterea ſi ibi de peccato omiſſionis non agit: nullibi de eo quidquā aſſeruit, quod videtur abſurdum, cum naturam peccati ex profeſſo declaret. Concludimus ergò ſecundum Scotum voluntatem eſſe immediatum ſubiectum, &c.

Replicabis ergò actus odij Dei non erit intrinſecè malus, quòd aduertatur cunctis Theologis dicentibus dari actus intrinſecè malos. Conſequentia patet: quia prædicti actus non ſunt ipſa malitia formalitèr, nec neceſſariò, & inſeparabilitèr habent malitiam ſubiectiuè coniunctam: cum ipſi non ponant ſubiectum priuationis rectitudinis debitæ. Dicimus prædictos actus dici quidem intrinſecè malos, quatenus ſcilicet poſitis, neceſſariò ſequitur priuatio rectitudinis in voluntate. Notauimus enim ſæpiùs, malum morale eſſe malum relatè, quòd licet in ſe entitatiuè ſit bonum; dicitur tamen malum naturæ rationali, quatenus ſcilicet illam priuat bonitate debita eo modo, quo diximus calorem eſſe malum aquæ, quatenus illam priuat aliqua priuatione debita. Iſta doctrina mihi videtur benè fundata. Et per illam adęquatè fit ſatis argumento huic difficillimo.

Tamen laudo etiam ſententiam docentium ſubiectum immediatum malitiæ moralis eſſe ipſum actum ſecundum. Et ad argumentum de actu odij Dei, quod non videtur habere capacitatem, ſeù aptitudinem, & rectitudinem. Reſpondemus diſtinguendo: actus peccaminoſus eſt incapax rectitudinis poſitiuæ; concedo: negatiuæ, negò. Pro intelligentia huius ſolutionis, ſciendum eſt; odium Dei habere diſconformitatem ad duplex præceptum, nempè ad præceptum affirmatiuuum: *Diliges Dominum Deum tuum*; & præceptum negatiuum: *Deum odio non habebis, &c.* Ex quo prouenit, quòd habeat carentiam rectitudinis præcepti affirmatiui, quæ rectitudo eſt poſitiua, quia conſiſtit in habere poſitiuam dilectionem Dei, & etiam carentiam rectitudinis præcepti negatiui, quæ rectitudo eſt negatiua, quæ conſiſtit in nōn habere odium Dei; cum enim illud præceptum pręcipiat non habere odiū, rectitudo, & conformitas ad illud eſt non habere odium Dei, & per conſequens eſt recti-

rectitudo negatiua; odium igitur Dei ab intrinſeco eſt incapax illius rectitudinis poſitiuæ dilectionis Dei cum repugnet, quod ille actus ſit dilectio; at, quia rectitudo negatiua conſiſtit in non habere odium Dei, & actus odij potuit non elici, & non haberi; ideò eſt capax rectitudinis negatiuæ, & proindè eſt ſubiectum priuationis illius.

Obijcies tranſeuntèr: ſubiectum immediatum cuiuſcumque priuationis debet eſſe capax formæ cuius eſt priuatio; ſed actus ſecundus peccaminoſus non eſt capax rectitudinis: quia impoſſibile eſt actum peccaminoſum poſſe fieri rectum, & bonum, & ab eſſe moralis mali, mutari ad eſſe boni moralis, ergò actus non eſt ſubiectum priuationis. Reſpondetur concedendo maiorem; & diſtinguendũ minorem; actus peccaminoſus non eſt capax rectitudinis in ſenſu compoſito; concedo, in ſenſu diuiſo nego: ſicut enim materia prima v. g. informata vna forma, naturalitèr eſt incapax alterius formę in ſenſu compoſito, hoc eſt, quandiù eſt actuata illa forma; eſt tamen capax alterius in ſenſu diuiſo, hòc eſt, ablata illa forma; ſic etiam actus peccaminoſus, licet in ſenſu cōpoſito; & prout iam contractus, & determinatus ad eſſe peccati, & mali moralis, non ſit capax rectitudinis; eſt tamen capax illius in ſenſu diuiſo, & ſecluſa illa malitia morali; vnde ſicut materia prima actuata forma, habet priuationem alterius; hoc eſt, quod ſit capax illius in ſenſu diuiſo: ſic actus peccaminoſus habet priuationem rectitudinis; quia in ſenſu diuiſo eſt capax illius.

Vel alitèr reſpondetur diſtinguendo eamdem minorem: actus peccaminoſus reduplicatiuè ſumptus, non eſt capax rectitudinis; concedo; ſpecificatiuè nego. Pro cuius intelligentia ſciendum eſt, quod ſumere ſpecificatiuè actum peccaminoſum v. g. actum furti, nihil aliud eſt, quàm illum ſumere, prout procedit à tali potentia & tendit circa tale obiectum, nempè circa rem alienam præſcindendo ab hoc, quòd conformitèr, aut diſconformitèr regulæ rationis; ſicut enim prius intelligimus voluntatem operari cum ſubiectione ad regulam rationis, quàm intelligimus ipſam ſeſe conformare, aut diſconformare illi; ſic prius intelligimus actum v. g. furandi procedere ab hac potentia, & circa hoc obiectum, nempè rem alienam, quatenus intelligimus illam habere conformitatem, aut diſconformitatem: eſſe rectum, aut non eſse rectum; vnde actus peccaminoſus hoc modo ſumptus, eſt capax rectitudinis: ſiquidem in hac conſideratione intelligitur adhuc indifferens ad eſse rectum, aut non eſse rectum, conformem, aut diſconformē; actum autem peccaminoſum ſumere reduplicatiuè, eſt cura ſumere, prout iam ſubeſt malitiæ, & eſt formalitèr non rectus, & diſconformis, & hoc modo ſumptus, eſt incapax rectitudinis.

PROPOSITIO VI.

Aliud argumentum.

Ratio malitię moralis ſpecificatur formalitèr ex conuerſione ad obiectũ diſſonum, non verò à priuatione, ſiuè auerſione: ergò malitia moralis formalitèr conſtituitur per poſitiuam conuerſionem ad obiectum diſſonum. Antecedens probatur: quia priuatio, vt priuatio, non ſit nihil, nequit dare genus, vel ſpecies. Tum etiam: quia, omnia peccata ex parte auerſionis à Deo, conueniunt inter ſe, vt quodlibet peccatum formalitèr importet Dei auerſionem. Reſpondetur negando aſſumptum. Ad cuius probationem dico, quòd prima probatio concludit tantum, quòd priuatio cum ſit nihil, non poſſit dare actui humano ſpeciem aliquam poſitiuam, non verò concludit de ſpecie negatiua: nam ſicut priuationes ſpecie diſtinguuntur inter ſe ex habitibus, quibus priuant; ita paritèr ſuo modo ſpeciem conſtituit; vndè ſolemus dicere, quòd idem actus humanus, eſt in diuerſis ſpeciebus malitiæ, quatenus fundat diuerſas priuationes rectitudinis. Ad aliam probationem reſpondeo cum Scoto in 2. d. 37. litera D. quòd in peccato poteſt conſiderari duplex auerſio, formalis vna in ordine ad Deum; alia in ordine ad bonitatem illam virtutis, cuius priuationem fundat actus peccaminoſus; & docet Scotus, quòd in omni peccato præter odium Dei, non reperitur auerſio formalis à Deo, ſed ſolum auerſio formalis ab aliquo eius præcepto præcipiente

pienте

Digitized by Google

piente aliquod bonum virtutis,quę auerſio virtualitèr eſt etiam auerſio à Deo. Ad rem noſtram: peccata diſtinguũtur inter ſe, nō per auerſionem illam virtualem à Deo, ſed per auerſionem,ſiuè priuationem recti-tudinis ad diuerſa præcepta; quæ auerſiones; ſiuè priuationes multiplicantur, & diſcriminantur inter ſe per diuerſas conformitates, quibus priuant in ordine ad diuerſa præcepta.

Aliud argumentum: peccatum in tantum eſt peccatum, in quantum eſt voluntarium: ergò ratio formalis eius debet ſumi ab eo, quod eſt per ſe voluntarium: ſed ſola conuerſio ad obiectum diſsonum, eſt voluntaria: ergò talis conuerſio eſt ratio formalis malitiæ moralis. Confirmatur, quia eſsentia mali moralis debet deſumi ex eo,quod per ſe eſt in peccato intentum: ſed ſola conuerſio ad obiectum diſsonum, eſt per ſe intenta à peccatore; priuatio verò tantum per accidens: ergò ſola conuerſio conſtituit malum morale. Reſpondetur cōcedendo antecedens de peccato pro materiali, negando pro formali,& conceſſa minori ſubſumpta, negatur conſequētia; imò argumentum eſt ad oppoſitum: quia ſi conuerſio ad obiectum diſsonum, eſt per ſe voluntaria, & directè volita, vel intenta à peccatore, ſequitur euidentèr, quod ipſa non ſit malitia moralis formalitèr,ſed ſolum fundamentalitèr. Patet:quia nemo adſpiciens ad malum, operatur: ergò malitia ipſa non eſt per ſe volita, nec intenta. Ex quo patet ad conformationem.

Declaratur amplius, aduertenda, quod ratio voluntarij non ingreditur rationem formalem malitiæ moralis,quæ cum ſit priuatio, nequit eſse per ſe volita; Ratio ergò voluntarij tantùm,ſupponitur in fundamento, ſiue ex ſubiecto ipſius priuationis: diximus enim ſupra quod ad hoc, vt actus aliquis humanus dicatur moralis, & imputabilis, neceſsariò prærequirit, quod ſit voluntarius,& liber libertate contingentię; ex quo infertur,quod ſi conuerſio ad obiectum diſsonum, eſt per ſe voluntaria, & directè volita, neceſsariò nequit eſse ipſa malitia moralis, ſed ſolū fundamentalitèr, quia hoc firmitèr eſt tenendum, malitiam moralem pro formali non poſse eſse directè, & per ſe volitam, ſed tantum per accidens,& indirectè ratione ſcilicèt,alicuius poſitiui, ad quod ſequitur, & quod eſt per ſe volitum. Dices, ſi præcisè intelligatur tendentia,vel conuerſio actus ad obiectum diſſonum abſque aliqua priuatione ſuperaddita; actus ille intelligitur malum moralitèr. Patet: quia talis actus ſic conſideratus, non eſt bonus, neque indifferens in genere moris; ergò neceſſariò eſt malus moralitèr: cum non ſit aſſignabile aliud membrum. Confirmatur, quia ſi prætioſiſſima tendentia actus ad obiectum conſonum regulæ rationis conſtituit actum bonum moralitèr: ergò ſimilitèr, præciſa tendentia ad obiectum diſſonum poteſt conſtituere actum malum moralitèr.

Reſpondetur ad argumentum, & confirmationem, quod præciſa tendentia, & conuerſio ad obiectum diſſonum, ſi non intelligatur priuatio conformitatis ſuperaddita, eſt tantum fundamentalitèr mala, non verò formalitèr; vt fusè probauimus contra Caietanum. Adde pro reſponſione ad confirmationem, quod vel paritas currit in hoc, quod ſicut conuerſio ad obiectum diſſonum, eſt formalitèr bona, quatenus ſcilicèt eſt fundamentum relationis conformitatis ad regulam rationis,per quā eſt formalitèr bona, ita è conuerſo, conuerſio ad obiectum diſſonum, eſt tantum fundamentalitèr mala, quatenùs ſcilicèt habet fundare priuationem conformitatis, per quam conſtituitur prædicta tendentia formalitèr mala. Vel poteſt alitèr negari paritas,& diſparitas poteſt eſſe, quod cum bonitas ipſa in probabili ſententia conſiſtat in entitate poſitiua, benè poteſt explicari per conuenientiam poſitiuam ad obiectum conſonum; cæterum, cum malitia moralis formalitèr ſit quid priuatiuum,conſequentèr implicat explicari formalitèr per ipſam tendentiam poſitiuam ad obiectum diſſonum.

PROPOSITIO VII.

Aliud argumentum.

SI malitia moralis formalitèr conſiſteret in priuatione boni, maximè in priuatione rectitudinis debitæ: ſed poteſt intelligi malitia moralis ſine eo, quod intelligatur priuatio rectitudinis debitæ, ergò,

&c. Probatur minor: quia poteſt quis odire quando non tenetur amare, ergò malitia huius odij nequit explicari per priuationẽ boni debiti ſcilicèt amoris. Nec valet dicere, quod bonitas debita oppoſita odio, non eſt amor, ſed potius eſt ipſa carentia odij, quæ immediatè præcipitur per præceptum de non odio habendo; nam contra eſt, quod talis rectitudo eſt negatiua, & formalitèr conſiſtit in negatione odij; ergò ſi malitia odij formalitèr explicatur per carentiam illius negationis odij, conſequentèr, malitia odij explicatur per quid poſitiuum. Patet: quia carentia negationis odij, eſt ipſemet actus poſitiuus odij, ſicut vniuerſalitèr negatio negationis entis eſt ipſummet ens.

Reſpondetur notando, quod vniuerſalitèr in peccatis, quæ fiunt contra præcepta negatiua, rectitudo debita, in qua conſiſtit bonitas oppoſita, non eſt actus oppoſitus, v.g. amor circa Deum, vel eleæmoſyna circa furtum,&c. Nec formalitèr conſiſtit in ipſa negatione odij, vel furti, ſed bonitas oppoſita præcisè, formalitèr loquendo, eſt ipſa conformitas ad legem negatiuam, v.g. de non odio habendo, de non furando,&c. quæ cõformitas fundatur ſuper negationem odij,vel furti. Patet hoc: quia ſi præcisè intelligatur negatio odij, vel furti, & non intelligatur conformitas ad legem, non intelligitur formalitèr aliqua bonitas, v. g. ſi præcisè intelligatur auditio miſſæ, & non intelligatur conformitas ad legem fundatã ſuper illum actum non intelligitur actus ille formalitèr bonus. Hinc ad argumentum; concedo, quod carentia negationis odij,ſit ipſemet actus odij nego verò, quod malitia moralis formalitèr conſiſtat in tali actu poſitiuo, & ratio negationis eſt; quia ſicut illæ negationes non ſunt bonitas formalitèr, ſed tantum materialitèr, ita actus, qui opponuntur talibus negationibus non ſunt malitiæ formalitèr, ſed tantum materialitèr. Quod ſi dicas contra, quod ſi bonitas moralis fundata in prædictis negationibus odij, furti, &c. præcisè eſſet conformitatis ad legem negatiuam; ergò iam talis bonitas negatiua: quippe relatio agnoſcitur ex extremis, ex quibus pullulat, & ita cum prædicta conformitas fundetur in negatione, & terminetur ad legem negatiuam; ergò eſt bonitas negatiua, & ita negatio talis bonitatis formalitèr eſt negatio negationis, & conſequentèr reddit argumentum ſupra factum. Secundò, quia ſi rectitudo debita actui furandi præcisè eſſet conformitas ad legem negatiuam, quæ deberet fundari in negatione oppoſita prędicti actus; ſequeretur, quod non amare Deum, foret grauius peccatum;quàm eum odire: etenim grauitas peccati sẽper agnoſcitur ex maiori bono, quo ſubiectum priuatur; ſed non amare, negat conformitatem, quæ deberet fũdari ſuper actum amoris, qui longè melior eſt, quàm illa conformitas, quæ deberet fundari ſuper negationem odij, ergò, &c. Tertiò: quia ſequeretur, quod etiam nobis dormientibus, & diſtractis, poteſt ineſſe bonitas moralis; patet: quia quotieſcumque voluntas non elicit actum furti,habet negationem illius, ſuper quam negationem haberet conformitatem fundatam in ordine ad legem negatiuam de non furando; ergò vniuerſalitèr quotieſcumque voluntas non furatur, etiamſi dormiet, vel ſit diſtracta, habet bonitatem moralem.

Reſpondetur ad primum, quod quamuis nullum reale poſſit fundari in aliquo negatiuo, non implicat tamen poſitiuum rationis fundari ſuper negatiuum reale, & ita cùm illa conformitas fundata in negatione furti ſit tãtum reſpectus rationis poſitiuus; conſequentèr non implicat fundari ſuper negationem realem, & ita negandũ eſt bonitatem fundatam ſuper negationem furti eſſe tantum bonitatem negatiuam. Ad ſecundum reſpondetur: grauitatem peccati non tantum agnoſci ex maiori bono, quo ſubiectum priuatur, ſed etiam ex maiori debito habendi;& ita quamuis conformitas fundata ſuper actum amoris abſolutè longè melior ſit conformitate fundata ſuper negationem odij,non tamen ſequitur, quod Deum non amare ſit grauius peccatum, quàm Deum odire: quia maius debitum habemus ad habendam ſecundam conformitatem, quàm priorem, quia vniuerſalitèr præceptum negatiuum magis oblgat, quàm affirmatiuum, dum illud obliget ſemper, & pro ſemper.

Ad tertium reſpondetur aliud eſſe non violare præceptum,& aliud eſſe, illud obſeruare. Primum vniuerſalitèr habetur quo-

Digitized by Google

quotieſcumque non elicitur actus oppoſitus, & ita poteſt nobis conuenire etiam dormientibus. Secundum verò tunc habetur, quando poſita aduertentia intellectus ad legem, & poſita tẽtatione pulſante voluntatem ad commiſſionem prohibiti; voluntas nihilominus nõ elicit actum prohibitum; & ita ſaltem interpretatiuè vult illam negationem, quòd nequit nobis conuenire dormientibus, vel diſtractis.

Aliud argumentum ex Ariſtotele cap. de qualitate habetur iuſtitiam, & iniuſtitiam eſſe contraria; hoc idem habet in poſt prędicamentis cap. de oppoſitis, vbi docet malum, & bonum opponi contrariè. Ex hac doctrina talem, do argumentationem: oppoſitio contraria eſt inter extrema poſitiua; ergò ſi bonum, & malum opponuntur contrariè, patet, quòd malum ſcilicèt peccatum, ſit quid poſitiuum, & non priuatiò. Reſpondeo primò, Ariſtotelem loquutum eſſe de bono, & malo pro fundamento, non autem formalitèr; volo dicere: quòd cum in peccato commiſſionis reperiatur aliquod materiale, & reperiatur formale, ſcilicet priuatio rectitudinis, quando Ariſtoteles ait malum opponi bono cõtrariè; hoc eſt intelligendum fundamentalitèr, ſcilicet de fundamento bonitatis, & malitiæ; non verò de malo formalitèr: ſecundo dico, quod cum Ariſtoteles 4. metaph. textu 4. moneat vnam ſpeciem contrariorum eſſe priuationem; quando ait locis ſupracitatis, malum eſſe contrarium bono; debet intelligi de contrarietate non priuatiua, ſed poſitiua. Loquùtus ergò etiam Ariſtoteles de contrarietate largè ſumpta in eo conſenſu, quo primò phyſic. dixi prima principia eſſe contraria Vel poteſt dici, quòd contraria ita ſe habent, vt vnum ſemper importet priuationem alterius, ſicut calor ſemper importat priuationem frigiditatis; & ita, quamuis malum ſit contrario bonum, tamen malum formalitèr non conſtituitur per entitatem poſitiuam, ſecundum quam contrariatur bono, ſed potius per priuationem incluſam, ſecundùm quam contrariatur bono, ſed potius per priuationem incluſam, ſecundùm quam dicitur formalitèr priuatio boni. Applicabis contra nos illud Hieremiæ 2. vbi habentur hæc verba: *duo mala fecit populus meus; dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, &c.* in quibus locis ponderandum venit primo loco, ly *dereliquerunt mei*, quod ſignificat quid priuatiuũ, ac proindè peccatum eſſe quid priuatiuum; item notandum verbũ illud: *foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, &c.* &. hoc eſt, quid poſitiuum, ergò patet quòd cũ fodere ſit quid poſitium, & ly foderunt, ſit peccatũ, quod peccatũ dicat aliquod poſitiuum. Reſpondetur, quod Deus ob duo redaguit populum. Primò: quia denegauit Deo verum cultum, & hoc eſt peccatum omiſſionis. Secundò, quia colebant Idola, quòd eſt peccatum commiſſionis; indè tamen minime ſequitur peccatum eſſe quid poſitiuum; ſed ſolum infertur reperiri aliquod poſitiuum in peccato commiſſionis, quod nos minimè negamus; tãtũ ergo volumus, quod cũ ly *coluerunt* ſit peccatum in quantum eſt contra rectam rationem, quod peccatum formalitèr ſtet in priuatione. Replicabis diſcreptionem peccati à D. Auguſtino traditam: peccatum eſt dictum, vel factum, vel concubitum contra legem Dei; ergò cum peccatum ſit factum, vel dictum, &c. & facere, vel dicere, vt quid poſitiuum, patet peccatum quid poſitiuum eſſe. Reſpondemus cum Scoto in 2. diſt. 34. quod dictum, vel factum eſt materiale peccati, formale autem peccati conſiſtit in ly contra legem, & hoc nõ eſt quid poſitiuum, ſed priuatio. Huic argumento abundè ſatisfecimus ſupra, deducendo ex iſta authoritate Auguſtini peccatum conſiſtere in priuatione.

Aliud argumentum, ex Scoto deſumitur hoc argumentum: Scotus quolib. 18. expreſſis verbis docet malitiam moralem dupliciter opponi bonitati actuali; vno modo priuatiuè; alio modo contrariè; primò modo accidit, quod actus caret aliqua circumſtantia requiſita; Secundo modo accidit, quòd actui opponitur circumſtantia mala. Exemplum primi eſt quando aliquis dat eleæmoſynam non habendo bonum finem, non tamen habet finem indebitum: talis actus dicitur malus moralitèr priuatiuè: quia deficit ei circumſtantia requiſita. Exemplum ſecundi eſt, quando quis dat eleæmoſynam ob vanamgloriam; talis actus dicitur malus moralitèr contrariè: quia habet aliquam circumſtantiam repugnantem poſitiuè cum bonitate; ergò iam

 ſecun-

Digitized by Google

ſecundùm Scotum datur malitia, quæ conſiſtit in ſola priuatione, & datur etiam malitia, quæ conſiſtit in entitate poſitiua contraria bonitati. Confirmatur; quia negari nequit, quod rectitudini, v.g. caritatis non ſolum opponatur formalitèr priuatio rectitudinis, quæ contradictoriè opponitur; ſed etiam opponatur contrariè actus poſitiuus odij. ergò licèt prima oppoſitio inferat malitiam priuatiuam; Secunda tamen debet inferre malitiam poſitiuam.

Reſpondetur ad argumentum aduertendo, quòd in præcepto affirmatiuo de amãdo Deum v. g. ſicut, & in quolibet alio præcepto affirmatiuò, poteſt conſiderare actus propoſitus, qui præcipitur v.g actus amoris, & actus etiam qui prohibetur, vt eſt actus odii. Ex quo conſequentèr quatnor poſſunt conſiderari mẽbra in præcepto dilectionis, ſcilicet diligere, & non diligere, odire, & non odire; quæ quatuor extrema ſolum explicant bonitatem, & malitiã pro materiali, ſiue pro ſubſtracto; deinde poſſunt conſiderari diuerſi reſpectus conformitatis, & priuationes oppoſitæ; v. g. ſuper diligere, & non odire, poteſt intelligi reſpectus fundatus conformitatis; & ſuper odire, & non diligere poteſt intelligi priuatio conformitatis fundata ſuper ipſa; & hoc modo habetur bonitas, & malitia pro formali.

Colligitur ex hoc, quòd ſicut bonitas pro materiali poteſt diſtingui in poſitiuam, & priuatiuam, contrariam, vel contradictoriam; ita etiam malitia moralis pro materiali, ſiue pro ſubſtracto, diſtingui poteſt in priuatiuam, & poſitiuam, contradictoriam, & contrariam. Colligitur etiam, quòd ſicut omnis bonitas moralis formalitèr, ſiue fundetur in priuatiuo, ſiue in poſitiuo, ſemper tamen explicatur per conformitatem; ita ſimilitèr malitia moralis formalitèr, ſiue fundetur in poſitiuo, ſiue in priuatiuo, ſemper tamen conſiſtit in priuatione conformitatis. Ad propoſitum, Scotus loquitur de malitia pro materiali, ſiue pro ſubſtracto, quæ interdum opponitur bonitati priuatiuæ, & interdum contrarię, non verò loquitur de malitia pro formali, quæ indiſpenſabilitèr ſecundum ipſum conſiſtere debet in priuatione conformitatis; ex quo patet ad confirmationem, quòd quodlibet peccatum commiſſionis pro materiali duplicitèr poteſt opponi bonitati, ſcilicet contrariè, & contradictoriè, ſecus pro formali: quia ſemper malitia moralis formalitèr priuatiuè opponitur bonitati.

His viſis; reſtat nobis diſcutiendum de quidditate peccati habitualis: quà in re, erimus contenti ſolum examinare principaliores ſententias. Veritatem ergò docebunt, quæ ſubſequuntur propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Peccatum habituale non conſiſtit formalitèr in priuatione gratiæ ſanctificantis.

EST contra Thomiſtas communitèr, vt videre eſt apud D. Thomam, Medinam, & Sotum, qui dicit eſſe D. Thomæ quæſt. 8. artic. 1. & 9. & impugnatur à Scoto in 2. d. 37. §. iſtę quæſtiones. Primò: priuatio eſt pœna peccati etiam ſecundum D. Thomam de malo: quæſt. 1. artic. 4. ergò non eſt peccatum, nec eius parſ. Secundò ſequitur maius peccatum eſſe maioris gratiæ priuationem: quia priuatio commenſuratur formæ, quam priuat; conſequens eſt falſum: quia ſic, qui per paruum furtum perderet magnam gratiam, grauius peccaret, quàm qui ob maximum furtum perderet minimam; imò, ſi nullam gratiam perderet, nullum in eo maneret peccatum: Dices, habituale eſſe priuationẽ gratiæ habitæ, vel habendæ. Contra, ergò non redderetur quis magis peccator per centum furta, quàm per vnum: quia priuatio in facto eſſe non ſuſcipit magis, ſecundum D. Thomam quæſt. 23. artic. 2. Dices peccatum non eſſe priuationem in facto eſſe, ſed in fieri, & hanc ſuſcipere magis, & minus; quia compatitur cum parte habitus, vel formæ oppoſitæ. Contra eſt, quòd peccatum mortale habituale nil compatitur gratiæ: nam per quodlibet mortale peccatum, tota deperditur gratia, & ſi foret infinita; ſicut aer nil habet lucis: quia candelam velo abſcondiſti. Dices, quòd ægritudo, quæ eſt priuatio debitæ proportionis humorum, recipit magis, & minus, ergò ita priuatio gratię; Hoc non eſt

Digitized by Google

eſt ad rem: quia infirmitas, ſeu ægritudo non priuat omnimoda proportione, ſed aliquibus gradibus tantũ: nam ſi omnibus priuaret, non ſuſciperet magis, & minus, ſicut nec tenebra; at peccatum mortale priuat omni gratia: nullum gradum eius relinquens, ſicut tenebra nullum gradum lucis relinquens; ergò non ſuſcipit magis.

Accedat aliud argumentum: ſequeretur omnia habitualia eſſe eiuſdẽ ſpeciei: (gratia enim, qua priuant, eſt vna ſpecie.) Reſpondet D. Thomas hic artic: 1. ad tertium maculam non ſignificare ſolam priuationem gratiæ, ſed eam cum ordine ad ſuam cauſam, quæ eſt peccatum actuale, & quia iſta differunt ſpecie; maculæ erunt ſpeciè differentes: ponit exemplum de vmbra, quæ eſt priuatio lucis ex obiecto alicuius corporis, & diuerſificatur ex diuerſitate corporum. Contra: ex diuerſis cauſantibus vmbram, vel tenebram; non diuerſificatur vmbra, vel tenebra: (certè vmbræ cauſatæ ab homine viuo, & mortuo non differunt ſpecie;) nec refert an fiant à lapide, vel ligno: alias mors cauſata à baculo ex quercu, differret ſpecie à morte cauſata baculo ex ſpino. Confirmatur: effectus poſitiui non differunt ſpecie iuxta cauſas efficientes diuerſas: quia calor ab igne, eſt eiuſdem ſpeciei cum calore cauſato à ſole, ergò idem de effectibus priuatiuis.

Dices hominem non dici habitualitèr peccatorem à ſola priuatione gratiæ, ſed à priuatione gratiæ cum aliquo addito, ſcilicèt cum reſpectù ad peccata actualia; hoc eſt dicere, quò licèt priuatio gratiæ abſolutè ſumpta, nequeat dici peccatum habituale, tamen talis priuatio conſiderata in ordine ad peccata actualia, à quibus cauſatur, ſic ſuſcipit magis, & minus; & ita, qui plura peccata cõmiſit, maiores maculas contrahit, & dicitur magis peccator. Hunc diſcurſum ita impugno: vel ille ordo ad creaturas, ſeu conuerſio ad creaturas, eſt macula illa, à qua formalitèr, & immediatè maculatur anima, vel præcisè ſolum in quantum cauſat priuationem gratiæ; ſi primum dicas; iam patet, quòd ratio formalis peccati non conſiſtit in priuatione gratiæ. Si ſecundum aſſeras, etiam ſequitur inconueniens, ſcilicèt omnes homines eſſe æqualitèr peccatores poſt primum commiſſum peccatum: quippè tota gratia per vnum peccatum deperditur. Accedat altera impugnatio: ſi tota, ratio propter, quam priuatio gratię dicitur peccatum, ſeu macula, eſt ordo ad actum peccati commiſſum: ergò ordo ad actum peccati commiſſum, erit ratio formalis, & per ſe macula, in qua conſiſtit peccatum habituale, & priuatio gratiæ ſolum erit quid conſequens ad maculam, & erit pæna, & effectus illius. Si dicas peccatum coaleſcere ex ordine ad actum peccati commiſſi, & ex priuatione gratiæ. Contra primò: quia iam ratio formalis peccati, non erit ſola priuatio gratiæ. Adde, quòd ſicut Deus non poteſt eſſe cauſa totius rationis formalis peccati, ſic nequit eſſe cauſa partis rationis formalis; vnde cum priuatio gratiæ ſit à Deo; patet priuationem gratiæ nullo modo ingredi rationem formalem peccati.

Accedat altera ratio impugnans reſponſionem: peccatum habituale, eſt ens per ſe: quandoquidem de illo diſputant Doctores, & illud difiniunt, ergò peccatum habituale coaleſcere nequit ex ordine ad actum peccati præteritum, & ex priuatione gratiæ; conſequentia patet, quia Teſt. Ariſtotele 7. Met. cap. 1. & 2. illud, quod definitur, debet eſſe vnum per ſe, & ex ordine ad actum præteritum, & ex priuatione gratiæ non poteſt vnũ per ſe eſſe. Accedit, quòd ex priuatione formæ ſupernaturalis, & ex priuatione formæ ordinis naturalis non poteſt fieri vnum per ſe: at priuatio gratiæ, eſt priuatio ordinis ſupernaturalis, & priuatio rectitudinis debitæ, eſt priuatio ordinis naturalis; ergò ex illis nequit dari, ſeù cauſari vnum ens per ſe. Item: ſi ordo ad actum preteritum eſt quid poſitiuum; cum ex poſitiuo, & priuatiuo non poſſit fieri vnum per ſe; peccatum cũ ſit vnum per ſe, nequit habere eſſe ex priuatione gratiæ, & ex ordine ad actum præteritum.

Probatur vlterius falſitas iſtius opinionis: priuatio gratiæ quomodocumquè ſumatur, eſt effectus ſubſequens tùm actuale, tùm habituale peccatum: ſed effectus, eſt extra conſtitutionem cauſæ: ergò non poteſt ingredi formale conſtitutiuum peccati habitualis. Probatur maior. Primò: quia non ideo formalitèr homo peccat, & poſt actum peccati denominatur de præ-

ſenti

Digitized by Google

ſenti peccare, quia priuatur gratia, ſed è contra, priuatur gratia ob demeritum peccati, quòd, vt cauſa præcedit. Declaratur exemplo in humanis: nam ideo quis demeretur gratiam Principis: quia eum offendit, & ad offenſam ſequitur tanquàm effectus, & pœna, priuatio gratiæ Principis; ergò idem in caſu noſtro; nequè dicas eſſe effectum, & pœnam peccati actualis non habitualis: quia ſicut in primo inſtanti homini aufertur gratia, quia peccat; ita in ſecundo inſtanti conſeruatur in eo priuatio gratiæ, quia manet in homine peccatum; ergò non minus priuatio gratiæ in ſecundo inſtanti, eſt effectus peccati durantis in ſecundo inſtanti, quàm in primo inſtanti fuit effectus eiuſdem peccati in primo inſtanti exiſtentis. Adde, quòd peccatum habituale non eſt pœna actualis, ſed culpa: pœna enim eſt à Deo eam infligente; peccatum vero habituale, ſimplicitèr, & abſolutè non eſt à Deo. Hinc ſecundo probatur eadem maior: quia priuatio gratiæ à Deo eſt, & à Deo intenditur, vt debita peccato: ergò non minus poteſt ad peccatum pertinere; quàm ordinatio eiuſdem ad pœnam: ſed hæc eſt ſolum effectus, & ſequela peccati, ergò &c. Adde, quòd ex ſententia oppoſita ſequeretur omnia peccata habitualia eſſe paria, & eiuſdem ſpeciei; illa enim peccata, ſunt æqualia, quæ habent idem omnino formale conſtitutiuum, quamuis inductum à diuerſis cauſis; hinc mors eſt eiuſdem rationis, ſiue inducatur hoc, vel illo inſtrumento, baculo, vel ferro: ſed priuatio gratiæ, quæ ponitur per Aduerſarios formale conſtitutiuum peccati habitualis, eadem eſt in omnibus: quia conſiſtit in ſua ſpecie in indiuiſibili, & quęcumquè peccata excludunt omnem gratiam; ergò quamuis peccata habitualia ex diuerſis ſpecie actibus haberent eſſe; eſſent tamē formalitèr in malitia æquales, & eiuſdem ſpeciei.

Accedat altera probatio: peccatum habituale in ſtatu naturæ lapſæ ſecundum ſuū formale intrinſecum conſtitutiuum, non eſt diuerſæ rationis ab illo, quod fuiſſet in ſtatu puræ naturæ: ſed in hoc ſtatu non diceret priuationem gratiæ: ergò nec nunc debet formalitèr illam includere: quia eſſentiæ rerum ſunt inuariabiles: ergò non poſſunt pro hoc, vel illo ſtatu formalitèr variari, quamuis poſſit alium, & alium effectum cauſare ex variatione circumſtantiarum; ſed peccatum habituale in ſtatu puræ naturæ non dicit priuationem gratiæ, ergò nec nunc. Nec valet ſi dicatur cum Vaſquez tunc peccatum etiam conſiſtere in priuatione gratiæ, quia peccatum etiam de ſe tunc ſufficiens ad excludendam gratiam, & omnes eius effectus; nam contra eſt: quòd negatio formæ non habet rationem priuationis, niſi in ſubiecto præſupponatur aptitudo ad illam hęc autem aptitudo; ſeù hoc eius non eſt in homine ex natura ſua, ſed quatenus à Diuina voluntate ordinatur ad talem formam, quod tamen tunc non contingeret, quia aliàs homo, tunc minimè eſſet in ſtatu puræ naturæ. Dices, quòd tunc eſſet priuatio nitoris luminis naturalis, vel amicitiæ materialis. Contra eſt, quod iam habemus intentum: quippè iſtę priuationes diſtinguerentur ſpecie à priuatione gratiæ, ſicut, & formæ, quibus opponuntur, & ita verum eſt dicere rationem formalem peccati habitualis minimè conſiſtere in priuatione gratiæ ſanctificantis. Accedit, quod veniale ex imperfectione actus, vel ex paruitate materiæ, eſt eiuſdem ſpeciei cum mortali; ſed veniale non relinquit maculam, quæ ſit priuatio gratiæ: ergò idem de mortali. Patet ſequela: quia quæ tantum differunt numero, habent eamdem eſſentiam: ergò ſi eſſentia maculæ peccati mortalis ſit priuatio gratiæ, id conuenit veniali; vel ſi non huic, nec illi.

PROPOSITIO II.

Proponitur altera ſententia.

DOcent nonnulli peccatum habituale conſiſtere in reatu ad pœnam. Ità videtur docere Scotus in 4. d. 14. quæſt. 1. & diſp. 16. quæſt. 2. Gabriel, Almainus, Aubionus, & multi alij. Diuerſimodè tamen explicatur hæc ſententia. Gabriel, Almainus, Hocham, & Baſſolius dicunt conſiſtere in ordinatione ad penam, quæ eſt denominatio extrinſeca, deſumpta ab actu diuinæ voluntatis, quo peccator deſtinatur ad pœnam, ſicquè aiunt iſti Doctores, Scotum docuiſſe. Verum hæc ſententia poteſt intel-

intelligi de denominatione, vel relatione ſumpta ab actu peccati, quæ ſit ordinabilitas ad pœnam, licèt Deus non ordinaret ad eam. Salaz intelligit de relatione ſumpta ab actu peccati, ſed non explicat qualis ſit hæc relatio; quòd verò ità intendat Scotus, deducitur ex §. Dico ergò; vbi improbat opinionem, docentem peccatum habituale eſſe relationẽ realem, quia Deus eſſet eius cauſa: ſed Deus eſt cauſa relationis ad pœnam, quia ipſe ad eam ordinat; ergò ſecundum Scotum minimè conſiſtit macula in relatione cõſequente hanc Dei ordinationem; eodem modo ſentit Durandus, qui non ponit maculam in deputationem ad pœnam, ſed in dignitate ad hanc deputationem.

Hæc ſententia ab omnibus ferè reicitur; à quibuſdam cenſuratur. Lorca dicit eſſe contra Bullam Pij V. & Greg. XIII. contra Baium; idem ait Vaſquez. Fateor prædictam Bullam vrgere, aſſerentes maculam eſſe meram ordinationem ad pœnam; ità vt nulla ſit alia iniuſtitia habitualis. Tamen contra illam denominationem, ſumptam ab actu, nil facit, quia illa non eſt ordinatio ad pœnam, ſed dignitas ad hanc. Quod ſi Bulla notat Scotum, certè notat Auguſtinum enarratione 2. in Pſal. 31. dicentem: Deum non remittere peccata, eſt non videre: non videre eſt nolle punire. Eodem modo loquitur Innocentius III. ità etiam Beda eodem Pſalmo, & Ambroſius Apologia Dauid cap. 14. quinimò Scriptura ſæpè dicit, peccatum remitti, eſſe non imputari ad pœnam; Ezechielis 33. omnia peccata non imputabuntur. Et capitul. 18. omnium iniquitatum eius non recordabor.

Contra hanc ſententiam, vt cõmunitèr intelligitur, argumentor primò: ſi nulla eſſet pœna ſtatuta, adhuc daretur macula, & de facto in damnatis datur, quæ tamen, propter cõmiſſa in termino, non ordinãtur ad pœnã. Secundò obligatio ad pœnam eſt à Deo, & amatur à Deo; at peccatum habituale, nec eſt à Deo, nec à Deo amabile eſt; ergò. Itẽ etiã originale ſecundũ Scotũ, & omnium ſententiã, eſt priuatio; ergò idem dicendum eſt de habituali. Item Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. definit: pœnam æternam vna cum culpa remitti; ergò hæc duo ſunt diſtincta. Item pœna æterna, & temporalis ſunt eiuſdem ſpeciei, ſeù rationis, ſicut linea finita, & infinita; ergò relatio ad pœnam temporalem erit habituale peccatum, ſicut relatio ad pœnam æternam, vel neutra. Item omnes relationes ad pœnam æternam ſunt eiuſdem ſpeciei; ergò omnia peccata habitualia, ſi ſunt tales relationes, erunt eiuſdem ſpeciei, quod dicet nemo.

Accedant alteræ probationes; ſequeretur in iuſtificatione non remitti culpam, ſed pœnam tantùm, vel ſaltem ſequitur, quod remitti peccatum, aliud ſit nihil, quã remitti pœnam, quod tamen eſt falſum. Item Trid. ſeſſ. 5. Decreto de peccato originali cap. 3. definit: in iuſtificatione auferri totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet; at pœna non habet veram rationem peccati, ſed illam ſupponit; ergò &c. Accedit, quod non ſemper tota pœna aufertur in iuſtificatione; ergò nec auferetur totum id, quod habet rationem peccati: quia ſi peccatum ordinatum à Deo ad pœnam condignam habet rationem peccati, etiam ordinatum ad partem aliquam illius pœnæ, habebit aliquam rationem peccati. Item ſecundum talem ſententiam, quando remittitur peccatum, ſolum tollitur, ſeù ceſſat ordinatio Diuina ad pœnam; illa autem ordinatio non habet veram rationem peccati, nec illud conſtituit, ſed illud ſupponit; ergò &c.

Quod autem Scotus non fuerit huius ſententiæ, colligo ex Scoto ipſo; nam in 2. d. 41. quæſt. vnic. §. poteſt alitèr dici, expreſſis verbis inquit: non vult Deus prius aliquem punire, quem videat aliquem eſſe peccatorem &c. ſubinfero; ergò ſecundũ Scotum prius eſt aliquem eſſe peccatorem, quàm à voluntate Diuina reprobari, ſeù ad pœnam deſtinari. Hoc idem clariùs aſſerit Scotus in §. ſequenti, vltimò dici poteſt littera B. vbi inquit, quod in quoddam tertio inſtanti rationis, voluit Deus permittere Petrum, & Iudam eſſe de maſſa perditionis, in quarto autem inſtanti offertur Iudas, vt peccator finalis voluntati Diuinæ, & tunc ipſe vult punire, & reprobare Iudam; ecce qualitèr expreſsè Scotus aſſerit prius præuidere Iudam eſſe in peccato, quàm ordinet ad pœnas; ergò ordinatio ad pœnas minimè eſt peccatum habituale; Adde, quod ſi Deus nullam ſtatuiſ-

Digitized by Google

tuiſſet pœnam correſpondentem peccato, & ſtatuiſſet leges, & præcepta, tùm traſgrediens præcepta Diuina, verè, & propriè peccaret, & tranſacto actu peccaminoſo, verè, & propriè diceretur peccator, & tamen non per obligationem ad pœnã, cùm ex hypoteſi nulla eſſet lex de inflictione pœnæ; ergò per aliquid aliud denominaretur homo peccator; ergò ſic etiam dicendum eſt de facto quippè rationes formales rerum ſunt immutabiles.

Accedit, quod veritatem iſtam videntur docere rationes illæ, quibus Scotus in 4. d.14. quæſt. 1. concludit contra D. Thomam, & Magiſtrum Sententiarum; peccatum nulla penitùs ratione dicere entitatem poſitiuam, nec abſolutam, nec reſpectiuam, & per conſequens, ſicut non eſt entitas poſitiua, ità nec ipſum, nec aliquid proueniens ex ipſo, erit phyſica macula in Anima. Rationes ergò illæ concluderent etiam contra iſtam ſententiam: nàm indè contendit probare contra illos, peccatum mortale non eſſe aliquid reale, ſiuè abſolutum, ſiuè reſpectiuum in Anima; quia ſi eſſet quid tale tunc eſſet immediatè à Deo, quod eſt omninò falſum: Tùm quià Deus nullatenùs eſt author peccati: Tùm quia Anima non poteſt eſſe peccatrix, vel in peccato, per id, quòd immediatè poneretur in ipſa à Deo. Subinfero; ſed hæc eadem abſurda ſequuntur in ſententia dicente, peccatum tranſeunte actu peccaminoſo eſſe in Anima aliquid intentionale, ſed quid rationes, paſſiua videlicèt ordinatio ad pœnam; ergò vel neutra, vel vtraquè ſententia eſt falſa. Confirmatur; tum, eo quod ens rationis, quid poſitiuum eſt, & per conſequens neceſſariò attingendum, & ponendum in eſſe à Deo; tum quia ordinatio peccatoris ad pœnam condignam, eſt totalitèr à Deo, ne dum vt actiua, & Diuinæ voluntatis eſt actus; verum eſt, vt paſſiua eſt in ipſo peccatore ordinato ad pœnam; quia cum talis eius ordinatio paſſiua rationis relatio ſit, & extrinſecus aduenieus, vt patet; igitur aliquam debet agnoſcere cauſam extrinſecam, ponentem eam in eſſe; hæc nulla alia eſt, nec eſſe poteſt, niſi actiua Dei ordinatio peccatoris ad pœnam; ergò manifeſtè rationes, quas ibi Scotus adducit contra D. Thomam, & Magiſtrum ſententiarum concludunt contra iſtam ſententiam, quam impugnamus. Facit etiam pro nobis, quòd Catholica veritas manifeſtè docet, peccatum, vt verè, propriè, & formalitèr eſt peccatum, deleri per pœnitentiam; ſed illa relatio ordinationis paſſiuæ, non eſt, nec eſſe poteſt, verè, propriè, & formalitèr peccatum; ergò &c. Minor probatur; quia ordinatio paſſiua ad pœnam eſt quid conſequens ad peccatum; tanquàm effectus ad cauſam, non phyſicè, ſed demeritoriè influentem in illam. Dicendum ergò Scotum minime defendere hanc ſententiam, & licèt in præcitato loco litter. H. dicat, quod memorata relatio rationis habeat ſimul rationem maculæ offenſæ, & reatus, nequit tamen per hoc bene explicari, cum non dicat relationem illam poni in eſſe à voluntate peccatoris, ſed potius, vt probatum eſt immediatè à ſolo Deo.

Melius dicetur, quod principale Scoti intentum ibi, eſt probare contra D. Thomam, & Magiſtrum Sententiarum, peccatum non eſſe in Anima quid poſitiuum reale, & inde factũ fuit, vt declinare cõtendens àb ipſorũ ſententia dixerit, peccatum, trãſeunte actu peccaminoſo, dicere in peccatore paſſiuã eius ordinationem ad pœnã condignam; putans, quod longe mitior, & ſecurior ſententia eſſet, quæ diceret, peccatum tranſeunte actu peccaminoſo, importare in peccatore rationis relationem, quàm illa, quæ diceret importare in illo entitatem poſitiuam, realem, abſolutam, vel relatiuam. Et re vera ſi rectè examinatur, quæ ſit ibi, & quo tendat intentio Scoti, liqueſcet, non alio, quàm quo diximus tendere.

Longè tamèn melius dicetur, quod manifeſtè hanc ſententiam retractauerit in eodem 4. d.21. quæſt.1. ſub litt. E. & indè vbi iuxtà Sanctorum Doctrinam diſtinguẽtium inter remiſſionem culpæ, & ſolutionem pœnæ, & maximè illius, quod debetur tali culpæ, concludit, non eſſe idem, peccatum veniale remitti, & pœnam illi debitam ſolui, & loquitur manifeſtè de peccato veniali, tranſeunte actu peccaminoſo; ergò manifeſtè etiam diſtinguit in peccato remanente poſt ſtatum, rationem culpæ remiſſibilis, & rationem pœnæ ſolubilis; pœnæ inquam, debitæ eidem veniali. Manifeſtiùs, & determinatiùs reuocat

dictam

Digitized by Google

dictam ſententiam in eodem 4.d. 46. qu.4. litt. D. & F. vbi diſertiſſimis verbis diſtinguit inter culpam commiſſam, ideſt actualem, & eandem continuatam, ideſt remanentem in peccatore, tranſeunte actu peccaminoſo, & aſſerit, neutram, quatenus culpam formalitèr eſſe à cauſa poſitiua ſcilicèt effectiua, ſed potiùs defectiua. Vtráquè igitur, & actualem, & continuatam agnoſcit Scotus, vt culpam formalitèr. Hęc putes, quod Scotus per culpam continuatam intelligat culpam non interruptam: quia, & ſi probabiliſſimum ſit, quod peccator decedens in mortali continuaturus, ſit actum illum peccaminoſum, in quo decedit, vel quod continuat vſquè ad inſtar mortis, iuxtà illud. *Vbicumquè ceciderit lignum ibi manebit*; manifeſtè etiam loquitur ibi de culpa continuata, vt idem eſt, quod non retractata, & non vt idem eſt, quod continuatè exercita, nàm in primis facilè contingere poteſt, vt moriens in peccato mortali, luxuriæ videlicèt, odij, auaritiæ &c. nullum habeat actum concupiſcendi alienum, vel odij, vel complacentiam in homicidio perpetrato, & cætera huiuſmodi in illis vltimis ſpatijs vitæ, quando omni apparet priuatus motu, ac ſenſu, & quãdo vehementiſſimis, & præſentis infirmitatis, & imminenti mortis doloribus vrgetur, & obruitur; igitùr ſicut paſſibile eſt, vt non decedat exercens actum peccaminoſum vſquè ad inſtans mortis, ità, nec in inferno continuandum eſſet illi exercitium habitualis peccati, in quo deceſſit; aliàs ſi decederet cum centum, vel mille peccatis habitualibus, deberet eſſe poſt mortem in ſimultaneo exercitio omnium peccatorum commiſſorum in vita, quod eſt impoſſibile; quia nequit voluntas producere ſimul multiplicitatẽ diuerſorũ actuũ, ſecũdò eſtò, quod peccator in actuali aliquo peccato decedat, in multis alijs poſſet etiam decedere peccatis habitualibus; cum impoſſibile foret ipſi, multiplices producere ſimul peccaminoſos actus; igitur, & ſi poſt mortem cõtinuaret exercitium illius actus peccaminoſi, in quo decederet; non tamẽ aliorum habitualium, quos vnà cum eo ſecum afferret.

Imò puto, niſi alitèr miraculosè contingat, eſſe impoſſibile, quod voluntas creata, & maximè illa, quæ ex acerbitate tormentorum, vehementiſſimas patitur diſtractiones, continuet in infinitum eundem numero actum; ſed nulla videtur neceſſitas, quod Deus velit, in tot millibus, millium damnatorum voluntatibus innumerabilia multiplicare miracula. Et quamuis Sacra Scriptura dicat, quod vbicumquè ceciderit lignum ibi manebit, ſaluo ſemper meliori iudicio, explicari poterit, de pœnarũ æternitate, vel etiam de propriarum pœnarum diuerſitate cuilibet damnatorum infligendarum, quibus inflictis, & non alijs alterius rationis, vel generis, æternalitèr tormẽtabũtur. Tertiò efficacitèr probatur intentum de mente eiuſdem Scoti; vbi ſuprà in 4.d.26 quæſt.4. ſub litt.B. vbi vult, quod Damnati ſumma afficiantur triſtitia, cauſata in illis ex remorſu, quem habent de peccato commiſſo, non quia peccatum; ſed quia cauſa demeritoria reſpectu pœnæ dãni; ergò videtur omninò improbabile, quod continuerit exercitium illius peccati, quod ſummè pœnitet eos commiſiſſe. Omninò igitur aſſerendum eſt de mente Scoti, & ſecundum veritatem reperiri in Damnatis peccata habitualia, quæ de mente ipſius, vt viſum eſt, habent, verè, propriè, & formalitèr rationem culpæ Theologicæ. Hæc obitèr dicta quantùm ad vltimum pũctum.

PROPOSITIO III.

Sententia Scoti de peccato habituali explicatur.

MOneo, quod ſicut aliquis cùm eſt diſtans ab aliquo per motum, non fit ei propinquus per ceſſationem à motu, ſed oportet, quod appropinquet rediens per contrarium motum; ità amouens ſe à Deo, oportet, vt ei appropinquet per contrarios motus, & quandiù non redit, non appropinquat; complacet in receſſu à Deo habitualitèr; & hæc complacentia durat, donec ponatur velle redire per contrariã viam. Moneo etiam, quod intèr voluntatem producentem actum peccati, & ipſum peccatum, eſt quaſi reſpectus facientis, & conſeruantis ad conſeruatum, quia eſt veluti habitualis productio illius eſſe permanentis; nam ſicut conſeruatio rei à Deo

Digitized by Google

Deo creatæ dici poteſt habitualis creatio quatenùs per eam res permanet in ſuo eſſe, quod accepit; ità cum homo conuertitur ad commutabile bonum inordinatè, quod eſt peccare actualitèr efficit peccatum, & tranſacta effectione, manet peccatum in eſſe accepto moralitèr conſeruato à producente illud, qui habitualitèr manet conuerſus ad commutabile bonum, donec per contrariam voluntatē repiſcatur, & ſic moralitèr conſeruat, & fouet illud peccatum ad Deum, modum, quo contrahentes ſponſalia, fouent, & conſeruant conſenſum præſtitum habitualitèr, donec actibus contrarijs recedunt ab eo.

Dico ergò, quod macula peccati formalitèr conſiſtit in priuatione ad legem habituālis, ſeù in priuatione habitualis rectitudinis debitæ. Ita macula habitualis, nil aliud eſt, quàm priuatio rectitudinis debitæ. ſeu conformitatis ad legem, per modum termini, moralitèr manens in anima, & ex actu phyſico præterito cauſata. Ex noſtris ità defendunt Pater Herreta diſp. 41. de peccatis q. 2. concluſ. 3. Iribarnes diſp. 1. de Pœnitentia 8. ſeſſione, concl. 6. & 4. Rada controu. 16. ſecundæ partis §. ad argumenta in principio Controuerſiç verſiculo de peccato originali, quod hæc ſit ſententia Scoti. Probatur: nam Scotus in 2. diſt. 35. aſſerit, quod formalis malitia peccati actualis conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ; ex quo manifeſtè ſequitur, quod tranſacto actu peccati, manet in homine talis priuatio per modum habitus. Et rurſus ex mente ipſius malitia non cōſiſtit in priuatione gratiæ, ac per conſequens dicendum, quod malitia peccati conſiſtat in tali priuatione habituali rectitudinis, ſeù conformitatis ad legem: nam talis priuatio ſecluſo quocumque alio, eſt ſufficiens denominare hominem peccatorem. Præterea d. 32. q. vnica §. quantum ad ſecundum litt. D. aſſerit, peccatum originale peccato actuali aſſimilari, quaſi quieſcenti in Anima poſt actum tranſeuntem, quàm compararetur peccato actuali, quod elicitur ab ipſa voluntate peccante; ergò ex mēte Scoti peccatum actuale quieſcens in anima, ſeù manens in illa per modum habitus, & termini tranſeuntis peccaminosè aſſimilatur peccato originali; ergò ſicut originale peccatū denominat hominem peccatorem; ità, & priuatio illa rectitudinis, ſeù conformitatis ad legem manens, ſeù quieſcens in anima per modum habitus. Vnde Scotus in 4. diſt. 22. quæſt. vnic. §. in iſta quæſtione litt. A. inquit: ila autem obliquitas, quæ propriè nata eſt eſſe in actu, non propriè manet poſt actum, &c. Quod eſt dicere, quod ſi non maneat phyſicè manet tamen moralitèr. Item Scotus in 2. d. 21. q. 1. impugnans Alenſem dicentem veniali per ſe deberi pœnam æternam, per accidens verò temporalem; arguit ſic: poſt actum peccati mortalis, nil remanet de peccato niſi debitum pœnæ poſſet ſtare cum gratia, peccatum mortale non remiſſum ſtaret cū ea, eo modo, quo manet poſt actum; in quibus verbis habet expreſsè Scotus noſtram propoſitionem; cum vocet habituale ipſum actuale non remiſſum, & cum dicit nihil manere poſt actum, niſi debitum, ſemper intelligit de medio inter actuale, & obligationem ad pœnam. Ex quibus habetur expreſsè intātum Scoti fuiſſe ipſum actuale, eſſe id, quo quis eſt, & dicitur peccator, & nihil mediare inter hoc, & obligationem ad pœnam, quo quis dicatur peccator.

Noſtra Propoſitio probatur, Id eſt ratio formalis peccati habitualis nunc, quod foret in pura natura: ſed tunc tantùm eſſe peccaſſe, & non eſſe remiſſum: quia non eſſet habitus vitioſus, nec priuatio gratiæ, nec qualitas morbida, nec relatio realis, vt acutiſſimè probat Scotus; ergò tunc ratio formalis peccati habitualis, foret ipſummet actuale, phyſicè tranſactum, & moralitèr perſeuerans. Dices cum Vaſquez, quod eſſet priuatio gratiæ: Contra: Carentia gratiæ, tunc non eſſet priuatio, ſed negatio, & falſum eſt, quod tunc egeret quis gratia ad remiſſionem peccati: quia ſicut peccando minimè perderetur gratia, ita reſurgendo e peccato nequaquam illa infunderetur.

Accedat altera ratio. Offenſa habitualis in homine aliud non eſt nihil, quâm hominem offendiſſe, & offenſionem non eſſe remiſſam; ergo idem de offenſa habituali in Deum. Item actus, quo conſtituitur valor alicuius rei, idem manet pos actum habitualitèr, donec ponatur actus contrarius. Item intentio conſecrandi in initio

miſſæ

Digitized by Google

miſſæ actu poſita eadem manet vſque ad finem habitualitèr; niſi ponatur actus contrarius. Similitèr actualis cōſenſus cōiugis in matrimonium, manet habitualitèr durāte vita alterius; ergò hic ſimilitèr, idē actuale manet habitualitèr vſque ad remiſſionem.

Addo ſatis commodè explicari habituale peccatum per ordinem ad pœnam; ſeù reatum pœnæ. Hinc moneo, reatum ſumi quandoque pro culpa, Exodi 31. pro reatu vitali; 21. aufertur ab eis reatus ſanguinis; Matth. 5. reus erit iudicio, ſed hoc ſenſu non ſumitur hic, ſed pro relatione ad pœnam. Poſſet probari primò ex modo loquēdi Scripturæ Eccleſiaſtici 9. *Nemo ſcit vtrum amore, vel odio dignus ſit*; vbi culpa explicatur per eſſe dignū odio; ergò ſimilitèr explicari poteſt per eſſe dignum pœna. Auguſtinus vocat peccatū habituale reatum. Item Trident. ſeſſ.6.cap.4.deſcribit iuſtificationem, quòd eſt translatio ab eo ſtatu, in quo naſcitur filius peccati Adæ ad ſtatum gratiæ, &c. tamen nec tranſlatio à ſtatu Adæ filij neceſſaria eſt ad iuſtificationem pro quocumque ſtatu, nec etiam acceptio gratiæ, nec de facto hæc definitio competit iuſtificationis Adæ, vel Euæ, Chriſti, vel Beatæ Virginis, quia non ſunt nati in peccato, ſed Concilium explicuit iuſtificationem pro ea, quæ de facto habet annexa; ergò licet ordinari nō ſit neceſſario connexum peccato, tamen, quia de facto ei annectitur, rectè explicari poteſt per illam ordinationem. Ex quo ſequitur; eſto habituale non ſit illa ordinatio; rectè tamen explicari, & deſcribi per ea, quia de lege habet eam annexam; ergò licet non explicaremus mentem Scoti alitèr, nullo modo, eſſet repræhendendus, quod vocat maculam, ac etiam habituale peccatum illam ordinationem ad pœnam: quia ſic Scriptura, Patres, & Concilia loquuntur; ſed quod eſt notandum non dicit Scotus obligationem ad pœnam eſſe id quo peccator denominatur talis poſt actū, ſed tantum hanc eſſe maculam, & reatum, quod etſi dixiſſet; minimè tamen à modo loquendi Sanctorum Patruum, & Conciliorum recederet. Eumdem modum loquendi tenet Driedo 1. de Gratia cap. 5. Altiſiodorenſis ſecundum ſummam Tractatu 26. q. 5. Antoninus 1. par. Tomo 9. q.2.& alij, quos citat Salas Tractatu 13. diſtinct.14. num. 14.

Moneo tamen contra Eminentiſſimum de Lugo, non condonationem Dei minimè ingredi rationem formalem conſtitutiuam peccati, neque etiam inadæquatè. Eſt ergò tantùm conditio neceſſariò requiſita, vt peccatum præteritum valeat de præſenti denominare hominem peccatorem. Ratio eſt, quia actus diuinæ condonationis debet ſupponere aliquid intrinſecè efficiens, & maculans peccatorem, & condonabile à Deo; ſed hoc non poteſt eſſe negatio condonationis Diuinæ, quia hæc eſt extrinſeca peccatori, & in ſe bona, & intenta à Deo; ergò non poteſt peccatum habituale formalitèr, neque inadequatè in tali negatione conſiſtere. Confirmatur, quia Deum condonare non eſt Deum velle ponere condonationem, ſed condonatione aliquid tollere, ſcilicet peccatum; nō enim condonatio condonat negationem, ſed tollit fundamentum eius. Item ſequeretur; Deum non remittendo peccatum, conſiſtere formalitèr ſaltem inadequatè hominem peccatorem, quod dici non poteſt; quia ſicut peccatum dum ſit nullo modo formalitèr ſecundum malitiam, eſt à Deo, ita dum permanet à Deo, eſſe non poteſt; ergò non remiſſio, nec conſtituere, nec inadæquatè quidem poteſt, quinimmò debet ſupponere peccatum tanquàm id, quod non eſt remiſſum.

Dicimus ergò, quod tota eſsētia maculæ ſaluatur circa negationem remiſſionis, & reſtaurationis; itaq; quamuis peccatum habituale nequeat hominem denominare maculatum, quin ex parte ipſius ſtet negatio reſtaurationis, & ſatisfactionis, &c. & etiam ex parte Dei, remiſſionis culpæ commiſſæ; tamen talis negatio nō eſt de eſſentia peccati habitualis, ſeù formæ denominantis, ſed tantum eſt conditio, vt macula ſit in homine, & ipſum denominat peccatorem; explicatur exemplo: certum eſt, quod licèt calor, v.g. nequeat regularitèr loquendo, aquam denominare calidam, quin prius expellatur frigiditas: tamen negatio frigiditatis nullam denominandi vim tribuit calori, ſed ad ſummum tantum eſt conditio neceſſaria regularitèr ex parte ſubiecti. Ita philoſophandum in caſu noſtro.

Dices ex Lugo diſp. 7. de pœnitentia ſeſſ. 5. peccatum habituale duo dicit; & pec-

Digitized by Google

peccatum actuale præteritum, & permanentiam eius; ergò quamuis primum (vtpotè malum) à Deo eſſe non poſſit; poterit tamen eſſe ſecundum eſſe habituale, & Deo non diſplicere, & formalitèr conſtitui, non remiſſione Dei. Probatur: quia in tantum homo dicitur habere peccatum habituale, in quantum prudentèr iudicatur odio dignus; ergò quod fundat tale iudicium, fundat peccatum habituale: ſed ad fundandum tale iudicium, non minus pertinet hominem peccaſſe, quàm peccatum non eſſe remiſſum: ergò æqualitèr etiam debet vtrumque requiri ad fundandum, & conſtituendum habituale peccatum. Item: quia ex ablatione ſolius conditionis, reliquis immutatis, non poteſt tolli effectus formalis, ſed requiritur ablatio ſubiecti, vel formæ, vel vnionis, ex quibus intrinſecè conſtituitur; ſubinfero: ſed ablata negatione condonationis tollitur effectus formalis peccati habitualis, qui eſt reddere hominem Deo odioſum; ergò hæc negatio debet formalitèr pertinere ad conſtitutionem huius formæ, ſcilicet peccati habitualis. Negatur conſequentia: quia licet verum ſit Deum punire hominē, quia peccauit, non verò quia permanet in peccato: alioquin quò plus duraret quis in peccato, maiori pœna dignus eſſet, & conſequentèr magis peccaret, quod falſum eſt, & contra ſuppoſitum; quia iam minimè eſſet in peccato habituali, ſed in cōtinuo actuali; negari tamen non poteſt diſplicere Deo, quod homo in peccato perſeueret; & quantum eſt ex parte ſua, vellet ipſum reſipiſcere, licèt propter hoc non magis puniat peccatorem, quia nihil addit ſupra peccatum actuale formalitèr liberū, quod ſolum trahit condignitatem ad pœnam; perſeuerātia igitur peccati; eſt Deo odibilis; ergò non poteſt formaliter, neque inadæquatè conſtitui à negatione condonationis Diuinæ, quæ bona eſt, & à Deo volita, & ab illa, ſolum habebit, quod non deſtruatur. Certè non coheret, quod Lugo docet, negationem ſcilicet condonationis Diuinæ conſtituere peccatum habituale, & non odio habere, ſed eſſe conditionem, cur peccator odio habeatur; quia odio habetur formalitèr à Deo peccator propter peccatum, quod etſi phyſicè tranſit, moralitèr præſens eſt: ergò debet Deus odio habere conſtitutiuum illius; ergo negationem condonationis ſi formalitèr inadæquatè peccatum habituale conſtituit; in tantum ergò odio non habetur, in quātum eſt ſola conditio permanentiæ talis peccati, quam tollere Deus non tenetur, ad aliud negatur minor, quia hominem peccaſſe, & adhuc eſſe Deo exoſum, fundat, ſeu eſt conſtitutiuum formale peccati habitualis; id autem tamquam à ſigno, ſolum colligimus ex negatione condonationis Diuinæ, quæ negatio deindè debet neceſſariò connotari, & quia nullum debitum eſt in Deo illam tollendi, non poteſt ſpectare ad vitioſam perſeuerantiam peccati formalitèr malam. Ad alterum, negatur conſequentia: quia ablata negatione condonationis, tolli dicitur peccatum habituale tamquàm à ſigno; quia remittitur offenſa, & iniuria, in qua formaliter conſiſtit peccatum habituale: quare non tollitur ſola conditio reliquis immutatis, ſed per ablationem conditionis, ſeu non remiſſionis, deſtruitur offenſa, quæ eſt forma peccati intrinſecè, & ſi non phyſicè, moralitèr tamen peccatorem, afficiens.

Dices: in conſeruatione, ſeù permanētia peccati nihil poſitiuum inuenitur conſeruans peccatum; ergò eius permanentia, & conſeruatio debet formalitèr in negatione deſtructionis conſiſtere; ergò non ſe habet, vt pura conditio; Negatur conſequentiā; quia ſicut perſeuerantia peccati non tribuitur moralitèr Deo non deſtruenti eo ipſo, quod non teneatur deſtruere; ita neque talis permanentia debet moralitèr formalitèr conſtitui ex negatione deſtructionis Diuinæ, licèt illam neceſſariò connotet: repugnat enim effectum alicuius cauſæ per ſe formalitèr conſtituere aliquod conflatum, & hoc non per ſe pendere ab illa cauſa; ergò ſi perſeuerantia peccati, per ſe non pendet à Deo non deſtruente, eique non tribuitur, nec negatio deſtructionis, ſeu condonationis, quæ à Deo eſt, poterit formalitèr peccatum habituale conſtituere. In forma ergò diſtinguitur antecedens: nihil inuenitur phyſicum; concedo; quia peccatum non eſt ens phyſicum, quod phyſicè conſeruetur; nihil inuenitur morale; & nego; hoc autem ab illo debet eſſe, cui imputatur peccatum; erit ergò hominem peccaſſe, & ſua culpa

adhuc

Digitized by Google

adhuc eſſe Deo exoſum, connotata tamquam conditione neceſſaria, negatione condonationis diuinæ: homo enim, quia liberè ponit peccatum de ſe irremiſibile, cenſetur moralitèr ſemper illud conſeruare quouſque deſtruatur; Deus verò eſſe cauſa permiſſiua, non deſtruendo, eo ipſo, quod deſtruere non tenetur.

PROPOSITIO IV.

Proponuntur argumenta, probantia peccatum habituale conſiſtere in priuatione gratiæ ſanctificantis, & ſoluuntur.

PRimum argumentum: priuatio gratiæ eſt priuatio præcipui nitoris, & pulchritudinis animæ; ergò formalitèr illam maculat, & conſequentèr habet rationem peccati habitualis. Vrgetur ratio: peccatum habituale auertit hominem à fine ſupernaturali; ergò priuat conuerſione habituali ad talem finem: ſed hæc conſiſtit in gratia; ergò ſaltem partialitèr inuoluit priuationem gratiæ. Adde, quod ex Trid. gratia habitualis eſt iuſtitia noſtra coram Deo: ergò eius priuatio eſt iniuſtitia coram Deo: ſed talis iniuſtitia eſt peccatum habituale, formalitèr conſiſtit in priuatione gratiæ. Ad primum dicimus, priuationem gratiæ eſſe maculam phyſicam animæ, non moralem, ad modum; quo turpitudo eſt macula corporis: ad rationem enim maculæ moralis requiritur, vt talis macula ſit culpa animæ, qualis non eſt priuatio gratiæ, quæ non eſt actus voluntatis, in quo macula conſiſtit. Ad ſecundum reſpondetur: peccatum priuare nunc conuerſione habituali ad Deum, vt finem ſupernaturalem, ſed hunc eſſe effectum, & pœnam peccati; non ergò priuatio gratiæ in ſe eſt ipſum habituale peccatum.

PROPOSITIO V.

Nullum eſt à Deo graue, & enorme peccatum, de quo homo pænitere non poſſit in tota ſua vitâ, & veniam conſequi per pænitentiam.

INnititur hæc noſtra Propoſitio duplici articulo fidei; quorum primus eſt remiſſio peccatorum; alius eſt pœnitentiam eſſe reconciliationem, & remiſſionem peccatorum, vndè colligimus nullum eſſe peccatum tantæ enormitatis, nullam perſeuerantiam tantam in peccato, quæ pœnitentia deleri non poſſit. Probamus ex omnibus illis locis Sacræ Scripturæ, in quibus ſuadetur hominibus reſipiſcere vſque ad mortem; cum pollicitatione veniæ, & remiſſionis. Quibus adde Diuum Paulum ſecundæ Corinth. 5. omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque, prout geſſit in corpore ſuo, ſiuè bonum, ſiue malum. Notanda ſunt hæc verba: *prout geſſit in corpore*; oſtendunt enim animam eſſe ſui iuris ad pœnitendum quamdiù in corpore eſt; quod ſi pœnitere poteſt, & pœnitet, cum facienti, quod in ſe eſt, Deus non deneget gratiam, ſine dubio miſericordiam conſequetur; idipſum concludit libertas noſtri arbitrij, quæ cum auferri ab homine non poſſit, manet homo adiutus Diuina gratia liber ad pœnitendum, & potens ad impetrationem veniæ. Addæ nullum aſſignare poſſe genus peccati, quod vel in Sacra Pagina, vel in Hiſtoria authentica, ſcilicet Eccleſiaſtica, non reperiatur remiſſum, & alicui condonatum.

Ad ſolutionem eorum, quæ noſtræ ſententiæ obijci poſſunt; has accipe regulas. Prima. Qui in Sacra pagina reperiuntur non potuiſſe impetrare veniam, quamuis pœnituerint; iſti non vellè, pœnituerunt: ſed fictè, & ſimulatè, vt Eſaù, Saul, & Antiocho videre eſt. Secunda regula: Quædam ſunt peccata in quorum punitione Deus ſpecialitèr oſtendit rigorem, ſiuè iuſtitiæ, ac proindè pauci, aut nulli eorum remiſſionem obtinuerunt, quia digni non erant, vt ſi concederetur pœnitentia, vt videre eſt in Hæreſiarchis, quorum nullus legitur reſipuiſſe excepto Berengario, qui cum

cum multoties poſt iteratam conuerſionẽ, ad vomitum redierit, de eius ſalute nulla eſt certa fides. Tertia regula: Quædam peccata dicuntur irremiſſibilia, quod non remittat ea Deus, niſi præcedente, & perſeuerante maxima, & grauiſſima pœnitentia; eſt ergò neceſſaria pœnitentia, vt auferat peccata mortalia, à quibus nos liberet Dominus ſua pijſſima miſericordia. Amen.

Digitized by Google

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

DISPVTATIO PRIMA.

VITAM ſpiritualem, & totius hominis regenerationem, ac renouationem collatam fuiſſe à Deo in Baptiſmate; robur, mentiſq; vires ſuſcepiſſe in Confirmatione; nutritionem ſuperſubſtantialem, quæ nunquam interituram largiatur vitam: habere in Euchariſtia; magnum ſanè, & multum eſt: parua tamen, & pauca hæc forent, niſi aliquod ſalutare medicamentum, quo à morbo ſpirituali, peccato, ſcilicet mortali, ſanaretur, diuina indulgentia ei concederetur. Hoc præuidens Altiſſimus, pœnitentię Sacramentum omne tolleretur peccatum, Eccleſiæ largitus eſt. De illo deinceps ſit: an ſit; quid ſit, docebunt, quæ ſubſequuntur Propoſitiones. Exordium ſit à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Datur Pœnitentiæ Sacramentum.

PRopoſitionē hāc negāt omnes hæretici. At eā eſſe de fide, affirmant omnes Theologi Catholici. Eccleſiam non poſſe carere Sacramento Pœnitentiæ, colligimus ex antiqua lege, quæ quamuis eſſet vltionis, & vindictæ, parumquè, aut nil habere, miſericordiæ videretur; tamen ſacrificia habuit, & Sacramenta, quibus expiarentur peccata, vel ex opere operato, (ſcilicet Circumciſione) vel ex operantis; quanto magis lex Euangelica, quæ appellatur lex gratiæ, & veritatis, ſua habebit Sacramenta, quibus omne deleatur peccatum mortale? Eſt ergò neceſſarium de communi lege vnum eſſe Sacramentum, vt primariò, & per ſe tollat peccatum; hocq; Saramentum tantæ virtutis, & efficaciæ, appellatur Pœnitentia Sacramentum. Sit aliud argumentum. Id quod fuit à Chriſto inſtitutum ad peccati deletionem, fuitq; in vſu, & praxi apud fideles, eſt Sacramentum; ſed pœnitentia eſt à Chriſto inſtituta Ioānis 20. ad remiſſionem peccatorum his verbis; Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & fuit ſemper in vſu in Eccleſia Dei, vt cuncta adſtruunt Conſilia; ergò eſt Sacramentum. Sit aliud argumentum ex Tridentino ſeſſ. 14. Canone 1. vbi dicitur; ſi quis dixerit in Catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliantes, à Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit. Hoc decreuit Concilium: quoniam Caluinus, & quidam Luterani docuerunt, non eſſe verè, & propriè Sacramentum nouæ legis. Altera ratio: Baptiſmus ideò eſt verè, & propriè Sacramentum nouæ legis: quia peccata omnia, & præſertim originale delet: ſed pœnitentia delet omnia peccata, quæ poſt baptiſmum ſunt commiſſa, ergò eſt Sacramentum nouæ legis. Aliud argumentum; Omne Sacramentum, vt vidimus in tractatu de Sacramentis in genere; tria requirit. Primum quod ſit ſignum ſenſibile. Secundum, quod ſit à Chriſto Domino inſtitutum. Tertium, quod ſit cauſatiuum gratiæ: at omnia iſta reperiuntur in Pœnitentia; ergò Pœnitentia eſt Sacramentum nouæ legis.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Sacrammentum Pœnitentiæ eſt diſtinctum à Sacramento baptiſmi.

PRobatur quippè cum ordinetur ad peccata poſt baptiſmum commiſſa remittenda, ad quæ non ſe extendit; baptiſmus, quia hic iterari non poteſt; ergò eſt diſtinctum à baptiſmo. Nec ſatiſfaciunt hæretici dicentes ſolam materiam baptiſmi fide excitatam, peccata poſt baptiſmum remittere: nam alioquin fruſtra eſſet hæc noua poteſtas remitttendi peccata à Chriſto conceſſa Eccleſiæ: ſed certum eſt hanc poteſtatem remittendi peccata à Chriſto traditam Eccleſiæ Ioannis 20. eſſe diſtinctam à poteſtate remittendi peccata per baptiſmum; ergò, &c. Tum quia poteſtas remittendi peccata per baptiſmum ſupponitur Apoſtolis collata āte mortem Chriſti Ioannis 4. vbi dicitur, quod Diſcipuli Ieſu baptizauerunt; hæc autem poteſtas remittendi peccata poſt baptiſmum commiſſa promittitur Matthæi 16. Et traditur Ioan. 20. poſt reſurrectionem, illis verbis. Quorum remiſeritis peccata, &c. vt colligitur ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 1 Legatur Scotus in 4. diſt. 2. q. 1. §. ſecunda concluſio, verſ. melius. Legatur Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 1. dicens *Dominus Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus, inſlauit in Diſcipulos ſuos dicens: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* Dices, quod verba illa (tunc præcipuè inſtituit) denotare antea fuiſſe inſtitutum, quamuis minus præcipuè. Negatur aſſumptum: quippè ad plus denotatur, datam fuiſſe Apoſtolis in cœna poteſtatem ordinis, quæ omninò eſt neceſſaria ad validè adminiſtrandum Sacramentum. Vel ſi placet dicas, particulas illas denotare promiſſionem factā Matthæi 16. num. 19. *Tibi dabo claues Regni Cælorum, quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in Cælis.* Obſeruatio eſt Scoti vbi ſupra. Non me latet apud Conninchum legi probabile eſſe putatur Chriſtum Dominum in illa vltima cœna inter alia prædixiſſe Apoſtolis ſe poſtea inſtituturum hoc Sacramentum, eoſq; docuiſſe ritum obſeruandum in adminiſtratione. Hinc fortaſſe Tridentinuum dixiſſe; Chriſtum Dominum Sacramentum Pœnitentiæ præcipuè inſtituiſſe Ioann. 20. quia ſcilicet Matthæi 16. illud promiſerat, & in cœna ritum obſeruandum docuerat; & conſequentèr quoquo pacto poteſt intelligi Chriſtum Dominum tunc inſtituiſſe Sacramentum largo modo loquendo. Apud Suarez diſp. 17. ſeſſ. 1. num. 10. dicitur, Armacanum docuiſſe Chriſtum Dominum, hoc Sacramentum inſtituiſſe Matthæi 10. & Lucæ 6. cum miſit Apoſtolos ad Euangelium prædicandum. Nobis tamen hoc non probatur, & talis dicti falſitatem oſtendunt rationes in contrarium adductæ. Sit altera ratio contra Armacanum: Poteſtas remittendi peccata non datur niſi Sacerdotibus: at quando Apoſtoli miſſi ſunt ad Euangelij prædicationem, minimè erant Sacerdotes; ergò eis tunc nō fuit communicata poteſtas remittendi peccata. Placet & etiam obſeruatio Scoti in 4. non approbans pœnitentiæ Sacramentum fuiſſe inſtitutum: Iacobi 5. verbis illis: Confitemini alterutrum. Audiantur verba Scoti, verſ. de pœnitentia: quod hoc non videtur probabile ex proceſſu literæ, quia ſtatim ſequitur; Orate pro inuicem, &c. Manifeſtum eſt enim, quod per illud ſequēs nō intendebat aliquod Sacramentum inſtituere, neque promulgare. Nec etiam erat apud Iacobum auctoritas inſtituendi aliquod Sacramentum.

Minùs placent aſſerentes hoc Sacramētū fuiſſe inſtitutum, vel ab ipſo Deo in paradiſo voluptatis ſtatim poſt peccatum Adæ cum primo interrogauit protoparentem: quid feciſti? vel in lege veteri, quādo fuerunt inſtituta Sacrificia pro peccatis, quæ offerebantur, præmiſſa quadam confeſſione; quia aliàs Sacramentum pœnitentiæ iam non eſſet Sacramentum nouæ legis.

Redeamus ad noſtrum primum punctū. Paulus de baptiſmo loquens Hebræorum 6. & eſt communis expoſitio Patrum contra Nouatum: Impoſſibile ait, eos qui ſemel per illum ſunt illuminati, rurſus renouari ad pœnitentiam: cū tamen de Pœnitentiæ Sacramento loquens Corinthiorum

rum

Digitized by Google

rum 5. fideles hortatur ad illud frequentandum: reconciliamini, inquit, Deo, qui dedit nobis miniſterium reconciliationis. Accedat altera ratio; Miniſter Sacramenti baptiſmi eſt quiſquis habens intentionem faciendi, quod Eccleſia facit, & intendit facere (etſi Miniſter ſit hæreticus) & tamen Miniſter Sacramenti pœnitentiæ minimè eſt quicumque de populo, ſed ſolus Sacerdos. Cuius rei ratio ex eo aſſumitur, quia Sacramentum pœnitentiæ exercetur per modum iudicij, quod & ſcientiam in cognoſcenda cauſa, & iuriſdictionem in ferenda ſententia ſupponit; baptiſmus verò per modum ſimplicis abſolutionis regenerantis hominem ad primum eſſe ſupernaturale gratiæ; quod nullam prærequirit cauſæ cognitionem, aut miniſtri iuriſdictionem, ſed externam dũtaxat applicationem materię, cum certa forma verborum ex intentione faciendi, quod fecit Chriſtus, ergò diſtinguuntur iſta Sacramenta. Conſequentia dandi hoc Sacramentum indè deducitur: quia decebat, vt in Chriſtiana Republica eſset tribunal, in quo & animarum cauſæ cognoſcerentur, & Diuinæ offenſæ punirentur, & peccatores per Sacerdotes, tanquàm per veridicos iudices, & Miniſtros Deo reconciliarentur.

PROPOSITIO III.

Proponuntur motiua contraria noſtræ Propoſitioni.

OBijciunt hæretici Chriſtum Io: 20. loqui de remiſſione peccatorum, quæ fit per baptiſmum in illis, qui per verbum prædicationis cõuertuntur ad fidem; ergò non traditur diſtincta poteſtas à poteſtate remittẽdi peccata per baptiſmum. Reſpondetur hunc locum exponi dupliciter. Primo, vt detur poteſtas remittendi peccata tàm fidelibus, quàm infidelibus. Hanc expoſitionem ſequitur Cyrillus. Secundò vt detur ſola poteſtas remittendi peccata fidelibus iam baptizatis, quæ eſt communior interpretatio Patrum, & patet: quia poteſtas remittendi peccata per baptiſmum ſupponitur collata: Ioannis 4. quare ſecundum hanc expreſſionem obiectio nullam vim habet. Secundum priorem verò expoſitionem dicendum, quod quamuis hic detur vtraque poteſtas; non tamen datur cum eodem ritu: nam ad remittenda peccata infidelium datur cum ritu abſolutiuo cum certa forma verborũ deducta ex illis verbis Matthæi vltimo; baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ad remittenda verò peccata fidelium datur cum ritu abſolutiuo ſub alia forma verborum, deducta ex illis verbis Ioannis 20. quorum remiſeritis peccata, &c. cum non ſit maior ratio, cur ex vno loco potius, quàm ex alio colligatur certus ritus, & forma Sacramenti; dummodò vtrobiq; Chriſtus aſſignet certam materiam, ac formam Sacramenti; neque erat maior congruentia, & neceſſitas huius Sacramenti, quàm alterius.

PROPOSITIO IV.

Notantur nonnulla ſcitu digna.

PRimum. Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum fuit poſt Reſurrectionem. Hoc notaui: quia tria fuerunt tempora ſecundum textum Euangelicum, in quibus videtur Chriſtus mentionem feciſse de hoc Sacramento, ſcilicèt ante mortem, quando Matthæi 8. dixit Petro: quodcumque ſolueris ſuper terram, &c. Et quando Matthæi 18 dixit Diſcipulis: Quodcumq; ſolueritis ſuper terram, &c. Secundus locus eſt, quando Chriſtus in vltima cœna ordinauit Apoſtolis Ioannis 19. Hoc facite in meam commemorationem. Tertius locus eſt, quando poſt reſurrectionem dixit Diſcipulis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. In quibus tribus temporibus, videtur Sacrmentum pœnitentiæ poſse dici inſtitutum. Putamus ergò, quod Sacramentum pœnitẽtiæ fuit inſtitutum poſt reſurrectionem, quando Dominus Ioannis 20. dixit Apoſtolis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Fauet Tridentinum ſeſs. 14. cap. 1. Probatur, quia tunc fuit inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ, quãdo fuit collata Apoſtolis poteſtas præcipua, & plenaria abſoluendi: ſed hæc poteſtas nullibi clargita

fuit, niſi quando poſt reſurrectionem dixit: Accipite Spiritum Sanctum, &c. ergò tunc fuit inſtitutum Sacramentum pœnitentiæ. Hinc

Infero primo. Quod quando Chriſtus Matthæi 8. & 18. dixit: Quodcunque ſolueris, vel ſolueritis ſuper terram, &c. nõ inſtituit Sacramentum pœnitentiæ. Tum quia illis ſolum promiſſa fuit poteſtas abſoluendi de futuro, & non de præſenti; ergò tunc potius fuit facta promiſſio Sacramenti pœnitentiæ, quàm illud inſtituerit. Tum etiam quia, vt obſeruat Pater Medina, tali tempore potius fuit collata poteſtas ferendi cenſuras, quàm ſoluendi à peccatis.

Infero ſecundo. Quod in nocte cœnæ, ſolùm inchoatiuè poteſt dici inſtituiſse Sacramentum Pœnitentiæ inquantum illis præbuit characterem, qui poſtea potuit extendi ad abſoluendum, accepta poteſtate ab Epiſcopo dicendo: Accipite Spiritum Sanctum, &c. Vnde quando ordinantur Sacerdotes, duo actus exercentur ab Epiſcopo. Primus eſt collatio characteris cõficiendi Sacramentum, quãdo dicit: Accipite poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia. Secundus, collatio poteſtatis abſoluendi à peccatis, quando dicit poſtea: Accipite Spiritum Sanctum, qui actus ſeparari poſsunt.

Impugnabis noſtra dicta. Antequam recipiatur Euchariſtiæ Sacramentum præmittenda eſt confeſſio; ergò Sacramentum pœnitentiæ debuit inſtitui ante Sacramentum Euchariſtiæ, quod fuit inſtitutum in vltima cœna, in qua Euchariſticum cibum Apoſtoli receperunt; ergò Sacramentum pœnitentiæ minimè fuit inſtitutum poſt reſurrectionem. Reſp. eſse præmittendam confeſſionem ante Euchariſtiæ ſuſceptionem, ſi ſupponatur inſtitutum fuiſse Sacramentum pœnitentiæ; non verò priuſquam intelligatur inſtitutum tale Sacramentum: tunc enim tenebantur ſe diſponere ad dignam ſuſceptionem tanti cibi Euchariſtici beneficio contritionis. Replicabis Chriſtus Dominus ante reſurrectionem dixit: pœnitentiam agite Matthæi 14. ergò tunc videtur inſtituiſſe Sacramentum pœnitentiæ. Confirmatur: Nam ante reſurrectionem Chriſtus remittebat peccata: dixit enim Magdalenæ; remittuntur tibi peccata tua. Reſp. Verba illa Chriſti: pœnitentiam agite, &c. intelligenda fore de Pœnitentia Virtute; non verò de Pœnitentia Sacramento, vt communitèr ſupponunt Patres, & Doctores. Ad confir. Negatur ſequela: Etenim licèt Chriſtus remiſerit peccata ante reſurrectionem; non ſequitur illa remiſiſse per Sacramentum pœnitentiæ, ſed per actum amoris vel contritionis, vt fiebat ante inſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ.

PROPOSITIO V.

Notans in quo conueniat, & differat pænitentiæ virtus, et pænitentiæ Sacramentum.

PRimò conueniunt: quod tàm virtus, quàm Sacramentum pœnitentiæ dicantur ſecunda tabula poſt naufragium. Ita Concilium Trid. ſeſs. 6. cap. 14. & ſeſſione 14. cap. 2. contra hæreticos noſtri temporis. Omiſſis tamen hæreticorum delirijs, metaphora illa tabulæ, ſic intelligitur à D. Thoma, vt per ſecundam tabulam, veraq; intelligatur pœnitentia; & per naufragium, quodlibet peccatum mortale. Vndè primum remedium, & quaſi nauem ad conſequendam ſalutem æternam, dicit Sanctus Thomas, eſse vitæ innocentiam, & integritatem: quod nauigium frangitur per quodlibet peccatum mortale, à quo liberat ſola pœnitentia, & ideò dicitur ſecunda tabula: itaut illa dictio (ſecunda) non dicat ordinem ad priorem tabulam, ſed ad prius remedium, atque nauigium: ideòq: interdum non ſecunda, ſed ſimplicitèr tabula appellatur. Ita Tertul. dicens pœnitẽtiam ita amplexari, ſicut naufragus alicuius tebulæ fidem. Aliam expoſitionem indicauit Gabriel in 4. diſt. 14. q. 2. art. 3. dubio 2. per naufragium intelligens lapſum totius naturæ humanæ in primo parente: ſic enim baptiſmus erit prima tabula, qua liberamur ab illo naufragio; pœnitentia verò erit ſecunda, quia licèt baptiſmus in ſe frangi non poſſit, in ſuo tamen effectu amitti poteſt: quia per peccatum mortale effectus gratiæ in baptiſmo comparatus amittitur; recuperatur autem per ſolam pœnitentiam, & ideò optimè dici-

Digitized by Google

dicitur ſecunda tabula. Nec tertia tabula eſt neceſsaria:quia poteſt hæc ſecunda tabula iterum, vel ſæpiùs repeti.

Conueniunt ſecundò in materia circa quam verſantur: quia ſcilicet tàm virtus, quàm ſacramentum verſantur circa peccatum mortale. Patet: quia virtus pœnitentiæ deteſtatur peccatum: ergò reſpicit illud, vt materiam, ſeu vt obiectum materiale, Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum eſt per modum cuiuſdam iudicij, in quo cauſæ peccatorum tractantur: in vno quoque autem iudicio cauſa, vel res, de qua agitur eſt materia illius. Notanter dixi materia circa quam: quia cum virtus ſit forma ſimplex, non habet propriam materiam, ex qua conſtet, ſed circa quam verſatur.

Conueniunt tertio in ſubiecto, quia vtraque poteſt habere ſuum actum, tantùm in homine adulto: cum ille ſolus ſit capax peccati actualis: cum hoc diſcrimine, virtus in quocumque, Sacramentum in baptizato tantùm: quia hoc Sacramentum eſt medicina peccatorum actualium, quæ poſt baptiſmum commiſsa ſunt.

Conueniunt quartò, quia vtraque pœnitentia tùm circa idem peccatum, cùm circa diuerſa fructuosè, & vtilitèr iterari poteſt: vt communitèr docent Theologi.

Differunt verò:quia Sacramentum eſt in genere ſigni; virtus verò non ita.

Differunt ſecundò, quod pœnitentia, vt virtus, ſit actus interior; pœnitentia, vt ſacramentum ſit actus exterior:nam Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, ſolus autem actus exterior eſt ſenſibilis, non interior. Virtus verò potiſſimùm conſiſtit in interiori actu animæ; ita tamen hoc eſt intelligendum, vt virtus non excludat actum exteriorem, cum imperet ipſum medio actu interiori: ſed dicitur conſiſtere in interiori: quia in ipſo ſaluatur perfecta ratio huius virtutis, & quia exterior actus non eſt bonus medio interiori.

Differunt tertiò. Vt totum, & pars: quia virtus eſt pars, Sacramentum verò eſt totum.

Differunt vltimò in antiquitate: quia virtus fuit pro quocumq; tẽpore neceſsaria cum tamen Sacramentum pœnitentiæ tantum ſit neceſsarium poſt inſtitutionem factam à Chriſto.

DISPVTATIO II.

De ſpectantibus ad eſſentiam Sacramenti Pœnitentiæ.

DVOBVS modis præcipue Sacramentum pœnitentię conſiderari poteſt; ſicut & quælibet alia res naturalis, & corporea, ſcilicet metaphyſicè, & phyſicè. Si enim conſideremus hoc Sacramẽtum quatenus genere conſtat, & differentia, ſeù natura magis communi, & natura minus communi; metaphyſica erit illius conſideratio. In præſenti conſideramus Sacramentum pœnitentię in ſtatu phyſico. Moneo ad pleniorem intelligentiam, Sacramenta nouæ legis partibus phyſicis necnon, & metaphyſicis conſtare. Agendo de Sacramentis in genere notaui à Theologis eas dici Sacramentorum phyſicas partes ſeù materiales, ſuper quas fundatur; ſeù veluti in propria ſede quieſcit relatio ſigni quàm Sacramentum ad ſuum ſignatum dicit. Hinc partes phyſicæ Sacramenti pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis, ſcilicet contritio, confeſsio, & ſatisfactio, necnon & abſolutio Sacerdotis. Difficultas ergo eſt, quibus partibus phyſicis eſſentialitèr conſtet Sacramentum pœnitentiæ. Res eſt ingenuæ difficultatis ne dicam confuſionis apud Doctores, quorum ſunt tot ſententiæ, vt vix terminum habeant. Vtrùm Sacramentum pœniten-

Digitized by Google

tiæ contineat tanquàm partes contritionẽ, confeſſionem,& ſatisfactionem, docebunt ſubſequentes Propoſitiones. Promittimus tamen nonnulla.

Pimò Scotus in 4. d. 16. q. 1. videtur claris verbis negatiuè reſpondere propoſito dubio. Eumq; ſequuti ſunt Nominales, vt Gabriel, Maior, Occham, & Almaillus, omnes in 4. d. 16. Conuenit ex parte Durandus in 4. d. 14. q. 1. & 3. Et Marſilius in 3. d. 10. art. 1. ſolum in abſolutione, & contritione arbitrantur conſiſtere Sacramenti pœnitentiæ ſubſtantiam. Quæ pro Scoto faciunt hæc; quia Sacramentum eſt ſignum efficax gratiæ, eiuſq; cauſa (quæcunque illa ſit) ſed ſolus actus Sacerdotis gratiam confert per poteſtatem clauium, non autem actus pœnitentis; ergò in ſola abſolutione conſiſtit ſubſtantia Sacramenti pœnitentiæ. Adde: quia Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, cuiuſmodi non eſt contritio, quæ eſt quid ſpirituale, nec ſatisfactio: quia hæc eſt poſterior, & abſolutionem ſacramentalem conſequitur.

Oppoſitam ſententiam defendunt multi, & multi Doctores; quam confirmant auctoritate Conciliorum; Nam in Concilio Florentino in decreto vnionis Armenorum dicitur formam huius Sacramenti eſſe abſolutionem Sacerdotis, & actus pœnitentis, nempè contritionem, ſatisfactionem, & confeſſionem eſſe quaſi materiam. Idem repetitur in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. Nos veritatem dabimus per ſequentes Propoſitiones, quarum ſit prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Scotus omninò eſt alienus à ſententia hæreticorum, nec contra fidem, quidpiam ſentit.

PRobatur ex eo, quod hæretici non agnoſcunt Sacramentum pœnitentiæ, niſi imperfectum, & impropriè dictum, cum ſolo verbo, ex eorum opinione ſine elemento conſtet: at Scotus, & qui eum ſequuntur, verè, & propriè integrum confitentur eſſe Sacramentum pœnitentiæ, vnumque ex ſeptem; ergò Scotus non conuenit cum hæreticis. Deindè Scotus nec contritionem (extendendo tamen nomen contritionis) nec confeſſionẽ, nec ſatisfactionem, ſaltim in voto negauit aliquando, pertinere ad neceſſitatem Sacramenti pœnitentiæ. De contritione enim, hoc eſt de dolore aliquo requiſito in accedente ad Sacramentum pœnitentiæ, infra ex multis locis Scoti contra eius calumniatores demonſtrabimus, cum fuerit ſermo de diſpoſitione neceſſaria ad Sacramentum pœnitentiæ in peccatore. De confeſſione neceſſaria, & in ſpecie, & in indiuiduo agit Scotus in diſt. 17. 4. De ſatisfactione verò agit in 4. tùm in diſt. 15. q. 1. tùm etiam in d. 18. ad ſolutionem argumentorum lit. H. vbi ſic inquit: Ad ſecundam partem diſtinctionis concedo, quod pœnitentiam inflictam à Sacerdote, quæ non excedit totam illam latitudinem iuſtitiæ tenetur confitens ſoluere, & ſufficit. Fit ergò clarum Scotum noſtrum, nil commune habere cum hæreticis.

Quas autem partes pœnitentiæ confingant hæretici, non eſt noſtri inſtituti. De his agit Valentia diſp. 7. q. 7. puncto ſecundo in quarto tomo: & diffuſiùs Bellarminus 1. de pœnit. cap. 18. Nos erimus contenti documento Tridentini, quod in ſeſſ. 14. cap. 3. ſic fatur: Hæc de partibus & effectu huius Sacramenti ſancta Synodus tradens ſimul eorum ſententias damnat qui pœnitentiæ partes incurſos conſcientiæ terrorres, & fidem eſſe contendunt. Et idem repetit can. 4. Hic illud obſeruandum eſt ex Valentia loco citato non negare Concilium Tridentinum agnitionem aliquam peccati in pœnitente iram Dei expaueſcente, quique deindè per fidem, & ſpem à lege tanquam à pedagogo ad Chriſtum, qui eſt fons omnis iuſtitiæ, recurrit: hoc enim diſertè in ſeſſ. 6. cap. 6. dixit. Sed damnat Concilium, fidem illam ſpecialem, quam ſibi fingunt hæretici reiectis alijs pœnitentiæ partibus, & per eam ſufficientèr ad remiſſionem peccatorum, ſe putant diſponi.

Moneo ſecundo Scotum in duobus locis apertiſſimè contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem appellaſſe partes pœnitentiæ; Nam in 4. d. 17. lit. A. aſſerit confeſſionem eſſe ſecundam partem pœnitentiæ; & in d. 22. quæſt. vnica, ad ſolutionem

nem

Digitized by Google

nem argumentorum, ſic fatur: Alio modo poſſet dici, quod quando pro peccatò habetur pœna completa, intellige, completa, quantum ad tres partes pœnitentiæ, contririonem, confeſſionem, & ſatiſfactionem, tunc commutata eſt pœna damnationis &c. in pœnam temporalem; non ſic autem de peccato, de quo habetur contritio ſine alijs duabus partibus pœnitentiæ &c. Hæc Scotus, & quamuis ſubtilis Doctor acceptet magis aliam reſponſionem, datam quantum adhoc, quod peccatum in contritione ſimplicitèr deletur, ita quod non maneat niſi obligatio ad pœnam temporalem; tamen non reſpicit illam reſponſionem, in eo quod concedit tres eſſe partes pœnitentiæ. Similitèr in 4.d. 15 quæſt.2.in 4. art. ſic inquit: ſatiſfactio quæ eſt tertia pars pœnitentiæ, non requiritur ante alias duas partes pœnitentiæ, imo ſequitur contritionem, & confeſſionem, vt iniunctum à Sacerdote. Iſta duo loca Scoti me iudice ſunt maximè notanda.

Moneo Tertio, Controuerſiam eſſe inter Doctores, ſuppoſito, quod ſint tres partes pœnitentiæ, vt diximus: an ſingulæ ſint gratiæ ſignum, & cauſa eiuſdem.

Multi Recentiores Theologi tenent, abſolutionem eſſe potiſſimam cauſam, ſed non ſolam. Vnde concedunt, partim in actione pœnitentis, partim, & multo magis in abſolutione confeſſarij, eſſe vim remiſſiuam peccatorum. Oppoſitum verò concedunt alij, credentes vim ſacramentalem, vel remiſſiuam peccatorum ſolùm in abſolutione conſiſtere, non in cæteris: nam, & ſi interdum detur gratia homini contrito, illa tamen non datur, niſi per opus operantis, & non ex opere operato. Ita ex noſtris Pater Vega lib.13. cap.15. in Tridentinum; ex altera ſchola Ferrarien. in Commentario contra gentes lib.4. cap. 72. & Bellarm. 2. de Sacramentis cap. 11. quamuis etiam oppoſitam opinionem dicat probabilem ſed difficilem ad defendendum lib.1. de pœnit. cap. 16. vbi etiam citat S. Thomam, noſtrum S. Bonauen. in 4. diſtinct. 18. & 22. Pro opinione hac ſecunda, quam omnino tenuit Scotus, faciunt iſtæ rationes, tum quia virtute clauium remittuntur peccata: at ſolis Sacerdotibus ſunt collatæ claues; ergò ipſi ſoli per abſolutionem debent dici remittere peccata. Tum quia, abſentibus omnibus alijs actibus pœnitentiam, puta, ſi abſolutio differatur in diem craſtinum facta confeſſione per ſolam abſolutionem gratia confertur; ergò ſignum eſt per eam ſolam fieri remiſſionem peccatorum, vel in ea ſola vim ſacramentalem conſiſtere.

Cum ex Scoti verbis conſtet, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem partes eſſe Sacramenti pœnitentiæ, & ex eodem in ſola abſolutione conſiſtere vim ſacramentalem, quod voluit exprimere in 4.d.14. quæſt.4. vbi rationem nominis pœnitentiæ aſſignans dicit; eſſe abſolutionem hominis pœnitentis factam ſub certis verbis cum debita intẽtione à Sacerdote prolatis, ex inſtitutione Diuina efficacitèr ſignificantibus abſolutionem animæ à peccato. In quibus verbis noluit dicere, (vt malè ſentiunt quidam alienæ ſcholæ) ſolam abſolutionem exigi in Sacramẽto pœnitentiæ; ſed voluit dicere ſolam abſolutionem, eſſe ſignum efficax gratiæ; ac vt ipſe inferius ibidem explicat, eſſe ſententiam definitiuam abſoluentem reum, quæ tamen ſententia neceſſariò præſupponit cognitionem cauſæ: nam qui iudicat, quæ nouit iudex iuſtitiæ eſt; ideo ibi neceſſariò intelligit Scotus concurrere confeſſionem rei; & hoc expreſſit per verba illa, cum dicit; pœnitentiam eſſe abſolutionem hominis pœnitentis; pœnitentis in quam, hoc eſt, dolentis, & confitentis peccatum: alioquin ſententia iudicialis abſoluens ferri non poſſet. Hæc ergò omnia cum ex Scoti varijs locis ſint excerpta, dicendum eſt eum in 4.d.26. quæſt.1. minimè negaſſe ſacramenti pœnitentiæ partes, eſſe contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem; ſed ſolùm docuiſſe, non eſſe partes tales in quibus conſiſtat vis ſacrametalis remiſſiua peccatorum. At vt rem, & controuerſiam verſantem inter Theologos diſſoluamus, ſit.

PRO-

PROPOSITIO II.

Sacramenti pœnitentiæ partes propriæ dictæ, nullæ ſunt: & actus pœnitentis. contritio, confeſſio, & ſatisfactio, non poſſunt dici propriæ partes pœnitentiæ.

PRobamus. Si quæ ſunt propriæ ſacramenti pœnitentiæ partes, illæ ſunt tres enumeratæ, ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio: ſed illæ tres nullo modo dici poſſunt partes huius Sacramenti; ergò nullæ ſunt propriæ partes Sacramenti pœnitentiæ. Maior conceditur ab omnibus. Minor probatur: ſi actus pœnitentis ſunt partes pœnitentiæ; vel ſunt ſubiectiuæ, vel potentiales, vel integrales: ſed non ſunt aliquo horum modorum partes; ergò nullo modo. Maior fit clara ex ſufficienti partium enumeratione. Minor probatur: ſubiectiuę partes ſunt omnia inferiora reſpectù ſuperiorum in eodem ſerie, & coordinatione: his partibus ſubiectiuis duo conueniunt: nam ad earum multiplicationem, multiplicatur ſuperius, vt Petrus, Franciſcus, Carolus ſunt homines: homo, Equus, Aquila ſunt animalia, & ſuperius prædicatur de illis in quid: vt quid eſt Petrus? quid Carolus? homo. Quid eſt homo? quid Aquila, quid Equus? animal. Nunc ita argumentor: ſed nec ad multiplicationem trium actum pœnitentis, multiplicatur pœnitentia, nequè de illis pœnitentia prædicatur in quid: non enim dicere poſſumus: contritio, confeſſio, ſatisfactio ſunt tres pœnitentiæ: nequè ad interrogationem factam, quid eſt contritio confeſſio ſatisfactio, reſpondere auderemus; pœnitentia: non enim contritio eſt pœnitentia, nec confeſſio, aut ſatisfactio; ergò non ſunt pœnitentiæ partes ſubiectiuæ.

Quod non ſint partes potentiales, probatur: omnes partes potentiales duo habent ſibi peculiaria; nam, in earum qualibet conſeruatur tota quidditas totius, & tribuunt toti, vim agendi, & operandi ita quod totum per illas, non illæ per totum operentur: vt videre eſt in animæ rationalis, ſuiſquè potentijs: nam tota illius natura in intellectù ſolo, vel in ſola voluntate, ſicut, & in memoria integerrimè conſeruatur: hinc dicitur intellectus rationalis, quæ denominatio competit etiam voluntati, & memoriæ; atquè etiam intelligit anima per intellectum; vult per voluntatem; recordatur per memoriam, & non vice verſa: nam intellectus non intelligit per animam, nec voluntas per eam vult &c. nunc ita argumentor: neutra harum proprietatum conuenit actibus pœnitentis; ergò &c. non prima: quia pœnitentiæ quidditas, & eſſentia, nequè in ſola contritione, nequè in ſola confeſſione, nequè in ſola ſatisfactione reperitur, vt colligitur ex eo, quod ad interrogationem factam, quid ſit contritio? nemo reſpondebit; eſt pœnitentia. De alijs duabus idem ſit iudicium. Secunda proprietas nec etiam illis conuenit: quia tantum abeſt, vt pœnitentia operatur per hos pœnitentis actus: quinimò omnis operatio, omnis agendi virtus actuum pœnitentis, manet à pœnitentia, vt colligere licet ex eo, quòd contritio nil operetur, niſi includat pœnitentiam in voto, ſit quoquè confeſſio nulla, niſi abſolutio quæ eſt pœnitentia, ſequatur. Idem dicito de ſatisfactione; vt colligitur ex furto, quod ſi quis commiſerit, ſatisfaciat quantum voluerit hominibus per ſatisfactionem, ſatisfaciat quoquè Deo pœna à ſemetipſo impoſita: hæc nullius erunt momenti, ſi abſolutionis beneficium non acceperit; ergò actus pœnitentis non non ſunt partes potentiales pœnitentiæ.

Quod deniquè non ſint partes integrales, probatur, ſupponendo primò, partes integrales eſſe in duplici differentia. Aliæ ſunt ſubſtantiales: aliæ quãtitatiuæ. Actus pœnitentis, cum in prædicamento quantitatis locum non habeant, & pœnitentia non ſit quanta quantitate molis, actus pœnitentis non poſſunt eſſe partes quantitatiuæ, pœnitentiæ. Quod non ſint partes ſubſtantiales, ſcilicèt eſſentiales; argumentor ita: partes eſſentiales ingrediuntur totius compoſitionem quidditatiuam, & eſſentialem; ac proinde aut præcedere aut ſubſequi totum non debent prioritate, aut poſterioritate temporis, ſed eſſe inſimul, & ſimultate temporis, & loci, quàm requirit rei conſtitutæ natura: ſed actus pœnitentis, aut antecedunt, aut conſequuntur pœnitentię exiſtentiam, nec ſunt

ſimul

Digitized by Google

ſimul cum pœnitentia ſimultate temporis, & loci, quam requirit Sacramentorum natura; ergò actus pœnitentis non ſunt partes integrales Sacramenti pœnitentiæ.

PROPOSITIO III.

Proponitur ſententia contraria.

Contrarium noſtræ Propoſitionis tuetur *D.* Thomas, qui vult pœnitentis actus, verè eſſe partes, & propinquam materiam propriè dictam Sacramenti pœnitentiæ Eius ſequales in fauorem ſui adducunt contra ſententiam Scoti, ſacrum Concilium Trid. Sed certè, pace eorum, Concilium Tridentinum mihi, & Scoticæ ſententiæ; non eis fauet. Propter quod ſciendum Patres Concilij Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. ita definire: ſunt quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitettis actus, nempè contritio, confeſſio, & ſatisfactio; qui quatenus in pœnitentia, ad integritatem ſacramenti, ad plenamquè, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur. Hæc Tridentinum. Tria ſunt in his pauciſſimis verbis, quæ Scoticæ ſententiæ fauent. Primum, (ſunt quaſi materia) non enim abſolutè dixit, ſunt materia. Vnde fit, vt materia non ſint: nemo enim vnquam dixit: aquam; & ablutionem eſſe quaſi materiam baptiſmi: aut chriſma, & vntionem factam in fronte per modum crucis, eſſæ confirmationis quaſi materiam: quia illa verè habent rationem materię in huiuſmodi ſacramentis; nemo neſcit, qnaſi cauſam non eſſe verè cauſam; ac proindè quaſi materiam, non eſſe verè materiam: decernit ſancta Synnodus, pœnitentis actus eſſe quaſi materiam pœnitentiæ; ergò concludit non eſſe materiam propriè dictam. Secundum obſeruandum, in verbis talis Concilij illa, (qui quatenus in pœnitente, ad integritatem ſacramenti requiruntur) modo obſeruemus accuratiſſimè; actus pœnitentis requiri ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, ſed non intrinſecam, & eſſentialem per modum partis, & materiæ, ſed tantum ad integritatem extrinſecam, quod denotatur his verbis (qui quatenus in pœnitente) certum autem eſt, ea quæ ad integritatem ſacramenti alicuius, dumtaxat in miniſtro, aut in ſuſcipiente requiruntur, non eſſe de intrinſeca neceſſitate ſacramenti alicuius; atquè ideo non eſſe partes, aut materiam: vt videre eſt in baptiſmo, ad cuius extrinſecam integritatem requiritur miniſter, habens intentionem faciendi, quòd Eccleſia facit, requiritur, & ſuſcipiens cum deuotione veniens, ſi eſt adultus. Vnde mortalium nemo dixerit vnquam miniſtrum, aut ſuſcipientem, vel miniſtri intentionem, aut ſuſcipientis deuotionem, eſſe de intrinſeca integritate baptiſmi, aut eius materiam, & partes. Idem concludamus in præſentiarum de actibus pœnitentis reſpectu pœnitentiæ. Tertium ponderandum in verbis Tridentini: (hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur) notanda vis verbi (dicuntur) non enim Patres Concilij determinant, actus pœnitentis eſſe pœnitentiæ partes; ſed dici ſcilicet haberi, & appellari: eſtquè res notatù digniſſima in toto tractatù de pœnitentia, apud Concilium Tridentinum nunquam fuiſſe ſancitum, actus pœnitentis eſſe partes pœnitentiæ; ſed vel eſſe quaſi materiam, & partes, aut dici, & haberi, ac exiſtimari partes. Videant, ergò Thomiſtæ, ſi Tridentinũ ſit pro ſententia D. Thomæ, an Scoti, & clarè videbunt Tridentinum eſſe pro Scoto.

Satisfactionem non eſſe partem eſſentialem Sacramenti pœnitentiæ, ita oſtendo. Hoc Sacramentum regularitèr præcedit tempore ad ſatisfactionem; ergò iſta nequit eſſe de eſſentia illius: quippè intelligi nequit dari actuale ſacramentum, ſine eo, quod omnes partes eſſentiales illius exiſtant. Et nullius momenti eſt, ſi dicas, nunquam dari hoc ſacramentum ſine ſatisfactione ſaltem in voto, ſeu in affectu: nam contra eſt, quod ſi ad realem effectionem ſacramenti pœnitentiæ, non ſufficit confeſſio, aut dolor in voto, non vtiquè ſufficiet ſatisfactio in voto, ſi ſemel ſtatuatur ſatisfactionem eſſe partem eſſentialem ſacramenti. Hinc patet diſcrimen inter noſtram, & oppoſitam ſententiam: iſta enim cum affirmet, ſatisfactionem eſſe partem eſſentialem ſacramenti pœnitentiæ, nullo modo poteſt dicere ſufficere ſatisfactionẽ in voto, aut in propoſito, vel in præparatione

Digitized by Google

tione animæ. Nos autem qui fatemur actus pœnitentis ſolum eſſe connotata requiſita ad conſiſtentiam abſolutionis, in qua tota eſſentia huius ſacramenti inuenitur; dicere poſſumus, ſufficere ſatisfactionem in re, vel in voto, vt dixit Scotus in 4.d.16.quæſt.1. §. hic intelligendum, verſ. ſatisfactio.

Confeſſionem non eſſe dicendam partem eſſentialem ſacramenti pœnitentiæ, etiam oſtenditur, quod in iudicio humano, non eſt eſſentialitèr requiſita confeſſio rei: ergò neque in iudicio ſacramentali. Antecedens conſtat experientia: ſæpè quippè profertur ſententia contra negantem, & ſi ſententia ſit abſolutiua, ſine incommodo profertur inaudita confeſſione partis.

Contritionem, ſeu dolorem minimè eſſe partem eſſentialem ſacramenti pœnitentiæ, ſufficientèr demonſtrauimus ſupra: Illis poteſt addi, quod cum ſacramentum in re ſit ſignum ſenſibile; partes eiuſdem debent eſſe ſenſibiles: contritio autem ſpiritualis, cum ſit ſenſibilis non eſt; ergò nec pars ſacramenti. Non me latet auctores ad hoc noſtrum argumentum reſpondere, contritionem eſſe ſenſibilem de per accidens, nimirum per actus externos pœnitentis. Facillimo negotio tamen hæc impugnatur reſponſio. Nam nullus reſtaret locus Theologis, quo rationabilitèr poſſent negare intentionem ſacerdotis requiſitam ad validitatem ſacramenti pœnitentiæ, non habere locum inter partes eſſentiales eiuſdem ſacramenti: nam tota ratio, cur non dicatur intentio Sacerdotis pars eſſentialis ſacramenti eſſet, quod talis non eſſet ſenſibilis: at dicerem ego eſſe ſenſibilem per ſigna extrinſeca facta à Sacerdote; ergò iure meritò currit paritas de contritione, & intentione. Hinc fit, quod ſi intentio Sacerdotis nequit dici pars eſſentialis ſacramenti pœnitentiæ, idem dicendum erit de contritione.

Putamus, ergò actus pœnitentis dici à Concilio partes pœnitentiæ, quia ſunt inſupplicabilitèr neceſſarij ad realem conſiſtentiam Sacramenti pœnitentiæ. Non, ergò valet: ſunt actus iſti neceſſarij ad ſacramentum pœnitentiæ; ergò ſunt partes eſſentiales Sacramenti talis. Do exemplum: in Philoſophia, ad habendum compoſitum phyſicum, eſt talitèr neceſſaria vnio intèr materiam, & formam, vt ſine illa repugnet dari compoſitum phyſicum; & tamen nullus dicet vnionem illam mediam dicendam eſſe partem eſſentialem compoſiti phyſici. Sit aliud exemplum, in Theologia docent ſubtiliores Theologi beatitudinem formalem conſiſtere in actu voluntatis, & docent non eſſe poſſibilem talem actum niſi præintelligatur actus intellectus proponens Deum; (quippè voluntas nequit ferri in incognitum, iuxta celebre dictum D. Auguſtini nil volitum quin præcognitum, & canticum poetarum; ignoti nulla cupido) cum hoc tamen docent, actum intellectus, tantum connumerari inter conditiones ſine quibus non: non autem haberè locum inter partes eſſentiales beatitudinis formalis: ita diſcurrendum iuxta principia Scoti in præſenti difficultate. Concludimus, ergò, contritionē confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe aliquid neceſſariò requiſitum ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, cum hoc tamen negamus eſſe partes eſſentiales. Concilium ergò dicit, actus pœnitentis, quaſi materiam, eo in ſenſu, quo diſpoſitiones ad introductionem alicuius formæ requiſitæ, appellantur materia, non quidem formalitèr, ſed præuiè vel concomitantèr.

PROPOSITIO IV.

Non ſufficit voluntas confitendi, & recipiendi abſolutionem, etſi peccator nullum actum habeat, qua formalitèr vel virtualitèr peccato adhæreat.

ITA inſtruunt cuncti Theologi, & colligitur ex Concilio Trid. cap. 7. & 14. vbi ad remiſſionem peccati, proprium dolorem exigit à pœnitente. Et in ſeſſ. 14. cap. 4. in fine illius capitis: quamobrem (inquit) falsò quidam calumniantur Catholicos ſcriptores, quaſi tradiderint Sacramentū pœnitētiæ abſquè bono motū ſuſcipientium, gratiam conferre, quod nunquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit &c. His in verbis indubitatè habetur noſtra Concluſio; & ſi Suarez dicat tribui Scoto in hac

Digitized by Google

in hac d.14.vbi Suarez inquit, id clarè affirmaſſe Scotum de baptiſmo: de pœnitentia verò dixiſſe, quod licèt homo accedat, parum attritus, iuſtificabitur.

Sed vt noſtrum Scotum immeritò calũniatum oſtendamus, prǽterquam quod eiuſdem Scoti innocentiam docuerit Archiepiſcopus Roffenſis, allegans ſubtiliſſimum Doctorem in 4.d.4. quæſt. & pro eodem Doctore ſubtili Andreas Vega libro 9.cap.15.citat eum in 4.d.16.quæſt.1 lit.E & d.17.lit.O. & in fine d.18 & d.4.quæſt.5 lit. C. & ibidem in vltimis verbis eiuſdem quæſt. & in d. 18. lit. A. mihi alia loca citanda occurrunt. Primus ſit ille ſolidiſſimus excerptus ex d.16. quæſt. 4. in primò art. vbi Scotus tradens definitionem pœnitentiæ Sacramenti, inquit: eſt abſolutio hominis pœnitentis, facta ſub certis verbis &c. at in definitione ponuntur eſſentialia; ergò ex mente Scoti, accedens ad Sacramentum pœnitentiæ neceſſariò debet habere actum formalem pœnitendi, & non tamen voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum. Et ne quis tergiuerſetur, quod per nomen *pœnitentis* non intellexerit Scotus peccatorem dolentem de peccato; ipſe ſibi ſit textus, & commentum: nam in 2. art.eiuſdem quæſtionis paulò ante finem, ſic inquit,explicans partes definitionis: cõgruit etiam ex parte ſuſceptiui, quod ſit pœnitens, id eſt habens aliquam diſplicentiam de peccato commiſſo. Videantur alia expreſſiſſima verba in hac q. art. 3. & ad ſolutionem ſecundi principalis: & in 4. d.21.quæſt.1.lit.E.

Quod verò de baptiſmo aſſerit in hoc eodem art. vbi inquit; ad primam ſuſceptionem gratiæ requiritur aliquis motus meritorius de congruo; ad ſecundam autem non requiritur, niſi voluntas ſuſcipiendi effectum baptiſmi. Dico Scotum loqui de duplici via per quam peccator peruenit ad iuſtificationem: vt ex verbis antecedentibus patet. Hac in parte fuit deceptus Suarez, & ſimul cum ipſo, putantes, Scotum minimè exigere dolorem aliquem in adulto reo peccati mortalis accedente ad baptiſmum: & infra Scotus exigit in hoc voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum Eccleſiæ, & ſine obice peccati mortalis. Sed quod Scotus in baptizando ſic reo exigerit motum voluntatis deteſtatiuum peccati, eſt locus apertus, in quo de hac materia tractat ex profeſſio in 4.d.4. quæſt.5. vbi,præter alia verba citata à Vega, ponderanda ſunt illa ſub lit. B. Iſte qui habet actualitèr obicem cõtra gratiam: puta infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod prius commiſit, & nullo modo ſibi diſplicet; *nullo modo recipit gratiam.* Et rurſus lit.C. ſic fatur: v. g. aliquis ante baptiſmum commiſit ſeptem peccata mortalia, & venit ad baptiſmum de ſex attritus; ſeptimum autem actu placet, vel de eo nullo modo attritur: illud ſeptimum, eſt ſolum cauſa fictionis eius in baptiſmo.

Ad verba autem huius d.14.cum inquit: Ad recipiendam gratiam per baptiſmum, non requiritur niſi voluntaria ſuſceptio eiuſdem, & ſine fictione, hoc eſt, cum intentione ſuſcipiendi; reſpondemus primò cum Vega loco cit.minimè excludere Scotum à ſuſcipiente baptiſmum aliquam attritionem, & diſplicentiam de peccato; ſed illam ſolum, quæ etiam ſine Sacramento per modum meriti de congruo foret ſatis ad tollendam gratiam: nam in via Scoti d.13.quæſt.2. lit. M. agendo de pœnitentia virtute,putat aliquam attritionem, ſumendo largo modo attritionem, ſcilicèt pro dolore de peccato, vt eſt offenſiuum Dei, meritoriam eſſe de congruo, & ſufficere ad aquirendam gratiam ſine Sacramento in re ſuſcepto: hanc, ergò attritionem non exigit Scotus in recipiente baptiſmum: ſi enim talem haberet, iam ante ſuſceptionem baptiſmi, ſuſcepiſſet gratiã; ſed exigit aliquam diſplicentiam,quæ ſine baptiſmo non ſufficeret, ſed cum baptiſmo ſufficit, & facit de attrito contritum. Hoc in ſenſu eſt loquutus Scotus in 4. d. 17.quæſt.1. lit. G. dum dicit, quod accedens ad Sacramenrum pœnitentiæ, non debet habere attritionem, ſed ſufficit ei quod non ponat obicem. Deinde dico, in ipſomet textù Scoti ſupra adducto demonſtrari aliquam diſplicentiam, debere eſſe in peccatore accedente ad Sacramentum, quodcumquè illud ſit; nam in 2. inquit: (hoc eſt, cum requiritur voluntaria ſuſceptio Sacramenti ſine fictione) ſolum requiritur opus exterius cum amotione interioris impedimenti; interius verò impe-

dimentum, non poteſt eſſe niſi peccatum, quatenus commiſſum, & non retractatum, quod amouetur quodammodo cum de eo quis habet diſplicentiam, quæ ſit ex ſe inſufficiens quidem ad delectionem peccati, ſed accedente ſacramento; perinde ſe habet ſimul cum eo, ac ſi eſſet contritio, ad quam ſequitur collatio gratiæ. Rurſus cũ paulò poſt Scotus ibidem inquit: ſed non habens talem actum, quis ſufficiat ad meritum de congruo, ſed tantum habens voluntatem ſuſcipiendi Sacramentum Eccleſiæ, & ſine obice peccati mortalis actualitèr ſibi per facto, vel in voluntate inhærentis recipit, non ex merito, ſed ex pacto effectum iuſti ſacramenti. His inquam verbis duplicem ponit obicem. Vnum peccati actualis actualitèr tunc commiſſi in receptione ſacramenti, cum ſcilicèt voluntatem mortalitèr inordinatam habet actualitèr: Alterum obicem ponit ex peccato, quatenus commiſſo, habitualitèr inhærente, cum inquit: vel in voluntate inhærentis, & ita cum requirit in ſuſcipiente ſacramentum, vt ſit ſine obice, intelligit nedum, vt actualitèr non peccat mortalitèr, ſed etiam, vt de peccato, quatenus commiſſo, aliquam habet diſplicentiam.

Ad illud verò, quod ſecundò obicijebatur, quod in ſuſcipiente ſacramentum Scotus non exigit niſi, vt homo velit illud recipere ſicut in Eccleſia diſpenſatur, & ſine obice in voluntate peccati mortalis. Reſp. cum Vega lib. 9. in Trid. cap. 15. quod dupliciter poteſt intelligi poni obicem: vel contrariè, vel contradictoriè; hoc eſt, vel actu peccando mortalitèr, vel peccatum mortale commiſſum non retractando; ſicut ſi quiſpiam, de vno extremo, ad aliud ſit tranſiturus, duplicem poteſt habere obicẽ, vel trabem, ſcilicèt in ipſo tranſitu interpoſitam, vel eam quæ hactenus erat non remouendo: ita accedens ad ſacrameutum, ſi actu habet voluntatem deordinatã mortalitèr, ponit obicem contrariè, ne gratia conferatur: ſi verò habuit hactenus voluntatem deordinatam mortalitèr, nec eam retractauit, dicitur obicem contradictoriè apponere. Et hoc ipſum innuit Scotus in ſolutione primi argumenti huius diſtinctionis, & quæſtionis in vltimis verbis. Hæc pro nunc ſufficiant de Scoti mente.

PROPOSITIO V.

Accedenti ad Sacramentum pœnitentiæ non eſt neceſſarius verus, & perfectus motus contritionis.

PVgnat hæc Propoſitio contra eos, qui negant poteſtatem clauium ſe extendere ad remiſſionem culpæ mortalis. Videatur tales apud Suarez diſp. 20. ſeſſ. 1. & nos falſitatem talis ſententiæ demonſtrabimus infra maximè ex Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi dicitur, quod attritio, de quà hactenus, & ſi ſine ſacramento pœnitentiæ per ſe perducere peccatorem ad iuſtificationem nequeat, tamen eum ad impetrandam Dei gratiam diſponit; non ergò requiritur ante ſuſceptionem ſacramenti, vt peccator accedens ad pœnitentię ſacramentum, contritus ſit. Pugnant etiam contra talem opinionem illæ rationes, quibus probatur, poteſtatem clauium extendi ad remiſſionem culpæ mortalis. Legatur noſter Pater Vega lib. 13. cap. 33. nec fundamenta eorum qui oppoſitum defendunt ſunt ſolida: nam cum dicitur contritionem ex lege connaturali gratiæ eſſe, medium neceſſarium ad ſalutem; lex autem gratiæ non deſtruit naturam, ſed perficit; ergò non abſtulit medium neceſſarium; ergò poſt inſtitutum ſacramentum pœnitentiæ, non poteſt auferri peccatum ſine vera contritione. Reſp. falſam eſſe maiorem loquendo ſimplicitèr de potentia Dei abſoluta: nam nec ex parte Dei, nec ex parte gratiæ eſt neceſſitas ſimplicitèr, vt homo conteratur, quod recipiat eam: etenim quidquid Deus poteſt mediante cauſa ſecunda, poteſt ſeipſo; ſi ergò contritio ſe habet tanquàm cauſa meritoria gratiæ, & per conſequens, vt cauſa ſecunda, quæ non eſt de eſſentia rei, imo reducitur ad genus cauſæ efficientis, vt habet Scotus in 4. d. 15. art. 2. in medio; ergò Deus ſine contritione poſſet gratiam conferre. Ex parte vero gratiæ ſi neceſſariò exigat ſuſceptiuũ, hæc eſt voluntas hominis. Verum tamen eſt quod de potentia Dei ordinata contritio eſt medium neceſſariũ ad ſalutem extra ſacramentum; non autem cum illo. Vnde hæc conuerſio ad Deum per veram contritionem iam non eſt medium ſimplicitèr

citèr

Digitized by Google

citèr neceſſarium ad ſalutem, ſed tunc ſolùm, quando non poteſt hoc ſacramentum applicari, vel quoties defacto non applicatur, vt peccatum mortale ſtatim non remittatur. Nec iuuat dicere, quod hoc ſit contra legem naturæ, ſed poſſumus inferre, quod eſt maior gratia data per meritum Chriſti exhibitum: vberior enim gratia datur ex paſſione Chriſti exhibita, quàm præuiſa, vt acutè obſeruauit Scotus in 4. d. 2. quæſt. 1. præcipuè in ſolutione ſecundi argumenti principalis; & ideo ſicut ante inſtitutionem ſacramenti pœnitentiæ, per contritionem conferebatur gratia ex meritis paſſionis Chriſti præuiſæ, ita nunc ex meritis paſſionis Chriſti exhibitæ, ſolùm attritio ſuſcipiēti ſacramentum datur gratia: & hæc diſpoſito eſt ſatis.

PROPOSITIO VI.

Vt aliquis licitè ad Sacramentum pœnitentiæ accedat, non requiritur, vt habeat contritionem excitatam virtute Sacramenti pœnitentiæ.

COnträdicunt noſtræ Propoſitioni Hēricus quol. 1. quæſt. 32. Caietanus in 3. par. quæſt. 84. artic. 3. Ferrarien. 4. contra gentes cap. 22. Iſti enim putant, contritionem quidem eſſe per ſe neceſſariam, vt licitè recipiatur hoc ſacramentum, & effectus eius; tamen aliquando poteſt ſufficere ſola attritio in pœnitente, accedente ad cōfeſſionem; non quod hoc ſacramentum iuſtificet hominem manente in eo ſola attritione, ſed perficiendo in illo ipſum interiorem motum pœnitentiæ, itaut ex attritione tranſeat in contritionem, vel perficiendo illum eundem actum, vel efficiendo, vt homo ex actu imperfecto trāſeat in perfectum.

Contra hos auctores argumentor primò ex Concilio Trid. loco cit. vbi dicitur attritionem, hoc eſt, imperfectam contritionem diſponere ad gratiam in ſacramento impetrandam: at ibi, certum eſt, quod loquitur de diſpoſitione vltima per ſe ſufficiente cum ſacramento; ergò nullo alio addito, eodem actu, inuariato manente, peccator in ſacramenti pœnitentię recipit gratiam. Nec valeat ſi dicas, diſponere quidem attritionem ad gratiam conſequendā non immediatè, ſed mediatè, ſic, quod mediante ſacramento datur homini attritio, contritio, & exindè gratia habitualis. Id enim planè repugnat verbis Concilij, nō enim dicit, ſacramentum diſponere ad impetrandam contritionem, ſed gratiam. Adde, quod Concilium loquitur de impetratione infallibili eius, quod efficacitèr ſignificat ſacramentū pœnitentię: ſed per verba illa Sacerdotalia: ego te abſoluo &c nō ſignificatur contritio impetranda, ſed ſolutio à peccatis; ergò Concilium non loquitur de impetratione contritionis. Plus adde, quod nec infallibile eſt, imo etiam neceſſarium, quod per abſolutionem Sacerdotalē detur pœnitenti mutatio talis actus: nemo enim eſt, qui huiuſmodi mutationē in ſe experiatur vi abſolutionis factam. Deinde: cum doctrina Concilij debeat generalitèr extendi ad omnes abſoluendos, multi verò poſſunt abſolui verè attriti, qui nō poſſunt ad contritionem excitari: ergò vel in eis non habet locum doctrina Concilij, quod falſum eſt; vel dicendum, attritionem per ſe ſufficere ad impetrandā gratiam, eamquè eſſe diſpoſitionem immediatam ad illam.

PROPOSITIO VII.

Accedentem ad Sacramentum pœnitentiæ, non oportet attritionem, quam habet de peccato, reputare contritionem, vt effectus conferatur.

COntrarios hac in Propoſitione habemus Victoriam in Relectione de poteſtate Eccleſiæ, quæſt. 2. Scotus lib. 2. de natura, & gratia cap. 15. & in 4. d. 18. q. 6. art. 2. in fine. Citatur etiam à Suarez noſter Pater Vega lib. 13. cap. 24. ſed mihi non videtur eſſe huius opinionis: quippè aſſerit, quod ille, qui non eſt ſufficientèr diſpoſitus ad receptionem gratiæ per confeſſionem, ſi tamen probabilitèr credat ſe eſſe diſpoſitum, conſequitur gratiam: quod ſi careat huiuſmodi probabilitate credulitatis, peccat accedendo ad Sacramentum pœnitentiæ. His in verbis non videtur velle, vt attritus ſibi perſuadeat eſſe contritum; ſed vt opinetur ſe eſſe diſpoſitum

 ea di-

Digitized by Google

ea diſpoſitione, quæ requiritur qualiſcunque illa ſit. Citat etiam Nauarrum in Summa cap. 1. num. 30. qui ſe declarat numer. 42. dicens, non ſufficere attritionem ſolam cum Sacramento ad iuſtificationem, niſi vel putetur eſſe contritio, vel ſaltem futura talis, munita calore abſolutionis ſacramentalis. Sed fortaſſe his vltimis verbis vult dicere, quod pœnitens attritus, debet ſibi perſuadere in receptione Sacramenti, attritionem fieri contritionem æquiualentèr eo modo, quo nos ſupra explicauimus.

At cuiuſcumquè ſit ea opinio non videtur vera, & benè impugnatur à Suarez aſſertione 3. vbi tenet oppoſitum, quod etiam nos putamus longè probabilius, hocquè tempore practicè certum.

Mihi videtur in via Scoti ita ſciendum, quod attritio etiam ſi ſit cognita vt talis ſufficiat cum Sacramento pœnitentiæ ad conſecutionem gratiæ; nam in hac eadem quæſtione ita fatur ſubtilis Doctor, quod attritio cum Sacramento, fit contritio. Idem tenuit etiam in 2. q. diſt. 14. 4. & in 16. eiuſdem 4. q. 1. & 17. in replica, eſt etiam ſententia S. Thomæ in locis in alia propoſitione citandis. Nunc ſufficiat hoc teſtimonium ex 3. par. q. 80. art. 4. ad ſecundum, vbi conſtituit diſcrimen inter baptiſmum, & pœnitentiam ex vna parte, & Euchariſtiam ex alia: Nam baptiſmus (inquit) & pœnitentia ſunt, quaſi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrim peccati: Euchariſtia verò eſt medicina confortatiua, quæ non datur niſi abſolutis à peccatis; ergò ex eius ſententia pœnitens eſt abſoluendus etiam ſi conſtet nondum eſſe liberatum à peccato, dummodò ſit ſufficientèr attritus: ſicut medicus debet mederi febricitanti diſpoſito ad curam.

Probemus noſtram Propoſitionem primò ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. vbi aſſignans conditiones neceſſarias eius, qui eſt attritus ad hoc, vt ſit diſpoſitus ad ſuſceptionem in Sacramento pœnitentiæ, dicit requiri dolorem de peccato, etſi ob metum gehennæ, vel turpitudinem peccati, dummodò excludatur voluntas peccandi: & ſit in eo ſpes veniæ, & ſic per talem attritionem inquit diſponi pœnitentē ad gratiam impetrandam: at cum hæc ſit dogmatica doctrina, ſi in pœnitente attrito requireretur huiuſmodi credulitas, vt ſcilicèt reputaret illam attritionem eſſe cōtritionem, hoc certè non tacuiſſet Concilium: alioquin eius doctrina eſſet mutila, & manca in re tàm graui: igitur attritio ſine huiuſmodi perſuaſione cum Sacramento pœnitentiæ eſt ſufficiens ad gratiā impetrandam. Aſſignat etiam Suarez talem rationem: exiſtimatio hæc in peccatore attrito, non eſt neceſſaria ad effectū Sacramenti pœnitentiæ ſuſcipiendum, niſi ex aliquo præcepto negatiuo dato, vt nemo accedat ad hoc Sacramentum cum conſcientia peccati mortalis ſine contritione: at nullibi eſt tale præceptum; ergò nec talis exiſtimatio in peccatore pœnitente exigitur. Maior probatur: quia talis exiſtimatio contritionis, quæ vera non eſt, non eſt niſi quidam error; ergò per ſe nihil boni affert, nec auget diſpoſitionem pœnitentis; ſi ergò requiritur, ad hoc ſolum exigitur, vt excuſet pœnitentē à culpa, quod ſine ea accedat ad Sacramentum: ſed ſecluſo hoc præcepto accedendi cum contritione, non eſt neceſſaria talis excuſatio: quia is non faciet contra aliquod præceptum. Probatur quoq; minor; Vel hoc præceptum non accedendi ad Sacramentum cū conſcientia peccati mortalis ſine contritione conſequitur ex natura rei ex inſtitutione huius Sacramenti; vel ſpecialitèr ad dictum à Chriſto Domino; Nam Eccleſia per ſe id addere non poſſet (cum ſit actus merè internus) at ex inſtitutione huius Sacramenti, non ſequitur, vt ſit neceſſaria hæc contritio: quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad ſanandos peccatores, atque ideò ad ſuſcitandos mortuos morte ſpirituali; ergò ex ſe non requirit diſpoſitionem talem, quæ ſanauerit infirmum, vel mortē expulerit, quod facit contritio, ſed talem, quæ ſufficiet, vt Sacramentum ex opere operato ſanet infirmum, & mortem expellat; ex Chriſto autem Domino emanaſſe tale præceptum, neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex aliquo decreto Eccleſiaſtico poteſt probari; ergò nullo modo datum eſt tale præceptum negatiuum accedendi ad Sacramentum pœnitentiæ cū peccato mortali ſine contritione.

Confirmatur hæc doctrina: quia accedens

Digitized by Google

dens ad baptiſmum non habet hoc præceptum, vt omnes aſſerunt: ergò nec accedens ad Sacramẽtum poenitentiæ. Cõſequentia tenet: quia vtrumq; Sacramentum eſt ad ſuſcitandos mortuos, quamuis baptiſmus totam poenam remittat; Sacramentum verò poenitentiæ non item. Accedat altera confirmatio: ex ſententia aliquorum Theologorũ præcipuè S. Thomę, Euchariſtia confert gratiam homini attrito, quando bona fide putat ſe eſſe contritum: ergò aliquod amplius habet ſacramentum poenitentiæ per ſe inſtitutum ad redimendum peccatum mortale. Nec obſtat ſi quis dicat, ſola attritio non eſt vera deteſtatio offenſæ Diuinæ; ergò non poteſt eſſe ſufficiens diſpoſitio ad gratiam ſi cognita ſit: nam dicimus, quod ſi per veram deteſtationem intelligatur perfecta, ſic concedimus antecedens; eo quod is, qui eſt attritus, non deteſtatur peccatum, quatenus offenſa Dei eſt. Sed negamus conſequentiam: talis enim deteſtatio cum ſit ſub aliqua ratione honeſta, & dono Dei habita, vt ſupponimus; ſufficiens eſt ad ſuſceptionem huius Sacramenti inſtituti ad diluendas maculas, & ſuſcitandos mortuos ſpirituales. Si verò intelligatur in Antecedenti, quod contritio non eſt vera deteſtatio, hoc eſt falſum, id negamus: nã attritus habet diſplicentiam de peccato ſub aliqua ratione honeſta, vt diximus.

Nec ſecundò obſtat, quod actuale peccatum, eſt voluntaria auerſio à Deo: ergò per ſe requirit perfectam conuerſionem in ipſum Deum: hæc autem habetur per ſolam contritionem; igitur attritus non dignè accedit ad Sacramentum poenitentiæ. Nam reſpondemus perfectam conuerſionem exigi à peccatore poenitente adhoc, vt recipiat gratiam, ſecluſo vſu, vel applicatione huius Sacramenti: quando verò applicatur Sacramentum, per eius efficaciam ex opere operato confertur gratia iuſtificans poenitenti attrito: tunc enim attritio cum Sacramento actu applicato, æquiualet contritioni ſine applicatione Sacramenti.

DISPVTATIO III.

De neceſsitate Confeſsionis.

Vtrum Confeſſio ſit de iure natarali, vel de lege ſcripta neceſſaria.

VARIÆ ſunt iuris diuiſiones breuitèr expediendæ. Primò ſumitur Ius pro legitima poteſtate obtinendi, ſeù poſſidendi rem aliquã: & primò diuiditur Ius in Ius in re, & in Ius ad rem. Ius in re eſt, quod tribuit actionem realem in rem ipſam, quamque obligatam habet quocumque transferatur; tale habet emptor in rem emptam, ſibi traditam, & acceptatam: Nam talis res, quocumque tranſit, tranſit cum onere, & obligatione, vt reſtituatur emptori. Ius ad rem eſt, quod nõ tribuit actionem realem in rem, ſed perſonalem in perſonam, ita vt perſona, & non res ipſa maneat obligata; Tale Ius habet emptor in perſonam venditoris ante traditionem rei venditæ: nam ſi res vendita, ante traditionem vendatur alteri emptori, iam emptor habebit ſolum actionem perſonalem, & Ius in perſonam venditoris, & non in rem alteri venditam, quia res ita vendita, & tradita ſecundo emptori, verè eſt ipſius, & conſequentèr primus emptor non habet Ius in hac re, ſeù in hanc rem, ſeù ad hanc rem, quod eſt habere Ius, & actionem in perſonam venditoris; Hæc diuiſio non ſolùm habet locum in rebus temporalibus, vt ſunt domus, vinea, frumentum, &c. ſed etiam in rebus incorporalibus, vt sũt officia, beneficia, &c. Nã iſta, poſt acceptationem tribuunt obligationem realẽ, & ius in re ante acceptionẽ verò tribuũt tantũ perſonalem, & Ius ad rem. Hæc diuiſio poteſt ſumi ex parte legis, ex qua oritur; & quia

quia lex eſt duplex, naturalis, & poſitiua, & poſitiua rurſus diuina, & humana. Ideò Ius erit naturale, & poſitiuum, & poſitiuum rurſus diuinum, & humanum.

Ius naturale in hoc ſenſu, eſt ipſa legitima poteſtas, quam ex lege habet quis ad rem aliquam obtinendam, vel ad vtendum aliqua re, ſicut eſt poteſtas, qua poſſum vti mei corporis membris ad finem honeſtum; Ius poſitiuum in hoc ſenſu, eſt talis poſtas mihi à lege poſitiua conceſſa, ſiuè poſitiua, ſiuè humana, in ordine ad aliquam rem obtinendam, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad vſum. Ius hoc in ſenſu, à Iuriſtis diuiditur in altum, baſſum, poſitiuum, & œconomicum. Ius altum eſt poteſtas illa, quę reſidet in Principe diſponendi de bonis ciuium in ordine ad conſeruandum, & promouendum bonum commune, cui correſpondet in ciuibus debitum ſuccurrendi ex iuſtitia legali Reipublicæ tempore neceſſitatis, & cum detrimento vitæ, & famæ, vt contingit in bello. Ius baſſum, eſt quod habent ciues in ſua bona, vt ſubordinatum cum alto Principis; nam Ius altum Principis, & Reipublicæ, non tollit Ius ciuium abſolutè in ſua bona, ſed tantùm pro tempore neceſſitatis Reipublicæ, & ideò ſolet dici Ius diminutum; ergo ciuium in ſua bona, vt connotat ſubordinationem ad Ius altũ, dicitur Ius baſſum. Ius politicum eſt publicum, nec videtur differre à Iure alto; nam eſt Ius Principis, ſeù Magiſtratus in Ciues dirigendos in vtilitatem boni communis. Ius œconomicum, eſt Ius priuatũ, quod dicitur domeſticũ, quale habet Paterfamilias in ſuam familiam, gubernandam, quod, quatenus tendit in ſeruos, dicitur Ius merè dominatiuum, & deſpoticum.

Sumitur aliquando Ius pro lege; & prima diuiſio eſt, quia Ius diuiditur in naturale, & poſitiuum: Poſitiuum, in humanum, & diuinum, humanum rurſus in Canonicum, & Ciuile.

Neceſſitas legis naturalis, diuinæ, & humanæ, ex eo probatur, quod creatura intellectualis ſola, ſit capax doli, & mali, hinc, ei ſoli imponitur legis iugum, idq; ita neceſſariè, vt ipſo creationis momento Angelica natura legem prohibitiuam ſibi imponentem, de non manducando fructum ligni prohibiti. Hinc exclamat Pſalmiſta: Conſtitue ſuper eos Legiſlatorem, vt ſciant, quia homines ſunt. Fauet etiam ratio: quia natura rationalis de ſe, eſt defectibilis, nec poteſt ſibi eſſe regula, qua dirigatur in ſuum finem: ergò indiget lege alicuius ſuperioris, dirigentis in finem; Sit altera ratio. Operatio moralis creaturæ rationalis, vt ſit bona, debet eſſe conformis alicui legi, & vt ſit mala debet eſſe difformis à lege: ergo cum poſſit creatura rationalis benè, & malè operari ex intrinſeca ſua libertate, exigit neceſſariò legem aliquam, tamquàm regulam, cui poſſit eſſe conformis in rationibus bonis, & difformis in rationibus malis.

Quamuis varia, & multiplex ſit lex, tripartitam tamen faciunt eius diuiſionem tã Iuris Conſulti, quàm Theologi. Propterea nos ſubſequentes damus propoſitiones. Incipiamus à prima, quæ agit de lege naturali.

Lex naturalis, omnium legum prima eſt, diciturq; naturalis, quia ex intellectus dictamine eſt, quam naturalem potentiam omnes admittunt. Inditam eſſe à natura cuilibet homini boni faciendi, malique vitandi cognitionem, ità vt ſine vllo Doctore, non ſolum vnuſquiſque ſciat quid ſibi faciendum, & à quibus abſtinendum, ſed etiam ad bona facienda, & mala vitanda, naturalem inclinationem, & propenſionem luculentèr docet ſacra Pagina Pſ. 4. *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona, ſignatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, &c.* quibus verbis repræhendit Pſalmiſta eos, qui in excuſationem ſuorum peccatorum ad ignorantiam confugiunt, quæ excuſatio nulla eſt: quia lumen vultus diuini (lex videlicèt naturalis) ſignatum eſt ſuper nos omnes: quia lex naturalis pedagogus eſt, ab incunabilis vnumquemque docens. Hùc refertur, quo legimus Ioannis primo: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum, nam quamuis aliqui Patrum de lumine gratiæ, hæc verba interpretentur; tamen Antiquiores, explicant de lege naturæ; Rem totam declarat Diuus Paulus Romanorum 2. *Gentes quæ legem non habent naturalitèr ea, quæ legis ſunt, faciunt eiuſmodi legẽ non habentis, ipſi ſibi ſunt lex*: quia oſtẽdunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimoniũ reddente illis conſcientia ipſo-

num

Digitized by Google

rum conſcientiæ nomine, intellectus intelligi debet, naturaliter prohibens,aut præcipie ns, quid faciendum, quiduè non faciendum ſit. Hæc lex, duplici titulo dicitur naturalis. Primò, quia præſcribitur à lumine naturali, ſeù à ratione, quæ cum ſit intrinſeca, & naturalis creaturæ intellectualis, inrrinſecè docet,& formalitèr mouet ad boni propenſionem, & mali fugam. Secundò, quia finis illius eſt fœlicitas naturalis.

Difficultant Theologi, in quò formaliter conſiſtat lex naturalis. Thomiſtæ volunt eam conſiſtere in actu rationis, quò mens humana iudicat, quid honeſtum ſit, & agendum, quid inhoneſtum ſit, & fugiendum in humanis actibus. Cæteri aiunt eſſe ipsã naturã rationalẽ,quę per ſe ſit prima regula hnman orum actuũ,vim habens dirigendi, & obligandi. Veritatem docebunt ſubſequentes propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Lex naturalis non conſiſtit formaliter in æterna iuſsione diuinæ voluntatis.

DEducitur ex Scoto in primo diſt. 26. quæſtione prima infra l. C. vbi docet, quod amare Deum eſt bonum ex ratione obiecti. Ex hac doctrina ſic argumentor. Hic amor non eſt bonus, niſi ſit conformis legi, nec odium eſt malum niſi ſit difforme legi, vt habet Scotus in 2. diſtinct. 37. q. 5. §. iſtæ rationes: ergò cum lex dans illis actibus bonitatem, vel malitiam, non ſit dependentèr à voluntate diuina, ſequitur dari legem ante Diuinam volunratẽ, quã legẽ dicimus eſſe legẽ naturalem. Secundò omnis iuſſio Dei eſt libera, & potuit non eſſe; tamen caſu, quo non daretur illa iuſſio, reliquis tamen manentibus, quædam eſſent prohibi ta, quædam præcepta à natura: Nam adhuc Deus foret honorandus, non autem inhonorandus, nec odio habendus: Mendacium non eſſet faciendum, bonum eſſet agendum, malum vitandum. Item circumſcripta omni iuſſione Dei,prudens homo iudicaret, quod omne bonum ſit amplectendum, & omne malum ſit fugiendum:ergo ante iuſſionem Dei datur lex mandans bonum eſſe proſequendum, & malum eſſe fugiendum. Item vt habet Scotus in 4. diſt. 17. quæſt.prima L.T. illud eſſe de iure naturę, verum, cuius veritas eſt nota ex terminis, & L. B. habet: Quæcumque enim continentur in ſcriptura pro tempore, quo ſunt obſeruanda, & non ſunt nota ex terminis, nec demonſtrabilia ex talibus notis, nec ſtatim conſonant talibus veris euidentèr, ſunt de iure poſitiuo. Hinc clarè patet, quod ea, quæ ſunt legis naturæ præcedunt omnem iuſſionem diuinæ voluntatis.

Obijcies in contrarium: Omnis lex naturalis debet prouenire tãquàm ab authore à libera Dei voluntate: ergò lex naturalis conſiſtit in iuſſione Dei. Negatur antecedens: quippè cum veritas illa obiectiua, in qua poſitam volumus legem naturalem,ſit abſolutè neceſſaria ſtantibus terminis; hinc illa veritas neceſſaria eſt independens à Diuina voluntate. Addo libertatem Dei in ordine ad obligationem importatam per legem naturalem, eſſe omninò impertinentem; Vndè ſi per impoſſibile Deus eſſet agens neceſſarium, non indè omnia nobis licerent. Replicabis: lex naturalis, eſt propriè lex, ſed præciſa iuſſione Dei non datur lex: ergò lex naturalis importat iuſſionem Dei. Minor probatur: nam pręciſo pręcepto de colendo Deo;lex non obligat ad colendum Deum; ergò lex neceſſariò dicit iuſſionem Dei. Conceſſa maiori propoſitione, negatur minor cum omnibus alijs in contrarium adductis. Adæquata ratio tal is negationis eſt, quia ſtatim cognita bonitate infinita rei, nequit ratio naturalis non ditare Deum eſſe amádum. Vndè lex naturalis de ſe eſt obligatiua, quod omne bonum eſt amplectendum, & omne malum fugiendum.

Sit aliud argumentum: Teſte S. Anſelmo, illud eſt iuſtum. quod Deus vult, id iniuſtum, quod Deus non vult, at obſeruantiam legis naturalis Deus vult, & illa obſeruantia eſt iuſta, ergò lex naturalis dicit iuſſionem Dei. Reſpondeo primò cũ multis Theologis Anſelmum eſſe loquutum de his, quæ pertinẽt ad ordinem gratiæ: talis non eſt lex naturalis, vndè Anſelmus nil habet contra nos. Secundò dico etiam legem naturalem volitam eſſe à Deo, non quidem quod per diuinam volun-

Digitized by Google

luntatem ponatur in eſſe,ſed dicitur volita virtualitèr pro quanto, ſcilicèt vult producere creaturas intellectuales, in quibus obſeruetur lex naturalis, & etiam quod ipſe præcipit illa, ad quem ligat lex naturalis, & vetat, quæ recta ratio naturalis prohibet: Dices: Ex Diuo Auguſtino libro 22. contra Fauſtum; peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei: ſed tranſgreſſio legis naturalis eſt peccatum; ergò eſt cõtra legem, ergò lex naturalis eſt iuſſio Dei: Reſpondeo primò argumentum debere intelligi de peccatis non ſpectantibus ad legem naturalem, Secundò dico quod lex naturalis poteſt dici iuſſio Dei, non formalitèr, ſed virtualitèr. Volo dicere, quod Deus creãs naturas intellectuales, vult ab illis obſeruari legem naturalem, quam certè habet ante omnem decretum,vt oſtendunt noſtra argumenta, facta in fauorem noſtræ Propoſitionis.

PROPOSITIO II.

Lex naturalis non conſiſtit in actu intellectus diuini.

PRobatur, quia omnis actus talis ſupponit actiones, & operationes eſſe difformes, vel conformes legi: ergò actus, quo ſcitur aliquid obligare, eſt poſterior ſaltem noſtra lege obligante. Pro complemento probationis videantur quæ dicam infra probando, legem æternam non conſiſtere in actu intellectus Diuini. Sit aliud argumentum. Si lex naturalis conſiſteret in actu intellectus. maximè eſſet, quia per intellectum debet proponi: at iſta ratio nil valet, ergò, &c. Minor probatur, quia in omnium ſententia omnis lex poſitiua requirit ad eius validitatem in actu ſecundo, vt proponatur, & promulgatur, & tamen infirmiori ſententia, promulgatio legis poſitiuæ, non eſt de eſſentia illius legis; ergò idem in caſu noſtro:

PROPOSITIO III.

Lex naturalis non eſt ipſa natura rationalis in ſe conſiderata.

PRobatur noſtra propoſitio, quia ex vulgari axiomate Doctorum, Ius naturale originem trahit ab ipſa natura: ergo ius naturale non eſt ipſa natura: quippè originans, & originatum,neceſſariò diſtinguuntur. Secundo lex naturalis eſt regula naturæ: ergò diſtinguitur à natura. Tertiò lex naturalis eſt præceptiua naturæ: at idem nequit præcipere ſibi ipſi: etenim idẽ ad ſemetipſum comparatum, nòn habet rationem ſuperioris: cum ex communi doctrina, paris in parem, nulla ſit poteſtas, ergò lex naturalis non eſt ipſa natura.

Objcies in contrarium ad Rom.2. Gentes, quæ legem non habent, naturalitèr ea, quæ legis ſunt, faciunt, huiuſmodi legem non habentes,ſunt ſibi lex. Hinc Propheta· *Quis oſtendit nobis bona*? Reſpondet. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Pſ. 4. ℞. Paulum eſſe loquutum de gentibus, facientibus opera legis naturæ, eſto legem Dei poſitiuam eadem præcipientem, non habuerint, ſicut Hębræi, vel fideles. Rurſus non dixit Paulus, conſcientiam, vel dictamen formalitèr eſſe legem, ſed reddere teſtimonium de lege, quæ obiectiuè mouebat gentiles ad faciẽdum, quod lex præcipiebat. Replicabis, Paulum dixiſſe huiuſmodi legem non habentes, ſunt ipſi ſibi lex. Reſp. per legem intellexiſſe poſitiuam, non verò naturalem. Per ly ſunt ſibi lex, intellexiſſe, quod ipſi in ſe habebant legẽ, ſcilicèt propoſitionem illam obiectiuam, qui conſciẽtiam obiectiuam, mediante qua intellectus inſtruit voluntatam, quò fit vt Paulus nũquam dixerit legem eſſe ipſam naturam: Nota, quod intellectus potius eſt ſignum, & applicatiuum legis, quam ipſa lex. Illa enim ratione, qua in ſubditis requiritur proprius intellectus, quo illis proponatur lex ſuperiòris, pari ratione neceſſarius eſt intellectus, quo proponatur lex naturalis, vndè ſicut intellectus ſubditorum, non eſt lex ſuperioris, ita intellectus noſter nobis proponens legem naturalem, eſt ipſa lex naturalis. Hinc quando lex naturalis dicitur

Digitized by Google

citur ſcripta, & impreſſa in cordibus hominum, vel in intellectu; non eſt ſenſus, quod intellectus ſit lex naturalis: nam etiã lex poſitiua data Moyſi, dicitur ſcripta in Tabulis lapideis, cum tamen tales tabulæ minimè dicantur lex in ſe, ſed tantum ſignum legis, ſic etiam, lex naturæ ſcribitur in intellectu, tamquàm in ſigno oſtendente, ſeù exprimente legem; quatenus homo. Lumine naturali poteſt inter bonum, & malum diſcernere, abſque èo, quod per vocem, vel ſcripturam proponatur. Notandum, quod intimatio, & promulgatio legis naturalis, aliud eſt nihil, quàm illud dictamen, & iudicium rationis, quo vnuſquiſque iudicat Deum eſſe colendum: Parentes honorandos: Proximos non occidendos; quare Dauid pſalm.4. interrogat: Quis oſtendit nobis bona? Reſpondet; ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, quod lumen apud Interpretes, ſignificat iudicium rationis.

Petes an poſſit aliquis legem naturalem inuincibilitèr ignorare, & conſequentèr non peccare contra illam legẽ. Mihi breuitèr dicendum, legem naturalem, quoad prima, & vniuerſaliſſima principia, v. g. vitium eſt fugiendum: *Quod tibi non vis alteri ne feceris*, nõ poſſe inuincibilitèr ignorari, quia ex terminis patet malitia oppoſita, quod etiam docet de præceptis Decalogi, v. g. quod non ſit furandum, quod ſit occidendum (niſi diuina intercedat diſpenſatio) quia ſimiles actiones etiam ex terminis ſunt contra rationem: addunt nõnulli, quod hæc eadem præcepta poſſunt ignorari prout connotant aliquas circumſtantias particulares, v.g. poſſet quis ex ignorantia inuincibili putare, quod liceat occidere inimicum, qui diurno dolore laborat, & notant caſum in quodam Ruſtico apud Patrem Vaſquez.

Petes, an lex naturalis obliget pueros ante vſum rationis? nam licèt antè vſum rationis puer non peccet, ſi occidet aliquem; cæterum difficultant Doctores vtrũ non peccet, quia excuſatur propter inaduertentiam ad malitiam homicidij? An quia verè Puer non obligetur à lege non occcidendi. Fateor ſolutionem huius dubij non pertinere ad praxim pro ipſis pueris, pro quibus ſufficiat ſcire, ille minimè peccaret, ſi ante rationis vſum operentur contra legem naturalem, ſiuè id ſit, quia non obligentur à lege, ſiuè quia excuſantur ab inaduertentijs: vt reſpondeamus; ergò in primis dico non ità facilè reperiri reſpectu puerorum antè vſum rationis omnes conditiones in lege naturali ad obligandum; Nàm licèt operatio contra legem naturalem dedeceat naturam rationalem; quæ reperitur etiã in pueris; tamen vt lex obliget, & non ſufficit, ſi prohibeat ea, quæ non dedecent ſubditos, ſed requiritur, vt intimetur ſubditis; cum igitur intimatio, qua promulgatur lex naturalis, ſit iudicium rationis, & antè vſum rationis, non potuerit Puer habere tale iudicium, ſequitur, quod non potuerit peccare ante vſum rationis. Deindè dico non poſſe conſilium dari Pueris ante vſum rationis. ad habendum homicidium, vel furtum. Ratio eſt: quia illi actus ſunt contra iuſtitiam, & in præiudicium tertij, & conſequentèr retinent totam malitiam obiectiuam intrinſecam; illud autem, quod eſt obiectiuè, & intrinſecè malum, non poſſumus procurare, & alteri conſulere, etiam ſi ille alius non peccet: quia qui procurat, & conſulit, concurrit tamquàm cauſa moralis ad opus procuratum, & conſultum, quod non poteſt fieri ſine peccato, ſi illud opus ſit intrinſecè malum.

PROPOSITIO IV.

Lex naturalis conſiſtit in propoſitione obiectiua practica, qua ſine poſitiua dependentia à lege extrinſeca aliquid denunciatur verè eſſe ſub obligatione.

Dixi, in propoſitione obiectiua, quia eſt obiectum iudicij, vel cognitionis formalis æquiualentis iudicio. Dixi practica, ſcilicèt dirigens obiectiuè ad praxim. Dixi ſine dependentia à lege extrinſeca: quia lex naturalis habet eſſe antecedentèr ad omnem decretum diuinæ voluntatis. Dixi ly aliquid ſcilicèt negatiuum, vel poſitiuum. Plenam intelligentiam iſtius propoſitionis præſtabunt, quæ dicentur de lege æterna Dei. Hinc dicentur nonnulla de lege æterna.

Digitized by Google

De Lege æterna.

NOmine legis æternæ intellectum volumus aliquod neceſſariò competens Deo, ratione cuius, aliqui actus morales habent, quod ſint præcepti, aut prohibiti, & quærimus quid ſit lex æterna.

Diuus Thomas hic, & q. 93. arbitratur legem æternam eſſe rationem Diuinæ ſapientiæ, ſecundum quam, omnium creaturarum motus diriguntur in ſuos fines. Monet ergò, quod ſicut in Deo eſt ratio rerũ creandarum, quę dicitur idea, ſic etiam eſt ratio gubernãdarũ, quæ dicitur lex æterna. Rurſus, ſicut ratio rerum creandarum nihil eſt aliud, quàm conceptus diuinæ mentis, quo concipit rem, & iudicat quomodo illa ſit facienda; ſic ratio rerum gubernandarum, ſeù lex æterna aliud non eſt, quàm conceptus diuinæ mentis, quo concipit, & iudicat quomodò vnaquæq; creatura debet ſuas fũctiones obijre. Quid nobis videatur rationabiliùs docebunt, quæ ſubſequuntur propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Lex æterna non eſt actus diuini intellectus, quo cognoſcit res eſſe debitas, vel indebitas.

PRobo: quod ſupponit legem, non eſt lex: cognitio ſupponit legem: ergò, &c. Minorem probo. Actus ſunt debiti, quia conformes legi, & ſunt indebiti, quia difformes; ergò priùs datur lex, quam ſciatur illos actus eſſe debitos, vel indebitos. Rem explico. Nos non ſcimus aliquod eſſe debitum, vel indebitum, niſi præſciamus regulam, & videamus eos eſſe regulę conformes, vel difformes; ergò prius eſt, quod detur lex, cui actus debeant eſſe conformes, antequam ſciamus actus eſſe debitos, vel indebitos; ergò de primo ad vltimum ſemper regula præhabetur antequã ſciatur actus eſſe debitos, vel indebitos: ergò conceptus regulæ, ſeù legis minimè collocandus in actu intellectus, quò ſciatur actum eſſe debitum, vel indebitum. Item, ſicut res ſe habet ad eſſe, ita cognoſcit: ergò prius eſt actus eſſe debitos, vel indebitos, quàm vt tales ſciri: At non ſunt debiti, vel indebiti, niſi pro quando conformes, vel difformes legi: ergò conceptus legis habetur ante actum, quo Deus cognoſcit actus eſſe debitos, vel indebitos. Vrgeo difficultatem: Intellectus non facit, ſed ſupponit ſuum obiectum: ergò ſicut ſuo actu non facit parietem eſſe album, ita nec obiectum eſſe bonum, vel malum. Item ſi omnes Doctores dicerent aliquod obiectum eſſe bonum, quod à parte rei eſt malum, & prohibitum, iudicium, quo ego iudicarem illud obiectum eſſe proſequendum, foret verum, & tamen per hoc nil bonitatis accederet ad obiectum. Maior patet, quia omne iudicium prudens, eſt rectum; ſed omne iudicium ſequens probabiliſſimam opinionem, eſt prudens: ergò, &c. Item comedere carnes die ieiunij; nõ ideò eſt malum, quia iudicatur malum, alioquin homines putantes non eſſe malũ, non errarent. Item ſequèretur numquam dari poſſe conſcientiam inuincibilitèr errantem, quia eo ipſo, quo operans iudicaret opus ſuum, eiuſque obiectum eſſe bonum, reuera eſſet bonum: ergò non poſſet errare inuincibilitèr. Sit aliud argumentum. Si per impoſſibile, non daretur actus intellectus in Deo, adhuc haberetur ratio, vndè actus forent debiti, vel indebiti: ergò non ſtat lex in illo actu cognitionis. Probo aſſumptum: Adhuc odium Dei foret indebitum: amor Dei foret debitus, ergò daretur lex vi cuius eſſent debiti, vel indebiti actus.

PROPOSITIO II.

Lex æterna non eſt actus diuinæ voluntatis.

PRobatur, quia lex poſitiua Dei eſt in voluntate, ergò non ita lex æterna, quæ contradiſtinguitur à lege poſitiua. Item non exiſtente in Deo actus voluntatis, adhuc odium Dei eſſet indebitum; amor debitus; ergò præhaberetur ratio, vndè illi actus forent debiti, vel indebiti; ergò cum talis ratio ſit lex æterna, deducitur legem æternam, minimè expectare ad actum voluntatis.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Lex æterna ſunt ipſemet res tum tali, vel tali veritate, & entitate. Vndè lex æterna eſt ipſamet bonitas obiectiua, vel malitia, quam habent res in ſe ipſis ex ſe ipſis.

FAuet Scotus in 3.diſt.37. Probatur ex eo, quod in hoc ſaluatur conceptus legis æternæ, & patebit ex ſolutione argumentorum. Addè, quod ideò Deus habet bonitatem moralem, obiectiuam, quia ex ſe eſt aptus, vt ametur, & ineptus, vt odio habeatur, & ideo mendacium habeat malitiam moralem obiectiuam, quia ex ſe eſt aptum, vt fugiatur, & ineptum, vt ametur. Quod lex æterna non conſiſtet in actu diuinæ voluntatis, his ſubſequentibus rationibus probatur: non exiſtente in Deo actu voluntatis, adhuc odium Dei foret indebitum, amor debitus: ergò præhaberetur ratio vndè illi actus forent boni, & debiti, vel in debiti, & mali ante actũ Diuinæ voluntatis. Vrgetur ratio, circumſcripta omni prohibitione Dei, ratio naturalis dictaret: malum eſſe mentiri, aut odio proſequi Deum: nam, & ſi per impoſſibile, Deus nil ſtatueret circa actus creaturæ, eos præcipiendo; videatur eſſe per ſe notũ ex terminis, quod indigni ſunt, ſi homo odio proſequeretur bonum infinitum, aut lignũ, vel lapidem coleret loco Dei; ſit aliud argumentum. Multa ſunt ex obiecto bona, ſecluſo omni præcepto, & cõſequentèr actus circa illos erunt boni in dependentèr à pręcepto, v. g. amor Dei in illo inſtanti, quo non teneor illum elicere: ergò ſimilitèr aliqui actus ſunt mali, eſtò à Deo non prohibeantur; Fauet Diuus Auguſtinus de libero arbitrio cap.3. his verbis. Adulterium non ideo malum eſt, quia lege vetatur, ſed ideo vetatur lege, quia malum eſt. Fauet Diuus Paulus ad Rom.2: vbi dicit: Gentes ſine lege non peccaſſe, & poſtea dicit, ea, quæ legis ſunt, feciſſe; ergò habuerunt aliquos actus ex obiecto malos, & aliquos bonos; iſta verò doctrina, foret falſa in ſententia Aduerſariorum, quia illis non eſt intimata lex Diuina, vt Apoſtolus ſupponit, nec naturalitèr in eius cognitionem deuenire poterant: quia ex nullo effectù naturali poterant cognoſcere pactũ illud, quod Deus hoc, vel illud prohibuit: ergò ſi talia obiecta non ſunt ex ſe mala, non poterant gentes malè operari, quod tamẽ Apoſtolo repugnat.

In noſtra autem ſententia facile ſaluatur eos peccaſſe, quia poterant cognoſcere aliqua obiecta eſſe diſconuenientia naturę rationali, quod ſufficiebat, vt peccarent. Item negari non poteſt, quod ante omne præceptum, mendacium magis diſpliceat Deo, quàm ambulatio, quàm omiſſio ſacri &c. Sed Authores non poſſunt oſtendere quid magis diſpliceat Deo, ſi non eſt malum ex obiecto; ergò ita dicendum. Dices in noſtra doctrina inuolui repugnantiam; etenim eo ipſo, quod aliquid diſplicet Deo, eſt contra eius prohibitionem: quia illa ipſa diſplicentia eſt virtualitèr prohibitio Dei. Hoc diſcursù vtuntur aliqui, vt explicent, quod omne malum ſit tale, quia prohibetur à Deo, ac proinde ſecluſa tali prohibitione non eſſet malum. Euaſio iſta, parui eſt momenti: quippè noſtram difficultatem reduci ad quæſtionem de nomine, quatenus nomine prohibitionis intelligunt diſplicentiam, quæ neceſſariò eſt in Deo, cum nos in præſenti ſolum agamus de libera Dei prohibitione. Vndè ita argumentor: ſicut ſe habet diſplicentia ad prohibitionem, ita complacentia, ergò præceptum; ſed non eſt idem aliquid placere Deo, & id à Deo pręcipit formalitèr, aut virtualitèr, vt patet: ergò non eſt idem aliquid diſplicere Deo, & id à Deo prohiberi. Secundò peccata merè poſſibilia diſplicent Deo, & tamen non eſt lex à Deo data, quæ prohibeat peccata merè poſſibilia. Tertiò in creaturis non eſt idem, aliquid diſplicere homini, & id ab homine prohiberi, ergò idem in caſu noſtro.

Obijcies. Lex æterna ex cõmuni Theologorum, eſt aliquid ipſius Dei, ergò non conſiſtit ipſis rebus. Reſpondeo, legem æternam dici aliquod ipſius Dei, quatenùs Deus intuetur actus in ſe obiectiuè bonos, vel malos; non tamen conſiſtit, vel in actù intellectus, vel in actu voluntatis. Replicabis Sanctus Auguſtinus lib.1. De libero arbitrio cap.5.& 6.& lib.5. De ciuitate Dei cap.11. dicit, legem æternam eſſe rationem Diuinæ mentis, quà cuncta gubernantur,

& ordinantur, ergò &c. Reſpon. Auguſtinum fore intelligendum iuxtà reſponſionem datam argumentorum. Sit altera obiectio: omnis actus, ideo malus, quia prohibitus; ergò lex æterna non conſiſtit in actibus, vel bonis, vel malis ex propria natura. Antecedens patet ex Sancto Auguſtino, & communi Patrum conſensù dicentium, peccatum, ideo tale; quia contra legem. Reſpondemus, dari aliquos actus, quorum malitia, vel bonitas petenda venit à conformitate, vel difformitate à lege. Et de his loquuntur Patres. Tamẽ ſunt actus aliqui ex ſe intrinſecè mali, & aliqui actus ex ſe boni; vndè odium Dei eſt malum, & ſi nulla daretur poſitiua lex, prohibens, & amor Dei foret bonus. Odium ergò Dei, de ſe habet malitiã obiectiuam, & amor Dei bonitatem obiectiuem. Aliud argumentum; lex æterna eſt vna: bonitates obiectiuę, ſicut, & malitiæ, ſunt plures: ergò in iſtis non ſtat conceptus legis æternæ. Reſpondetur Antecedens eſſe falſum. Concedo, ergò legem æternam plurificari. Moneo tamen dici cõmunitèr legem æternam eſſe vnam: quia communius putatur talem legem conſiſtere in actù intellectus tantùm, vel in actu voluntatis tantùm, vel in ambobus; & nos neutrum ex his dicimus; ergò tale dictum nil habet contra nos. Legem æternam ſubſequitur lex poſitiua. Eſt ergò de iſta agendum.

De lege poſitiua, & quid ſit.

LEX varijs modis deſcribitur Clemens Alexandrinus lib. primò ſtrementum ſub fine, ita dicit: Lex eſt recta ratio, quæ iubet ea, quæ ſunt facienda, prohibet autem, quæ non ſunt facienda. D. Thomas prima ſecundæ quæſt. 90. Art. 5. ita dicit: lex eſt quædam rationis ordinatio ad bonum commune promulgata ab eo, qui curam Ciuitatis habet. Nos illam deſcribimus: lex poſitiua, eſt ordinatio iuſta, quæ fit, & intimatur communitati in bonum cõmunitatis à ſupremo Principe, & habet perpetuitatem, cum voluntate obligandi ſubditos.

Dicitur iuſta: quoniam anima legis æquitas eſt, iniuſtaquè lex, nequaquam nomine legis, digna eſt.

Dicitur intimata: quia ſi non promulgetur iuridicè, & ſufficitèr, non obligat: quia nemo dicitur facere demeritoriè contra legem omnimodè ignotam, & ignoratam. At ſinè promulgatione, ignoratur lex: ergò neceſſaria promulgatiò. Item ex communi Doctorum, ignorantia inuincibilis excuſat à peccato; ergò non obligat lex, niſi promulgata. Item nil volitũ, quin præcognitum, ergò nemò peccat contra legem, ignorata lege.

Petes, quomodo ſe habeat promulgatio legis ad obligandum? Puto eſſe conditionem ſine qua non, & puto, quod ſe habet ſicut approximatio ſtuppæ ad ignem, vt comburatur; ſicut etiam ſe habet cognitio in ordine ad actum voluntatis. Moueor adhoc: quia omnia poſſunt ſaluari dicendo promulgationem eſſe conditionem ſine quà non.

Petes, an promulgatio ad legem poſitiuam ſit neceſſaria ex inſtitutione, vel ex natura rei? Reſpondeo eſſe neceſſariam ex natura rei. Primò, quia de ratione legis eſt eſſe regulam: & nulla regula obligat niſi cognita: ergò cum per promulgationem cognoſcatur lex, promulgatio erit neceſſaria, ex natura rei. Secundò lex includit rationem præcepti, & oblibationis ad aliquod agendum, vel prætermittendũ: at ratio præcepti expoſtulat cognitionem: ergò lex deſiderat promulgationem ex natura rei.

Petes, an ad promulgationem legis humanæ ſit neceſſarium promulgationem fieri ſollemni ritù? Pater Beccanus partem tuetur affirmantem; Hinc infert, non ſufficere ad vigorem legis, ſi Pontifex, aut Imperator in Senatù coram ſuis Conſiliarijs proponat, & explicet ſuam voluntatem. Placet opoſita ſententia. Prima; quia; tota ratio cur promulgationem deſiderat lex, eſt vt cognoſcatur: & etiam per promulgationem priuatam, & non ſollemnem, habetur ſcientia de lege: ergò illa ſatis eſt. Facit ad hoc, quod ſciens quis factam aliquam legem à Principe, tenetur illi legi, etſi minimè ſciat talem legem promulgatã ritu ſolemni; ergò non eſt neceſſaria illa ſollemnitas.

Sunt qui opinãtur promulgationem legis eſſe de legis quidditate. Fundantur in diuerſis textibus, quibus annuitur, leges inſtitui cum promulgantur: ergò videtur

pro-

Digitized by Google

promulgationem minimè eſſe conditionē ſine qua non. Reſp. eos Textus fore intelligenda, non de lege in ſe: nam iſta ſupponitur ad promulgationem; loquuntur, ergò de lege in actù. Secundò, quod eſt dicere, legem non obligare, niſi promulgetur, quà etiam ratione ſolemus dicere, ignem nequaquam combuſturum ſtuppā, niſi media approximatione. Addunt aliud argumentum; Lex, vt talis, dicit obligare: non obligat, niſi, vt promulgata; ergò promulgatio facit ad conceptum quidditatiuum legis. Reſpondemus, dari duplicem obligationem, & duplicem efficacitatem. Vna dicit actum primum, altera actum ſecundum. Hunc ad argumentum dico, quod lex quo ad actum primum habet in ſe efficacitatem, & vim obligandi, tamen in actù Secundo non obligat ſine promulgatione, nec tamen indè infertur aliquid contra nos: etenim ignis de ſe habet poſſe comburere ſtuppam, quam tamen minimè comburet ſinè approximatione, quocirca dico Phyloſophandum de promulgatione legis, ſicut de approximatione ignis ad ſtuppam.

Volumus etiam promulgationem, & intimationem legis faciendam toti communitati, vt obliget particularem perſonam; quare ſi Franciſcus, quià Princeps deſtinatur ad promulgandam legem, operaretur contra legem, antequam illam promulgaret communitati; non peccaret contra legem, & conſequentèr nec incurreret pœnas legis coniunctas. Ratio eſt: quia lex non obligat Petrum, vt Petrum, ſed, vt partem talis communitatis; ergò debet lex obligare, & conſequentèr intimari communitati, vt intelligatur obligare Petrum:

Dicitur (communitati) quia ordinatio facta perſonis particularibus non eſt lex, ſed præceptum. Conſentiūnt Doctores in hac parte. Petes tamen hic, quæ nam communitas ſit capax legis. Dico breuitèr eſſe illam ſolam hominum collectionem, in qua exercetur dominiū iuriſdictionis: quia cōmunitas capax legis, eſt cōmunitas perfecta; non eſt autem perfecta ſine dominio iuriſdictionis, quia ſinè tali dominio non eſt ſibi ſufficiens, vt loquitur Ariſtoteles Primò Politicorum cap. 1. Videatur Salas diſp. 1. de legibus, ſeſſione 7. nu. 46. Hinc eſt, cum familia alicuius non ſit capax legis, nec etiam ordinationes factæ à Domino ſeruis, ſunt leges: quia in ea familia nō eſt dominium iuriſdictionis, ſed ſolum æconomicum, vt cum cæteris docet Suarez lib. 1. cap. 6. numer. 20. e contra Ciuitas, immò Collegium aliquod, vel Domus religioſa, eſt capax legis: quia in illis eſt dominium iuriſdictionis.

Dicitur in bonum communitatis, quia lex tollit libertatem, & libertas ſine cauſa, ac pro inde ſine vtilitate non poteſt tolli, vndè meritò Ariſtotiles lib. 4. Hæticorum cap. 1. dixit leges ad Rempublicam eſſe ordinatas, non Rempublicam ad leges; Hinc ſequitur, quod ſi alicui conſtaret inutilitas legis, non teneretur illam obſeruare præciſo ſcandolo: quia ſi eſt inutilis, non eſt lex, immò ſi ſit ſcandalum, peccat quidem contra Charitatem prohibentem ſcandala, ſed non contra legem illam, ac proindè nō incurreret in cenſuras, & pœnas legis, licèt peccaret contra Charitatem.

Dicitur à ſupremo Principe. Et in primis debet eſſe Princeps, ſeù ſuperior, quia lex habet vim aliquam directiuam præcipiendo, & prohibendo, itemquè coartiuam, reos puniendo, quod tantùm à ſuperiore mandari poteſt: quoniam ex communi regula iuris; Paris in Parem, nullus eſt inferior. Vnde etiam ſtatuuntur leges, & declarantur per modum imperatiuum: tale quid fiat, vel non fiat. Debet habere publicam poteſtatem: quia perſonæ publicæ eſt, vt eius hominis apud quem ſit publica authoritas leges condere, quæ ſubiectos obligent. Vndè licèt Pater ſit ſuperior ratione filiorum; tamen Ius condendi leges non habet: quia non eſt pœnes eum publica authoritas.

Dicitur habere perpetuitatem. Hic notandum, quod poteſt facere duplicem ſenſum. Primus eſt, vt nunquam lex deficiat; & hic ſenſus eſt falſus: quippè lex diuina vetus, de facto ceſſauit; Item Principes, eorumquè ſucceſſores ſepè tollunt legem prædeceſſorum, & conſuetudo continuata contra legem, abrogat legem. Secundus, & verus ſenſus eſt, legem eſſe perpetuam, quatenus non ceſſat, niſi reuocetur à legiſlatore, eiuſquè ſucceſſore, vel euadat inutilis, ac pro indè non ceſſat prçciſè per mortem legiſlatoris, vel per remotionem ab officio:

Digitized by Google

officio: quare iuxta hanc explicationẽ habet lex triplicem perpetuitatem, vt benè ponderat Suarez libro 1. cap. 10. Primam ex parte legislatoris, quatenus non ceſſat lex per illius ceſſationem. Secundam, ex parte ſubditorum; quia lex fit communitati, & communitas non ceſſat in qua alij, & alij ſuccedunt. Tertiam ex parte temporis, quia non definit tempus, ſed obligat, donec reuocetur, vel euadat inutilis.

PROPOSITIO PRIMA.

Lex poſitiua conſiſtit in actu voluntatis.

SVnt, qui pntant, dicere actum intellectus, ita communis Thomiſtarum. Alijs placet vtrumquè actum importare; nos ſumus in voto, quod conſiſtat formalitèr in actu voluntatis. Ita Scotus in 3. diſt. 37. quæſt. 1. & in 2. diſt. 6. qu. 1. Fauet ſcriptura, quæ ſermonem faciens de lege, eam ſupponit ſedem habere in voluntate; Hinc illud Matth. 7. qui facit voluntatem Patris mei, ideſt, qui obſeruat eius legem; hinc illud Vlpiani: quod Principi placuit, legis habet vigorem; hinc id pſalmi 18. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Hunc ita: Placitum, eſt actus voluntatis, ergò cum lex ſit placitum, ſpectabit ad voluntatem; hinc illud Matth. 6. Fiat voluntas tua. Item ad aures Phyloſofi, lex eſt ciuitatis conſenſus, & ex Platina, decretũ, eſt lex, & ex Vlpiano libro primò de conſtitutionibus, Placitum Principis, eſt lex. Nunc ita argumentor: conſenſus, decretũ, & Placitum ſpectant ad voluntatem, ergò cum in illis conſiſtat lex, dicendum eſt legem eſſe actum voluntatis.

Sit aliud argumentum. Lex dicit libertatem: at libertas eſt actus voluntatis, ergò lex eſt actus voluntatis; Item peto de actu, in quo aiunt conſiſtere legem; vel eſt actus antecedens actũ voluntatis, vel ſubſequens; non primum: quia talis eſt denudatus ab omni libertate, & lex dicit libertatem; non ſecundum; quia habito decreto, quo Princeps imperat aliquod eſſe faciendum, vel prætermittendum, habetur conceptus legis: ergò ſine neceſſitate recurritur ad actũ ſubſequentem actum voluntatis. Item nemò obligatur ad faciendum quidquam ex eo, quod Princeps cogitat tale eſſe bonum, vel indicet ita faciendum, ſed tantum obligatur ſubditus, quando Princeps imperat id faciendum: ergò lex dicit imperium: at imperium, vt pro nunc ſuppono, ſpectat ad voluntatem, ergò & lex. Item lex, & regula ſunt idem: at regula eorum, quæ fiunt ab inferioribus, eſt ſuperioris voluntas; vndè Anſelmus libro vnico de voluntate, Tomo 3. ait; tunc hominis voluntatem eſſe bonam, iuſtam, & rectam, quando vult homo id, quod Deus vult eum velle, ergò lex eſt actus voluntatis.

Dices incontrarium, quod in pſ. 18. legitur: Præceptum Domini lucidum &c. at lux eſt intellectus, ergò lex eſt intellectus. Item pſ. 118. *Lucerna* pedibus meis verbum tuum: at lucerna eſt actus intellectus, ergò, & lex. Item Ariſt. 10. æticorum ait, legem eſſe ſermonem ab aliqua prudentia, aut mente profectum; ergò cum omnia iſta dicant actus intellectus, dicendum idem de lege. Reſpon. ad omnia iſta eſſe vera præſuppoſitiuã, non verò formalitèr, vt clarius explicabimus infra. Replicabis, lex, eſt opus prudentiæ, at prudentia eſt intellectus, ergò, & lex. Reſpondit legem eſſe opus prudentiæ, quatenus, ſcilicèt debet eſſe conformis prudentiæ; prudentia ergò eſt directiua legis, non tamen ipſa lex; ergò etſi prudentia ſpectat ad intellectum, non ita lex. Replicabis, lex eſt præceptum, & iuſſio ſuperioris: at intellectus eſt qui præcipit: ergò &c. Negatur minor.

Aliud argumentum. Lex conuertitur cum imperio: intellectus imperat, ergò lex ſpectat ad intellectum. Negatur minor: quippè ſuppono ex Tractatis de actibus humanis, quod imperium ſit voluntatis.

Aliud argumentum. Lex eſt ordinatio: at ordinatio eſt intellectus, ergò. Reſpon. maiorem eſſe verã de ordinatione ſpeculatiua, non verò pratica; nam prædeſtinatio eſt ordinatio &c. tamen eam dicimus actum voluntatis: voluntas ergò ſuppoſita cognitione boni, & mali, finis, & mediorum, ordinat bonum amplectendum, malũ fugiendum &c.

Petes, quis nam ſit actus voluntatis, in quo collocamus conceptum legis. Reſpondeo eſſe actum illum, quo legiſlator vult obligare ſubditos ad hæc, vel illa facienda, vel omittenda.

Volu-

Digitized by Google

Volumus tamen legem neceſſariò etiã importare, ſeù ſupponere actum intellectus. Patet ex eo, quod voluntas potentia cæca cum ſit, minimè fertur in incognitum: ergò, vt aliquid imperat, neceſſariũ eſt præire cognitionem talis rei. Hinc illud Poetæ. Ignoti nulla cupido. Habet, ergò ſe hic actus intellectus, vt conditio ſine quà non. Reſtat nobis modò proſequendus diſcurſus de lege poſitiua diuina tam veteri, quam Euangelica.

Præmitto nos nomine legis veteris nil aliud intelligere, quam collationem plurium præceptorum à Deo inſtitutorum ad conſtituendam vnam ſpecialem religionẽ, in qua Deſts coleretur. Et idem dicendum de lege moderna, ſcilicèt Euangelica. Dixi à Deo inſtitutorum: quia Deus ipſe fuit author, & conditor legis væteris, quamuis miniſterio Angelorum ea lex fuerit ordinata, & data Moyſi. Nota, legis Moſaycæ præcepta, alia eſſet moralia, alia cæremonialia, & alia iudicialia. Moralia, quæ dirigebant mores in ordine ad amorem Dei, & proximi, ſunt præcepta primæ, & ſecũdæ Tabulæ. Cæremonialia, erant illa, quę docebant vſum cæremoniarum ad cultum veri Dei ordinatur. Iudicialia deniquè docebant modum, quo ſubditi cum ſuperioribus; & è contra, ſe gerere deberent. Poſt mortem Chriſti ceſſauit lex Moſayca. Patet ex ſcriptura ad hæbreos 9. ad Rom. 6. & 7. Nec valet ſi dicas, promiſiſſe Deum illam legem futuram æternam, nec quod inter Chriſtianos exercitium multarũ cæremoniarum, quæ in veteri lege vigebant, vt patet de ſolutione decimarum, dedicatione templi, & cætera de facto vigeant. Nam Reſponemus, quod (ly) æternum) in primo loco accipitur pro longo tempore: cæremoniæ illæ non obſeruãtur vt leges Moſaycæ, nec vt erant futura ſigna, figurantia Chriſtum, & Eccleſiam, ſed potius vi conſuetudinis, & ſtatuti Eccleſiaſtici. Dices: præcepta moralia de facto obligant; ergò obligatio veteris legis quoad omnes partes non ceſſabit. Diſt. antecedentis ſit ſatis dicendo obligare, quia per nouam Chriſti legem ſunt præcepta, non obligare verò vi præcepti veteris legis. Addimus non ceſſaſſe legem veteram in punto mortis Chriſti, benè tamen poſt ſufficientem Euangelij promulgationem. Prima pars indè probatur: Noua lex non fuit introducta, vniuerſalitèr loquendo, ante illius promulgationem ſufficientem; ſed non fuit promulgata in morte Chriſti, ſed potius in die Pentecoſtes poſt Chriſti mortem, ergò non obligabat in pũto mortis Chriſti. Subinfero: at non ceſſauit lex vetus, niſi poſt ſufficientem promulgationem nouæ legis, ergò non ceſſauit in punto mortis Chriſti. His ſtantibus ſit.

PROPOSITIO II.

Lex Diuina Euangelica eſt nobilior Moſayca, præceptorum paucitate, gratiæ abundantia, ſpe Celeſtis promiſſionis, quia eſt lex amoris, altera verò timoris.

CVM per mille Annos manſiſſet Populus Dei, immò vniuerſus mundus ſub ſola lege naturali, tandem placuit Deo legẽ ſcriptam tradere ſub legiſlatore Moyſe, qui erat Dux, & Princeps Populi Iudaici. Hæc autẽ lex (vt ſupra obſeruauimus) cõtinebat tria præceptorum genera: cæremonialia, quæ ad diuinum pertinebant cultum: Iudicialia, quæ ad regiminẽ Populi ſpectabant: moralia, quæ in Decalogo continentur, & ad mores ſpectant. Tranſactis alijs bis mille annis, placuit Deo mittere Chriſtum legiſlatorẽ, qui ex parte Dei irritam faciens præcedentem Moyſis legem quantum ad cæremonialia, & iudicialia, ſolam retinuit moralem Decalogi legem, eamquè adhibitis quibuſdam ad maiorem perfectionem tendentibus, nobis ſeruandam impoſuit, quia morienti Moſaycæ legi ſucceſſit lex Euangelica, orta eſt non minima contentio, quænam ex his duabus ſit perfectior, & facilior.

Tandem nos in fauorem noſtrum, legẽ Euangelicam præferendam eſſe legi Moſaycæ iudicauimus, & iudicamus multiplicibus adductis rationibus, quarum prima deſumitur ex multiplicitate præceptorum legis Moſaycæ, & paucitate mandatorum legis Euangelicæ: nam prætèr decem Decalogi præcepta, habebat lex Moſayca ad ad minus ſexmillia alia, quę aut in cõſcientia obligabant ad peccatum mortale, aut certè ad grauiſſimas temporales pœnas: lex verò

Digitized by Google

verò Euangelica, illis omnibus reiectis, ſolum Decalogũ imponit, ſuperaditis quibuſdam Sacramentis facillimis, & alijs traditionibus, quæ ſunt in numero pauciſſimo; de lege Euangelica loquimur, dum ſub Chriſto naſceretur, & ſub Apoſtolis formaretur; excludimuſq; Pontificias, quæ ad legem Euangelicam non ſpectant, idcirco non dicuntur Diuinæ.

Secunda deſumitur ex defectù gratiæ, quam Deus tempore legis Moſaycæ negabant, & eiuſdem gratiæ abundantia, quam in Euangelica lege in modum diluuij abũdantèr effundit Deus. Hinc Ioannis primo. *Lex per Moyſem data eſt, gratia autem, & veritas per Chriſtum facta eſt.* Non quod antiqui Patres, tàm ſub lege naturali, quã Moſayca viuentes, omninò diuina priuarentur gratia, ſine qua, nec legem adimplere, nec per eam mereri vitam æternam poterant, ſed quia tã modica erat illa gratia, & tam grauis lex illa, vt dicere potuerit Diuus Petrus Act. 15. Pondus, quod neque Patres noſtri, nec nos portare potuimus, & D. Ioannes: lex per Moyſem data eſt, ſuppreſſa omninò gratia, quomodo ſolemus dicere homines illos ſine anima eſſe, qui ita corporei ſunt, vt eis anima pro ſale dumtaxat data videatur. Euangelia autẽ lex ex Cæleſtibus catharactis apertis, ſcilicèt ex corporeis Chriſti plagis, ſicut ſanguinem Chriſti cumulatiſſimè, & abundantiſſimè ebibit, ita gratiam cumulatiſſimè accepit; vndè non tam Chriſtus dicitur legis author, quam gratiæ dator.

Tertia deſumitur ex ſpe remunerationis: ſi enim totum legerimus vetus teſtamentum, promiſſiones factas Patriachis Deo amantiſſimis, vix, cui vnum reperiemus cæleſtis remunerationis Verbum, niſi valdè obſcurè, & implicitè; ſeminis multiplicationem, Regiam dignitatem, diuitias multas, tum pollicebatur Deus; at verò in Euangelica lege, tantum abeſt, vt has terrenas legamus pollicitationes, quinimò nihil prætèr mundi contemptum legimus. Totum nouum teſtamentum refertum eſt cæleſtibus pollicitationibus.

Quarta deſumitur ex timore antiquæ, & amore nouæ legis: Hinc lex Moſayca dicitur lex timoris, & ſeruitutis; Euangelica igitur lex amoris, & libertatis; ità diſertè D. Paulus Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritũ timoris, & ſeruitutis, ſed accepiſtis ſpiritum filiorum Dei, in quo clamamus, Pater &c. Tota in hoc eſt difficultas, vt intelligamus hoc diſcrimen vtriuſquè legis; nam ſi vtramquè comparamus, vix hoc cõſtabit diſcrimen: ſiquidem, in hoc videtur poſitus timor antiquæ legis, quod illius tranſgreſſor, eſſet ſub maledicto, & tranſgreſſor. Reſpondebat, æterna damnatio: at vtrumquè in lege Euangelica reperitur: nam non minus, immò plus eſt coram Deo illius tranſgreſſor, vt multiplici argumento probat Paulus Hæbreorum 6. nec minor damnatio imminet tranſgreſſori, dicente Chriſto: Itè in ignem æternum maledicti. Ea eſt huius argumenti vix, & veritas, vt ſingulas illius partes concedere cogamur; Addimus tamen, in eo deficere maiorem, quod nõ contineat omnes timoris titulos, prætermiſſi enim ſunt iſti.

Primus, lex antiqua dicitur timoris, quod cum pluralitate præceptorum habebat eamdem damnationẽ ſine debito gratiæ auxilio, qua in re, mihi liceat comparare ſtatum iudeorum, ante legem cum ſtatu eorundem poſt legem nã tempore Pharaonis, quis ſeruos ſibi faciens omnes Iudeos, præſcripſit illam certam laterum quantitatem, quam minui noluit, cum paleas illis ſubtraxerit, quæ erant vniuerſalis huius Populi querela: non enim conquerebatur antea, cum iuſſus eſt tot lateres reddere, Rege miniſtrante paleas, at verò poſt negante Rege paleas, & eo non obſtante, eoſdem lateres exigente, tam grauè onus ferre ſe non poſſe conqueſti ſunt; neque ex ea ſolum parte cum illis male agebatur; ſed quia mox, flagellis, & verberibus cædebantur: Pari modo videtur Deus tractaſſe eundem Populum ab Ægiziaca ſeruitute liberatum, cum eis legem Moſaycam præſcripſit ſeruandam ſine exibitione gratiæ, quæ eſt inſtar palearum, & quia mox, vt aliquis, alicuius culpæ notabilis reus erat, mortis pœna plectebatur, vt videre eſt in core, Datan, & Abiron, quos terra viuos abſorbuit, & mortuos inferno tradidit: nec non in his, qui propter vitulum aureum occiſi ſunt, & in his, qui cum carnes expetiuiſſent in deſerto, haberentquè adhuc eas in ore, igne de Cœlo cadente perierunt.

Non

Digitized by Google

Non ita ſe gerit Deus circa fideles in lege Euangelica: nam cum paucitate mandatorum dat abundantiſſimam gratiam, & tranſgreſſoribus dat locum pœnitentiæ, & pœnitentibus certam Indulgentiam. Secūdus titulus eſt, quod lex antiqua, data eſt populo, qui naturalem auerſionem habebat circa obſeruantiam illius legis; vndè non vnius, aut alterius hominis legitur trāſgreſſio, ſed vniuerſi populi: Propterea toties in exilium pulſus eſt, & toties Salamonis templum dirutum; Populus verò fidelis, cui lex Euangelica data eſt, hac caret auerſione, & quandam habet animi propenſionem ad legis Euangelicæ obſeruationem. Hoc argumentum mihi videtur attigiſſe D. Paulum, dum dicit antiquam legem in lapideis tabulis, legem verò Euāgelicam in tabulis cordis ſcriptā eſſe: Duritíes lapidis, duritiem Iudeorum, & difficultatem in obediendo; mollities cordis carnalis, promptam obedientiam fidelium ſignificat. Tertius tituli modus, ſub quo data eſt lex antiqua, horrorem incutit: audiebantur enim fulgura, & tonitrua, & tubarum clangores, ita vt timore perpulſus vniuerſus ille populus exclamaret Moyſi poſt diſcenſum à monte: loquere nobis, non loquatur nobis Dominus, nè fortè moriamur. Lex verò Euangelica data eſt ſub modo amicitiæ, & pacis: nam, vt nos, Deo Patri reconciliaremur, & pro tranſgreſſione legis non damnaremur, non ſolum Chriſtus, tamquam Agnus immolari voluit, ſed cauſam noſtram apud Patrem agens, exclamauit: Pater ignoſce illis: quia neſciunt quid faciunt; quæ oratio tantæ fuit virtutis apud Patrem, vt teſtatur de Chriſto D. Paulus, eum tunc fuiſſe exauditum pro ſua reuerentia. His alijſquè titulis, lex antiqua, eſt timoris, lex noua, & Euangelica, amoris.

PROPOSITIO III.

Lex Euangelica adeò eſt obſeruandum facilis, vt non ſolum ſit poſſibilis, ſed de facto obſeruetur.

HÆC eſt vna ex præcipuis controuerſijs inte Catholicos, & Hæreticos. Siquidem, hæretici dicunt legem Euangelicam, adeò eſſe difficilem, grauem, & ponderoſam, vt nemo, eam obſeruare poſſit. Contraria eſt Eccleſiæ Catholicæ ſententia, quæ primò explicanda eſt, quàm probanda. In primis, ne cum Pelagianis habeamus aliquod commune, libentèr admittimus nullum eſſe hominem, qui proprijs naturæ viribus, præcipuè vrgente tentatione obedire poſſit legi Euangelicæ, ſine ſufficienti illa gratia, quam nulli fidelium denegat Deus. Addimus, aliud eſſe ſeruare legem, aliud numquam peccare, aut mortalitèr, aut venialitèr: ea eſt enim Diuina bonitas, vt quamuis aliquando tranſgreſſores legis eius ſimus, tamen cenſeamur obſeruatores, dummodò in tranſgreſſione non perſeueremus, & ſubito reſipiſcamus, vt liquidò conſtabit cum inter alia argumenta afferemus in medium eos, qui in Sacra pagina Iuſti, Sancti, legis obſeruatores, & placuiſſe Deo dicuntur, immò, & inceſſiſſe in omnibus vijs Domini dicūtur, poſtea tamen grauiſſimè peccaſſe, ſed ſubitò reſurexiſſe, eadem refert Sanctus Paulus.

His præmiſſis, facilitatem, & poſſibilitatem legis Euangelicæ probemus contra hæreticos. Primò, quando Deus pollicetur, aliquod facturum, aliquod futurum eſt: quia quæ Deus facere, & fieri vult, ſine dubio erunt, nihilquè pollicetur Deus, quod non vouit aliquando fieri, & quod neſcit eſſe poſſibile. Subinfero: at pollicetur Deus, ſe facturum, vt eius lex adimpleatur Exec. 36. Spiritum meum ponā in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis &c. Hic textus indicat duo, nempè, nos ſine gratia, & ſpiritū Dei non poſſe obedire, placere Deo, ſed mediante illo ſpiritu, illaquè gratia, quam Deus pollicetur ſe daturum, non ſolum poſſe obedire, ſed de facto ſuam legem obſeruaturos; ergò, aut Deus mentitur, aut, & dedit ſpiritum ſuum Sanctum, & effecit in nobis, vt factores legis ſimus. Secundus quod S. Paulus dicit facile, & poſſibile; impium, & temerarium eſt dicere, impoſſibile. At S. Paulus dicit legem Euangelicam eſſe facilem, vt Matth. Secundo: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue; & Ioannis 5. Mandata eius grauia non ſunt: ergò impius Caluinus, qui durum affirmat Chriſti

iugum, & legem eius grauem, ac oneroſam.

Tertio non fallitur diuina bonitas, ſapientia, & potentia, legem ſuam eſſe grauem, & impoſſibilem? nam ſi ea impoſſibilis eſt, neque Deus potens eſt ad dandam gratiam ad illius obſeruantiam, neq; ſapiens eſt;cum ea imponat ſeruis ſuis,quę ipſe nouit non poſſe ab illis ſeruari, neque bonus; cum tirannica exactione plus exigat à nobis, quàm præſtare poſſimus, ſed certum eſt, Deum eſſe omnipotentem, & ſapientiſſimum,& optimum;ergò lex illius non eſt impoſſibilis.

Quartò affirmat S.Paulus homines quoſdam non poſſe peccare; Ioannis 4. Qui ex Deo eſt non peccat, & non poteſt;quia ex Deo natus eſt, ſed ei, qui non peccat, lex impoſſibilis non eſt, imò illam ſeruat: quia peccatum eſt tranſgreſſio legis, & omnes fideles, ex Deo ſunt, & ex Deo nati ſunt: ergò omnes fideles, ſi volunt,non peccant, non peccando non ſunt tranſgreſſores legis, legem non tranſgrediendo, illam obſeruant, in quo patet illius poſſibilitas, & facilitas.

Quintò ea eſt præceptorum, quæ nobis imponit Euangelica lex,proprietas, & natura, vt neque minus à nobis exigi poſſit, neque ſit in natura bene ducata repugnantia; ſi enim conſideremus Decalogum, in quo tota lex naturæ conſiſtit, reperiremus in prima tabula,quæ tota ad Diuinum cultum refertur, tria dumtaxat, quæ reſpectiuè cuilibet Principi,& Domino debet omnis Vaſſallus, & ſubditus, nempè fidelitatem, reuerentiam, & famulatum. Fidelitas obligat ſubditum ad hoc,vt non transferat dominium Domini ſui ad aliũ,quod exigit Deus dicens; non habebis Deos alienos coram me: Reuerentia poſtulat, vt ſubditus nihil iniurioſum, & contumelioſum dicat, faciatq; in Dominum ſuum, hoc exigit Deus dicens; Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Famulatus exigit à ſubdito, vt non ſit immemor, & ingratus de acceptis beneficijs à Domino ſuo, imò ei gratias referat, & incompenſationem, obſequium exhibeat. Hoc imponit Deus dicens: memento, vt diem ſabbati ſanctifices. In ſecunda tabula vnicum nobis imponitur præceptum affirmatiuum, nempè honora Patrẽ tuum, & Matrem tuam; quamuis innumera eſſent, ad quę nos Deus obligare poterat ſi voluiſſet. Alia verò præcepta ſunt negatiua, quæ in non agendo conſiſtunt, ſed his omnibus, nihil facilius,nihil iuſtius nihil æquius:ergò conquæri nemo debet de impoſſibilitate legis Euangelicę.

Sexto certum eſt modò non eſſe impoſſibilia, imò eſſe valdè facilia legis Euangelicæ præcepta, ſi præter ea aliquid vltra facere poſſumus, quæ ſint difficiliora, ac proindè maioris debiti apud Deum: ſed hoc certum eſt, nos poſſe facere ex Matt. 19. vbi cum dixiſſet Chriſtus: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandatum; Reſpondiſſetq; Iuuenis: hæc omnia ſeruaui à iuuentute mea, addit Chriſtus; ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: ſubinfert Textus: Ieſus autem intuitus eum, dilexit eum. Quis ſanæ mentis dicit iuuenem eſſe mẽtitum, & propter mendacium eſſe filium Diaboli,& tamen Chriſto fuiſſe dilectum, & carum, qui propterea in hunc mundum venerat, vt opera diaboli deſtrueret, ac proindè filios diaboli: Notandum inſuper in ſimplici mandatorum obſeruantia non eſſe perfectionem Chriſtianam, quod videlicet in ijs nihil ſit difficultatis nihil ardui, ſed huiuſmodi perfectionem in contemptu diuitiarum partim conſiſtere, partim in reliquis Euangelicis conſilijs, quæ cum homo præſtare poſſit, & de facto præſtat, conſtat, quod facilia ſunt mandata Dei.

Vltimo, non ſolùm legis Euangelicæ, ſed etiam Moſaycæ, quæ difficilior, & grauior erat, factores, & obſeruatores in ſac. Pagina legimus plures: ſed conſequentia valet ab eſſe ad poſſibile; ergo lex poſſibilis eſt: vndè de facto eam multi obſeruarunt. Poteramus ex lege naturali deſumere exempla.

Gen.6.Noè iuſtus,dicitur gratiam inueniſſe coram Deo,& ambulaſſe coram Domino. Iob primò deſcribitur ab ipſo Deo innocentia, Iob atque eius iuſtitia; vterq; autem, iuſtus eſſe non potuit ſine obſeruatione mandatorum Dei, tamen hic prætermittuntur à nobis, quia ſub lege naturę vixerunt. Argumentemur ex lege Moſayca, de quo Act. 15. quarè tentatis imponere iugum, quod neque nos, nec Patres

noſtri

Digitized by Google

noſtri portare potuimus. Quæ verba nõ sũt intelligẽda ad ſenſũ Caluiniſtarũ, quaſi omninò impoſſibile fuerit ſeruare legẽ Moſayam, ſiquidem phraſis ſacræ paginæ eſt dicere aliquod impoſſibile, quod niſi cum maxima difficultate fieri nõ poteſt vt Heb. 6. impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, & guſtauerunt donum Cæleſte, & poſtea errauerunt, iterum renouari per pœnitentiam. Vbi impoſſibile, ponitur pro valdè difficili, ſicut, & alibi ſæpius in hac lege qnantumuis graui, & difficili, multi fuere obſeruatores; vnum, aut alterum in medium adduxiſse ſufficiat.

De Dauide refert D. Paulus Act. 15. dixiſse Deum, inueni Dauid filium Ieſse virum ſecundum cor meum, qui facit omnes voluntates meas. Legimus de Zacc. & Eliſabeth Lucæ 1. Ibant Iuſti ambo antè Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela. In quibus verbis omne artificium adhibuit Euangeliſta, vt hos verè iuſtos declararet ea iuſtitia, quæ in obſeruatione mandatorum conſiſtit. Nam primo dicit eos eſse iuſtos, ſecuudò antè Deum fuiſse iuſtos, ſcil. non ſimulata, & ficta iuſtitia, quæ homines plerumque eludere poſset; ſed vera: & propria iuſtitia, quæ apud Deum omnia vidẽtem, laudẽ habet. Tertiò dicit eos inceſſiſse in mandatis Domini, ne quis putaret eos eſſe iuſtos ea iuſtitia, quæ ex operibus; & legis adimpletione pendet. Addit quartò (in omnibus, vt notaret eos, nè minimum quidem, aut maximum transgreſſos fuiſſe, & quia multiplicia erãt in lege Moſayca præcepta. Adde quintò eos, mandata, & iuſtificationes, ſcil. præcepta omnia, nempè cæremonialia, iudicialia, & moralia obſeruaſſe; & quia parum eſt ſeruare mandata, niſi hæc obſeruatio fiat cum hilaritate, & cordis exultatione: hilarem enim datorem diligit Deus; additur vltimo loco ſine qꝫrela, ſcilicèt ſine murmuratione aliqua, eo modo quo ſolent aliqui ſerui obedire quidem, ſed ſubmurmurando, horum enim obſequium docere Deo non poteſt; ſi hæc in ſe habent in lege Moſayca, quantam fælicitatem nobis pollicere poſſumus in lege Euangalica? ſanè, cum ſit lex gratiæ, & amoris, multò facilior erit. Hæc de lege Dei. Deſcendamus ad legem Eccleſiaſticam.

De Lege Eccleſiaſtica.

Lex Eccleſiaſtica eſt, quæ à Prælatis, & Principibus Eccleſiæ inſtituitur pro pacè, & regimine Eccleſiæ; obligatque in conſcientia, & ſub peccato. In hoc differt Eccleſiaſtica lex à Diuina, quod lex Dei immediatè a Deo ſit, lex verò Eccleſiæ, quamuis dictante Spiritu Sãcto fiat, tamen immediatè ab homine inſtituitur, vndè ab eo, tamquàm immediato legiſlatore dicitur humana, differtq; à Diuina, quod lex Dei omnia ſua præcepta referat immediatè in Deum, Deiquè gloriam, & ad meritum vitæ æternæ. Lex verò Eccleſiaſtica, & ſi habeat quædam præcepta eiuſdem generis non tamen omnia.

Debet huiuſmodi lex ab illis ſolis fieri, qui vtramque ordinis, & iuriſdictionis poteſtatem habent. Summus Pontifex, qui in gremio pectoris ſui totum ius habet, & ordinationem maximam, ſuppletq; omnes defectus iuris, & facti, quia Vicarius, & locum tenens Dei eſt, leges poteſt facere, quæ omnes obligent fideles, ita Patriarchæ, Primates, Metropolitani, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi, & Archipresbyteri, pro modulo ſuo, ſibi ſubditis, & non alijs, leges imponere poſſunt.

Hac de re nulla eſt quæſtio, inter nos, & Caluiniſtas: cum etiam apud eos Miniſtri eorum, & ſeniores, leges faciant ſingulis ferè momentis; ſed inter nos, & illos maxima eſt cõtrouerſia: Vtrũ leges Eccleſiaſticæ obligent in conſcientia, & ſub pœna peccati mortalis, & damnationis æternæ. Hæretici diſtinctione vtuntur; aiunt enim legem Eccleſiaſticam de rebus neceſſarijs obligare in conſcientia, de rebus verò indifferentibus, nullam ponere obligationem. Eccleſia verò Cattholica huiuſmodi prætermiſſà diſtinctione affirmat ſe habere poteſtatem condendi leges; quæ obligent, tàm de rebus indifferentibus, quàm neceſſarijs.

Multiplici argumento probamus hanc

Digitized by Google

Eccleſiaſticam poteſtatem in condendis legibus obligantibus in conſcientia. Primũ deſumitur à comparatione Eccleſiæ Catholicæ cum ſignagoga in Eccleſia, quæ cum Moyſe fuit, habebat Sacerdotes, & Pontifices cum hac plenitudine poteſtatis; ergò eandem habebunt Põtifices Eccleſiæ Cattholicæ. Antecedentis probatio habetur Doc. 17. *Si quis ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis moriatur homo ille, & pereat malum ex Iſrael*. Singula huius ſententiæ verba, ſingula continent argumenta, quæ Pontificiam authoritatem confirment: Nam in primis, qui Sacerdoti non obedit; notatur ſuperbia, quæ inobedientiæ baſis, & fundamentum eſt: non eſt autem ſuperbia, quę peccatum eſt, niſi in transgreſſione præcepti obligantis in conſcientia. Dicitur ſecundò inobediens, certum autem eſt inobedientiam locum non habere, vbi lex obligatoria non eſt, Tertiò vltimo ſupplicio puniendum decernit Deus non obedientem Sacerdoti; certum autem eſt neminem à Deo adiudicari morti, niſi mortalitèr peccauerit, nemo autem mortalitèr peccat, niſi vbi lex obligat in conſcientia. Quartò hic declaratur malus cum dicitur: auferes malum ex Iſrael; vel ergò eſt malus malitia pœnæ, vel malitia culpæ, non pœnæ, ergò culpæ; culpa verò eſt legis obligantis in conſcientia, transgreſſio.

Notabis præterea contra Caluinum in hac ſententia nullam fieri mentionem reſtrictionis illius, quæ in diſtinctione Caluiniana deprehenditur, nam abſolutè dicitur, nolens obedire Sacerdotis imperio; vt ſit ſenſus: Quidquid Sacerdos imperat, ſiuè illud indifferens, ſiuè neceſſarium fuerit, illud erit faciendum. Hanc indeterminationem; & poteſtatem in ſacerdotibus antiquæ legis agnoſcit, vt confirmat Chriſtus, Mat. 23. Super cathedram Moyſi, ſederunt Scribæ, & Phariſæi; quæcumq; dixerint vobis, facite; nam hæc dictio (quæcumq;) plenitudinem poteſtatis ſignificat. Probatur etiam conſequentia. Eccleſia Catholica eſt nobilior, & dignior Sinagoga, vnde & habet Sacerdotium nobilius, & nobiliſſimos Sacrdotes, quorum Princeps, & Summus Sacerdos Chriſtus: ergò conſequens eſt, Chriſtianos Pontifices, non ſolum parem, ſed maiorem habere ad condendas leges authoritatem, quæ obligent in conſcientia, quàm habuerint antiqui illi Sacerdotes.

Secundum argumentum deſumitur ex pollicitatione Chriſti facta Apoſtolis (quæ enim Chriſtus voluit firma, & perpetua in Eccleſia fore, vt manerent alta mente repoſita, primò promiſit, deindè exhibuit.) Pollicitus eſt Chriſtus daturum ſe Apoſtolis authoritatem condendi leges obligatorias in conſcientia; ergò eis aliquando hàc exhibuit authoritatem. Antecedens probatur Mat. 16. Tibi dabo Claues Regni Cælorum; quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis. Secunda Pollicitatio facta eſt omnibus Apoſtolis Mat. 18. Quęcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligati & in Cælo. Nota eſt hæc Sacræ Paginæ Phraſis, quæ ligare, vel alligare, eſt per leges, & mandata obligare. Vndè Mat. 25. Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea humeris hominum; digito autem ſuo mouere nolunt. Si Apoſtoli ligant habent poteſtatem leges obligatorias faciendi. Non leui aliqua obligatione, quæ temporalem dumtaxat punitionem exigat, ſed ſumma, & maxima obligatione, quæ eſt in conſcientia, vt colligo ex verbis Chriſti: Nam cum ait: Tibi dabo claues, & quodcumque ligaueris, &c. Alludit ſine dubio ad illa ligamina, quæ cum ferrea ſint, ſera, & claue clauduntur, & exoluuntur, hæc autem firmiores ſunt alijs ligaminibus, quæ vel Gord.ᵒ firmandum, vndè exprimitur quantum liget lex Eccleſiaſtica.

Deindè cum dixit Chriſtus: Quæcumq; ligaueritis, erunt ligata, & in Cælo; oſtenſtit obligationem in conſcientia, proindè enim eſt, ac ſi diceret, quæ vos Vicarij Chriſti ligatis, ligat & Deus; qui cum liget in conſcientia, in eadem ligabitis, & vos. Conſequentia eſt indubia, atq; conſequens, niſi Chriſtum faciamus mendacem, & diuitem in pollicitationibus, pauperem autem, & ægenum in pollicitæ rei exhibitione. Tertium argumantum deſumitur ab actuali exhibitione authoritatis in ſua plenitudine, Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus facta, quam habemus. partim Lucæ 10. Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit; partim Ioann 21.

Sicut

Digitized by Google

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.

Prioris ſententiæ intelligentia deſumi debet ex lib. 1. Regum, vbi cum populus excutere vellet iugũ ſacerdotalis dignitatis in Samuele, velletq; ſubtrahere ab obedientia illius, & regiæ dignitati ſubijci, atque hac de re conquereretur Samuel; Reſp. Deus non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos. Secunda ſententia indicat Chriſtum non fore imperpetuum viſibilem ſui populi rectorem, ac proindè alios ſubrogandos, qui eius partes, viceſq; gererent cum plenitudine poteſtatis, quam ipſe à Patre acceperat, vt ipſe oſtendit Ioannes 20. dicens D. Petro: Paſce oues meas; paſce agnos meos, & D. Paulus Eph. 4. Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autẽ Prophetas, alios verò Euangeliſtas, &c. Ex quibus ita licet argumentari: Chriſtus eandem Apoſtolis contulit, quam à Patre acceperat authoritatem, & per Apoſtolos eorum ſucceſſoribus, cum vſque ad conſumationem ſæculi ſit duratura: ſed authoritas Chriſti in hoc præcipuè conſiſtit, vt nouus homo, nouas leges conderet obligatorias in conſcientia, vt videre eſt Matt. 5. vbi propoſitis corruptionibus antiquæ legis per Scribas, & Phariſeos, introductis, addit, ſuam condendo legem; Ego autem dico vobis, &c. ergo Apoſtoli, eorumque ſucceſſores hæreditariam habent poteſtatem condendi leges, quæ obligent in conſcientia.

Quartum argumentum deſumitur ab executione poteſtatis à Chriſto acceptæ; ſiquidem ita argumentamur; nihil Apoſtoli fecerunt, quod eis non liceret: at Apoſtoli leges ſtatuerunt; ergò eis per Chriſtum licuit, quod ſi eis, etiam ſucceſſoribus. Noſtrum eſt probare Apoſtolos hanc poteſtatem habuiſſe, & leges obligatorias in conſcientia ſtatuiſſe; quo nihil eſt facilius; nam Act. 15. Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil nobis imponere vltra oneris. Quam hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab imolatis ſimulacrorum, &c. Hoc eſt ſtatutum; lexquè noua de re indifferenti, vt conſtat ex eo, quod hoc noſtro ſeculo irrita facta ſit huiuſmodi lex, & ſine peccato nunc liceat ſuffocatum, & ſanguinem, ſimulacris oblatum, manducare; tamen huiuſmodi lex Apoſtolorum tempore, & quamdiù Eccleſiæ Principibus placuit, fideles obligabat in conſcientia.

Dices fortaſſe aliquis licuiſſe Apoſtolis inſimul congregatis; & ad Concilii œcumenicum conuocatis, vniuerſalem condere legem, non tamen licuiſſe ſingulis Apoſtolis in ſua Diœceſi priuata condere leges; quæ ſuos ſubditos obligarent. Contrarium docebit D. Paulus, qui ſolus ſine alio Apoſtolorum conſenſu legem ſtatuit, & ei obedientes laudat, tamquàm id facientes, quod ſi non feciſſent, in culpa eſſent. Primò Corinth. 2. laudo vos fratres, quod per omnia, mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea teneatis, &c. & in fine eiuſdem capitis ait: cætera cum venero diſponam. Cum Apoſtoli accepta à Chriſto authoritate vſi ſunt, & habita temporum ratione, leges condiderint, liquidò conſtat poſſe paſtores eorum ſucceſſores, habita temporum ratione, & Apoſtolorum antiquare, & delere leges antiquatas reſtaurare, & innouare; necnon nouas, quæ in conſcientia obligẽt, condere, & pro nunc de lege Eccleſiaſtica. Deſcendamus nunc ad legem ciuilem.

De Lege Ciuili.

Lex ciuilis, ſeu politica eſt quæ à Principe, ſeu Magiſtrato terreno ſuis imponitur ſubditis, pro eorum pace, & bono, & obligat in conſcientia. Soli Anabaptiſtæ ſibi perſuadent illicitũ eſſe Chriſtianis Magiſtratum, atque dominium, vndè & negant licere Chriſtiano Principi leges condere; Catholici verò credunt huiuſmodi leges ciuiles obligare in conſcientia, nam reliqui falſi Chriſtiani volunt huiuſmodi leges nequaquam ligare in conſcientia, ſed dumtaxat ad pœnam temporalem impoſitam tranſgreſſoribus.

Cattholicorum ſententiam probat D. Paulus Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, quæ autem eſt à Deo ordinata eſt, itaq; qui reſiſtit poteſtati Dei, ordinationi Dei

Digitized by Google

Dei reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt, & paulò infra; ideòque neceſſitati ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Hæc vltima verba deſtruunt quemcumque errorem; nam quid eſt hoc, niſi leges politicas, & ciuiles, de quibus ibi agitur, non ſolum obligare ad iram Principis, & pœnam iræ correſpondentē, ſed ad peccatum mortale, quod in cōſciētia eſt, ſi lex iuſta eſt, & de re graui ſicut ſolemus de lege diuina dicere, eā in re graui obligari ſub pœna peccati mortalis, non autem in re leui; ſi quis ex antecedentibus D. Pauli verbis eruere velit, quæ lateut argumenta, hæc inueniet. Primum omni poteſtati, quæ ex Deo eſt, obediendum eſt in conſcientia, ſed omnis poteſtas, atque adeò ciuilis, ex Deo eſt, ergò. Valor huius argumenti, in eo conſiſtit, quod lex omnis, & ſi aliundè humana ſit, tamen Diuina eſt, quatenus omnis lex, eſt legis Diuinæ radius, & participatio; quod notauit D. Auguſtinus tacitè lib. 22. contra Fauſtum cap. 27. Peccatum eſt factum, dictum, vel concupitum contra æternam Dei legem. Secundum argumentum: Quicumque reſiſtit ordinationi Dei, peccat in cōſcientia, ſed qui reſiſtit ciuili poteſtati, reſiſtit ordinationi Dei, ergo. Tertium argumentum: legis huius tranſgreſſio damnationem acquirit tranſgreſſoribus, obligat in conſcientia: nam nemo damnatur à Deo, & æterno traditur igni, niſi propter culpam, & peccatum mortale, quod notat obligationem in conſcientia, ſed legis ciuilis tranſgreſſio acquirit damnationem transgreſſori; egò obligat in conſcientia & ad culpam mortalem. Quartum argumentum; lex quæ neceſſaria eſt, obligat in conſcientia; ſed lex ciuilis eſt neceſſaria: vndè ait Apoſtolus: Neceſſitati ſubditi eſtote: ergò lex ciuilis obligat in conſciētia. Iſtæ D. Pauli rationes reducuntur ad primam, quæ deſumitur ex eo, quod poteſtas ex Deo ſit, atque ideò omnis lex Diuina eſt. Addo ego etiam ceſſante hac ratione; & ſi per impoſſibile lex humana, & ciuilis non eſſet à Deo; & tamen æquè obli[illegible]et in conſcientia, atque nunc obligat cum ex Deo eſt: quia de intrinſeca ratione legis, eſt ligare, & obligare, vt habet Scotus in 4. diſtinctione 15. q. 2. artic. 1. lit. D. vbi vult legem dici à ligando, vt ipſa nominis notatio ſignificat; quod autem per ſe, & intrinſecè, tale eſt, etiam non ſuperueniente diuina conſideratione, tale eſt: ſicut exempli gratia; non propterea primus homo fuit rationalis, quia à Deo formatus immediatè, nec propterea alij homines minus ſunt rationales, quia immediatè à Deo non ſunt, ſed generationē ſuam debent alteri homini. His ſtantibus; nobis rationabilitèr eſt proſequēda Diſputatio de neceſſitate confeſſionis, & quo iure ſit neceſſariū.

De neceſſitate Confeſſionis.

AGnoſcunt Theologi triplicem confeſſionem cum Scot. in 4. diſt. 14. quarum prima dicitur confeſſio laudis, quà Deo benedicimus, eumquè laudamus: De ea legimus multa, tàm in veteri, quàm in nouo Teſtamento: vt confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Chriſtus Matt. 20. Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti, &c. Secunda dicitur cōfeſſio fraudis, ſcilicèt peccati, cum quis Deo confitetur; ſeque agnoſcit peccatorum, aut in communi, at ſigillatim manifeſtando ei ſua peccata, vt pſ. 50. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Tertia dicitur quoque confeſſio fraudis, cum quis non ſolum Deo, quem nullum poteſt latere peccatum, ſed etiam ſacerdoti, ſua ennumerat peccata, eaque in aurem illius inſuſſurrat ad impetrandam abſolutionem Sacramentalem, vnde dicitur confeſſio auricularis, & Sacramentalis; & de hac ſola tertia nunc dſſerimus.

Hanc confeſſionem Diuus Thomas in 4 diſtiuctione 17. q. 3. Artic. ſecundo definit, ita dicendo: confeſſio, eſt legitima, & ſacramentalis accuſatio de proprijs peccatis à Sacerdote ad obtinendam remiſſionem peccatorum per abſolutionem.

Dicitur legitima, vt ſciamus ad validitatem confeſſionis aliquas conditiones requiri, & non ſufficere quamlibet accuſationem. Dicitur Sacramentalis, quia non quælibet accuſatio facta, Sacerdoti eſt cōfeſſio, ſed ſolum illa, quæ ad Sacramentum dicit ordinem. Dicitur accuſatio: nam non ſufficit quęlibet manifeſtatio peccatorum, ſed requiritur, quod ſit per modum accuſationis: Quippè, cum Sacramentum

Digitized by Google

tum confeſſionis ſit iudicium quoddam, neceſſariò requiritur accuſatio. Dicitur de proprijs peccatis: Nam peccata aliena non debemus manifeſtare in confeſſione; vndè materia cõfeſſionis ſunt peccata propria, & non aliena dicitur facta Sacerdoti, qui iuriſdictionem habeat, vt docebat Scotus definiendo Sacramentum pœnitentiæ; Vndè confeſſio facta laico, non eſt Sacramentalis accuſatio, nec legitima; imò nec facta Clerico non Sacerdoti, vt docet Trid. ſeſſ. 14. Dicitur ad obtinendam remiſſionem peccatorum: vt per illam particulam denotetur; effectum confeſſionis eſſe abſolutè abſolutionem, & remiſſionem peccatorum. Inquirimus ergò, quò iure ſit neceſſaria iſta confeſſio? Veritatem docebunt quæ ſubſequuntur propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO. PRIMA.

Confeſſio Sacramentalis non cadit ſub præcepto iuris naturalis, ita Scotus cum ſuis, & Angelicus Magiſter cum ſuis diſcipulis.

PRobatur, ſi confeſſio ſacramentalis foret de iure naturali: ergò obligatio ad illam fuiſſet pro omni ſtatu, & tempore; ſed hoc eſt falſum: quia, nec erat in ſtatu innocentiæ, nec in ſtatu legis Moſaycæ, ergò. Suadetur etiam de ipſa loquẽdo, vt eſt medium ad ſalutem conſequendam: nam ratio naturalis non dictat nos infallibilitèr conſequi veniam per confeſſionem delictorum homini factam; Si verò intelligatur, vt quid præceptum, vt ſicut eſt de iure naturæ aperire medico corporali vulnus corporale, vt accipere poſſit remedium; ita aperire vulnus ſpirituale; etiam propoſitio noſtra habet veritatem.

PROPOSITIO II.

Confeſſio occultorum peccatorum non eſt contra ius naturæ.

PRobatur: quoniam Deus non poteſt præcipere malum: at præcipit confeſſionem occultorum peccatorum; ergò confeſſio occultorum peccatorum non eſt contra ius naturæ.

PROPOSITIO III.

Confeſſio non eſt inſtituta in lege naturæ, in qua antè legem ſcriptam, fuerunt aliqua præcepta poſitiua.

PRobatur: quoniam in ſtatu innocentiæ non opus erat remedium; & in lege naturæ poſt lapſum erant homines, vt paruuli manuducendi, & non onerandi tàm graui præcepto.

Contrarium tenent quidam apud Gloſſam in principio diſtin. 5. de pœnit. exiſtimantes fuiſſe inſtitutã Gen. 3.4. vbi Deus primum ab Adamo, & Eua, deindè à Caino confeſſionem peccati, non ſolum in genere, ſed in ſpecie, non ſolùm mentalem, & coram Deo, ſed vocalem coram Miniſtris exquirit: nam interrogationes illæ factæ ſunt ab Angelo in forma humana, vt patet ex deambulatione, & de his tractans Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 19 dicit exquiſitam fuiſſe cõfeſſionem ad delicti reuelationem, & D. Chryſoſtomus hom. 18. in Gen. D. Ambroſius lib. de Paradiſo c. 14. lib. 2. de Cain, & Abel c. 9. Greg. lib. 22. moralium c. 13. illa loca exponunt de confeſſione, quaſi Dei propoſitum fuerit exigere ab illis confeſſionem, vt confeſſionem delerent, quod trangrediendo commiſerant. Verum hinc, tantum colligitur in quibuſdam caſibus particularem aliquam, & priuatam ordinationem, vt, qui deliquerunt, excitarentur ad ſui accuſationem; & veniæ petitionem.

PROPOSITIO IV.

Confeſſio non fuit inſtituta in veteri lege.

SI Propoſitio noſtra intelligatur de confeſſione cui reſpondeat poteſtas clauium in Sacerdotibus illius legis eſt certiſſima; quia In lege illa non erant, niſi egena clementis. Si autem intelligatur de ritu neceſſario ad remiſſionem peccatorum; in qua conferebatur gratia ex opere operantis,

Digitized by Google

tis, res non eſt ita clara: Nam leuit. 5. Anima, quæ peccauerit, &c. agat pœnitentiã pro peccato, & in Hæbreo eſt verbum, quia vt inquiunt melius latinè redderetur, confitebitur apertè peccatum, quod peccauit: & apud Orig. hom. 3. in leuit. antè medium eſt: pronunciet peccatum, quod peccauit, & addit Origenes, ſi quid in occulto gerimus, ſit id in ſermone ſolum, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſſimus, cuncta neceſſe eſt publicari, cuncta proferri. Numerorum Quinto, Vir, ſiue Mulier cum fecerit ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranrgreſſi fuerint mandatum Domini, atquè deliquerint, confitebantur peccatum ſuum; in quem locum Alen. citat. quandam Gloſſam dicentem: Admonemur, vt ſi quid per negligentiam commiſſimus, per confeſſionem, & pœnitentiam deleamus, & damnum reſtituamus. Ioſuè 3. ait Ioſuè ad Achan: Filij mi, da gloriam Deo Domino Iſrael, & confitere peccatũ tuum, & indica mihi, quidquid feceris, ne abſcondas &c. Reſponditquè Achan Ioſuè: Verè ego peccaui Domino Deo Iſrael, & ſic feci &c. Prouer 12. Nouit iuſtus animas iumentorum ſuorum, ſcilicèt Prælatus animas ſubditorum ſuorum c. 27. Diligentèr agnoſce vultum decoris tui, ſcilicèt conſcientiam ſubditi c. 28. Qui abſcondit ſcelera ſua, non diligentèr, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Eccleſiaſt. 4. Non confundaris confiteri peccata tua; at tunc eſt confeſſio in confeſſione, quando eſt coram homine, & ſpeciatim. Iſaiæ 43. narra, ſi quid habes, vt iuſtificeris; &, vt habent aliæ litteræ: dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris.

Secundò principalitèr facit difficultatẽ vſus hæbreorum confitendi peccata ſua. Thomas enim Valdenſis Tomo 2. c. 136. dicit morem illam duraſſe, vſque ad Sanctum Ioannem Baptiſtam, & c. 137. in fine, dicit ſe Viennæ accepiſſe à Iudeis adhuc eſſe morem confitendi vocalitèr ſacerdoti in tribus præcipuè caſibus, ſcilicèt adulterio, homicidio occulto, & occulta blaſphemia magni Dei nominis, vel legis, & extare, etiam conſuetudinem iniungendi pænitentiam pro quolibet ſcelere per illam confeſſionem manifeſtato, & D. Antoninus 3. p. titulo 14. c. 6. §. 1. dicit, aliquos ex hæbreis benè peritos aſſerere, cum, inueniunt Sacerdotem de leuitico genere, confiteri ſe illi peccata. Aliqua circa hanc ſententiam habentur apud Patrem Galatinum lib. 8. c. 8. & lib. 10. c. 3. vbi inter alia habet: omnis, qui tranſgreſſione tranſgreſſus eſt, neceſſe eſt, vt ſingulatim explicet peccatum. Tertio, quia ſi in lege noua eſſet hoc præceprum, & non in veteri, multo grauior eſſet lex noua, quam vetus, cum tamen noua dicatur onus leue, & iugum ſuaue, & antiqua lex appelletur onus imſuportabile.

Exiſtimo temen nullum talem ritũ fuiſſe præceptum in veteri lege: quia, vt acutè notauit Scotus, ſi tale fuiſſet pręceptum, tamquam grauiſſimum, fuiſſet explicatiſſimè traditum, vt congruentia eſt; quia fuiſſet intollerabilis obligatio confitendi peccata ſua ſine poteſtate remittendi peccata. Fauet Trident: quod agit de confeſſione tanquàm primũ inſtituta à Chriſto Domino, & medio ad ſalutem neceſſariò; quare ad illa, quæ difficultatem faciebant. Reſpondeamus.

Ad illud leuit; & numerorum: Reſpondeo, vt ad illud numerorum Reſpondent D. Auguſtinus, cum Gloſſa ordinaria, & Cartuſiano, in illum locum, eſſe conſilium, vt id faciant delinquentes, antequam conuicti, grauiores luant pœnas. Ad Origenem, & Gloſſam Reſpondeo, vt ad Gloſſam Reſpendet Alenſis, non intelligere; quaſi in ſcriptura veteri ſit neceſſarium cõfiteri peccata occulta omnia; ſed eo, quia commendatur deteſtatio alicuius peccati, colligere eos, bonam eſse oculrorum peccatorum deteſtationem. Accedit, quod illorum locorum nullus interpres colligit neceſſitatem confeſſionis. Ad illud Ioſuæ; vbi nonnulli apud Gloſsam in principio diſt. 5. de pœnit. volunt eſse inſtitutam confeſſionem in veteri lege. Reſpondeo cum Alen; & Nauar; illam fuiſse interrogationem iudicialem, vt patet ex pœna: nam, vt ibi habetur, lapidatus eſt Acham.

Ad reliqua teſtimonia, multiplex eſse poteſt Reſponſio; vt videri poteſt apud Alenſam. Ad 12. Prouerbiorum, Reſpondeo ibi commendari miſericordiam iuſtorum, qui non modo hominum, ſed etiam iumentorum curam habent: nam ſubditur; viſce-

viſcera autem impiorum crudelia. Ad 27. Reſpondeo, commendari diligentiam Rectorum etiam temporalium, vt ait Ianſenius, vt videant mores ſubditorum, vt illos poſſint benè dirigere. Ad caput 28. Reſpondeo ibi non eſſe ſermonem de confeſſione rituali, ſed de confeſſione, quæ fit ad petendum conſilium ab hominibus, vel coram Deo ad petendam veniam: vbi Ianſenius notat rectè nunc, ſententiam hanc vſurpari ad inculpandam, exigendamquè confeſſionem Sacramentalem, nam ibi cõmendatur confeſſio, quam Deus exigebat, quare licèt tunc non exigeret confeſſionē Sacramentalem, cum nunc exigat Sacramentalem, vt habetur in Euangelio, ſacramentalis commendatur. Ad 4. Eccleſ. Reſpondeo cum Rabano lib. 1. in Eccleſiaſticum c. 28. & Ianſenio, ſapientem hortari correptum ab alio, non debere ſe excuſare negando delictum, ſed fateri, & admittere correctionem. Et ad Iſai. 43. Reſpondeo, Deum ibi loqui; quare excitat ad confeſſionem cordia.

Ad Secundum Reſpondeo, conſuetudinem illam fuiſſe laudabilem, non tamen fuiſſe ex diuino præcepto, & Galatinus, qui de neceſſitate loquitur confeſſionis vocalis, non loquitur ſtrictè de rituali confeſſione; non ad hoc propoſitum affert confeſſionem Achan, quæ fuit iudicialis. Addo præterea ex Auguſtino apud Alenſem, confeſſionem peccatorum fuiſſe oblationē ſacrificiorum, quæ nimirum varia erant pro peccatorum varietate; non tamen eorum, quæ in corde tantum commiſſa erant.

Ad Tertium Reſpondeo, legem noſtram eſſe onus leue: tum propter copiam gratiæ, vt adimplere poſſimus præceptum hoc: tum proptèr emolumentum maximum, cū indè reportemus remiſſionem peccatorum ex virtute clauium: tum proptèr ſecretum maximum, quod ſeruatur, de quo ſecreto non habetur aliquid in lege veteri.

PROPOSITIO IV.

Confeſſio auricularis, & Sacramentalis, eſt præcepti, medij, finis omnimoda neceſſitate neceſſaria peccatori, quærenti remiſſionem ſuorum peccatorum, & fuit inſtituta à Chriſto in lege Euangelica.

TAnti remedij neceſſitas: partim ex diuina inſtitutione: partim ex Apoſtolica promulgatione: partim ex ratione cuius ſit in Sacra Scriptura, fundamentum: partim ex praxi primitiuæ Eccleſiæ numquam intermiſſa, nobis innoteſcet. Inſtitutionem confeſſionis ſacramentalis per modum pollicitationis habemus Matth. 10. vbi Chriſtus pollicetur Apoſtolis: quæcumquè ligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlo, & quæcumquè ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cœlo. Nunc ſit tale argumentum.

Ex his verbis, ſunt Apoſtoli aliquando ſolecturi peccatores, ab ijs, ſcilicèt rebus, quibus ligabantur: ſod ſolis funibus peccatorum ligabantur, ergò à peccatis ſolui debent miniſterio Apoſtolico. Si quid eſt in pollicatione difficultatis, euaneſcit in inſtitutione per exhibitionem, quæ habetur Ioannis 30. vbi Chriſtus alloquitur Apoſtolis: quorum remiſſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Hic penſanda ſunt diligentibus multa; in primis, præmiſiſſe Chriſtum hęc verba: ſicut miſit me viuens Pater, & ego micto vos; ſed, ad quid eſt Chriſtus in hunc mundum miſſus? Reſpondet ipſe: non veni vocare iuſtos, ſed peccatores; ad quid vocat peccatores? ad remiſſionē peccatorum. Notabis, quod in condonandis peccatis, Chriſtus ſemper fuit vſus dictione, *remiſſionis*; Hinc, Magdalenæ: remiſſa ſunt ei peccata multa: Paralitico, remittuntur tibi peccata tua: cumque eodem dictione vtitur ſuorum bonorum hęredes cõſtituens Apoſtolos, dum ait: quorum remiſeritis peccata &c. Indicat Apoſtolos in condonandis, ſeu remittendis peccatis, ſuos eſſe Vicarios cum plenitudine poteſtatis. Neque eſt alia inter Apoſtolos, & Chriſtum in remiſſione peccatorū, diſcre-

Digitized by Google

pantia, quàm quod Chriſtus ſit Pontifex ſummus, ab alio independens, quàm a ſolo Deo in condonandis peccatis; Apoſtoli vero eorumque ſucceſſores, ab ipſo Chriſto dependent, vnde, & miniſtri eius appellantur. Eſt etiam alia differentia, quod cum Chriſtus omnia nouerit; non indiget peccatoris vocali confeſſione, at verò ſacerdos, qui ſcrutare corda, & renens non poteſt, cogitur exquirere à pœnitente ſuorum manifeſtationem peccatorum, vnde nata eſt confeſſionis neceſſitas: nequè enim Iudex de ſe ſibi incognita, ſententiam ferre poteſt.

Non vocat miſterio dixiſſe Chriſtum: accipite Spiritum Sanctum: ſiquidem peculiari quadam ratione tribuunt Theologi Spiritui Sancto hominis iuſtificationem, quæ formalitèr includit peccatorum remiſſionem. Replentur Apoſtoli Spiritù Sancto, vt peccata remittant; ne quis dubitet de validitate remiſſionis, immo, quod magis notandum eſt, vt nouerit vnuſquiſquè, ſicut abſque Spiritù Sancto, impoſſibile eſt remiſſionem peccatorum obtinerè, ita impoſſibile eſt habere ab eodem Spiritù Sancto remiſſionem, niſi nobis ea concedatur in ſacramentali confeſſione.

Promulgatio Apoſtolica, eaque autentica valde habetur in Epiſt D Iacobi in calce. Confitemini alterutrum paccata veſtra, & orare pro inuicem, vt ſoluemini. Ridendi ſunt hæretici noſtri, qui cum non poſſint hic interpretari confeſſionē de confeſſione laudis, admittunt hic quidem agi de peccatorum confeſſione politica, ciuili, & humana, quà, qui grauiſſima commiſere peccata, ex quadam mentis inquietitudine, &, vt remurmuranti conſcientiæ perpetuum imponant ſilentium, amicis manifeſtant veritatem gemebundi, vel etiam adeunt viros doctos, vt conſulant, quid opus ſit facto in tanta opportunitate. Sed Catholici multo verius de Sacramentali, & auriculari confeſſione intelligunt Apoſtoli verba, idquè ex ipſa litera colligitur. Notanda Apoſtoli induſtria, quà dictante Spiritù Sancto, confeſſionem, & orationem inſimul copulauit, quaſi velit ſic argumentari: eſt in Eccleſia Dei duplex oratio: nā præter priuatam, & ſingularem, eſt alia ſolemnis, quæ omnibus interdicitur Chriſtianis, & ſolis demandatur ſacerdotibus, qui non ſolum pro ſe ipſis, ſed pro vniuerſo populo ſibi commiſſo, ſuas fundunt coram Deo preces: ergò, & duplex erit in Eccleſia Dei confeſſio, & præter politicam, ciuilem, humanam, ſeù per modum conſilij petendi confeſſionem, quæ indeterminatè ſingulis fidelibus fieri poteſt, erit alia confeſſio ſolemnis, auricularis, & ſacramentalis, ſoli facienda Sacerdoti, qui ſolus remittere peccatum poteſt.

Eſt apud Scotum valentiſſima ratio pro neceſſitate confeſſionis, qua duplici innititur fundamento; quorum primum eſt, à Chriſto inſtitutam confeſſionem ſacramētalem, tamquàm certiſſimam viam ad obtinendam peccatorum remiſſionem. Secundum eſt: cum plures ſint viæ ad ſalutem, quarum vna eſt certior altera, teneri hominem in conſcientia, ad dimittendā viam minus certam, vtpotè periculoſam; quia, vt dicit Sacra pagina, qui amat periculum, peribit in illo, & obligari ad accipiendam viam tutiorem, & certiorem. Hinc ita ratiocinabimur cū Scoto: Peccator diuina carēs gratia, (vtpotè odioſus Deo pro peccato) tenetur per viā, certiſsimā reliquis alijs minus certis procurare ſuam ſalutem, quærere remiſſionem peccatorum, & impetrare gratiam diuinam: ſed via certiſſima ad iſta, eſt confeſſio ſacramentalis, & non eſt contrictio tantæ certitudinis; ergò neceſſaria eſt confeſſio ſacramentalis.

Praxis primitiuæ Eccleſiæ hanc probat neceſſitatem; Act. 19. multi credentium veniebant, confitentes, & annunciantes actus ſuos, & qui fuerant curioſi, ſcrutati, contulerunt libros ſuos, & eos combuſerunt coram Apoſtolis. Hic tria veniunt ponderanda. Primum: fideles fuiſſe confeſſos Apoſtolis. Secundum, minutatim, & ſigillatim ſua enumeraſſe peccata, hoc enim ſignificat *annunciare actus ſuos*, ſcilicèt nihil ſilentio præteriræ. Tertium eſt, detecta fuiſſe Apoſtolis in confeſſione peccata occultiſſima; qui enim curioſa ſcitantur, & libros prohibitos habent, occultè ſe gerunt, præcipuè vbi agitur de nigramantia, & de inuocatione Dæmonū, quale habuiſſe, illa curioſa, & illos libros combuſtos, omnes admictunt interpretes. Nec cum Apoſtolis perijt confeſſionis ſacramentalis vſus, vt cogitur feteri impius Caluinus, dum verè ſcribit ante mille annos confeſſio-

Digitized by Google

ſionem fuiſſe in Eccleſia Dei, ſed impiè ſubdit per tolerantiam, & ex ſimplicitate Patrum, ita factum fuiſſe contra expreſſum Dei mandatum.

Ridendi ſunt, qui putant in Lateranenſi Conc. ſub Innoc. Tertia extra de pœn: & remiſſionibus C. omnis vtriuſquè ſexus, inſtitutam fuiſſe confeſſionem: non enim illam inſtituit Concilium, ſed quando ſit facienda decernit, nempè in Paſchate ſemel in anno.

Confeſſionis neceſſitatem non eſſe ab vniuerſali Eccleſia inductam, ſed ex diuino præcepto impoſitam, ſatis innuit primitiuæ Eccleſiæ praxis, quæ anteceſſit omnẽ Eccleſiæ conſtitutionem; nec non vniuerſalitas ad quam ſe extendit lex de confeſſione facienda, à qua lege nec ipſe quidem ſummus Pontifex Vicarius Chriſti, quamvis ſit ſupra omnem Eccleſiam. Sanctionem, liberum ſe non eſſe ingenuè fatetur, nec non Eccleſia manſuetudo, hinc imponendis legibus; quam credibile non eſt, aut voluiſſe, aut potuiſſe obligare omnes fideles ad confeſſionem, quam difficillimã eſſe, omnes conqueruntur; Vnde ita peculiaris,& propria eſt confeſſio legi Euangelicæ, vt ſacramentalis, non fuerit, (vt ſupra diximus) in duplici lege naturali, & Moſayca, quamuis in vtroquè præceſſerit confeſſionis noſtræ aliqua figura.

PROPOSITIO V.

Examinantur nonnulla, quæ videntur infirmare fundamentum principale noſtræ iſtius propoſitionis.

Collata eſt Apoſtolis poteſtas ſoluendi, & ligandi, remittendi, & retinendi peccata: ſed hanc poteſtatem non poſſet Apoſtoli exercere, niſi homines illi ſe ſubijcerent per peccatorum confeſſionẽ; ergò concluditur dari præceptum confeſſionis. Multi negant conſequentiam, inter quos eſt Petrus Obſorbẽſis in quodã libello damnato ab Epiſcopo Toletano ex commiſſione Xiſti IV. & habetur in geſtis illius Pontificis in ſumma Conciliorum, in quò primò propoſitio damnata eſt; peccata mortalia deleri ſola contritione ſine ordine ad claues. Secunda propoſitio erat, confeſſionem non eſſe, vt neceſſariò inſtitutã de iure diuino; ſed in aliquo ſtatù vniuerſalis Eccleſiæ. Vgo Victorius lib.2.de Sacram. pœnit. 14.cap.1.dicit, Chriſtum non præcepiſſe infirmis, vt medicos adirent: tum, nè confeſſio videretur exſtorta: tum quia certum eſſe voluit, infirmos libẽter ſalutem querere; quam ſententiam nõ improbabilem exiſtimauit Alenſis qu. 14. M.1.artic.3.& quæſt.18.M.3.arti.2.dicuntquè, relictam à Chriſto fuiſſe Apoſtolis poteſtatem præcipiendi confeſſionem, qui deinde videntes infirmorum negligentiam, confeſſionem præceperunt,& promulgatio huius præcepti habetur Iacobi 5. Caietanus in illum locum D. Ioannis, ait ex illo loco colligi confeſſionis inſtitutionem, nõ autem necceſſitatem. *Scotus* videtur dubitare de veritate illius conſequentiæ, & addit: ſi non habet illa conſequentia vim, dicendum eſſet præceptum fuiſſe diuinum à Chriſto traditum Apoſtolis. Ioannes Medina, & Ianſenius admittunt, eo in loco eſſe præceptum à Chriſto confeſſionem, vt habetur ex vsù, & traditione Apoſtolorum.

Vt totum iſtius teſtimonij, quod habetur Ioannis 20. robur penetratur, afferenda ſunt ea, quæ ad illud infirmandum afferuntur ab alijs, & ſoluenda: cum certa fide tenendum ſit, ex illo teſtimonio colligi præceptũ confeſſionis, vt definit Trid. ſeſſ.14.c.5.ſimul cum canone 6.nam can.*6.* definit neceſſitatem confeſſionis eſſe de iure diuino, & c.5. vbi hanc rem probauerat, vſurpat verba remiſſionis, & retentionis, quæ habentur Ioannis 20. & confirmatur ex c.1. 3.nam c. 1. definit, hoc pœnitentiæ Sacramentum eſſe remedium ſalutis, & à Chriſto inſtitutum, præcipuè fuiſſe poſt reſurrectionem, cum inſufflauit, & dixit, quorum remiſſeritis peccata &c. & c. 3.definit partes quaſi materiales pœnitentiæ eſſe contritionem, confeſsionem, & ſatisfactionem. Communitèr, ergò dicitur conſequentiam non valere: data eſt poteſtas Apoſtolis, quæ non pòteſt exerceri ſine confeſsione ſubditorũ: ergò præceptum eſt ſubditis, vt confiteantur. Aiũt enim ſufficere, ſi poſsint Apoſtoli abſoluere eos, qui liberè ſe ſubijciunt clauibus; confirmant ex paritate poteſtatis remittendi venialia, quorum confitendorum non eſt

Digitized by Google

præceptum, & tamen eſt poteſtas abſoluendi; ſicut, & etiam conferendi ordines, quorum recipiendorum, nullum eſt præceptum.

Variè diſcurrunt Theologi. Scotus inquit præceptum confeſsionis ex hoc loco colligi, ſi ſupponatur ex alio præcepto de amando Deum, & ſeipſum, quemlibet teneri ad recuperandam gratiam; & quamuis ſit alia via ad recuperandam gratiam, tamen eſt præceptum, vt ſumatur certior, & facilior via, qualis eſt per Sacramentũ. Hoc Scoti dictum impugnatur à multis; ergò: quia non tenemur ſumere viam faciliorẽ, & certiorem: nam ſufficit ſumere viam certam. Hanc impugnationem vidit Scotus, & ideo ſubdit: *Saltem concludit præceptum confeſſionis eſſe valdè rationabile pro multitudine*: quia rationabilitèr, præcipua media ad finẽ, quò tutiora ſunt, & faciliora verũ ſũt ponẽda. Verũ nos hic inquirimus pręceptũ, datũ nõ pręceptũ, quod rationabilitèr daretur.. Secundò probatur, quod non ſit medium tutius, & facilius: nam facilius nobis conſtare poteſt contritio peccatorum, quã iuriſdictio, & intentio confeſſoris.

Inquit Riccardus, Sacerdotes conſtitutos eſſe Iudices: at non eſt Iudex meus ille, cuius iudicio non teneor me ſubijcere. Eadem in ſententia eſt Sotus, qui ait Sacerdotes conſtitutos eſſe Iudices ordinarios, qui iudicandi habent poteſtatem à Principe; & non Iudices arbitrarios, qui eligantur à partibus. Verum nec iſta dicta defendere videntur robur illius conſequẽtiæ: quippè conſtitui poteſt à Principe, Iudex ordinarius, qui tamen non iudicet, niſi in cauſis ſibi à ſubditis liberè delatis, quod tunc contingeret rationabilitèr, quãdo Iudex ordinaretur in fauorem priuatũ ſubditorum, vt ſi conſtitueretur Iudex ad decernendum, an ſint reſtituendi in priſtinam diginitatem hij, qui ex aliquo delicto infames facti ſunt; non enim infames tenerentur deferre cauſam ſuam illi Iudici; pręſertim ſi poſſent egregio aliquo facto, ſuã infamiam delere. Ita autem contingere videtur in caſu noſtro, vt Apoſtoli, & ſucceſſore conſtitui ſint Iudices in fauorem priuatum ſubditorum, vt illos abſoluant à peccatis; quod tamen cum poſsint egregio aliquo facto (puta contritione) ſe abſoluere, & peccatorum maculas delere, non tenebuntur Iudicum iudicio ſe ſubmittere; idque confirmatur ex paritate ſupra adducta ex iudicio venialium, à quibus poſſunt Sacerdotes abſoluere, vt Iudices ordinarij; cum tamen nullus ratione venialium teneatur confiteri, & abſolutionem recipere.

Vt melius illius teſtimonij robur pateſiat; addunt Adrianus, Almainus, vterquè Sotus, Cano, Caterinus, & Vega, Apoſtolis non dari tantum poteſtatem remittendi, ſed etiam retinendi, ita vt retineantur apud diuinum Tribunal eorum peccata, quorum retenta ſunt à Sacerdotibus; & non remiſsa: nam inde fit, iudicium hoc conſtitutum eſſe, vt medium neceſsarium ad remiſsionem peccatorum habendam, cum non remitterentur, niſi remittantur à Sacerdote; cum igitur ſit præceptum, vt aſsumamus medium neceſsarium ad ſalutem, neceſsarium erit aſsumere hoc vnicum medium, & conſequentèr ſubijcere ſe peccatores huic iudicio, quod non niſi per confeſsionem fit.

Obijciunt Adrianus, & Almainus: etiam per cõtritionem haberi poſse peccatorum remiſsionem, ſine remiſsione facta in hoc iudicio: ergò verum non eſt peccata retenta, ſcilicèt non remiſsa in hoc iudicio, non eſse remiſsa apud Deum. Reſpondet Almainus, & eſt reſponſio communis, & colligitur ex Trid. ſeſs. 6. c. 14. peccata remitti per contritionem, vt contritio dicit ordinem ad hoc medium: decebat enim diuinam benignitatem, ita conſtituere iudicium hoc, tamquam neceſſarium mediũ ad conſequendam ſalutem, & peccatorum remiſſionem, vt non tolleret efficaciam cõtrictionis, quæ eſt actus perfectiſſimus conuerſionis in Deũ, & auerſionis à peccatis, quod tamẽ diceret ordinẽ ad hoc iudiciũ, tamquam ad primarium medium proptèr inſtitutionem Chriſti, qui eſt author omnis gratiæ, & remiſſionis peccatorum, vt contingit etiam in Sacramento Baptiſmi, quod eſt ita medium neceſsarium ad ſalutẽ iure diuino inſtitutum, vt non tollatur efficacia baptiſmi Fluminis, qui tamen totam efficaciam habet in ordine ad baptiſmum Fluminis, qui eſt primarium medium ad primam gratiam recipiendam, & hoc voluit Adrianus dum dixit, ideò verificari verba Chriſti: quorum retinueritis, retenta,

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, etiam ſi peccata remittantur per contritionem: quia nimirum remanet obligatio ad confeſſionem.

Senſus enim nõ eſt, quod Sacerdos obliget ad confeſſionem: nam ad confeſſionem obligat Chriſtus, qui præceptum dedit, & non Sacerdos, cui non ſunt adhuc manifeſta peccata, ſed ſenſus eſt, ideò verè dici Sacerdotem vniuerſalitèr delere peccata, & retinere; quoniam, licèt contritio deleat, ſemper tamen remaneat obligatio confeſſionis, ita vt in voto, & quodammodo illius virtute remittantur; quare Sacerdos ille non dicitur retinere, dum peccata ſunt ſoluta per contritionem cum voto remiſsionis in confeſsionem, etiam ex his poſſunt Sacerdotes non eſſe conſtituti Iudices eo modo, quo ſupra dicebatur, vt liberè poſſent ſe illis ſubijcere peccatores, & non ex præcepto, ſed vt veri, & proprij Iudices, coram quibus neceſſariò debent comparere ſubditi, vt ſententiam recipiant. Sit exemplum tale in humanis: Decreuit Princeps, eos, qui crimen leſæ maieſtatis commiſerunt, reos eſſe mortis eis affligendę poſt annum, niſi ſatisfecerint, debitè ſe ſubijciendo maieſtati, eamque ſubiectionem debitam præcipit eſſe dicere, vt confitentes crimen ſuum, ſubdentes ſe iudicio alicuius Iudicis ad hanc rem a Principe conſtituti, cuius iudicium, ſi contemnatur, non remittatur delictum antiquum, ſed nouum committatur, ſicut enim in hoc caſu tenetur ille delinquens ſe ſubijcere iudicio Iudicis illius conſtituti; ita, cum ſimile, quid contingat in noſtro popoſito tenebuntur delinquentes ſubijcere ſe Sacerdotum iudicio, vt ſupra. Et confirmatur primo: quoniam Sacerdotes non ſunt ita conſtituti Iudices proptèr bonũ priuatũ ſingulorũ, vt ſint etiã conſtituti, vt cauſas decidant inter Deum, & homines, quare ſicut aliquis trahitur ad iudicium, ita, vt non ſit illi liberum comparere, vel non comparere ab eo, qui prætendit aliquod ius, cuius dicendi poteſtatem habet Iudex; ita cũ propter peccata hominum, Deus habeat ius aliquod in homines, poterit illos cogere, vt teneantur ſubijcere ſe alieno iudicio, & quodammodo illos ad hoc ius vocare.

Paludanus apud Medinã intendit probare noſtram propoſitionem ex illo dicto Ioannis quinto. Pater nõ iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, & infra: Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt; ſi ergò Chriſtus, vt homo habet omne iudicium, iudicabit non ſolùm in fine mundi, verum etiam in hac vita; quare opus eſt, vt peccatores Chriſto ſe per per confeſsionem præſentent, vt poſsint iudicari, cumque nunc Chriſtus ſecundùm humanitatem non ſit realitèr præſens, ſed ſuæ poteſtatis Vicarius reliquerit; illis debet ſe peccatores per confeſsionem præſentare. Hoc teſtimonium, niſi me meum fallat iudicium, non habet vim, vt benè oſtendit Ioannes Medina: quia ſecundum Patrum expoſitionem, & contextus ſeriem, eſt ibi ſermo de iudicio finali: nam poſt verba narrata, ſtatim ſubditur: Nolite mirari hoc, veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, &c. Confirmatur noſter diſcurſus: quoniam ad ſummum, eſt ibi ſermo de poteſtate omnis iudicij; ex qua poteſtatis conceptione, non colligitur hoc genus iudicij per confeſſionem vocalem; nam Chriſtus etiam ſecundùm naturam humanam (vt putatur probabilitèr) nouit omnia; quare, vt iudicet, non indiget vocali confeſſione; nam ſufficeret mentalis, vt ſufficit reſpectu Dei; præſertim, quia licèt ſecundùm Cyprianum lib. 2. contra Iudæos c. 28. & lib. 3. ad Querinum cap. 33. p. Auguſtinum Tract. 21. in Ioannem, & lib. 1. de Trinit. c. 13. ſit ibi ſermo de poteſtate tradita humanitati; tamen ſecundum Hylarium lib. 7. de Trinit. Ambroſium lib. 2. de fide cap. 4. Chryſoſtomum hom. 38. eſt ſermo de poteſtate, quam Pater ab æterno ſimul cum eſſentia filio communicauit, & ſecundùm Cyrillum Alexãdrinũ lib. 2. in Ioan. c. 140. eſt ſermo de poteſtate diuina communicata naturæ humanę per vnionem hypoſtaticã, ita vt natura humana, non ſit alia poteſtas, quam quæ eſt naturæ diuinæ ſibi vnitæ, vt patet de alijs diuinis attributis. Melius ergò probatur noſtra propoſitio rationibus ſupra propoſitis. Vt tamen melius res percipiatur, & veritas noſtræ propoſitionis firmetur, ſit.

PRO-

PROPOSITIO VI.

In qua proponuntur, & ſoluuntur pugnantia contra noſtram Propoſitionem.

HÆretici noſtri temporis, vt Caluinus, Ennixius, & Brexius variè inſurgũt. Primam rationem deſumunt ex Sac. Scriptura Ezzech. 33. In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor; At ſemper eodem modo fit remiſſio peccatorum; ergò nunquam eſt neceſſaria eorundem peccatorum confeſſio. Reſpondemus, non ſemper eodem modo remitti peccata: cum rationabilitèr pro temporum varietate, variari poſſint media, ſicut variantur præcepta; nec illo loquendi modo excluduntur ea, quæ neceſſaria ſunt: nam ille ex corde gemit, qui aſſumere vult media neceſſaria. Replicabis. Ioãnes 20. Chriſtus miſit Apoſtolos, vt ipſe miſſus erat à Patre: & ipſe ſine confeſſione peccata remiſit, vt patet Lucæ 7. de peccatrice, & Matth. 9. de Paralitico, ergò non erat neceſſaria confeſſio peccatorum ad eorumdem obtinendam veniam. Reſpondemus. Chriſtum miſiſſe Apoſtolos, vt ipſe miſſus erat; non vt modus omninò ſimilis eſſet; Nam tunc, nec debuiſſent baptizari; ſed, vel quoad poteſtatem ligandi, & ſoluendi, vt inquit Cyprianus; vel ob eundem finem, ſcilicet propagandi Eccleſiam per prædicationem, & reconciliationem, vt ait Cyrillus; vel eodem modo, cum laboribus, & cruce, vt ait D. Gregorius hom. 26. in Euangelio. Accedamus ad aliam difficultatem.

An Eccleſia potuerit præcipere confeſſionem Sacramentalem.

HOC moueo dubium: quia ſi in Eccleſia poteſtas minimè ſit, vel vmquam fuerit ſacramentalem Confeſſionem inſtituere; omni dubio prorſus excluſo, certò dicent omnes, confeſſionem ſacramentalem eſſe de iure diuino. Cum autẽ dubium hoc, neceſſariam præexigat ſolutionem alterius difficultatis: Num ſcilicet Eccleſia poteſtatem habeat circa actus interiores, ita vt circa illos aliquid præcipere poſſit, neceſſariò præmittendum eſt hoc dubium, & ſoluendum. Moneo ergò actus internos poſſe dupliciter conſiderari, vno modo ſecundum ſe præcisè; altero, vt ſpectant ad complementum actus externi, vel quatenus ſunt neceſſarij ad eſſe phyſicum, aut morale actus externi, ſeù quatenus aliquam connexionem, ſeù dependentiam ad inuicem habent: Hinc diuerſæ erunt propoſitiones. Ad pleniorem tamen ſolutionem, ſubiungo, aliquos eſſe actus internos, qui ſimplicitèr, & abſolutè imperant actũ externum ſine vllo ordine ad aliam actionem, ſibi, vel actui externo coniunctam; tales ſunt illi actus interni requiſiti ad libertatem, & modum agendi humanum in actibus externis, & hos actus internos dicimus eſſe principia, & cauſa actuum externorum. Aliud genus internorum actuũ, eſt eorum, qui conſumantur, & manifeſtantur per actum externum; huius actus externi, actus internus eſt quædam forma, & quaſi materia, ita vt actus externus nequeat habere rationem actus liberi, & humani, niſi habeat connexionem cum actu interno, à quo, vt effectus procedit, & imperatur actus internus; tales actus sũt omnes volitiones ſeù intentiones faciendi id, quod lex præcipit; vt eſt intentio audiendi miſſam. Tertium genus eſt eorum actuũ, qui non ſunt quidem abſolute neceſſarij ad actum externum conſtituendum liberum, vel humanum, ſed concomitantur actum internum imperantem actionem in qua eſt neceſſarius internus ad actionem liberam, vt ſit liberè, & humano modo ſubijcibilibus legi. Sunt ergo quidam actus interni, qui ſimplicitèr, & abſolutè imperant actum externum ſine vllo ordine ad aliam actionem, ſibi, vel actui externo coniunctam, vt ſunt actus illi interni requiſiti ad libertatem, & modum agendi humani in actibus externis, & hos actus internos comprehendimus in ſecundo genere ſupra aſſignato, & dicuntur principia, & cauſa actuum externorum ſecundùm eſſe phyſicum horum actuum externorum; nam audire v. g. miſſam externè; ſeù per externam aſſiſtentiam, non cenſetur eſſe actus phyſicè in ſuo genere, hoc eſt actus liberè productus ab agente libero, niſi imperetur, & procedat ab actu interno voluntatis, qui

Digitized by Google

qui dicitur volitio, ſeù intentio audiendi miſſam.

Sunt, & alij actus interni, imperantes quidem actionem externam, non ſimplicitèr, & vndè, ſed ſecundum eſſe morale in genere virtutis, ita vt, non ſolum nudam actionem externam imponerent, ſed actionem externam, veſtitam circumſtantia alterius actus interni ſimul imperati cũ actu externo, vt in exemplo iam præmiſſo oſtenditur; nam actus externus audiendi Miſſam, vt ſit actus honeſtus in genere virtutis, non tantum liberè imperatur à volitione interna audiendi Miſſam; verum etiã imperatur, vt veſtitus, & aſſociatus actui attentionis; hoc eſt volitio interna, non tantum importat auditionem miſſæ externam, ſed auditionem cum attentione, quę attentio, quamuis ſit actus internus, tamen ſe habet per modum actus imperati à volitione audiendi miſſam, quam volitionem debet concomitari attentio: ſimile exemplum eſt in recitatione diuini officij obligantis ex præcepto; eſt ergo in his voluntas formalitèr vna, ſed virtute duplex: quia imperatur, & ipſe actus externus, & ſimul attentio ei coniuncta; ſi autem ipſam actionem phyſicam extrinſecam imperet, & cauſet ſine ea intentione habet rationẽ ſimilem actuum, quos poſuimus in ſecundo genere; ſi verò ſimul imperet attentionem; habet rationem actuum tertij generis, vel potius ſupponuntur vtriuſq; generis actus in diuerſis materijs, & actus ſecundi generis ſunt iſti, quos adduximus in auditione miſſæ, & recitatione horarum canonicarum, actus verò ſecundi generis habent locum in alijs materijs, vt v. g. in dando eleæmoſynam, & ſimilibus, qui nõ exigunt alium actum imperatum, & coniunctum vi legis humanæ, præter ipſam actionem externam cum ſuo extrinſeco principio operante.

De his actionibus, vt ſubſũt legi humanæ canonicæ, non conueniunt Doctores nã aliqui dicũt, omnes omninò actus internos poſſe cadere ſub lege humana canonicã. Ita Adrianus quolib. 8. & nonnulli alteri citati à Suarez. Alij dicunt, ſecundùm genus actuum intrinſecorum ſupra aſſignatum, ſolum cadere ſaltem indirectè ſub materia legis, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ; Primum autem, & tertium genus non cadere: quia non ſunt principia, & cauſæ per ſe, & neceſſariæ actuum externorum; ſicut ſunt actus ſecundi generis; Ita Durandus, Gabriel, Valentia, Vaſquez, & alij plures apud Amicum diſputatione 5. de legibus num. 123.

Tertia ſententia docet, actus internos, ſecundi, & tertij generis, cadere ſub materia legis, ſaltem indirectè, & præcepti Eccleſiæ; actus verò primi generis, non cadere: hæc eſt communior ſententia apud Caietanum, Sotum, Nauarrum, Suarez, & alios multos citatos ab Amico; his ſtantibus ſit prima propoſitio.

PROPOSITIO PRIMA.

Eccleſia non habet, nec vmquam habuit poteſtatem præcipiendi, vel prohibendi actus merè internos.

PRobatur, quia de his poteſt facultas humana legem facere, de quibus poteſt iudicare: at facultas humana non valet iudiciũ facere de actibus merè internis: cum iſti actus ex ſua natura hominem lateant (ergò ex ſua natura, & per ſe loquendo, iſti actus non ſunt materia legis humanæ.

PROPOSITIO II.

Non ſolum actus interni, qui ſunt per ſe principia actuum externorum ſecundũ eſſe materiale, & phyſicum cadunt ſaltem indirectè ſub materia legis Eccleſiaſticæ, ſed etiam illi actus interni, qui neceſſarij ſunt ad ſubſtãtiam actus externi in genere morali, & virtutis.

PRobantur iſtæ propoſitiones: Primò: quia cap. dolentes de celebratione miſſarum præcipitur attentio in recitandis horis canonicis, & in audiendi miſſam. Hæc autem attentio, eſt actus internus tertij generis; de quo ſupra, qui non eſt neceſſarius ad actum externum humanum, & liberum in genere phyſico, ſed eſt neceſſarius ad conſtituendum actum externum in genere moris, & virtutis: ergò Eccleſia

habet

Digitized by Google

habet poteſtatem ferendi legem circa talem actum, itaut ſaltem indirectè cadat ille actus ſub materia legis Eccleſiaſticæ. Probatur ſecunda pars, quia ad congruam Eccleſiæ gubernationem ſpectat, vt præcipiendo actiones externas, comprincipiet actus internos, qui neceſſarij ſunt ad complendum, & conſtituendum actum veræ orationis in eſſe moralis virtutis præceptæ, neceſſaria eſt, non ſolùm intentio intrinſeca, ſine qua actus non eſt liber, ſed eſt etiam neceſſariò attentio intrinſeca, ſine qua non ſubſiſtit actus externus orationis in genere moralitatis virtutis præceptæ. Quæ noſtram impugnant Propoſitionem, ſunt illa, quæ ſubſequuntur.

Obiicies primò, quod ex cap. dolentes de celebrat. Miſſarum; Innocentius Tertius præcipit in virtute obedientiæ, vt dicatur officium ſtudiosè, & deuotè perſoluatur: at deuotio eſt actus mentis importans piam affectionem voluntatis, & debitam attentionem intellectus, ergò Eccleſia præcipit actus internos. Sit ſecundũ argumentum: Eccleſia inſtituit præceptũ annuæ confeſſionis, quod præceptum reſpicit etiam peccata purè interna, & reſpicit internum dolorem, tamquam diſpoſitionem neceſſariam ad Sacramentum confeſſionis, ergò fit clarum, Eccleſiam præcipere actus internos.

Tertiò, Eccleſia ſub cenſura Eccleſiaſtica prohibet hæreſim: hæreſis eſt actus mentis, & internus, ergò Eccleſia præcipit actum internum. Quartum argumentum in cap. Commiſſa de electione, & electi poteſtate in 6. conſtituitur, vt nemo beneficium Parochiale ſuſcipiat abſque intẽtione aſcendendi ad Sacerdotium infra annum, alioquin ad reſignationem beneficij, & ad reſtitutionem fructuum teneatur: at iſta intentio, eſt actus internus, ergò actus internus imperatur ab Eccleſia.

Quintum argumentum, violatur præceptum Eccleſiaſticum, v. g. de audienda miſſa per internam nolitionem audiendi Miſſam; ſed nolitio interna eſt actus internus, ergò actus internus imperatur ab Eccleſia. Facit ad hoc, quod Papa diſpenſat in voto merè interno.

Ad hæc, & ſimilia reſpondemus, Eccleſiam minimè præcipere, & prohibere actus merè internos; ſed præcipere, & prohibere actus internos, vel quia manifeſtantur aliquo ſigno externo, in quo ſubſunt ſaltèm indirectè poteſtati Eccleſiæ, vt eſt hæreſis, exterius manifeſtata. Vel vt ſunt neceſſarij ad ſubſtantiam actus externi in genere moris, & virtutis præceptæ, vt eſt attẽtio intrinſecè neceſſaria ad ſubſtantiam orationis, quia Eccleſia præcipit in recitandis horis canonicis, & in audienda miſſa in die feſto, & multo magis neceſſaria eſt intentio recitandi horas canoicas, vel audiendi miſſam, & conſequentèr Eccleſia præcipiendo recitationem externam officij diuini, & auditionis externè Miſſæ ſimul præcipit intentionẽ, hos actus exercendi, ſine qua ſubſiſtere non poteſt in genere actuum humanorum. Ex quo autem præcipit intentionem exercendi hos actus, neceſſariò prohibet intentionem oppoſitam non exercendi, quando præceptum obligat. Vel tertiò actus interni, ſunt quędam conditiones ab Eccleſia appoſitæ ex quodam pacto inito cum perſona, quam vult promouere, ita vt, niſi ab illa perſona impleantur conditiones, non teneatur Eccleſia ſtare pacto, vt contingit in eo, qui prohibetur ſuſcipere Parochiale beneficiũ niſi cum intentione ſuſcipiendi Sacerdotium infra annum, quod valdè diuerſum eſt à lege præcipiente actum internum. Vel quartò Eccleſia nullam obligationem ad legem ponit, ſed potius eam tollit in actu interno, vt fit in diſpenſatione, ſeù ſublatione voti, quod eſt valdè diuerſum à poteſtate obligandi ad actum internum; minus enim requiritur ad tollendam obligationem, quàm ad eam ponendam.

Quæ ſubſequũtur argumenta impugnãt alteram partem noſtræ propoſitionis. Videtur enim indè ſequi non poſſe propriè, ſatisfacere legi Eccleſiaſticæ, v. g. præcepto audiendi miſſam in die feſto, niſi adhibeat, omnes circumſtantias, & conditiones requiſitas ad actũm bonum, & virtuoſum in auditione miſſæ, ſed hoc eſt falſum; ergò, Minor eſt communis: quippè communitèr admittitur ab Authoribus eum ſatisfacere præcepto audiendi miſſam, qui cum intentione Miſſam audiendi, & attentione debita, aſſiſtit Miſſæ, quamuis habeat aliam intentionem turpem, v. g. conſpiciendi impudicè fœminam, quæ intentio reddit iſtum actum vitioſum, cumque extrahit

extra

extra genus cuiuſuis virtutis. Maior probatur; quia illi actus cadunt ſub materia legis Eccleſiaſticæ, qui neceſſarij ſunt ad ſubſtantiam actuum externorum in genere morali, & virtutis, ſed quæcumque intentio recta intrinſeca requiritur ad ſubſtantiam actus externi in genere morali, & virtutis, qui præcipitur, ergò: Reſp. negando maiorem, & ad probationem maioris negatur minor: quippè ad ſubſtantiam actus externi, vt præcepti à lege humana, ſatis eſt, quod habeat omnia requiſita ad honeſtatem, & condecentiā externā ipſius actus cum his, quæ per ſe neceſſaria ſunt ad ſubſtantiam ipſius actus in genere moris, quamuis per accidēs actus ille vitietur per turpem intentionem acceſſoriam ſubſtantiæ actus. Explicatur.

Eccleſia præcipit auditionē miſſæ in die feſto, tamquàm actus virtutis religionis, nō quod præcipiat hunc actum tamquàm vndequaq; honeſtum ex parte omnis intrinſecæ intentionis; imò probabilius eſt, quod non poſſit de facto ita præcipere; præcipit ergò iſtum actum externum, tamquā actū humanum, liberum, & honeſtum cum omnibus requiſitis ad ſubſtantiam talis actus in genere phyſico, & in genere morali talis virtutis, quæ præcipitur, prout ſubeſt Eccleſiæ pro, & iudicio; quia verò actus interni acceſſorij, & non modo neceſſarij, ad rationem actus, non ſubſunt Eccleſiæ pro & iudicio; ideò mala intentio interna, cum qua ſtat ſubſtantia actus præcepti, quamuis apud Deum; non tamē inde ſequitur quidquam contra nos.

Aliud Argumentum. Eccleſia non poteſt præcipere, quod non poteſt iudicare: ſed non poteſt iudicare actus internos: quippè nequit Eccleſia iudicare, quod non poteſt cognoſcere: non valet autem cognoſcere actus internos; ergò, &c. Reſpondemus argumentum hoc vtique conuincit Eccleſiam minimè valere ſuā exercere authoritatem circa actus purè internos; non tamen indè pronatur Eccleſiam non habere poteſtatem circa actus internos neceſſarios ad actum externum, qui per ſe directè cadit ſub Eccleſiæ poteſtate, & cōſequentèr actus internus, & omne aliud neceſſariò requiſitum ad eſſe actus externi, indirectè ſaltim cadit ſub poteſtate Eccleſiæ. Quando, argumentum, alicuius eſſet valoris, validè pugnaret contra Patrem Amicum, qui facit hoc argumentum pro ſe indè enim ſequeretur nullum actum internum poſſe ab Eccleſia præcipi, quod ipſe non concederet: cum omnes vnanimi voto fateantur Eccleſiā de facto præcipere actus internos manifeſtatos per actus externos, & neceſſarios ad habendos actus externos, vt ſunt intentiones faciendi ea, quę Eccleſia præcipit.

Ex his deducitur contra Vaſquez, & Amicum, Beneficiatum, qui ſine interiori attentione, voluntariè diſtractus, recitat diuinum officium, obligari ad reſtitutionem fructuum beneficij, non quidē iùris diuini, & naturalis violati, ſed vi tranſgreſſionis legis Eccleſiaſticæ, quæ non ſolùm præcipit recitationem externam officij diuini cum intentione recitandi, ſed etiam attentionem internam, quod quamuis multum ſit probabile; tamen non caret probabiliori ſententia oppoſita, quæ docet ſatisfieri præcepto Eccleſiæ in recitandis horis canonicis, & auditione Miſſæ per extrinſecam recitationem, & aſſiſtentiam excluſis impedimentis diſtrahentibus à tali actione externa, ita vt præceptum Eccleſiaſticum ſolum cadat ſupra actionem dicētem extrinſecam aſſiſtentiam ſecluſa intētione, & ita ſatisfiat præcepto Eccleſiaſtico de perſoluendo officio, & eadem eſt ratio de auditione miſſæ in die feſto. Ex qua ſententia ſequitur recitantes diuinum officium ſine attentione intrinſeca, non priuari fructibus beneficij, nec officio; aut puniri pœna impoſita Clericis, ne recitantibus diuinum officium. Legatur Eminentiſſimus de Lugo diſp. 22. de Sacramento Eccleſiaſticæ ſeſſ. 2. Hæc breuitèr notaui pro Confeſſarijs, ne ſint nimis ſcrupuloſè circa imponendum onus reſtitutionis Clericis non recitantibus diuinum officiū cum attentione intrinſeca. Studeant ergò Confeſſarij, vt benè ſe gubernent in hac parte. Moneo tamen, quod confitentes ſemel in anno minimè ſatisfaciunt Eccleſiaſtico præcepto annuę cōfeſſionis, ſi omittant peccatum aliquod mortale quamuis minimum, vt ſi omittant internam diſpoſitionem neceſſariam, vt eſt dolor. Ratio eſt, quia actus externæ confeſſionis in eſſe Sacramenti à Chriſto inſtituti, non ſubſiſtit, nec habet eſſe abſquè dolore, & in-

trinſeca diſpoſitione; hæc obitèr dicta. Cõcludimus ergò Eccleſiam minimè habere poteſtatem circa actus merè internos.

Video tamen poſſe hic dubitari de Prælato Religioſo: an poſsit ſuis Religioſis præcipere actus purè internos. Ratio dubitandi eſt: quia iuriſdictio Prælati Religioſi ad præcipiendum, fundatur in voto obedientiæ ſubditorum, qui poſſunt promittere Deo actum internum, ſi Prælatus illum præcipiat. Tangit hoc dubium Thomas Sances lib. 6. de canon. cap. 2. num. 6. vbi negat, & dicit eſſe certum: quia vniuerſalitèr repugnat poteſtas ad præcipiendum id, quod non poteſt iudicare homo: at de internis, nullo modo poteſt iudicare Prelatus Religioſus; ergo nullo modo poteſt Prælatus Religioſus habere iuriſdictionem circa actum merè internum. Suarez verò lib. 1. cap. 12. num. 16. concedit eſſe poſsibile.

Egò verò partim conuenio cum Suarez, partim cum Thoma Sances. Nam in primis, cum totum hoc pendeat ex intentione vouentis; cenſeo poſſe aliquem proprio voto ſe obligare ad obediẽdum in actibus purè internis, ſicut ex iuſtitia poteſt ſe obligare alteri homini ad actum internum exequendum pro illo, v. g. ad orandum mentalitèr. Vide *Lezanam* in quæſtionibus Regularibus tom. 1. cap. 4. num. 5. Dico tamen de facto nullum Prælatum Religioſum poſſe præcipere actum purè internum: quia de facto votum non videtur introductum, niſi ad obedientiam humanam; hæc autem non ſe extendit ad actus purè internos.

PROPOSITIO III.

Eccleſia nec habet, nec habere poteſt poteſtatem præcipiendi confeſsionem omnium peccatorum etiam interiorum, quomodo nunc in Eccleſia vſurpatur confeſſio.

PRobant aliqui, ex eo, quia Principi, & eius legi, lege naturali tenemur parere, vt ſeruetur debita conformitas inferioris ad ſuperiorem; hæc autem conformitas reſpectu Principis tantùm attenditur in exteriori gubernatione Reipublicæ, ad quã Princeps ordinatur, & licet hæc conformitas obliget in conſcientia: parum tamen refert Reipublicæ exteriori, ſi interius, voluntas diſſentiat, modò exterius impleatur, quod iubetur. Verum hæc ratio rectè probat de Principe ſæculari, & Reipublicæ ſæculari; non autem de Principe Eccleſiaſtico: Nam Princeps Eccleſiaſticus, qualis eſt Summus Pontifex, non ſolum habet ex Chriſti præcepto dirigere ſubditos, vt benè ſe habeant in exteriori politia, & cultu; ſed debent illos dirigere quantum in ipſis eſt, etiam ad finem ſupernaturalem.

Vndè ex iſto capite, poſſet quis colligere contrarium, quod, etſi Princeps ſæcularis non poſsit aliquid præcipere circa interiora; poſſet tamen Eccleſiaſticus ab aſſignatam differentiam; quippe ad Deum finem ſupernaturalem conſequendum, non modò exterioribus, ſed etiam interioribus actibus ordinatur. Ratio igitur pro noſtra concluſione ea eſt, qua ſupra vſi ſumus: quia de his tantum poteſt homo legem facere, de quibus poteſt iudicare: iudiciũ autem eſſe non poteſt de interioribus motibus, & actibus: (cum ex natura ſua hæc interiora hominem lateant) ergò ex natura ſua, & per ſe loquendo, hæc non ſunt materia legis humanæ, quæ ratio valet tam reſpectu Reipublicæ, ac Principis ſæcularis, quàm Eccleſiaſtici; quia lex Eccleſiaſtica etiam eſt ab homine; quare etiam debet variari circa materiam humanæ legi proportionatam, quales non ſunt actus interiores: nam etiamſi Prælati debeant dirigere ſubditos etiam ad Deum finem ſupernaturalẽ; id tamen facere debent quãtum in ipſis eſt, non excedendo ſuos limites, quod tamen facerent vtẽdo præceptis quæ ſuæ poteſtatis limites excedunt; cum ergò confeſsio ſacramentalis includat etiã actus internos, quos Eccleſiaſtica poteſtas præcipere non poteſt, ſequitur Eccleſiam non poſſe præcipere confeſsionem.

Dices. Confeſsio ipſa eſt actus externus: ergò poterit Eccleſia præcipere confeſsionem. Nunc tale ſit argumentum: Poſito præcepto de confeſsione exteriore, cum iure diuino ad confeſsionem ſacramentalem requiratur contritio, & integritas iure diuino tenebitur, quis habere cõtritionem, ſiue attritionem, & confiteri interiora, vt cõfeſsio ſit integra: Hac ratione, ſi Ec-

Digitized by Google

ſi Eccleſia præciperet recitare horas canonicas ad exibendum Deo debitum cultum, & nihil diceret de attentione, iure diuino eſſet neceſſaria attentio.

Non me latet graues viros ob iſtam rationem dediſſe votum, non repugnare. Eccleſiaſtici poteſtati præcipere confeſſionem; ſed niſi me meum fallat iudicium, argumentum hoc eſt parui momenti: nam, vel Eccleſia præciperet confeſſionem peccatorum exteriorum tantum, & hæc confeſſio, eſtò præcepi poſſit quatenus eſt actus bonus humilitatis &c. tamen non propterea eſset confeſſio Sacramentalis: Vnde poſſet quis eam confeſſionem facere, etiam tacendo interiora peccata, & etiam ſi non eſset capax abſolutionis. Vel Secundo præciperet confeſſionem omnium peccatorum tam exteriorum, quam interiorum, ita, vt ad ipſum exprimeret præceptum; at etiam ſupra eſt probatum, fieri hoc non poſset: cum verſetur hoc præceptum circa materiam, quam iudicare non poteſt: habet enim hoc præceptum duplex obiectum, ſcilicèt fateri exterius, & fateri interius peccatum, quorum alterum non eſt materia legis humanæ.

SIT DIFFICVLTAS

An qui confeſſus eſt, & abſolutus legitimè, poſſit aliquo præcepto, vel lege compelli ad aliqua peccata deinde confiteri.

Grauida difficulta: duas quippè ad minus includit. Prima erit: an in vniuerſum conſtitui poſsit lex in Eccleſia, qua cogantur pœnitentes iterum confiteri peccata à quibus ſunt legitimè abſoluti. Altera eſt difficultas: an in aliqua congregatione hominum poſsit fieri ſtatutum, quò, pœnitentes legitimè confeſsi, & abſoluti, iterum confiteantur illa peccata.

Circa primam difficultatem obuiam ſubitò ſe facit opinio negans, pro qua citantur multi, & inter illos, Durandus in 4. diſt. 17. quæſt. 15. nu. 10. vbi ait Eccleſiam id præcipere non poſſe. Legatur Medina codice de pœnit. Tract. 2. de confeſſ. Adrianus in 4. de confeſſ. quæſt. 5. Almainus in 4. diſt. 17. quæſt. 1. art. 3. ad vltimam difficultatem.

Alij affirmant, Eccleſiam id poſſe præcipere. Pro iſta parte citatur Henricus quolib. 1. qu. 32. & quolib. 10. q. 1. Vt clarius procedamus.

Moueo dupliciter poſſe huiuſmodi legem conſtitui. Primò, vt in vniuerſum lex præcipiat, quod omnes, qui ſemel ſunt confeſsi, & legitimè abſoluti, iterum confiteantur. Secundo, ita vt lex feratur ſub hàc conditione; quotquot impoſterum confitebuntur hac lege, iterum debeant hæc peccata confiteri. Hic modus diſtinguitur à primo: quoniam lex primo modo data extēditur ad præterita, ſcilicèt ad confeſſiones factas præterito tempore. Lex ſecūdo modo lata, ſolum compræhendit confeſſiones faciendas in futurum; ac proinde inter hæc duo eſt magna differentia: quoniam confeſsiones præteritæ, & factæ ante legem conſtitutam, factæ ſunt abſolutè, & ſimplicitèr: & pœnitentes, ſunt abſoluti ſimplicitèr, hoc eſt, ſine vlla conditione repetendi confeſsiones; at verò confeſsiones, quæ fient futuro tempore poſt legem ſtatutam, fiunt tacita quadam conditione, vt iterum repetantur; & abſolutiones, quæ dantur etiam tacita conditione dantur, dummodo pænitens ſua contritione, quà dolet, habeat votum repetendi confeſsiones. Non eſt dubitandum, quin in lege primo modo lata, ſit multo maior difficultas: quippè leges humanæ non ſolent ad præterita cogere.

Authores non videntur diſtinxiſſe, ſed vniuerſalitèr locuti ſunt. Quidquid igitur ſit de poteſtate, quam habet Eccleſia; non credo expedire, vt lex in vniuerſum feratur: etenim leges humanæ debent eſſe benignæ, hoc eſt, quæ poſsint impleri, & ſeruari; at durum, & difficile eſt, ſi ita, omnes lege tenerentur: quia ſunt multa peccata interna; ſunt item, quæ poſtquam cōfeſsi ſumus ſemel, & de eis legitimè doluimus, rationabilius eſt, ea oblita habere, nec amplius de eis memoriam habere.

AD SECVNDAM DIFFICVLTATEM.

An ſcilicèt poſſit condi particulare aliquod ſtatutum ad certum genus hominum, quò compellantur iterum confiteri.

PRopter hoc Dionyſius Cartuſienſis ſcripſit quæſtionem, in qua inuehitur contra Ciſtercienſes Monachos, eo quod ſtatutum condiderant, quò præcipiebatur, vt quotquot confeſsi erant infra annum mortalia peccata, iterum ea confiteri deberent ſuperiori in fine anni; hinc mota eſt quæſtio inter Theologos: an huiuſmodi ſtatuta rationi congruant. Fuerunt Doctores pro ſententia Dionyſij, & alij contra ſententiam Dionyſij.

Exiſtimo controuerſiam iſtam multa inuolgere de æquiuocatione; duobus enim medis poſſet tale ſtatutum condi; Primò, vt comprehændat confeſsiones præteritas ante ſtatutum factas, aut, vt tantum comprehændat confeſsiones futuras poſt ſtatutum poſitum. Secundo modo poteſt dupliciter intelligi; vno modo, vt quotquot confitentur deinceps peccata reſeruata ſuperiori, poſsint ab inferiori, ſed ea conditione, vt iterum ea confiteantur ſuperiori, cui erant reſeruata, aut ſic; vt quotquot confitebuntur deinceps peccata mortalia, ſuperiori non reſeruata, confiteri ea conditione intelligantur, & ab eis abſolui per inferiores, vt iterum ea confiteantur ſuperiori. Et hoc eſt difficultas, his poſitis.

Conuenit inter omnes abſolutionem dari non poſſe cum conditione in futurum pendenti. Secundò conſtet etiam inter omnes, poſſe quemquam, voto, vel iuramento diuino promittere ſe repetiturum confeſsionem ſuorum peccatorum legitimè factam, à quibus eſt ritè abſolutus: quoniam confeſsionem reperre, eſt bonū opus, & vtile. Tertio conuenit etiam inter omnes non eſſe iterandam confeſsionem peccatorum à quibus eſt aliquis legitimè abſolutus. Ad illud ergò in quò conſiſtit quæſtionis difficultas. Reſpondeo primo; Superiorem poſſe pænitentibus facultatem concedere, quà abſoluantur per inferiorem Confeſſarium à peccatis reſeruatis, ea tamen conditione, vt iterum ea peccata reſeruata, ipſi confiteantur. De his ad longum tractabimus dum erit nobis ſermo de caſibus reſeruatis.

Dico Secundo poteſt in religioſis ordinibus ſtatutum condi ex communi conſenſù Religioſorum, quo obligentur ex libero ſuo conſenſù ad repetendam confeſsionem lagitimè factam. Sic Adrianus, Nauarſus &c. & hoc colligitur ex eo, quod diximus, poſſe aliquam ſe, ſe ex proprio uoto, vel iuramento ad id obligare. Nec eſt hoc contra communem opinionem; & ſicut ex communi conſenſu omnium fieri poteſt huiuſmodi ſtatum; ſic etiam ex cōſenſu maioris partis: quoniam id totum collegium cenſetur facere, quod faciet maior pars illius. Item poteſt fieri ex conſenſù maiorum, qui cæteris præſunt, quoniam cæteri ſuos conſenſus, in ſuos maiores transferunt. Vltimo dicimus non expedire ſtatum huiuſmodi condere; quoniam communis opinio habet, vt lege, vel præcepto, penitentes non cogantur confeſsiones peccatorum à quibus ſunt legitimè abſoluti, repetere: leges enim feruntur de his, quæ commodè ſeruari poſſunt.

PROPOSITIO IV.

De iure diuino Infideles non tenentur ad confeſſionem Sacramentalem,

ITa habet Scotus in 4. diſt. 17. qu. vnica, & cum ipſo maior pars Theologorum: probatur; quia ſi obligarentur infideles ad confeſſionem; vel illam tenerentur facere ante baptiſmum? & hoc non: quia baptiſmus eſt ianua omnium Sacrmentorum; vel tenerentur poſt baptiſmum; & hoc non: quoniam confeſſio, eſt ſecunda tabula poſt naufragium. Sit aliud argumentum. Lex diuina poſitiua, & ſupernaturali ſolum obligat vniuerſum orbem ad ſucipiendam fidē Euangelicam; obligatio autem ad reliqua, naſcitur ex profeſſione facta fidei in baptiſmo: nam, cum hæc obligatio dependentiam habeat ex libera Chriſti voluntate, rationabile eſt, vt eo ordine vniuerſum orbem obligabit: quippè reliqua præcepta, verè videntur leges Reipublicæ, cuius homo fit ciuis per fidem, ſeu caracterem baptiſmalem. Sit corroboratio rationis: Vouens

uens Religionem, tenetur ingredi Religionem, & peccat ſi illam non ingrediatur; ſed non tenetur ſeruare ſtatuta illius Religionis, etiam ſi ſtatuta Religionis eſſent de iure Pontificio,& diuino, & non tantum ſuperiorum Religionis, qui nullam habent poteſtatem in eum, qui eſt extra Religionem, etiam ſi Religionem vouerit. Aliud argumentum in Infidelibus non baptizatis, minimè repereritur materia neceſſaria ad confeſſionem, ergò non obligantur præcepto confeſſionis. Supponit iſta ratio neminem obligaui ad præceptum confeſſionis, niſi in illo reperiatur metaria remotaSacramenti pœnitentiæ, atquè adeo confeſſionis; quæ materia ſunt peccata commiſſa poſt baptiſmum, quare, vt hoc præceptum obliget, ſupponendum eſt in perſona obligata peccatum poſt baptiſmum commiſsũ, ergò euidenter concluditur Infideles non baptizatos minimè teneri ad præceptum confeſſionis. Fauet Trident.ſeſſ.14.cap.5 in principio. Et egregie Scotus in 4.diſt. 4.q.5. vbi clarius verbis docet peccata cõmiſſa ante baptiſmum, non eſſe materiam confeſſionis.

Hinc colligitur falsò tribui Scoto oppoſitam ſententiam in 4. diſt.17.q. vnica art. 1.vltimo argumento, quod facit contra Gloſſam aſſerentem confeſſionem Sacramentalem, quò ad ſubſtantiam actus ab Eccleſia præcepta, ſic enim argumentatur Scotus: ſi ab Eccleſia confeſſio præcepta eſſet,atquè ita non caderet ſub diuino pręcepto, ſequeretur Infideles non teneri ad confeſſionem, atquè inde videtur colligere præceptum eſſe diuinum; quia obligat Infideles, in quos Eccleſia non habet poteſtatem. Sed falluntur ſic diſcurrentes in doctrina Scoti: nam Scotus hoc in loco argumentatur ad hominem, & ex conceſsis à Gloſſa, & à Canonis in hunc modum: Canoniſtæ vna cum Gloſſa affirmant infideles teneri ad confeſſionem: at ſi confeſſio eſſet tantum de præcepto Eccleſiaſtico, tum infideles ad eam non tenerentur;quia ſunt extra Eccleſiæ iuriſdictionem; igitur non poteſt aſſeri à canoniſtis præceptum confeſſionis eſse Eccleſiaſticum. Quare Scotus ſic argumentabatur non habendo pro vera doctrinam incluſam in illo argumento, ſed arguendo ad hominem, & ex conceſsis. Dices cum Ricardo in 4. diſt. 14.artic.2.q.4.in corpore, quod præceptũ hoc, eſt vniuerſale comprehendens omnes ſubditos: at diuinis præceptis etiam ſubſunt infideles non baptizati, ergò infideles non baptizati, etiam tenentur ad confeſſionem. Reſpon. Præcepta diuina obligare in iſto præcepto eos tantum, qui ſunt capaces talis obligationis, ſcilicèt eos in quibus eſt materia circa quam verſatur hoc præceptum; alias hoc præceptum etiam obligaret innocentes, quod eſt apertè falſum, ergò cum in infidelibus non baptizatis minime reperiatur peccatum, quod eſt materia remota Sacramenti pænitẽtiæ;hinc deducitur infideles minimè obligari ad hoc præceptum.

PROPOSITIO V.

Omnes fideles tenentur ad obſeruantiam huius præcepti.

DIfficultas poteſt eſſe de duobus perſonarũ generalibus, ſcilicèt de ſummo Pontifice, & de his, qui nondum peruenerunt ad pubertatis annum. Probatur de ſummo Pontifice: quoniam ſubijcitur iuri diuino, & dicitur miniſter, qui ſit illius in loco foro ſuperior. Probatur etiam de omni eo,qui eſt doli capax: nam Chriſtus voluit hoc eſse remedium neceſsariũ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem; ſed ante annos pubertatis, poteſt qui eſse lapſus poſt baptiſmum, ergò tenetur ſumere hoc medium neceſsarium.

Scotus in 4.diſt 17.quæſt. vnica §. de 2. habet hæc verba: debet confiteri adultus, ideſt habens vſum rationis; & cognoſcens peccatum; per quem adultum, non intelligo tantæ, vel tantæ ætatis, ſed quod habeat ſufficientem ætatem ad cognoſcendũ iuſtum,vel iniuſtum: quibus in verbis ſupponit Doctor, quod obligandus ad confeſſionem, debet eſse baptizatus, quod docuit his verbis: quicumquè amiſit primam gratiam, tenetur de neceſsitate præcepti &c. quo ſuppoſito ait, quod adultus baptizatus, gaudens vsù rationis, quicumquè ſit, tenetur iure diuino ad confeſsionem. Deniquè exponens quid intelligatur per ly adultum, ait intelligere, cum qui habet vſum rationis. Vnde concludos quod

quod quicumque homines, habentes vſum rationis, & poſt præceptum baptiſmũ ceciderũt in aliquod mortale tenentur ad cõfeſsionem ſacramentalem, etiam ſi ſint ſciſmatici, & hæretici. Patet quia materia neceſſaria pœnitẽtiæ ſunt mortalia peccata commiſſa poſt baptiſmum; ergò omnes ſciſmatici, qui in peccatum mortale ceciderunt poſt baptiſmum, iure diuino tenentur inquirere remedium ad ſalutem neceſſarium; ſed medium hoc neceſſariũ, eſt Sacramentum pœnitentiæ, ergò tenentur ad Sacramentum pœnitentiæ.

PROPOSITIO VI.

Tenẽtur qui in Confeſſione præcedenti valida, omiſerunt aliquod peccatum, vel ex obliuione, vel ex alia rationabili cauſa, illud confiteri ſi recordentur.

EST communis, & patet ex vſu Eccleſiæ. Ratio Propoſitionis eſt; quia illa peccata non deuenerunt ita perfectè in iudicium, vt exigit confeſsio requirens perfectam cauſæ cognitionem; præmiſſa autem fuerunt illa peccata in alia confeſſione, in qua non fuerunt Confeſſario manifeſtata. Remiſſa ſunt ergò tantùm ſecundariò; quia gratia collata ad delenda aliqua peccata, conſequenter delet omnia. Accedit etiam, quia vt dicit Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in vniuerſum eadem confeſsione incluſa eſſe intelliguntur, & conſequentèr ſignificat Concilium deleri pirimariò, & directè id, quod colligitur ex forma. Dices: ita deuenerunt in illud iudicium, vt ſint deleta virtute clauium: ergò non eſt cur amplius ſubijciantur clauibus. Reſpondeo, deueniſſe ſufficientèr ſuppſitis circumſtantijs, vt poſſent deleri virtute clauium; non tamen ita perfectè, vt fuerit iudicium omninò perfectum, quo ad cauſæ cognitionem; ideò opus eſt, vt perfectiori modo ſubijciantut clauibus. Riccardus diſt. 17. ar. 2. quæſt. 6. dicit eſſe remiſſa ſub illa conditione, vt reſtet obligatio confitendi, quando quis recordabitur eorum.

PROPOSITIO VII.

Tenentur, qui dubitant ſe habere aliquod peccatum mortale.

EST communis Doctorum dum agũt de integritate. Moneo tamen cum Nauarro 2. 64. 65. de Pœnit. D. 9. ac in re largius habendum eſſe cum ſcrupuloſis, qua de re legendus etiam eſt idem Nauarrus in cap. Fratres num 28. de pœnit. D. 5. qui refert verba Caietani. Quando eſſet tantum peccatum dubium, eſſet conferenda abſolutio ſub conditione.

PROPOSITIO VIII.

Non tenetur quis ratione peccatorum à quibus eſt ſemel ſacramentaliter, abſolutus.

SI ſit abſolutus etiam in effectu, clarè patet propoſitio: quia ab illo naufragio liberatus iam eſt per vnam confeſsionem; Si autem abſolutus eſt tantum ſacramentalitèr, oſtendo: quia ſufficit ſi acceda t diſpoſitio, vt Sacramentum antiquum habere poſsit effectum ſuum; nam eſt cõmunis ſententia eorum, qui concedunt cõfeſsionem informem, illam habere effectum ſuum recedente fictione, vt licet contrarium teneat Sotus, qui concedit confeſſionem informem diſt. 18. q. 3. art. 3. ad quartum, qui affert pro ſe D. Auguſtinum.

Ego verò exiſtimo virtutẽ hanc cõceſsã eſſe omnibus Sacramentis, qua de re legẽdus eſt D. Antoninus 3. p. titulo 14. c. 19. §. 5. canon. par. 5. verſic. ſequitur pagina 83. & quidem ſi intelligamus de Sacramentis imprimentibus caracterem. Probatur; quia nõ eſt cur aliquis priuetut fructu Sacramenti irrecuperabilitèr: cum Sacramenta imprimentia caracterem, ſint irreiterabilia. Ex quo fundamento idem colligo in alijs Sacramentis, quæ aliqua ratione ſunt irreiterabilia. Nam matrimonium non eſt iterabile inter eoſdem coniuges etiamſi fictè ſuſceptum; & extrema vnctio non iteratur ia eadem infirmitate, etiamſi fuerit fictè ſuſcepta: at non eſt rationabile

Digitized by Google

tionabile, vt quis careat neceſſariò gratia ſacramentali, dum durat matrimonium illud, vel infirmitas. In Sacramento confeſsionis eſt etiam aperta ratio, de qua Cano. q.5. pagina 84. verſic. ergò tamen quia peccata videntur debere deleri virtute illius iudicij, ad quod ſunt deducta; nec benè dicit Sotus deleri per contritionem ſubſequentem: nam contritio nō debet, niſi virtute clauium, vt definit Trid. quare intelligendæ ſunt claues; nec rectè aſsignantur claues in cōfeſsione ſequenti, tùm quia peccata non deducuntur in illud iudicium; tùm quia non ſequi alia confeſsio ſi nimirum poſt confeſſionem inculpabilitèr factam ex defectu doloris, ſtatim quis aduertat, & ſuppleat dolorem, & moriatur iſte abſque vllo nouo peccato poſt confeſsionem illam fictam: cum enim non teneatur repetere confeſsionem fictā, vt etiam Sotus concedit, peccata delebūtur non virtute clauium, & conſequentèr non verificatur dictum Chriſti: Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt,& Sacramentum pœnitentiæ non eſſet medium ad ſalutem neceſſarium.

De Sacramento autem Euchariſtiæ, veriorem eſſe credo partem oppoſitam, quia non procedunt rationes aſsignatę pro alijs Sacramentis. Quare regula erit vniuerſalis, vt Sacramenta, quæ conſiſtunt in applcatione ad ſuſcipientem, ſortiantur effectum ſuum recedente fictione; Sacramentum autem Euchariſtiæ, quod eſt permanens, non ſortitur effectum ſuum, ſi fictè ſumatur, recedente fictione.

PROPOSITIO IX.

Qui non tenentur confiteri, hi nec ſunt capaces Confeſſionis ſacramentalitèr.

NAM iſti ſunt fideles, qui carentes caractere baptiſmi, quo redduntur idonei, ſunt inepti ad ſuſcipienda alia Sacramenta: ſunt etiam carentes vſu rationis, de quibus patet; niſi dum eſſent redditi ad vſum rationis, peccauerint, & dederint ſigna confeſsionis.

PROPOSITIO X.

Ratione peccatorum ante baptiſmum commiſſorum quis eſt hic incapax confeſſionis.

PRobatur, quia ſunt peccata commiſſa ab ijs, qui non ſubijciebantur clauibus, & per illa non eſt factum naufragium. Confirmatur, quia Sacramentum baptiſmi, & confeſſionis videntur eſſe ita conſtituta, vt media neceſſaria circa materiam propriam, vt verſari non poſſint circa eandem: nam ſeſſ. 14. cap. 1. Saramentum pœnitentiæ dicitur conſtitutum, vt remedium contra peccata commiſſa poſt baptiſmum; peccata igitur poſt baptiſmum commiſſa, tantum ſunt neceſſaria.

PROPOSITIO XI.

Ratione peccatorum aliàs ritè in confeſſione adductorum, eſt quis capax alterius confeſſionis.

PRobatur, quia ſunt omnia requiſita: nam cum ſit noua confeſſio, & nouus dolor, & noua materia, & abſolutio non erit inefficax: nam eſto, peccata illa ſint perfectiſſimè remiſſa quoad culpam, & pœnam; ſemper tamen confertur gratia, per quam magis quis elongatur à peccato, ſeù magis vnitur Deo. Dices forma ſacramentalis non poteſt bis cadere ſuper eandem materiam; ergò cum peccata fuerint materia primæ confeſſionis, non poterunt eſſe materia alterius confeſſionis. Reſp. diſtinguendo forma ſacramentalis non poteſt cadere ſuper eandem materiam, vel quaſi materiam proximam; concedo: remotam, nego: alioquin per eandem numero aquam nō poſſunt plures ſucceſſiuè baptizari. Replicabis: nemo à vinculis ſoluitur, niſi qui illis actu ligatur: ſed ille, qui nihil habet, quod confiteatur, niſi peccata iam confeſſa, & condonata nullis vinculis ligatur; ergò non poteſt Sacerdos ſalua veritate verborum (ego te abſoluo, &c.) impendere hoc Sacramentum. Conceſſa maiore, & minore diſtinguitur cōſequens; ſi verba illa ſacramētalia ex ſua inſtitutione ſigni-

ſignificare actualem tantum hic, & nunc ſolutionem à vinculis peccati actu exiſtentis concedo; ſecùs nego.

At forma huius Sacramenti, ſicut & baptiſmi, non actum, ſed virtutem ſuam effectiuam ſignificat, atque ita ſenſus verborum abſolutionis eſt (abſoluo te) ideſt impendo tibi Sacramentum habens virtutem delectiuam peccati, & re ipſa delens, ſi ineſt, nec ſit obex, vel ſi non ineſt, ſed influit poſt baptiſmum, & iam de nouo de eo doles, & confiteris, adaugens illi gratiam, ideòque maiori te libertati reſtituens, quod eſt quodammodo a vinculis ſoluere. Addo cum Caietano materiam non eſſe peccata, & vincula, quibus quis ſubiacet, ſed quibus aliquando ſubiacet, ſed quibus aliquando ſubiacuit; vt patet de eo, qui confitetur peccata deleta per præcedentem contritionem, & ita remanere poſſunt iudicanda: non quod poſſit nouus Confeſſarius illa retinere, cum ſint iam in iudicio perpetuo remiſſo, ſed quia poteſt ferre nouam ſententiã circa illa, cum nouo aliquo effectu, quod pertinẽt ad perfectionem, & largitatem huius diuini iudicij, hoc confeſſionis repetitio eſt laudabilis, & fructuoſa, vt dicunt Caietanus, & Nauarrus, ſi fiat ſine anſietate, & ſcrupuloſa conſcientia, & accedat bona diſpoſitio; quæ quoniam communitèr non ſolet eſſe centies in die, ideò non conueniet centies in die, eidem Confeſſario confiteri dicendo: confiteor omnia, quæ aliàs dixi. Adeſt ratio; quia natura noſtra ea eſt, vt non ita poſſit facile conſeruare reuerentiam, in eadem ſæpè eodem modo repetita confeſſione.

PROPOSITIO XII.

Ratione vniuerſalium eſt quis capax abſolutionis.

EST de fide in Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. & canon. 7. vbi peccata venialia dicuntur rectè, & vtilitèr; & citra vllã præſumptionem dici poſſunt in confeſſione. Adeſt ratio: quoniam peccata venialia sũt culpa, quæ remitti poteſt, & vinculum impediens, ingreſſum Cœlorum, quod ſolui poteſt virtute clauium. Legendus D. Bonauentura diſt. 17. par. 3. art. 2. q. 1. Alenſis q. 18. me. 4. art. 1. & 2. Vega lib. 13. in Trid. cap. 30.

Obijcies: Si venialia forent materia ſufficiens ad confeſſionem. Neceſſariò foret aſſerere eſſe à Chriſto datam Apoſtolis poteſtatem remittendi, etiam peccata venialia, quia Eccleſia nõ poteſt; At Chriſtus dedit ſemel poteſtatem remittendi, & retinendi, ergò ſi contra venialia datur poteſtas remittendi, dabitur & etiam poteſtas non remitendi, quod nemo dicit. Quidquid alij dicant. Reſpondeo datam eſſe à Chriſto poteſtatem remittendi venialia, & non retinendi; quod licèt non ita clarè appareat in Textu Euangelico tamen Tridentinum id docet, & fauet optima ratio: etenim ſi dedit poteſtatem remittendi venialia; quia hæc adeò ſunt frequentia, vt vis poſſent omnia venire in iudicium, & quoniam per illa non perdimus gratiam ſanctificantem, ob quam recuperandam eſt proportionata, & neceſſaria abſolutio, & confeſſo; hinc melius dicitur, quam quod ibi non ſit ſermo, niſi de mortalibus, vt colligatur data poteſtas abſoluendi à venialibus, quæ leuiora ſunt, vt loquitur Medina q. 5. de confeſſ. dubit. 2.

Digitized by Google

DISPVTATIO IV.

De tempore, quo homo taneatur confiteri ex præcepto Diuino.

PRemittendum poſse aliquem ex duobus modis obligari ad actum, qui ſub aliquo præcepto cadit. Primò per ſe, & ex vi talis præcepti. Secundò per accidens, & ex vi, & ratione alterius præcepti, & virtutis: v.g. obligamur ad præceptum confeſſionis, quando ſumpturi ſumus Euchariſtiam; tamen hæc obligatio, non eſt ex vi præcepti confeſſionis, vt ſic, quinimò ex præcepto dignè recipiendi Euchariſtiam, iuxta illud Corinthiorum 11. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; cæterum huiuſmodi obligatio minimè oritur ex confeſſionis præcepto, ſed ex illo præcepto, ex quo tenetur homo ad dignè ſuſcipiendam Euchariſtiam. Poteſt ergò duplicitèr conſiderari obligatio de iure diuino ad confeſſionem: Primò ſecundùm ſe abſolutè conſiderata. Secundò per accidens coniungendo aliquam obligationem alicuius circumſtantiæ, in primo ſenſu eſt diſcutienda difficultas; nã in ſecundo ſenſu certum eſt, quod obligatio confeſſionis ſacramentalis cum perpendatur coniuncta cum præcepto Eccleſiaſtico, obliget ſemel in anno. Certum eſt etiam, quod quando confeſſio ſacramentalis iungitur cum receptione Sacramẽti in tali caſu tenemur ad confeſſionem ſacramentalem, antequã accedamus ad Euchariſtiam, ſi adſit occaſio, ita vt non ſufficiat contritio, continens in voto confeſſionem, ſi adeſt tempus confitendi peccata mortalia. ſed requiritur ad receptionem Sacramenti confeſſio ſacramentalis verè exhibita, vt communitèr docent Doctores ex Trident. ſeſs. 13. cap 4. canon. 11. Veritatem circa propoſitam diſputationem docebunt quæ ſubſequuntur Propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Non tenetur homo iure diuino ſtatim poſt peccatum commiſſum confiteri.

PRobatur primò ex Trid. ſeſs. 14. cap. 5. vbi dicitur in cap. omnis vtriuſque ſexus, eſse determinatum tempus annuũ, quo eſſet præceptum implendum. Secundò, quia eſt præceprũ affirmatiuum, cuius natura, licèt ſit obligare ſemper, minimè tamen obligat pro ſemper.

Guglielmus Pariſienſis argumentatur contra nos, quia præceptum affirmatiuum obligat ſtatim, dum ſe offert opportunitas. Reſpõdemus, obligare quãdo ſe offert neceſſitas, nũc verò cùm primò ſe præmittat opportunitas, vt patet de hora recitandi officium, vel audiendi ſacrum. Replicabis ex noſtro Alenſe q. 18. m. 4. art. 4. §. 1. quod præceptum affirmatiuum confeſſionis obligat ſtatim cum accedit ſtimulus, vt à peccato debeat ſe ſurgere ne ſit quis ingratus contra Deum, & ne homo perſeueret in continua offenſione Dei. Addit etiã contritum teneri ſtatim confiteri: quia cõtritus non differt occaſionem dum ſe offert occaſio. Reſpondemus non omnem ſtimulum obligare, niſi ſit conſcientia obligans, quæ hic non eſt, niſi fuerit erronea, vt dicunt Durandus diſt. 17. q. 10. Nauarrus cap. 2. num. 10. can. par. 5. pag. 98. Moneo errare hunc Doctorem, dum dicit Innocentium Tertium determinare tempus annuum, vltra quod non licet differre confeſſionem, non tamen determinare tempus obligationis. Moueor ad hoc, quod ſcholaſtici omnes communitèr dicunt oppoſitum, & videtur colligi ex Trident.

PROPOSITIO II.

Tenemur confiteri in articulo mortis.

PRobatur; quia confeſſio eſt medium neceſsarium, & non ſupereſt aliud tempus illud aſſumendi: Extenditur ad periculum mortis,quando non poteſt prouideri intermedio tempore vſque ad articulum, vt cum ſuſcipitur periculoſa nauigatio ſine Sacerdote,&c Legite Nauarrum cap.2. num. 9. qui inter pericula numerat primum partum, & etiam ſecundũ, in ea, quæ experta eſt partum difficilem: & numerat imminens prælium; grauem,& auctam febrem. Io.Medina q.14. extendit etiam ad periculum diuturnæ, vel perpetuæ dementiæ.

PROPOSITIO III.

Tenetur quando occurrit probabile periculum, quod tempore, quo tenetur ad confeſſionem, occurrat ſibi aliquod graue impedimentum.

PRobatur: quoniam præceptum eſt datum ſimplicitèr, & abſolutè, vt infrà tale tempus, ſcilicèt totius vitæ impleatur: ergò debet homo curare, vt impleat; non curat autem ille, qui præuidens impedimentum futurum pro ſubſequenti tempore, & non implet prius. Impedimentum de quo loquuntur Doctores, eſt carentia cõfeſſarij ſimplicitèr, & Petrus Sotus idem dicit de carentia confeſſarij, qui poſſit abſoluere à reſeruatis, à quibus non poſſit abſolui, dum currit præceptũ confesſionis.

Dices ex nouo diſcurſu ſequi, quod teneretur homo ieiunare ante aſſignatũ diẽ ieiunij, ſi præuideret ante diem ieiunij,illo die futurum impedimentum. Reſpondent Theologi præcepta illa eſſe addicta,& cõiuncta certò,& determinato tẽpore,ideoq; qui præuenit,non ſatisfacit, & conſequenter nõ tenetur præuenire, at verò pręceptũ de confeſſione compræhendit totum tempus; nam qui peccauit mortalitèr implet optimè præceptũ cõfeſſionis, quod tenetur facere,vt mediũ ad ſalutem antequam moriatùr,& qui cõmunicat,ſatisfacit pręcepto diuino dẽ communicando ſaltem ſemel in vita, vt ait Canus,& quoniã ſuo loco præceptum explicauit, vt teneatur communicare antequã moriatur poſt peccatum cõmiſſum; ideò virtute huius præcepti tenetur quis præuenire articulum mortis. Ex his autem ſequitur eum, qui præuidet habiturum ſe impedimentum ſumendi Euchariſtiam in diebus Paſchæ, non tenetur præuenire; quoniam præceptum eſt addictum illis diebus: vndè præueniens, non ſatisfacit, quod euidètèr patet ex eo,quod ſi contingat impedimentum illis diebus non eſſe, teneatur communicare illis diebus; etiam ſi antea communicauerit: vndè licet præceptum illud non ſit ita addictum diebus illis, quin obliget etiam diebus ſequentibus, ſi in illis diebus fuerit omiſſum; quia eſt præceptum ne vlterius producatur ſumptio; quia tamen in hoc præcepto non continetur tempus præcedens, ita vt ſumendo tempore præcedente ſatisfaciat illi præcepto; ideò non eſt, vt hoc præceptum ità ſtrictè intelligamus, vt obliget ad præueniendum, ſi ſe objiciat aliud impedimentum, & ad iterum adimplendum, ſi impedimentum non ſuccedat. Item exiſtimo, ſi is, qui communicauit, iam poſt peccatum, & reconciliationem,& amplius non peccauit, præuideat periculum non communicandi in articulo mortis; hic enim non tenetur præuenire, niſi tempus, quo id præuidet, ſit ita proximum articulo mortis, vt contineatur illud tempus in eo tempore,quo obligat præceptum cõmunicandi in articulo mortis.

Replicabis ex P.Cano: eodẽ modo homo ſanus in principio diei ſi timeret febrẽ ſuperuenturam tenerètur diuinum totius diei officium præuenire. Reſpõdet Canus diſtinguendo duplex legitimum impedimentum; alterum liberum, puta faciendi opus magni momenti, & tunc dicit debere præuenire. Alterum impedimentum non liberum, ſed neceſſarium, vel à natura, vel à coactione, & tunc dicit non teneri.

Ego, quidquid ſit de oris: Reſpondeo breuitèr diuerſam eſſe rationi: quoniam præceptum horarum reſpicit totum diem, ita vt ſatisfaciat præcepto, quia in qualibet diei parte horas recitat, præſertim ſi præuenit, præuidens impedimentum.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

Non tenetur homo, propter periculum obligationis, confiteri ſtatim ſua peccata.

SOtus eſt opinatus præceptum diuinum cõfeſſionis obligare ex ſe quoties imminet periculum obliuionis peccatorum, quæ confitenda eſſent, & hanc obligationem reduxiſſe Eccleſiam ad annuam confeſſionem, quia tempus vnius anni iudicauit accommodatum, nè locũ habeat obliuio: hinc deducit Sotus, vt quoties quis verſatur in ſimili periculo obliuionis, non ob id teneatur confiteri, ſed ſatisfaciet illi præcepto, ſequendo ordinem Eccleſiæ: quia Eccleſia præceptum diuinum confitendi in periculo obliuionis, iam determinauit ad annuam confeſſionem. Nobis tamen hic diſcurſus non probatur: quia ſi tempus obliuionis peccatorum eſſet aſſignatum iure diuino ad obligationem huius præcepti; minimè in manu fuiſſet Eccleſiæ, hoc mutare tempus, ſicut nec etiam valet efficere, vt in extrema neceſsitate non obliget, quia hoc tempus à Chriſto aſsignatum eſt, & Eccleſia nequaquam abrogare, nec mutare valet diuinum ius. Addo, quod per Eccleſiam non rectè modificatum eſſet hoc præceptum, ſi iure diuino obligaret in periculo obliuionis: quippè moraliter eſt certum, eum, qui ſemel tantum in anno confitetur, etiam facto diligenti examine, aliqua peccata prætermiſſurum ob obligationem; ergò ſi illud præcisè obligat iure diuino in periculo obliuionis, non poſſet ex præcepto Eccleſiæ differri confeſsio ad annum. Item ex diſcursũ Soti deducitur Eccleſiam defeciſse, vt præceptum, quod iure diuino obligat in periculo obliuionis, nequaquã obligaret in tali periculo, quod dicet nemo. Sit aliud argumentum: confeſsionis præceptum non obligat, vt conſeruemus memoriam peccatorum, ſed vt quando confitendum eſt, præmittatur diligens examen peccatorum, & quæ tunc memoriæ occurrunt, confiteantur: ergò non obligat hoc periculum obliuionis peccatorum: alias teneremur peccata ſcribere, nè illorum obliuiſcamur. Item cum differens per annum confeſsionem, exponat ſe periculo obliuionis, ſequeretur peccare mortalitèr, qui ſemel confitetur in anno. Notandum etiam, quod, vt habetur ex Trident. ſeſ. 14. cap. 5. & canon. 7. tenemur cõfiteri illa ſola, quæ occurrunt facta diligenti examinatione. Nec dicatur eſse iam determinatum tempus ab Eccleſia, in quo (vt ait Sotus) communitèr recordamur peccatorum commiſsorum: tum quia, vt bene notauit Nauarrus, & docet experientia, nemo moralitèr loquendo, qui ſemel tantum ſingulis annis confitetur, recordatur omnium peccatorum.

PROPOSITIO V.

Tenemur confiteri noſtra peccata ante ſumptionem Euchariſtiæ.

PRopoſitionem iſtam ſæpius inſinuauimus notando, quod exiſtens ſub mortali, teneatur confiteri, ſi ſit communicaturus. Veritatem iſtam ſuadent verba illa ad Corinthios 11. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat. Communis eſt noſtra propoſitio.

PROPOSITIO VI.

Non tenetur quis ad confeſſionem, quando ſuſcipit alia Sacramenta, aut exercet alia munera exigentia gratiam.

OPpoſitum docent nonnulli Authores. Puto tamen, quod ad alia Sacramenta ſufficiat contritio cum confeſsione in voto, quæ dat gratiam. Ratio eſt; quia Tridentinum ſolum loquitur de Sacramẽto Euchariſtiæ. Accedit, quod & ſi ſit certum requiri ſtatum gratiæ ad dignam adminiſtrationem Sacramentorum; poteſt tamen homo illum ſtatum acquirere media contritione.

Obijcies, nobis Scotum in 4. diſt. 17. §. de 2. uerſic. vbi dicit confeſsionem eſse præmittendam ab aliquo, quando vult exercere aliquos actus, quibus debetur reuerentia ſpecialis; vt quando vult communicare, & in ſimilibus ſimile eſt iudicium. Quibus in verbis videtur dicere Scotus premittendam eſse confeſsionem ad dignã aliorum Sacramentorum adminiſtratio-

Digitized by Google

nem, vt patet ex illis verbis: & in ſimilibus ſimile eſt iudicium. Noſter Pater Iribar. diſp. 15. ſeſ. 9. dicit Scotum loqui ex ſuppoſitione: quod eſt dicere: ſi darentur actus ſimiles in dignitate ſumptioni Euchariſtiæ, ad illos exercendos, debere hominem exiſtentem ſub mortali, præmittere confeſsionem; hinc concludit Pater Iribar, quod ſi non dentur tales, aut ſimiles actus, ad nullum debet præmitti confeſsio. Mihi verior videtur altera expoſitio illorum verborum: in ſimilibus ſimile eſt iudicium, non eſſe illa verba referenda; quando vult exercere aliquos ſtatus &c. quinimò Scotum velle, illa verba cõnexionem habere ad illa, quæ præmiſerat declarando, quando exiſtens ſub mortali teneatur confiteri. Hinc dicendum Scotum præmiſsiſse neceſsitatem confeſsionis, quando imminebat mors, vt in bello mortali; in naufragio, & huiuſmodi, & ſubitò ſubiungit illa: etiam quando vult exercere aliquos ſtatus, &c. concludendum igitur, verba illa: & in ſimilibus, ſimile eſt iudicium; referenda eſſe ad exempla illa, quibus declaverat imminentiam mortis; ac ſi diceret Scotus, quod tempore peſtilentiæ: in anguſtijs periculoſi partus, & in ſimilibus, tenetur quis confiteri; ſicut in bello mortali, & naufragio. Vnde ex his nil ſequitur contra noſtras propoſitiones.

DISPVTATIO V.

De obligatione confitendi, orta ex præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſsionis.

QVAS includit difficultates iſta diſputatio, dabimus ſolutas ſubſequẽtibus propoſitionibus. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Præceptum confeſſionis in aliquo determinato tempore non eſt ſimpliciter diuinum.

PRobatur, quia hæc determinatio nullibi legitur, niſi in decretis Pontificum, vt in decreto Innocentij Tertij, in C. omnis, vbi præcipitur confeſſio annua.



PROPOSITIO II.

Confeſſionis annuæ præceptum, non eſt ſimpliciter Eccleſiaſticum, ſed diuinum ab Eccleſia determinatum.

DIximus, ergò præceptum annuæ confeſſionis eſſe humanum quantum ad determinationem temporis: quia Chriſtus reliquit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem præſcribendi longiora, vel breuiora tempora obligationis confeſſionis, pro vt ipſi videbitur vtilitati fidelium conuenire. Quo ad ſubſtantiam autem, præceptum iſtud eſt diuinum. Probatur 1. ex Trident. ſeſſ. 14. c. 5. vbi probans contra hæreticos præceptum confeſſionis eſſe diuinum, & non Eccleſiaſticum, dicit (neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur, quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed vt præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis peruenissent, impleretur.) Secundo, quia, vt notat

Digitized by Google

notat Nauerſus, hoc præceptum confeſſionis annuæ obligat etiam ſi quis habeat tantùm peccata interna, & cordis: at Eccleſia non poteſt præcipere confeſſionem peccatorum cordis, vt ſupra probauimus, ergò &c. ſit altera probatio. Rationabile fuit hoc præceptum dari à Chriſto, ita indeterminatum, vt iuxta fidelium diſpoſitionem poſſet ab Eccleſia determinari, vt obligans tamquàm diuinum: nam cum ſit medicina valdè difficilis, & valdè vtilis; conuenientèr præcepta eſt pluſquam ſemel in vita, & non determinatè ad aliquod tempus.

PROPOSITIO III.

Si nulla eſſet determinatio præcepti diuini facta ab Eccleſia, nulla eſſet obligatio confeſſionis, præter caſus enumeratos in propoſitione ſupra.

PRobatur, quia præceptum hoc, eſt adeo indeterminatum ex natura ſua, vt licèt eſſe poſſet cauſa determinationis rationabilis ad hoc tempus, potius, quàm ad aliud, qualis eſt illa, quæ mouit Eccleſiam, vt determinaret tempus ad annum; non tamen eſſet ſufficiens ad determinandum cum obligatione: nam quis dicet eſſe determinatum ſaltem tempus decem annorum cum poſſit. Alij dicerent non eſſe neceſſarium: quia aliunde poſſet eſſe iuſtificatio, & remedium. Confirmatur: quia præceptum hoc, eſt adeo graue, & ſupremi ordinis, vt obligatio determinata, non poſſit eſſe niſi à ſuperiore. Idem exiſtimo dicendum de præcepto communionis ob eãdem rationem; & eſt diuerſa ratio à præcepto de Alendis Eccleſiæ Miniſtris, quod poſſet determinari arbitrio boni viri; etiam ſi non eſſet facta determinatio ab Eccleſia, vt ſoluerentur decimæ.

PROPOSITIO IV.

Hoc præceptum obligat ad mortale. Eſt communis Theologorum, & Iuriſtarum.

PRobatur: quoniam eſt determinatio præcepti diuini, quod proculdubiò obligat ad mortale: cum ſit de medio neceſſario ad ſalutem. Secundo probatur, quia eſt de materia valdè graui. Tertio, quia ſolet ferri excommunicatio in eum, qui omiſit confiteri ſemel in anno.

Non me latet Durandum diſt. 17. q. 14. reuocare in dubium: An poſſit Eccleſia per ſe ſtatuere determinatum tempus confeſſionis, & proprium præceptum imponere de confeſſione tali tempore facienda, tamen (pace Durandi) immeritò de illo dubitat: eſt enim res certa, talem poteſtatem in Eccleſia reſidere. Dices cum Durando non dari verbum præceptorium. Reſpondent Ioannes Medina, & Sotus, quod verbum illud (confiteantur) eſt præceptorium. Secundò dicunt præceptum obligans ad peccatum mortale non colligi ex pœna appoſita in illo canone; vt qui non obedit, viuus, arceatur ab Eccleſia, & mortuus, Eccleſiaſtica careat ſepultura, nam cadit ſupra eum, qui non communicat; nam aliquem non confiteri, non poterit iuridicè eſſe notum Eccleſiæ. Reſpondet Medina, & dicit 1. eſſe poſſe notum ſi confeſſor negat aſolutionem; ſi, cum ſit publicus peccator, non ſe præſentauit Sacerdoti &c. Ego addò eſſe modum aptiſſimum, ſi præcipiatur, vt quis afferat teſtimonium confeſſionis, & non affert. Secundo dicit pœnam cadere ſupra totum ſtatutum, vt nimirum illam incurrat, qui deliquit, quo ad ſingula in ſtatuto præcepta, & non requiratur quoad omnia copulatiuè. Ego dico pœnam illam non magis afficere eum, qui non communicat, quàm eum, qui non confitetur: quarè ſufficientia inde habeat vtriuſquè præceptum eſſe æquè obligatorium.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO VI.

Ad quid obligat hoc præceptum cum annua determinatione.

QVÆ ſubſequũtur propoſitiones, ſatisfacient diſpoſitioni. Incipiamus à Prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Non obligat, vt confeſſio fiat certo anni tempore, ſcilicèt in Quadrageſima, vel circa dies Paſchæ.

PVtamus ergò ſufficere ſi fiat in qualibet anni parte. Eſt communis Doctorum, qui communitèr dicunt obligare ſemel in anno, ſaltem in anno, & nihil addunt de anni parte determinata. Fundamentum propoſitionis eſt, quoniam in can. omnis, non eſt expreſſa anni pars determinata, cum tamen ſit determinata pro communione. Petrus Sotus oppoſitum tenet, & dicit hanc determinationem haberi ex Concilio Lateranenſi; ſed gratis hoc dicit. Alij dicunt eſſe præceptum confitendi in in quadrageſima proptèr Euchariſtiam ſuſcipiendam. Debile eſt hoc fundamentum, vt alias notaui, & eſtò ordinaretur confeſſio ad Euchariſtiam, tamen potuit non eſse peccatum mortale multo tempore poſt confeſſionem factam ante Quadrageſimam.

PROPOSITIO II.

Non eſt aliquo alio nouo iure introducta confeſſionis obligatio in Quadrageſima, vel circa dies Paſchæ.

FVndamentum eſt, quoniam ſecundum communem ſenſum Eccleſiæ, & teſtimonium Trid. ſeſ. 14. c. 5. & can. 8. obligatio confitendi ſemel in anno refertur in conſtitutionem magni Concilij Lateranenſis.

Oppoſitum tenet Ioannes Medina, qui affert 1. conſuetudinem. Secundo hominum communem opinionem, qui niſi in ea anni parte confiteantur, putant ſe eſſe legis præuaricatores. Tertio ſtatuta Prouincialia, in quibus præcipitur Curatis, vt dirigant in Catalogum eos, qui in Quadrageſima ſunt confeſſi; & eos, qui confeſſi non ſunt, puniantur. Quarto addi poteſt ſtatutum Concilij Agatenſis, quod refertur in can. in c. Quadrageſimæ. D. 50. quod initio Quadrageſimæ, pœnitentibus imponatur pœnitentia, quod eſt decretum Xiſti IV. Sexto teſtimonium Trident. ſeſ. 14. cap. 5. approbantis laudabilem morem in vniuerſa Eccleſia confitendi in Sacro Quadrageſimæ tempore. Iſtis omnibus ſuo ordine ſatisfacimus.

Ad primum Reſpondemus, illam non eſſe conſuetudinem inducentem obligationem: nam introducta eſt propter commoditatem communicandi pro his, qui communicari tenentur, & pro alijs, qui non tenentur communicari: quoniam tunc omnia ſunt accomodatoria confeſſioni, & qui non tenentur communicari, excitantur à grandioribus, qui communicari tenentur, vt tunc cum ipſis confiteantur. Ad ſecundum dicimus illam exiſtimationem eſſe Rudiorum.

Ad Tertium Reſpondeo, ſtatutis Prouincialibus præcipi, vt tunc fiat Catalogus eorum, qui confeſſi ſunt, vt ſimul innoteſcat, qui communicarunt, & qui confeſſi ſunt, & quoniam communitèr tunc confitentur; ſed non dicunt habendam eſſe rationem tantum eorum, qui confeſſi ſunt in Paſchate, ſicut eorum, qui in Paſchate communicarunt.

Ad quartum, ibi eſt ſermo de pœnitentia publica, vt patet. Ad Sextum Reſp. Trident. approbare morem optimum, ſed non, quod habeat vim legis, vt ſi approbaret morem recitandi ſolutionem Angelicam ad Veſperinum Campanæ pulſum.

DIF-

Digitized by Google

DIFFICVLTAS.

Quando debeat computari hic annus?

RAtio diſſiculandi eſt, quia varij poſſunt eſſe modi: nam primus modus eſſe poſſet, vt à tempore, quo quis factus eſt doli capax, numeretur annus, intra quem teneatur confiteri, & ſic deinceps; ita, vt numquam vna confeſsio diſtare poſſit ab alia pluſquam per annum. Secundus modus, vt ſint ſecundum omnes eodem modo diuiſi anni, ita vt, qui factus eſt doli capax tenetur intra illum annum confiteri, etiam ſi, eius magna pars effluxerit; at huius anni initium poteſt multis modis aſſignari. Primò in Natali Domini. Secundo in Paſchate, & pro hoc vltimo modo. Sit propoſitio.

Quæ probatur ex can. omnis; nam dicitur, vt confiteatur ſemel quiſquè in anno: nam ſi intelligeretur iuxta primum modũ, dixiſſet, vt confiteretur intra annum poſt vltimam confeſſionem. Quòd autem initium, ſit ſumendum à Paſchate; ſuadetur ex communi, & rationabili vſu: omnes enim fideles tunc deliberant, num nati ſint apti ad confeſſionem faciendam. Dices: tunc aliquis poſſet ferè per biennium abſtinere ſe à confeſſione ſine præcepti præuaricatione; vt ſi pro anno 66. confiteretur initio, & pro anno 67. confiteretur eiuſdem in fine. Reſpondeo hoc non eſſe conueniens quoniam obligatio ad communicandum in Paſchate non permittit hoc per multum tempus durare. Replicabis, tunc poſſet quis, cum confeſſus ſit Sabbato Sancto pro anno præterito, confiteri Sabbato ſequenti pro anno futuro, & ita liberari à præcepto per confeſſionem octo, vel pauciorum etiam dierum. Reſpond. eum, qui ita confitetur, ſi confitetur peccatum aliquod mortale, ſatisfacere præcepto per confeſſionem pauciorum illorum dierum; & inconueniens tollitur ex ſolutione primæ obiectionis. Si autem confeſſus ſit tantum peccata venialia, non ſatisfacit pręcepto: quia præceptum eſt de confitendis mortalibus; quare, qui confitetur tantum venialia, facit opus ſuper erogationis. Ex quo fit, eum qui ſæpiſſimè confeſſus eſt tantum venialia per totum annum, & vnũ committet mortale in extremo anni, teneri ad cõfeſſionem, antequam annus effluat.

PROPOSITIO PRIMA.

Qui non ſunt confeſſi ante annum, tenentur ſtatim habita opportunitate confiteri.

ITA docent multi Doctores, inter quos eſt Ioannes Medina qu. 4. de confeſſ. Sotus diſt. 18. q. 1. Artic. 4. Nauarrus cap. 2. num. 45. ſuadet ratio: quia tempus præſcribitur, non vt illi fiat irreuerentia, ſed non ſolutio debiti vlterius differatur.

PROPOSITIO II.

Qui confeſſus eſt omnia peccata, quorum habuit materiam, ſi poſtea alicuius peccati recordatur, non tenetur iterum eodem anno confiteri.

PRo iſta propoſitione eſt Nauarrus cap. 2. num. 10. Bartolomeus Medina lib. 1. §. 41. Fundamentum eſt, quoniam præcipitur confeſſio ſemel in anno, & non ſæpius. Medina limitat noſtram propoſitionem niſi peccata oblata occurrant antequã fluat annus: quoniam præceptum eſt, vt confiteatur quis ſemel omnia peccata: at hic non eſt confeſſus illa, quorum nouo recordatur; & ſi confiteatur, non niſi ſemel confiteatur omnia peccata, etiam ſi plures ſint confeſſiones.

Non placet: quoniam canon propoſitũ, eſt præcipere vnam omnium peccatorum confeſſionem, quæ tunc memoriæ occurrunt: nam ſi ille confiteretur peccata oblita, verè bis confiteretur. Nec rectè diſcrimen faciunt, ſi recordetur antequam labatur, vel poſtquam lapſus eſt annus: nam vt ipſi timent, præceptum hoc eſt, ne differatur confeſſio poſt annum. Nauarrus limitat, niſi fuerit recordatus, antequam communicaret, & ex iuxta cauſa communicauit abſquè confeſſione. Sed nos iam ſupra diximus contra iſtam limitationem. Pater Sotus limitat, ſi oblitus ſit culpa ſua; circa quod dicõ, quod ſi culpa ne impediuit, rem Sacramenti, non tenetur; ſi autem impediuit; tunc eſt difficultas ſoluenda.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO VII.

Vtrum in Eccleſia ſit poteſtas pœnitus abrogandi præceptum confeſsionis, aut ſaltem in eo diſpenſandi. Veritatem docebunt, quę ſubſequuntur propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

In Eccleſia non eſt poteſtas pœnitus tollendi hoc preceptum.

PRobatur faciliter ex eo, quoniam legem Superioris non poteſt tollere inferior: ergò cum confeſſio ſit de iure diuino non poterit tolli ab Eccleſia.

PROPOSITIO II.

Summus Pontifex non poteſt legitimè omninò tollere determinationem huius diuini præcepti.

PRobatur, nam cum à Chriſto ſit datum præceptum indeterminatum, quoad reliquum vitæ tempus, præter articulum mortis; credendum proculdubio eſt datum eſſe præceptum ſummo Pontifici, vt ſecundum rectam rationem, hoc tempus determinet; igitur non poteſt legitimè non determinare; & cum iam facta ſit aliqua determinatio, non poteſt iam illam omnino tollere, licèt, ſi tollat, ſubditi non tenentur: quia deeſt determinatio, quæ eſt conditio neceſſariò requiſita ad obligandum.

PROPOSITIO III.

In Eccleſia non eſt poteſtas diſpenſandi in hoc præcepto, quoad id, quod eſt iuris diuini.

EST communis. Fundamentum commune eſt; quia inferior non poteſt diſpenſare in præcepto Superioris. Altera ratio fauet quia Sacramenta præcipiuntur de iure diuino, vt fundamenta, & conſequentèr ſupponuntur ædificio Eccleſiæ, & Eccleſia non poteſt variare illorum neceſſitatem, pro vt eſt à Chriſto impoſita.

Obijcies, quod Papa diſpenſare poteſt in voto, & iuramento, & ſecundum canoniſtas etiam in matrimonio rato, & non conſumato cum obligent de iure diuino. Reſpondi cum D. Thoma, Victoria, & Soto; rationem eſſe diuerſam; quod in illis obligatio non oriatur ſimplicitèr ex diuino præcepto, ſed ex actione humana, in qua, cum poteſtatem habeat Eccleſia, inde fit, vt poſſit Eccleſia diſpenſare. Et confirmatur ex Cano, & Soto lib. 7. de Iuſtitia, & iure, quæſt. 4. artic. 1. quia obligatio, quæ oritur ex actione noſtra, eſſe poteſt impedimentum maioris boni proptèr quam oritur ex actione noſtra, qua non ita dignoſcimus, quæ ſunt nobis ita vtilia; atquè ideo conueniens huic, vt in Eccleſia eſſet poteſtas diſpenſandi ſecundũ rectã rationẽ in illis legibus, quæ ortũ habent ab humana actione; talis autem ratio, non procedit in obligatione, quæ oritur ſimplicitèr ex ordinatione diuina, quæ omnia nouit, præſertim, quia præceptũ Sacramenti tale eſt, vt non impediat maius bonum.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO IV.

In Eccleſiá eſt poteſtas variandi hanc determinationem.

PRobatur, quia recta ratio dictare poteſt neceſſariam frequentiam,& confirmatur ex vſu: nam credibile eſt tempore Fabiani, quando præceptum erat communicandi ter in anno fuiſſe etiam præceptũ frequentius confitendi, quam ſemel in anno, vel ſaltem confirmatur ex varia determinatione præcepti de ſumenda Euchariſtia, & hoc ita verum eſt, vt iuxta varia perſonarum genera, vel ſtatus, poſſit varium tempus determinare ſecundum rectam rationem.

PROPOSITIO V.

In Eccleſia eſt poteſtas diſpenſandi quoad illud, quod eſt iuris humani.

EST communis: nam poteſt cadere ratio ſufficiens in aliqua determinata perſona; ergò poterit Summus Pontifex diſpenſare. Rationabilis cauſa diſpenſandi videtur eſſe in eo, qui eſt inter infideles, vbi non eſt copia confeſſoris, vt non teneatur maximo cum incommodo ſuo, & detrimento animarum; quas vult acquirere Chriſto, ire in longinquas partes, vt confiteatur.

DISPVTATIO VIII.

De Circumſtantijs.

Quæ circumſtantiæ peccatorum in confeſſione ſint aperiendæ.

CIrcumſtantiæ in propoſito ſunt accidentia, ſeù affectiones quædam accidentales actuum humanorum, eorum bonitatem, vel malitiam augentes, vel minuentes, vel omninò in aliam ſpeciem mutantes, & in genere reducuntur ad ſeptem.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomòdo, Quando.

QVIS: ſignificat ſubſtantiam operantis; an ſcilicèt ſit laicus, Clericus, Religioſus, Votum ſimplex habens, ſolutus, coniugatus in officio, vel dignitate conſtitutus; Diues, Pauper extremè indigens: Parens, Dominus, Seruus, Iuuenis, Senes, Puber, Impuber, &c.

QVid: ſignificat quantitatem rei; multum ne, vel parum in quantitate bonorum, vel famæ, vile, pretioſum in qualitate, &c.

VBI: An in loco ſacro, vel profano, quoad ea, quæ ſpecialitèr Sanctitati loci præiudicant; aut homicidium fornicatio, effuſio ſanguinis, &c.

QVibus auxilijs: An armis iure prohibitis, & quibus auxiliarijs, & an eos induxiſti ad, &c.

CVR: quo fine, an ad occidendum, fornicandum, inebriandum furatus es: an cum propoſito numquam reſtituendi.

QVomodo: an ex paſſione, vel deliberatione, ignorantia, vel certa ſcientia, an voluntatè intenſa, vel remiſſa, an cum alterius damno, percuſſione, vel iniuria.

QVando: An tempore ſpecialitèr prohibente talem actum, ſcilicèt feſto, vel feriali tẽpore belli, vel pacis.

Digitized by Google

Sunt ergò numero ſeptem. Nec eſt, quod nobis obijcies. Scotus quolib. 18. §. de primo verſ. in iſta autem vbi tantùm quatuor enumerat circumſtantias, ſcilicèt, Cur: Vbi: Quomodo: Quando. Reſpondemus enim Scotus illas circumſtantias tantùm enumeraſſe, non tamen excluſiſſe alias, nec indè eſt inferendum ſubtiliſſimum Doctorem hac in re diminutè proceſſiſſe: etenim tunc non diſputabat de numero circumſtantiarum, ſed declarabat quomodo bonitas, aut malitia actionis aliquo modo ſit quid potentiale; aut contrahibile per bonitates, aut malitias circumſtantiarum.

Enumeratæ circumſtantię ad tres claſſes reducuntur, ſcilicèt ad circumſtantias intrà eamdem ſpeciem aggrauantes; ad circumſtantias intra eãdem ſpeciem minuentes; & ad circũſtantias ſpeciem totabilitèr mutantes; aggrauantes, vel minuentes; eas dicimus, quæ intra eamdem ſpeciem: v.g. furti, augent, vel minuunt malitiam ipſam mortalem, v.g. Decem aureos ſimul quis furatus eſt: Iſte leuius mortalitèr peccauit, quàm ſi centum fuiſſet furatus: Item multò notabilius peccaſti, ſi viginti homines vno tormenti ictu, vel vno incendio occidiſti, quàm ſi vnum, vel duos tantùm: Item detraxiſti viro graui, & boni nominis in re notabilitèr grauiori coram multis, illiſque ad ſcandalum, vel infamandum proximum inclinatis: Notabilitèr grauiùs ſub ſpecie detractionis deliquiſti, quàm ſi alicui non tantę exiſtimationis, vel non in rè tanta, vel non coram multis, vel ſi ſic, & ſunt diſcreti, prudentes ad ſcandalum, vel infamandum non procliues, ſeu faciles: Item intra eamdem ſpeciem ſacrilegij notabilitèr grauiùs peccaſti, ſi Religioſus cùm Religioſa, quàm ſi cùm ſæculari perſona peccaſti.

Circumſtantiæ mutantes ſpeciem dicuntur, quæ, vel de veniali faciunt mortale, aut è contrà etiamſi intra eamdem ſpeciem phyſicam peccati fiat: ſuppono enim peccatum mortale, & veniale, aliquando eſſe eiuſdem ſpeciei; vt furtum vnius caroleni, & furtum ducati: & ità ſi medium carolenum à non indigente rapuiſti, venialitèr peccaſti; ſi autem ab extremè indigente, mortalitèr. Secundò dicuntur mutare ſpeciem, quando ſuperiori malitiæ moralitèr addunt nouam, & ſpecie diſtinctam malitiam, ſimilitèr moralem; & hoc eſt proprijſſimè mutare ſpeciem. Optima autem Regula dignoſcendi circumſtantiã ſpeciem mutantem à non mutante, eſt: ſi ſi vna, non altera præcipiatur, vel prohibeatur, & diſtincto ſpecie motiuo ab eo, quo præcipitur, vel prohibetur ſubſtantia actus, vt in prohitione furti eſt motiuum Religionis: In furto rei ſacræ, vel ex loco ſacro, eſt motiuum Religionis: Itèm teneris ieiunare ex voto, & ratione iniunctæ pœnitentiæ, quibus duæ malitiæ ſpecie diſtinctæ opponuntur. E contra verò ſi in vigilia vnius Sancti incidente in Quadrageſima, vel quatuor temporum trãſgreſſus eſt ieiunium, non multiplicaſti ſpeciem peccati: quia diuerſis titulis, vnico tamen motiuo principali, nempè temperantiæ, & auſteritatis pręcipitur tunc ieiunium. Dices circumſtantia mutans ſpeciem conſtituit hoc ipſo nouã ſpeciem bonitatis, vel malitiæ in actu: ſed ſolius obiecti eſt dare ſpeciem actui; ergò talis circumſtantia habebit rationem obiecti potius, quàm circumſtantiæ. Item circumſtantia non mutans ſpeciem, eſt quædam pars ſubſtantiæ actus humani, vt patet de intentione, & remiſſione actus, paruitate, vel magnitudine obiecti, ergò, &c. Ad primum reſpondemus diſtinguendo minorem: ſolius obiecti principalis ipſius actus eſt dare ſpeciem, nego: obiecti principalis actus, & obiecti etiam circumſtantiæ; concedo minorem, & negatur conſequentia, quia licèt locus ſacer, v.g. ſit obiectum prophanationis, quæ eſt circumſtantia in homicidio; ipſi tamen homicidio planè accidit, & ita reſpectu homicidij erit merè accidens, ſicut & ipſa prophanatio. Ad ſecundum diſtinguo antecedens: Eſt pars ſubſtantiæ, phyſicè loquendo; tranſeat: moralitèr; negatur. Theologi enim, & Philophi morales; quidquid poteſt abeſſe, & adeſſe actui, circumſtantiam vocant, etſi ſubſtantiam ingrediantur. His ſtantibus veritatem ad hanc rem ſpectantem, docebunt quæ ſubſequuntur propoſitiones; obſeruando primò nónulla documenta de bonitate actus.

DO-

Digitized by Google

DOCVMENTVM PRIMVM.

Omnes circumſtantiæ morales quomodolibet ad conſtitutionem actus humani incurrentes, & ipſum ponentes in aliqua ſpecie determinata moris, non ſunt accidentia, quinimò conditiones eſſentiales actu, in gènere moris: at circumſtantiæ, quæ, vel dant ſecundam ſpeciem, vel potius intra eamdem ſpeciem augent, vel minuunt bonitatem, vel malitiam actus in genere moris, ſunt accidentia actus moralis, & propriam retinent rationem circumſtantiæ.

MOnemus actus poſſe conſiderari in eſse naturæ, & in eſse moris; magnam inter iſtam diſtantiam cadere ſciunt Docti: quippè idem impartitus actus poteſt eſse eiuſdem ſpeciei in eſse naturæ, & alterius ſpeciei in eſse moris. Exemplo res declaratur: comedere carnes eſt eiuſdem ſpeciei in eſse naturæ, ſiuè fiat in die prohibito, vel non prohibito; diuerſæ tamen ſpeciei in eſse moris, proptèr conformitatem, aut diſformitatem ad rationes: Imò idem numero actus inuariatus in eſſe naturæ poſset ſpecificè in eſse moris, induere diuerſas rationes, ſiuè ſermo de interiori, ſiuè de exteriori, habeatur actu; vt v.g. Si quis continuet actum comedendi vſque ad tempus præcepti ieiunij, aut continuet voluntatem comedendi. Vndè patet; quòd eſſe moris, & eſſe naturæ diſtinguuntur inter ſe. Actus humanus in genere phyſico ſolùm dicit, eſſe qualitatẽ quãdam à voluntate liberè agente ex præuia cognitione: Hinc accedere ad vxorem propriam, & mulierem alienam, licèt in genere phyſico, illi acceſſus ſint eiuſdem ſpeciei, tamen in genere moris ſub alia, & diuerſa, clauduntur ſpecie: quippè primus acceſſus eſt bonus moralitèr; acceſſus verò ad mulierem alterius eſt malus.

Prima noſtri documenti pars, ea quæ ſubſequitur ratio, probatur. Bonitas moralis non conſiſtit in aliqua ſimplici qualitate, ſed in aggregatione omnium conuenientium actui ſecundum rectam rationem ſicut patet de pulchritudine corporis: ergò circumſtantiæ, quæ concurrunt ad conſtituendum actum in aliqua ſpecie determinata moris, nequeunt eſſe accidentia illius. Confirmatur: Vt actus humanus ſit virtuoſus in genere moris, dependentiam oportet, vt habeat à prudentia: At prudentia iudicat de omnibns illis, quæ neceſſariò concurrunt ad cõſtituendum actũ rectum in genere moris, ergò, &c. Accedat altera ratio: Circumſtantia à qua prima actui datur ſpecies in eſſe moris; rationem deperdit circumſtantiæ, & obiecti ſpecificatiui rationem inducit; item ſecundùm omnes circumſtantiæ dans ſpeciem actui morali, eſt verè circumſtantia circũſtans actum moralem iam conſtitutum in genere moris, ergò negabit nemo, quòd quando circumſtantiæ concurrunt ad primò conſtituendum actum indeterminata ſpecie moris, non ſunt accidentia, quinimò conditiones eſſentiales. Erit verum, quod quandò circumſtantiæ dant ſecundã ſpeciem, vel intra eamdem ſpeciem augẽt, vel minuunt bonitatem, vel malitiam moralem tales circumſtantiæ ſunt accidentia actus moralis. Iuxta proloquium commune: omne quod aduenit enti iam conſtituto in ſua ſpecie, eſt accidens reſpectu illius. Item: magis, & minus non variat ſpeciem, ergò quando aliquæ circumſtantiæ augent, vel minuunt bonitatem, vel malitiam moralem, ſunt verè accidentia, nedum reſpectu actus in genere phyſico, ſed etiam in genere moris; hinc reſtat firmata ſecunda pars noſtri primi documenti.

DOCVMENTVM II.

Ad hoc, vt aliqua circumſtantia moralitèr afficiat actum humanum, primò requiritur, quod poſita tali circumſtantia in actu, & comparata ad rectam rationem, mutet habitudinem ad illam in conformitate maiori, vel minori, vel diſconformitate.

PAtet; quòd enim homicidium ſit perpatratum in hac domo, vel in alia, circumſtantia talis loci, non efficit moralitèr actum humanum; quia actus huiuſmodi comparatus ad rectam rationem, non eſt

Digitized by Google

magis informis, vel difformis rationi; ſi autem fiat homicidium in Templo ſtatim actus præfefert maiorem difformitatem cũ recta ratione, & ideò circumſtantia loci in hoc caſu moralitèr afficit actum homicidij. Ratio generalis huius regulæ eſt,quia recta ratio eſt regula humanorum actuum, & illorum circumſtantiarum; vndè ſicut actus dicitur bonus ex genere, quatenus tendit ad obiectum dictatum à ratione recta; ita actus dicitur bonus ex circumſtantijs, quia eſt ſecundùm circumſtantias à recta ratione. Ex his documentis.

Collige primò modum facilem cognoſcendi quando circumſtantia moralis eſt eſſentialis conditio actus moralis;& quando eſt ſimplicitèr circumſtantia, ſeù quando ſpectat ad ſubſtantiam actus, & quando eſt accidens illius. Quando circumſtantia, eſt talis, vt ſecundùm rectam rationem iudicetur omninò neceſſaria ad conſtituendum actum primò in ſpecie determinata moris; tunc circumſtantia eſt conditio eſſentialis, vt patet quando quis cognoſcit ſuam vxorem in Eccleſia; quando verò circumſtantia eſt talis, vt ſecundum rectam rationem ſolùm augeat, vel minuat intra eamdem ſpeciem, vel addat ſpeciem aduenientem actui iam conſtituto in ſpecie moris; tunc ſimplicitèr eſt circumſtantia.

Colligitur ſecũdò modus facillitèr cognoſcendi quando circumſtantiæ dicuntur mutantes ſpeciem, & quando ſolum aggrauantes intra eamdem ſpeciem; nimirũ quando circumſtantia comparata ad rectã rationem mutat conformitatem, vel diſconformitatem ad rectam rationem, tunc talis circumſtantia,dicitur mutans ſpeciem Quando verò cum eodem ordine, & conformitate, circumſtantia eſt talis,vt faciat actum magis, vel minus conformem; tunc dicitur circumſtantia aggrauans intra eandem ſpeciem; quando argumentum notabile eſt, tunc circumſtantia dicitur notabilitèr aggrauans, vt cum filius cognoſcit Matrem in peccata ſtupri. Requiritur, & etiam, vt alia circumſtantia dicatur afficere moralitèr actum humanum, quod talis circumſtantia ſit voluntaria,& libera directè, vel indirectè: etenim ratio voluntarij, & liberi, vt per ſe requiſita ad imputabilitatem.

DOCVMENTVM III.

Actus humanus præter bonitatem obiectiuam, quam habet ex obiecto, ſiuè ex materia circa quam verſatur; deſumit etiam ſpecificam bonitatem ex circumſtantijs, ſine quibus non eſt completè, & ſpecificè bonus.

DOcumento noſtro facillimo negotio ſe ſubſcribit Scotus vbiquè docens bonitatem moralem conſiſtere in aggregatione omnium circumſtantiarum ſecundùm rectam regulam rationis. Fauet Ariſtoteles primo Ethicorum docens, *actum virtutis eſſe facere, quando oportet,& ob quæ, & erga quos, & cuius gratia, & vt oportet.* Confirmatur ex Deutoronomio 16. *Iuſtè, quod iuſtum eſt perſequeris*; & patet exemplo de Saul, & Cain; qui offerentes Deo ſacrificium,non fecerunt opus bonum ob defectum circumſtantiæ finis; cum alias opus ex genere ſuo fuerit bonũ. Accedat ratio: ex Scoto in 4. d. 16. q. 1. Omnis actus (prætèr amare Deum) non eſt ſufficientèr bonus ex ſolo obiecto,& ideo omnis actus requirit neceſſariò circumſtãtionari reliquis circumſtantijs ſecundùm regulam rationis. Accedat exemplum: quãuis edere carnes ad reſtaurationem deperditi, ſit finis honeſtus; non tamen hoc ſufficit ad honeſtatem ſimplicitèr ſpecificam; quinimò vlterius requiritur aliqua mediocritas, ſecundùm regulam rationis virtutis, & inſuper ſunt neceſſariæ aliæ conditiones, ſcilicet propter finem honeſtum, tali loco, tali tempore, tali modo, vt optimè docuit Scotus quol. 18. Ergò certiſſimũ eſt actus humanum ſumere bonitatem moralem ex circumſtantijs.

DO-

Digitized by Google

DOCVMENTVM IV.

Actus humanus interdum ſuſcipit nouam bonitatem, & malitiam ex noua circumſtantia ſuperaddita; & interdum ſuſcipit accidentale augumentum, vel decrementum intra eamdem ſpeciem.

DOcumentum hoc probatur, ſimulq; declaratur exemplis: Si quis ieiunat ex voto, præter bonitatem abſtinentię, deſumptam ex obiecto temperantiæ cum reliquis circumſtantijs; habet etiam nouam ſpeciem bonitatis Religionis, quatenus ex circumſtantia voti dicit nouam, & diſtinctam conformitatem ad rationem. Item ſi quis furatur rem Sacram, præter malam circumſtantiam iniuſtitiæ ex proprio obiecto habet nouam ſpeciem ſacrilegij, quatenus ex circumſtantia rei ſacræ dicit diſtinctam diſconformitatem ad regulam rationis. Item, qui furatur magnam quantitatem, intrà eamdem ſpeciem iniuſtitiæ; habet grauiorem malitiam, quatenus magnitudo furti auget malitiā ipſius iniuſtitiæ. Ergò certiſſimum eſt actum humanum ſumere ex circumſtantijs, vel nouam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ moralis, vel augumentum intra eandem, ex iſto documento.

Collige primò differentiam inter bonitatem, & malitiam moralem, ſcilicèt quod vt actus humanus ſit complerè bonus, requirit neceſſariò vltra bonitatem obiecti, ſiuè materiæ concomitantiam, & conſortium reliquarum circumſtantiarum; vt verò dicatur ſimpliciter malus, ſatis eſt, quod habeat vnam circumſtantiam malam; iuxta celebre documentum Diui Dionyſij *Bonū ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu*, ergò vna circumſtantia mala, poſita, vitiatur actus ſimpliciter. Accedat exemplum; Quamuis celebrare miſſam ſit actus ex obiecto bonus; tamen celebrare in loco non ſacro, vel tempore interdicti, vel cum conſcientia peccati mortalis, fit actus ſimpliciter malus ex defectu circumſtantiæ loci, temporis, vel ſtatus perſonæ.

Colligitur ſecundò, quod actus humanus carens vna, vel pluribus circumſtantijs requiſitis ſecundùm regulam prudentiæ, dicitur non malus, vel incompletè tantùm bonus. Ratio eſt in prontu: quippe; Bonum ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu. Hoc in ſenſu loquutus eſt Scotus in 2.d.7.q.vnica §.quantum ergò, vbi docet poſſe Angelum habere volitionem non malam, malitia contraria bonitati morali, licèt non habeat bonum bonitate morali cōpleta, quæ eſt ex omnibus circūſtantijs. Ratio eſt; quia poteſt Angelus habere actum bonum ex genere ſiſtendo ibi, non apponendo, nec reliquas circūſtātias requiſitas neq; apponēdo circūſtātias contrarias circumſtātijs bonæ volitionis. Declaratur inſuper ab ipſo Scoto quolib. 18. art.1.verſic. ſi quis daret eleæmoſynam pauperi neq; propter finem honeſtum, ſcilicet amorem Dei, vel ſubuentionem pauperis, neque propter malum finem, ſcilicet inanem gloriam.

DOCVMENTVM V.

Proponitur nonnulla contra ſuperiora Documenta.

QVilibet actus ſumit ſpeciem ex primariò obiecto, ergò erramus dicentes ſpecificam actus bonitatem deſumi ex circumſtantijs. Audiatur Durandus: Omne dans bonitatem, & malitiam actui, debet eſſe volitum; ſed omne volitum, habet rationem obiecti; ergò minimè bonitas deſumitur ex circumſtantijs, ſumitur ergò ex ſolo obiecto. Concedimus maiorem in ſenſu ſupra explicato, ſcilicet quod ex obiecto in genere naturæ, ſumit actus ſpeciem, & ex obiecto in genere moris, ſumit actus in eodem genere ſpeciem, & concedo minorem; negādo conſequentiam; quia præciſum obiectum honeſtum in genere naturæ non eſt ſufficiens ad ſpecificandum actum in genere moris, ſed vlterius requiruntur circumſtantiæ dictatæ à recta ratione, vndè ſupra diximus obiectum ſpecificum in genere moris eſſe vnum aggregatione.

Durando Thomiſtæ reſpondent: maiorem eſſe veram reſpectu actus interioris; reſpectu cuius totum, quod reperitur in actu exteriori, ſiuè ſit obiectum, ſiuè ſit circumſtantia, habet tamen rationem obiecti reſpectu interioris; nihilominus (aiunt) adhuc

adhuc in obiecto conſiderari poteſt ratio primariò ſpecificatiua ex qua actus ſumit primariam, & eſſentialem bonitatem; & alia ratio ſecundaria accidentalis ex qua ſumit bonitatem accidentalem, v.g. furari multum; dicit duo, ſcilicèt rem alienam, & magnam quantitatem; primum ſpecificat actum eſſentialitèr; ſecundum accidentalitèr. Hæc tamen reſponſio pro quãto videtur vniuerſalitèr, vel bonitatem ex obiecto dici primariam, & eſſentialem, & bonitatem deſumptam ex circumſtantijs, eſſe accidentalem; nobis non probatur: cum credamus ex ſolis circumſtantijs deſumi bonitatem ſpecificam, eſſentialem. Hinc ad Durandum dicimus, tantum probare circumſtantias conferre bonitatem, prout tranſeunt in rationem obiecti, ſiuè vt ſunt partes integrales, conſtantes vnam adæquatam rationem obiectiuam ſpecificam, non verò probare circumſtantias non conferre bonitatem, quatenus diſtinguuntur ab obiecto, ſiuè à materia circa quam. Hinc.

Collige, quod bonitas moralis deriuata ex circumſtãtijs quomodocumque ſumptis, ſit accidentalis actui in eſſe naturæ; in genere tamen moris, non omnis bonitas proueniens ex circumſtantijs, accidit actui in eſſe moris, cum interdum circumſtantiæ conferant primam ſubſtantialem ſpeciem, & interdum ſecundam. Regula ergò generalis ad cognoſcendum qualis bonitas ſit accidentalis, & qualis ſubſtantialis, vt quod illæ circumſtantiæ, quæ non ſupponũt aliquam ſpeciem moris in actu, dicuntur conferre bonitatem, vel malitiã ſubſtantialem; illæ verò quæ prædictam ſpeciem ſupponunt, dicuntur cõferre ſpeciem accidentalem huiuſmodi ſunt omnes circumſtantiæ, quæ vel augent intra eamdem ſpeciem, vel addunt nouam ſubſequentem. Ratio huius eſt; quia id dicitur accidentali alteri, quod iam ſupponit tale conſtitutum ſecundùm eſſe ſpecificum, & poteſt adeſſe, & abeſſe abſque variatione ſubſtantiali eius; ſed ſic ſe habent hæ vltimæ circumſtantiæ, ergò, &c. Dices omnis circumſtantia ſupponit bonitatem ex obiecto, quæ eſt eſſentialis actui humano; ergò omnis bonitas ex circumſtantia, eſt accidentalis. Reſpondetur, quod circumſtantia ſupponit bonitatem ex obiecto tantam genericam, non verò ſpecificam, niſi fortè ſumatur obiectum complete, prout ſcilicet concludit nedum materiam, circa quam, ſed etiam finem honeſtum, & reliquas circumſtantias. Replicabis: ergò ſaltem illæ circumſtantiæ, quæ conferunt ſecundam ſpeciem; erunt omninò accidẽtales actui: quippè iam ſupponunt actum conſtitutum in priori ſpecie. Libentèr damus, circumſtantiam conferentem ſecundam ſpeciem, accidere priori ſpeciei, ſicut in naturalibus albedo, & dulcedo accidunt nedum communi ſubiecto, ſed etiam ad inuicem. Cum hoc tamen ſtat, quod circumſtantia conferens ſecundam ſpeciẽ ſi comparetur ad ſpeciem, quam conſtituit, non eſſe principium accidentale, ſed potius ſubſtantiale illius. Vt melius iſta doctrina poſſideatur. Accedat.

DOCVMENTVM VI.

Bonitas moralis quatenus conſurgens ex materia, & circumſtantijs eſt ſimplicitèr compoſita, et quatenus talis diuiſibilis eſt.

SCotus in 2. diſt.40. ad tertium, & quolib.18. fauet huic documento; cuius veritatem ſic demonſtramus: ad bonitatem moralem concurrunt plures res ſecundùm varias conuenientias proprias ad componendum vnam conuenientiam: ergò bonitas conſtituta ex illis neceſſariò eſt diuiſibilis in ſuas partes, ex quibus conſtat; ſicut homo, quia componitur ex anima, & corpore, eſt diuiſibilis in tales partes. Confirmatur bonitas moralis ſe habet ſicut pulchritudo, vel ſanitas: ſed iſtæ ſunt cõpoſitæ ex pluribus, & vt tales non ſunt quid indiuiſibile: cum nullum indiuiſibile componatur; ergò, &c. Sit

Digitized by Google

DOCVMENTVM VII.

Si conſideretur bonitas moralis, quatenus præciſè conſurgit ex ſolis conditionibus requiſitis ſecundùm regulam prudentiæ, ſcilicèt ex materia, & circumſtantijs; in hoc ſenſu poteſt dici quodammodo indiuiſibilis ſecundùm eſſe ſpecificum.

PRobatur: Eſſentia ſpecifica bonitatis moralis, ita neceſſariò conflatur ex illis conditionibus, vt ſi tantillum aliquid auferas ex eis; ſubitò diſſoluitur ſpecies in ratione honeſti ſimplicitèr. Probatur; quia id, quod manet, reuera non habet honeſtatem ſpecificam ſimplicitèr, ſicut ſimilitèr dicitur de pulchritudine, quòd cōſiſtat in tali diſpoſitione partium, vt aliqua dempta, minimè maneat pulchritudo ſimplicitèr; exemplum eſt clarum de ſpecie numeri, quæ ita componitur ex pluribus vnitatibus, vt aliqua dempta, non perſeueret eadem ſpecies numeri: ergò ſicut ſpecies numeri, licet compoſita ſit ex pluribus vnitatibns; tamen adhuc dicitur indiuiſibilis ſecundùm ſpeciem, ita paritèr bonitas moralis, & ſi ſit comppoſita ex pluribus, adhuc tamen ſecundùm ſpeciem dici poteſt indiuiſibilis, quatenus ſcilicèt nequit conſiſtere deficiente aliqua conditione requiſita ſecundùm regulam prudentiæ.

DOCVMENTVM VIII.

Loquendo de bonitate actus, deſumpta ex circumſtantijs non ſimplicitèr neceſſarijs ad eſſe ſpecificum actus, ſed tantùm ad melius eſſe: ex hac parte bonitas ſpecifica, eſt moralitèr diuiſibilis.

PRobatur, quia ablato quocumq; gradu bonitatis deſumptæ ex prædictis circumſtantijs, ſemper remanet eadem bonitas ſpecifica, licet maior, vel minor. Si quæras qualis ſit hæc compoſitiò bonitatis ex circumſtantijs, & ex mãteria; an ſcilicèt ſit ex partibus ætherogeneis, vel homogeneis. Reſpondeo, quod prædicta compoſitio bonitatis ex materia, & circumſtantijs, eſt tanquam ex partibus ætherogeneis. Ratio eſt, quia omnia illa concurrunt ad vnam integram honeſtatem, non tanquàm cauſæ extrinſecæ, quinimò tanquàm partes intrinſecè, eo modo, quo plures partiales figuræ conuertunt ad vnam figuram còmpletam Domus; vel ſicut plures partes, ſcilicèt color, figura, &c. concurrunt ad pulchritudinem; ergò ſicut figura domus, vel pulchritudo componitur ex partibus ætherogeneis, ita paritèr bonitas moralis actus. Si petas an circumſtantia, quæ habet conferre ſecundam ſpeciē bonitatis, vel malitiæ, poſſit dici differentia eſſentialis ſpecifica: Conradus affirmat, circumſtãtiam, addentem nouam ſpeciem, eſſe differētiam eſſentialem reſpectu prioris, quæ ſe habet, vt genus reſpectu poſterioris, ex quibus cōſtituitur vna tertia ſpecies athoma: v.g. furari in loco ſacro, pro genere babet malitiam furti, pro differentia verò ſpecifica malitiam ſacrilegij; ex quibus componitur vna completa ſpecies, quæ nuncupatur furtum ſacrilegum. Nos dicimus, quod circumſtantia conferens nouam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ; minimè eſt differētia eſſentialis reſpectu prioris, ſed potius omnino conſtituit ſpeciem diuerſam. Probatur: tùm quia implicat ex duabus ſpeciebus completis ſecundum ſe, componi vnam tertiam ſpeciem, quod prudens metaphyſicus non negabit. Accidit, quòd actus moralis ſecundum priorem malitiam, habet omnia requiſita ad proprium eſſe ſpecificum: ergò malitiam furti v.g. nequit eſſe genus reſpectu poſterioris malitiæ ſacrilegij: Tum etiam quia aliàs ſequeretur, pœnitentem non teneri ad explicandam priorem malitiam: quippè vniuerſalitèr non tenetur pœnitens explicare diſtinctè in confeſſione rationem genericã, & ſpecificam peccati, ſed ſufficit manifeſtare ſpecies peccatorum: ſed cum falſum ſit pœnitentem non teneri ad explicãdum malitiam furti à malitia ſacrilegij, ergò falſum malitiam furti eſſe rationem genericam; quinimò potius, eſt ſpecie diſtincta. Dices ſubuenire pauperi Sacerdòti, vel accedere ad vxorem alienam, explicatur per modum vnius obiecti, ergò per modum

vnius

Digitized by Google

vnius conuenientis, vel diſconuenientis; ergò erit ibi vna ſpecies completa. Reſpondetur, quòd, quamuis, obiectum materialitèr videatur vnum, non tamen eſt vnum formalitèr:cum ſint ibi diuerſæ conformitates, vel diſconformitates, iuxtà diuerſa dictamina rationis; circumſtantia enim Sacerdotij ſupra perſonam pauperis dicit pæculiarem conformitatem virtutis Religioni; & circumſtantia alienæ Vxoris ſupra diſconformit tem intemperantiæ, addit nouam diſconformitatem diſtinctam iniuſtitiæ. Quod ſi petat: an circumſtantia conferens ſecundam ſpeciem, intendat priorem,non ſolum extenſiuè addendo nouam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ; ſed etiam intenſiuè, augendo priorem intra propriam rationem ſpecificam, v.g. an circumſtantia, quæ addit furto malitiam ſacrilegij, faciat malitiam furti grauiorem. Pater Suarez reſpondet negatiuè; fundatur in eo, quòd cum ſubſtantia conferens ſecundam ſpeciem, ſit diuerſæ rationis per ſe loquendo; conſequentèr non eſt neceſſe, vt mutet ordinem ad rationem, quem habet prior ſpecies. Nobis magis placet pars affirmatiua, ſcilicèt ſpeciem poſteriorem augere priorem intra propriam lineã bonitatis, vel malitiæ. Ratio eſt: quia furtum commiſſum in Eccleſia, non ſolum extenſiuè propter aduentum nouæ malitiæ ſacrilegij, ſed etiam intenſiuè intra propriam ſpeciem iniuſtitiæ, eſt grauius, quatenus magis quis debet abhorrere tale furtum.Itèm ipſa malitia ſacrilegij grauior eſt, quatenus incurritur per furtum, quam per aliud genus peccati; patet etiam de malitia intemperantiæ in adulterio, quæ intra propriam lineam augetur per malitiam iniuſtitiæ; patet tamdem de eo, qui ex voto inducitur ad promptius ieiunandum intra propriam ſpeciem abſtinentiæ, habet maiorem bonitatem temperantiæ &c.Sed hic notandum, quòd ſi circumſtantia conferens ſecundam ſpeciem, eſt cauſa, vt minus conſideretur malitia prioris ſpeciei,vel vt voluntas minus voluntariè agat; tunc talis circumſtantia potius intenſiuè minuit malitiam prioris ſpeciei.

DOCVMENTVM IX.

Actus interior voluntatis, vt ſit ſimplicitèr bonus, ideſt ſecundum completum eſſe ſpecificum; requirit neceſſariò pratèr bonitatem obiecti, aliquas circumſtantias ſecundum regulam prudentiæ.

VEritas iſtius documenti fuit nobis ſufficientèr reddita clara ex antecedentibus documentis: obijcit Suarez,quia, vt actus interior ſit ſimplicitèr bonus, non requirit, vt ex circumſtantijs ſpecialem habeat conformationem; ſed ſufficit, quod in talibus circumſtantijs nulla ſit deformitas, ergò ad bonitatem ſimplicitèr actus, ſufficit ſola bonitas ex obiecto. Negatur antecedens; ad bonitatem enim ſimplicitèr actus,non ſufficit quæ habeat obiectum honeſtũ,nec ſufficit,quòd in circumſtantijs nõ ſit ſpecialis deformitas,ſed vlterius requiritur ſpecialis conformitas, præcipuè ex parte finis ex quo principalitèr habeatur ſpecificatio actus, & hoc expreſsè docuit Scotus quolib. 18. vbi habet quòd poteſt aliquis agere non cum circumſtantia indebita; puta ſi aliquis daret eleæmoſinam, non proptèr bonum finem, ſcilicèt propter amorem Dei, vel ſubuentionem proximi; nec propter malum finem, ſcilicèt vanamgloriam; talis actus non eſſet bonus ſimplicitèr, ſeù completè, ergò vltra bonitatem obiecti, requiritur neceſſeriò ſpecialis defo mitas ex parte finis. Itèm requiritur neceſſariò aliquã mediocritas ex parte materiæ ſecundum regulam prudentiæ. Itèm actus celebrandi, præter honeſtatem materiæ, & finis, requirit neceſſariò tempus præfixum; locum ſacrum, perſonam cum ordine preſbiteratus &c. ergò ad bonitatem actus ſimplicitèr non ſufficit tantùm non habere circumſtantias malas, ſeù quod in illis non ſit aliqua deformitas, ſed potius requiritur ſpecialis conformitas ad rationem. Monemus,quod interdum aliqui actus, vt ſint boni ſimplicitèr; non determinant ſibi omnes circumſtantias, quia vt docet Scotus quolib.18.multi sũt actus, quorum bonitas moralis completa, non determinat ſibi locum, & ſic de aliis eſt diſcer-

ſcerrundum. Eſt ergò hic obſeruanda regula prudentiæ, in quantum illæ circumſtantiæ ſunt neceſſariæ, quæ à prudentia dictantur.

DOCVMENTVM X.

Actus interior voluntatis interdum ſumit aliquam bonitatem, & malitiam ex circumſtantijs, tàm obiectiuis, quàm ſe tenentibus ex parte ipſius actus.

PRima pars noſtri documenti probatur: quia certum eſt, velle dare centum pauperi, eſſe meliorem actum, quàm velle dare decem; quòd augumentum ſumitur ex circumſtantia, *quid*. Itèm velle furari in Eccleſia prætèr malitiam furti; habet etiam malitiam ſacrilegij, quæ ſumitur ex circumſtantia obiectiua *vbi*, & ſic de reliquis. Ratio generalis eſt; quia ex circumſtantijs obiectiuis, obiectum, vel fit dignus, ſiue conformius rationi, ſiue intra eamdem ſpeciem, ſiue per additionem nouę ſpeciei, ergò &c. Secunda pars noſtri documenti, quòd ſcilicèt actus interior ſumat bonitatem, vel malitiam ex circumſtantijs ſe tenentibus ex parte actus. In primis, patet de circumſtantia *quomodo*, prout dicit maiorem, vel minorem intenſionem actus. Itē de circumſtantia *quando*. prout dicit maiorem, vel minorem durationem, ſiue continuationem actus; igitùr tenendum eſt pro certo actum interiorem prætèr bonitatem primariam, deſumptam ex obiecto cum debitis requiſitis, habere etiam bonitatem, vel malitiam ex circumſtantijs tàm obiectiuis, quàm ipſius actus. Hinc habetur quid reſpondendum ſit Thomiſtis petentibus: vtrum bonitas actus interioris dependeat ex ſolo obiecto. Difficultati occurrimus obſeruando quotuplicem ſenſum poſſit habere petitio illa. Primo enim poteſt eſſe ſenſus, vtrum, vt actus interior ſit complerè, ſiuè ſpecificè bonus, ſufficiat ſolum obiectum independentèr à quacumquè circumſtantia; & quidem in hoc ſenſu, iam patet ex primo documento, & alibi dictis, quòd bonitas actus interni dependeat etiam ex circumſtantijs, quæ tamquàm partes integrales concurrunt ad conſtituendum obiectum adæquatè ſpecificatiuum actus in genere moris. Secundò poteſt eſſe ſenſus: an actus interior, non ſolum habeat bonitatem ex obiecto, ſed etiam ex circumſtantijs, ideſt, quòd non ſolum habeat bonitatem primariam ſpecificam ex obiecto; ſed etiam aliquam bonitatem accidentalem ex circumſtantijs, ſiuè mutantibus ſpeciem, ſiuè manentibus intra eamdem; & in hoc ſenſu colligitur, quòd actus interior, non ſolum habeat bonitatem, & malitiam ex obiecto complerè ſumpto in genere moris; ſed etiam ex circumſtantijs tàm obiectiuis, quàm ſe tenentibus ex parte ipſius actus. Tertiò poteſt eſſe ſenſus: vtrum bonitas actus interioris dependeat ex ſolo obiecto; ideſt ex ſolo illo, quod ſe habet, vt obiectum volitum ad differentiam actus exterioris, qui non ſolum accipit bonitatem ex obiecto, quod eſt materia circa quam verſatur; ſed etiam ex alijs circumſtantijs, loco, tempore &c. quæ non ſunt obiectum illius.

Difficultati reſpondent cõmunitèr Thomiſtæ, quòd bonitas actus interioris pendet ſolum ex obiecto in ſenſu iam explicato: dicunt enim ipſi, quod actus exterior ita comparetur ad interiorem, vt omnia quæ ſunt in actu interiori, ſiue ſint circumſtantiæ loci, temporis, finis &c. ſiuè ſit obiectum; vt tamen referuntur ad actum interiorem, habent rationem obiecti voliti, & ita omnia, quæ diſperſa ſunt in actu exteriori, vniuntur in interiori, quatenus omnia referuntur per modum vnius obiecti, & conſequentèr putant eſſe verum, bonitatem actus interioris pendere ſolum ex obiecto in ſenſu iam explicato. Hæc ſententia ſi vniuerſalitèr intendat nihil cōferre bonitatem actui interiori, niſi quòd habet aliquo modò rationem obiecti voliti; ideſt quod aliquò modo tranſeat in rationem obiecti; poteſt habere verum ſenſum: quia ex dicendis conſtabit, non ſolū circumſtantias obiectiuas, ſed etiam circumſtantias actus conferre bonitatem, vel malitiam, quatenus aliquo modo tranſeunt in rationem obiecti; ſiuè formalitèr, ſiuè virtualitèr; quòd de circumſtantia *quis*, ſpecialitèr eſt verum. Si verò intendat actū interiorem habere ſolum bonitatem ex obiecto, ideſt ſolum ex illis, quæ reperiuntur in actu exteriori, quæ comparata ad interiorem, habent rationem obiecti voliti,

Digitized by Google

liti, vt re vera ipſi videntur docere; ſententia illorum non placet; quia multæ ſunt circũſtantię propriæ ipſius actus interioris, ex quibus actus interior interdum ſuſcipit bonitatem, vel malitiam.

DIFFICVLTAS.

Quomodò circumſtantiæ obiectiuè debeant eſſe volitæ, vt tribuant bonitatem actui interiori.

SVppono tamquàm certum: nullam circumſtantiam obiectiuam poſſe conferre bonitatem, vel malitiam actui interiori, niſi ſit aliquo modo cognita. Ratio generalis eſt: quia ad bonum, & malum morale tamquàm pro fundamento, requiritur ratio voluntarij, & cõſequentèr quod ſint ab intrinſeco cum cognitione; defectu enim cognitionis inculpabilis, multa peccata excuſantur: etenim ſi quis inuincibilitèr ignorat rem eſſe ſacram, & illam furatur, non habet malitiam ſacrilegii; imò requiritur, quòd circumſtantia obiectiua nedum coguoſcatur materialitèr, verb.g. quod coguoſcatur locus ſacer; ſed requiritur neceſſario, quòd cognoſcatur formalitèr, ſcilicèt ſub ratione conuenientis, vel diſconuenientis rectæ rationi: nam ſi quis inuincibilitèr ignorat, furari in loco Sacro, non eſſe ſpecialitèr illicitum, talis non eſt reus ſacrilegij. Inſuper requiritur, quòd prædictæ circumſtantiæ obiectiuè, ſint etiã aliquo modò volitæ; quòd patet: quia ſi debent eſſe præcognitæ, debent etiam eſſe aliquo modo volitæ; cum ratio voluntarij vtrumquè includat: eatenus enim locus, tempus &c. Faciunt actum interiorem magis, vel minus, vel ſimplicitèr malum, quatenus homo ſciens, & eligens, vult obiectum in tanta quantitate, in tali loco, tempore &c. ſolum remanet difficultas quomodo prædictæ circũſtantiæ obiectiuè debeant eſſe volitę, vt tribuant bonitatem, vel malitiam actui; an ſcilicèt directè, vel ſufficiat voluntarium indirectum. Et quidèm quantum ſpectat ad malitiam; conueniunt communitèr Theologi, quòd, vt circumſtantiæ obiectiuè conferant malitiã actui interiori, ſufficit, quod ſint quomodocumquè volitæ, ſiuè explicitè, & directè, ſiuè implicitè, & indirectè, ſcilicèt quòd per ſe, & directè ſit volitum obiectũ, cum quo circumſtantia conferens malitiã, habeat connexionem. Solum hic excipiuntur aliquæ circumſtantiæ generales, repertæ in quodlibet peccatũ, quæ, vt dent ſpecialem malitam, debent neceſſariò eſſe directè volitæ, & intentæ: v.g. in quolibet peccato reperiuntur iſtæ generales rationes, ſcilicèt quod ſint ſaltem virtualitèr contra Dei charitatẽ, ſiuè auerſiuè à Deo; Itèm quòd ſint contra peccatoris charitatẽ, quòd ſit inobedientia, ingratitudo &c. Omnes iſtæ circumſtantiæ, ſi non ſunt per ſe volitæ, & intentæ non tribuunt ſpecialem malitiam actui interiori, nec tenetur quis illas explicare in confeſſionem. Nunc ſit.

DOCVMENTVM XI.

Vt circumſtantiæ obiectiuè cõferãt bonitatem actui interiori, requiritur neceſſariò, quod ſint in ſe directè volitæ, & intentæ, quatenus honeſtæ ſunt.

PRobatur primò: quia circumſtantiæ obiectiuæ ſe tenent ex parte obiecti, ergò quidquid requiritur, vt obiectum tribuat bonitatem actui, requiritur etiam in circumſtantijs obiectiuis: ſed iam probauimus obiectum debere eſſe proptèr ſe volitum, quatenus honeſtum eſt; ergò ſimilitèr eius circumſtantiæ. Confirmatur, quia prædictæ circumſtantiæ, neceſſariò debent eſſe præuiſæ, vt conferant bonitatem actui; ergò neceſſariò debent eſſe volitæ directè. Patet conſequentia: quia ſi prædictæ circumſtantiæ ſunt præuiſæ: inquiro, quarè non ſunt per ſe volitæ, & intentæ? ſi dicas, quia voluntas non vult; ergò voluntas non vult, quod bonum eſt, quomodo ergò recipere poterit bonitatem ex illius? ſi verò voluntas illa vult; ergò habemus intentum. Dices, ſufficere, quod circumſtantiæ obiectiuæ, vt tribuant bonitatem actui interiori, ſint volitæ indirectè in alio, ſcilicèt in volitione obiecti. Contra: quia quamuis voluntarium indirectum ſufficiat ad præſtandam malitiam, non tamen ſufficit ad præſtandam bonitatem, ſed requiritur voluntarium directum; quod patet:

quia

Digitized by Google

quia ſi quis vellet obiectum, habens aliquam bonitatem, non tamen vellet proptèr eius honeſtatem, ſed potius proptèr eius delectabilitatem, quamuis in tali casù eſſet honeſtas volita in alio, ſcilicèt in obiecto materiali, non tamen actus diceretur honeſtus: ergò ſi ibi non ſufficit voluntarium indirectum, neque in alijs circumſtantijs. Aſſumptum patet exemplo communitèr accepto: nam ſi coniux vellet actũ maritalem ob ſolam delectationem, licèt virtute vellet legitimam prolis procreationem; non tamen illæ actus eſſet honeſtus, ſed, vt ait Suarez, eſſet aliquale peccatum. Tùm etiam, quia, vel actus ſumit bonitatem ex circumſtantijs obiectiuis per realẽ tendentiam ad illas, vel per moralem ſolã imputationem, quomodo dicitur occidere, qui non defendit, cùm tenetur. Si primum, ergò circumſtantiæ debent eſſe directè volitæ, cum hoc ſit voluntatem directè velle; ſcilicèt tendere in circumſtantias per realem tendentiam actus Secundum nequit affirmari; quia licèt ſufficiat ad malitiam, non tamen ad bonitatem.

Accedat ſecunda probatio: cum in eadem obiecto materiali ſunt plura motiua honeſtatis, vt actus humanus recipiat multiplicem ſpeciem honeſtatis, non ſufficit tantùm, quòd voluntas velit illud obiectũ materiale, ſed requiritur, quod velit obiectum materiale ob illa motiua honeſtatis: v.g. qui habet votum ieiunandi, & elicit ieiunium; ſi ille moueatur ob honeſtatem abſtinentiæ, non habet honeſtatem Religionis; ſi verò ille ieiunat non ſolum ob honeſtatem abſtinentiæ, ſed etiam ob debitum adimplendi votum, tunc voluntas ieiunandi, includit vtramquè honeſtatem. Sic ſimilitèr, qui reſtituit pæcuniam ex debito homini pauperi Sacerdoti benefactori, propinquo &c. ſi tantùm intendat reſtitutionem ex iuſtitia, ſolum habet honeſtatem iuſtitiæ; ſi verò intendat alia motiua reliquarum circumſtantiarum; tunc ſimul habebit honeſtatem miſericordiæ, Religionis, gratitudinis, pietatis &c. quamuis ad ſatisfactionem ſufficiat primum motiuum; ergò clarè colligitur circumſtantias obiectiuas debere eſſe directè volitas, & intentas, vt tribuant bonitatem actui interiori. Dices: qui per puram omiſſionem omittit actum contrarium præcepto, aliquam mereretur laudem; ergò ad bonitatem moralem non requiritur voluntarium directum. Antecedens patet, tum ex illo Eccleſiaſtico 13 *Qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus*. Tũ etiã ratione: quia ſciens, & vides ſe cõtumelijs affectũ, & tentationem patiens de ſumenda vindicta, nihilominus per ſolum actus ſuſpenſionem ſe continet; ſatis iſte adimplet præceptum, ergò &c. Reſpondet Suarez: aſſumptum eſſe falſum, ſcilicèt ſolam carentiam actus contra præceptum, ſufficere ad bonitatem, ſinè poſitiua voluntate non faciendi contra præceptum. Poteſt etiam ſecundò reſponderi, quòd ſola carentia actus mali, ſaltem importat bonitatem negatiuam, non verò poſitiuam de qua hic loquimur; vndè abſquè voluntate, poſitiua, non habetur poſitiua bonitas; hinc patet ad authoritatem, quòd ibi includitur poſitiua voluntas non transgrediendi, per quam, qui non transgreditur, mererur poſitiuam laudem. Idem dicendum ad aliam probationem. Dices ſecundo: qui præuidens, & eligens aliquam ſuam operationem, ex qua ſequuturus eſt magnus fructus animarum; etiam ſi directè non intendat illum fructum, nihilominus volendo ſuam operationem, vult ſaltem virtualitèr illum effectum, ex quo moralitèr ipſi imputatur, ergò ſufficit voluntarium indirectum in alio ad bonitatem moralem. Reſpondetur, quòd quamuis volitio cauſæ, vt cauſa eſt, ideſt quatenus virtute continet effectum; ſumat bonitatẽ ex illa virtuali volitione effectus; nihilominus talis volitio effectus in cauſa, non eſt ſolum interpretatiua, ſeù per moralem imputationem, ſed potius per formalem voluntatem, tendentem ad effectum, vel in ſe, vel vt contentum in virtute cauſę; voluntas verò rei, quæ eſt cauſa; vel eſſe poteſt cauſa, ſiuè occaſio effectus, ſi nullo modo terminetur ad effectum per ſe, ſed ſolum per accidens; tunc talis voluntas nequit dici voluntas effectus, niſi ſolum per accidens, vel permiſſiuè, & ſic non ſufficit ad præſtandam bonitatem.

Digitized by Google

PROPOSITIO PRIMA.

Circumſtantiæ ſpeciem mutantes, ſunt confitendæ.

ITA cuncti Doctores Theologi, & deſumitur iſta veritas ex Trid. ſeſſ. 14. c. 5. vbi hæc habet verba. *Colligitur præterea etiam eas circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant.* Et Con. 7. *ſic decernit Sancta Synodus: & circumſtantias, quæ peccatis ſpeciem mutant.* Ex quibus colligitur euidentèr definitum fuiſſe à Tridentino. Pro hac veritate eſt noſter Scotus in 4. d. 17. quæſt. 1. his verbis. *Solas illas, dico, agrauantes; & neceſſariò confitendas, quæ ſpeciali prohibitione: prohibentur;* v. g. alienum accipere eſt illicitum; ſed accipere de loco Sacro, eſt ſacrilegium: ſimilitèr eſt illicitum alienum à ſua cognoſcere mulierem: ſed ſi hæc aliena ſit conſanguinea, ſpeciale peccatum, ſcilicèt inceſtum committi, ergò omnis circumſtantia mutans ſpeciem, eſt neceſſariò confitenda Accedat ratio: omnia, & ſingula peccata in confeſſione ſunt detegenda: ſed circumſtantia ſpeciem mutans, arguit ſingulare peccatum, ergò circumſtantia mutans ſpeciem, eſt neceſſariò confitenda: Vnde intelliges primò, quòd ſi quis habet actum interiorem vnum, qui plurium actuum exteriorum ſit cauſa, & origo; detegendus eſt numerus actionum externarum; dicendo, ter, vel quater malitiam interiorem opere conſumaſſe. Ratio eſt: quia licèt in ratione peccati non differant ſpecie actus externi ab internis, tamē actio externa diuerſum peccatum eſt ab actione interna: v. g. habet quis voluntatem furandi per integrum diem, vel mæchandi per totam noctem, ſi hoc tempore pluries furatur, vel mæchatur quis fuerit, tenetur numerum furti in confeſſione manifeſtāre; cum ſit aliud, & aliud peccatum numero diuerſum ab actu interiori, vt hoc modo rectum iudicium poſſit Confeſſarius facere, quòd aliàs erat impoſſibile.

PROPOSITIO II.

Pœnitens tenetur reuelare perſonam complicis, quando non poteſt alitèr integrè confiteri ſua peccata, non obſtante periculo infamiæ, aut ſiniſtræ opinionis, quòd pateretur complex apud Confeſſarium.

COmplex eſt ille, qui cum alio communicat in delicto: non autèm quærimus hic vtrum pœnitens debeat exprimere perſonam complicis nominatim, dicendo ſe peccaſſe cum Lucretia, vel Margarita, tanetur nominatim dicere ſe peccaſſe cum Iacobo, vel Paſchali, nàm certum eſt, non ſolum non teneri; ſed nequè poſſe hoc facere: etenim poteſt abſquè hoc, ſua confiteri peccata; quòd ergò querimus, eſt, an quando pœnitens timeret Confeſſarium venturum in cognitionem complicis ex ſua confeſſione, poſſet celare illud peccatum, & excuſaretur ab integritate confeſſionis. Hac in parte diſcrepant Doctores; aliquibus dicentibus, non licere, ſed in tali caſu excuſare pœnitentem ab integritate confeſſionis. Aliqui tamen limitant hanc ſententiam, dicentes, in articulo mortis licere pœnitenti reuelare complicem; extra tamen hunc articulum non licere. Ita Canus relect. de pœnit. par. 5. Victoria, Zedeſma, & alij. Aliorum Doctorum ſententia eſt, non debere pœnitentem, nec poſſe tacere vllum peccatum, ne reuelaret perſonam complicis quoties non poteſt integrè confiteri ſua peccata abſquè manifeſtatione. Ita Alenſis 4. p. quæſt. 18. memb. 4. art. 2. D. Thomas in 4. d. 16. qu. 3. art. 3. Sanctus Bonau. in opuſc. de modo benè confitendi c. 1. Paludanus, Riccardus, & alij. Fauet etiam Scotus in 4. d. 21. q. 2. §. de quid dico.

Probari ſolet pluribus rationibus, quorum aliquæ claudicant: aliæ ſi quod probant, probarent etiam licere ipſi reuelare complicem in aliquibus caſibus, in quibus tandem, ſecundum vtentes illis rationibus, non licet; & extra confeſſionem Sacramentalem, quòd nullus admittet. Probant aliqui ex eo, quòd non ſit infamia complicis; & hoc ob Sigilli Secretum, ad quod tene-

tur

Digitized by Google

tur Confeſſarius. Ex hoc ſequeretur pœnitentem poſſe etiam ſine neceſſitate, quãdo poſſet integrè confiteri ſua peccata ſine reuelatione complicis, ipſum reuelare, quòd dicit nemo. Sequeretur ſecundò nõ debere ipſum adire alium Cenfeſſarium, apud quem non incurrere tale periculum Complex. Probatur ſecundò, quia complex ſua culpa patitur damnum, communicans peccato alterius. Ratio hæc patitur eandem difficultatem, & quaſi petit principium: nàm controuerſia eſt: verum communicans cum alio in peccato, debeat proptereà ſubeſſe tali detrimento, & amittat ius ſeruandi ſuam famam in confeſſione. Alij probant, quià pœnitens vtitur ſuo iure, quo etiam vti poteſt cum damno alterius. Hæc ratio etiam zopicat, & petit principium: quippè, quod vocamus, in dubium eſt, vtrum pœnitens habeat tale ius cum præiudicio proximi. Itèm ſequeretur ex hoc, quòd pœnitens poſſet vti ſuo iure, reuelando in confeſſione perſonam complicis, etiam quando immineret complici periculum vitæ, aut amiſſionis bonorum temporalium, quòd communitèr negatur ab omnibus. Adde, inde ſequi, quòd non teneretur adire alium Confeſſarium, & ſi ſine, ſuo incommodo hoc facere poſſet, quòd dicet nemo.

PROPOSITIO III.

Adducuntur aliæ rationes.

Noſtra propoſitio probatur ex inſtitutione huius Sacramenti, in quo Chriſto placuit, quòd peccator integrè confiteretur ſua peccata, tàm quoad ſpeciem, quàm quoad numerum, non obſtantẽ periculo omiſſionis propriæ famæ; ſicut ergò proptèr bonum confeſſionis Chriſtus præcepit, vt peccator confiteretur ſua peccata integrè, nulla habita ratione propriæ famæ; ad cuius tamen conſeruationem magis tenetur, quàm ad conſeruationem famæ proximi: nulla apparet ratio, ob quam diceretur excuſari ab integritate confeſſionis, ne reuelaret perſonam complicis. Dices, ſi licet mihi reuelare perſonam complicis proptèr integritatem confeſſionis; licebit etiam mihi reuelare ipſam, non obſtante periculo mortis, aut amiſſionis bonorum temporalium ipſius; ſed hoc eſt falſum, & contra omnes; ergò nec poteſt ipſam manifeſtare quando eſt periculũ perdendi bonam opinionem apud Confeſſarium, ſeù perdendi famam. Reſpondetur negando ſequelam: nàm ſicùt ſecuudùm ipſos Aduerſarios, pœnitens non tenetur tunc confiteri integrè, quando ſibi ipſi imminet tale periculum ob reuelationem ſui peccati; ita nec tenebitur cum tali periculo proximi: Chriſtus enim non obligauit nos ad ſubeundum aliquod malum propter confeſſionem cum notabili noſtro, aùt proximi determinato, prætèr illud, quod per ſe habet connexionem cum confeſſione peccatorum, quale eſt illud reuelationis proprij peccati, nulla habita ratione propriæ famæ.

PROPOSITIO IV.

Proponuntur, & ſoluuntur, quæ noſtram impugnant propoſitionem.

Magis tenetur ad occultandum peccatum complicis in confeſſione, quàm ad occultandum proprium peccatũ, ſeù ad conſeruationem propriȩ famæ apud Cofeſſarium; ergò priùs teneor ſubire infamiam (ſi æquè eſt) vel ſiniſtram opinionem apud Confeſſarium, confitendo propria peccata; ne inde ſequatur me manifeſtare poſſe perſonam complicis. Probatur antecedens: nàm ſecùndùm omnes, quando timetur poſſe Confeſſarium ex cõfeſſione pœnitentis deuenire in notitiam complicis; tunc pœnitens tenetur adire alium Confeſſarium, qui non cognoſcat perſonam complicis; non autem tenetur querere alium Confeſſarium, qui ſe ipſum non cognoſcat ad confitendum aliquod peccatum, ex cuius confeſſione Sacerdos conciperet malam opinionem de ipſo; ergò magis tenetur conſulere famæ complicis, quàm propriæ. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: quando reuelatio complicis non eſt neceſſaria ad integritatem confeſſionis; concedo; quando eſt neceſſaria, nego. Sed contra hoc adhuc remanet difficultas adducta: nam quando reuelatio complicis eſt neceſſaria ad integritatem

gritatem confeſſionis, debeo adire alium Confeſſarium, & non teneor querere aliū, qui me non cognoſcat; ergò ſtante etiam neceſſitate integritatis confeſſionis, magis teneor ad conſeruandam famam complicis, quàm ad conſeruationem propriæ.

Fortè proptèr hanc rationem aliqui Authores dicunt non eſſe obligationem præcepti, ſed ſolum Concilij de adeundo aliū Confeſſarium ad non manifeſtandum cōplicem. Ita Facundes lib. 3. de ſecundo præcepto Eccleſiæ. Gerſon, & Medina: ſed hoc parum refert: nàm ſiue ſit obligatio præcepti, ſiue Concilij, erit eadem obligatio reſpectu reuelationis proprij peccati Confeſſario noto, ac reſpectu reuelationis complicis, niſi ſoluatur præcedens argumentum; hoc enim ſufficit intentio argumenti: nam ſolum intendit probare equalem obligationem adeundi alium Confeſſarium ad conſeruationem propriæ famæ; ac ad conſeruationem famæ complicis, vel quod, ſi non ſit obligatio adeundi alium Confeſſarium, ne reuelaret proprium peccatum, & eſſe, vt reuelaret perſonam complicis, magis nos teneri ad conſeruationē famæ complicis, quàm ad conſeruationem propriæ. Reſpondetur ergò negando conſequentiam: quicquid ſit de antecedente, quoad ſecundam partem. Ratio eſt primò, quia neceſſarium eſt, quòd peccator alicui Sacerdoti confiteatur, & debet ſe exponere periculo ſubeūdi ſiniſtram opinionem apud aliquem: nàm cuicumquè confitebitur, ſciet ipſum eſſe, qui comiſit tale peccatum; ſed non eſt neceſſe, quòd vllus Sacerdos ſciat perſonam complicis; vndè cum poteſt peccator ita conſulere famæ complicis, & etiam ſatisfacere ſuæ obligationi, debet id facere, licèt non teneretur querere ſibi alium Confeſſarium: Nam, vt iam dixi, quacunquè diligentia adhibita, oportet, quòd ipſe apud aliquem periclitetur. Complex autem poteſt non periclitari. Adde, quod manifeſtatio ſui peccati Confeſſario noto, & familiari, poteſt eſſe ipſi pœnitenti occaſio maioris meriti, ob difficultatem, & verecundiam, quam patitur, & vincit: manifeſtatio autem cōplicis non eſt meritoria pœnitenti, & eſt præiudicioſa complici, quàm pœnitens nō debet, nec poteſt manifeſtare, niſi quando non poteſt alitèr ſatisfacere ſuæ obligationi: quando autem poteſt, tunc amittit totum ius, quod habuit ipſum manifeſtando. Hoc quantum ad ſolutionem illius argumenti, ad oſtendendum non ſequi ex obligatione adeundi alium Confeſſarium ad celandum perſonam complicis, obligationem adeundi alium ad confeſſionem proprij peccati.

Quantum vero ad remiſſam; exiſtimo, quòd pœnitens, quando haberet aliquod peccatum, ex cuius confeſſione ſciret prudentèr Confeſſarium, habiturum ſiniſtram opinionem de ipſo, non ſolum poſſe, ſed etiam debere prudentèr confiteri alteri Confeſſario extraneo; puto enim, quòd tenetur ſemper conſulere propriæ famæ, quando ſimul cum hoc poteſt ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, nec poſſe ipſum prudentèr comparare ſibi ſiniſtram opinionē apud nullum niſi neceſſitas integritatis confeſſionis vrgeat, & quando non poteſt integrè confiteri, niſi cum tali periculo. Ad illud de maiori merito ob difficultatem, quam vincit; credo præceptum de conſeruanda propria fama preponderare huic rationi; imò ex ſuppoſitione huius reſolutionis non poſſet tunc mereri, ſed potiùs mereretur concludendo propriæ famæ.

PROPOSITIO V.

Aliæ rationes contra noſtram propoſitionem, et reſoluuntur.

QVando concurrunt duo præcepta ſe mutuò impedientia præceptum ſuperioris ordinis, ſolum obligat, & ceſſat obligatiò alterius: ſed in propoſito in caſu reuelationis perſonæ complicis, ſunt duo præcepta; vnum integritatis confeſſionis; alterum de non infamando proximum: & hoc ſecundum eſt ſuperioris ordinis, quàm primum; ergò propter integritatem confeſſionis non debeo manifeſtare crimen occultum complicis. Probatur minor quoad ſecundam partem; nàm præceptum confeſſionis eſt iuris poſitiui diuini; præceptum non infamandi proximum, iuris naturalis; ſed ius naturale præponderat poſitiuo, ergò præceptum conſeruandi famam proximi eſt ſuperioris ordinis, quàm præceptum de integritate confeſſio-

Digitized by Google

feſſionis. Reſpondetur negando minorem, quoad ſecundam partem:ad eius probationem diſtinguitur maior: præceptum conſeruandi famam proximi eſt iuris naturalis, quando non ſuppetit cauſa rationabilis, reuelando perſonam eius, concedo; quando ſuppetit nego. In propoſito autem eſt rationabilis cauſa neceſſitas; ſcilicèt, confeſſionis,à qua depēdet propria ſalus: quoniam quilibet præferre debet famæ proximi: nullus enim tenetur cum iactura propriæ ſalutis ſeruare famam proximi. Dices; cum præceptum non infamandi proximum ſit abſolutè iuris naturalis, & integritas confeſſionis iuris tantum poſitiui; potius obligatio Iuris poſitiui ceſſabit, quàm obligatio iuris naturalis, & ſic dicendum eſt potius legem naturalem excuſare pœnitentem ab integritate confeſſionis, quàm obligationem integritatis confeſſionis diſpenſare lege naturali. Reſpōdetur negando conſequentiam. Ratio cur lex naturalis non obligat, & præualeat iuri poſitio, eſt illa eadem, ob quam non excuſaretur à manifeſtatione proprij peccati cum iactura propriæ famæ; ad cuius conſeruationem magis tenetur ex lege naturali,quàm ad conſeruationem famæ proximi. Vndè ſi argumentum valeret, probaret neminem debere confiteri vnum peccatum, ex cuius confeſſione periclitaretur eius fama apud Sacerdotem; etenim conſeruatio propriæ famæ eſt iuris naturalis, confeſſio vero iuriſpoſitiui.

PROPOSITIO VI.

Diſputans an confiteri debeamus circumſtantias ſpeciem peccati non mutantes, ſed eius turpitutinem notabilitèr aggrauantes.

Difficultas hæc inter reliquas non vltimum tenet locum, & maxima difficultas conſiſtit in tribus, vel quatuor circumſtantijs. Prima: an notabilis quantitas furti ſit in confeſſione exprimenda;nam furtum magnum, aut parum inter ſe, ſpecificam minimè agnoſcunt diſtinctionē. Secunda: vehæmens voluntatis affectus, quoquis peccat,ſit in confeſſione dicendus, quoniam ſpeciem non mutat; ſed notabilitèr auget deformitatem. Tertia: an mora, & diuturnitas temporis, in quo quis peccauit, ſit cōfitenda. Quarta: an ſit in confeſſione dicendum; ſiquis deliquerit poſt peccata ſemel remiſſa, quòd eſt dicere: an circumſtantia peccati ſæpiùs iterata, ſit in confeſſione exprimenda;quando quis in peccato ante dimiſſo ſubindè recidit.

Non nulli alij ſunt opinati eſſe obligationem manifeſtandi circumſtantias notabilitèr aggrauantes;ſed non agnoſcunt huiuſmodi obligationem manifeſtandi circumſtantias notabilitèr minuentes.

PROPOSITIO VII.

Opinio docens tantum eſſe confitendas circumſtantias augentes, ſeù aggrauantes; non autem minuentes, non eſt amplectenda.

Ratio me mouens ad ita dicendum, eſt, quia in iudicio ſacramentali tenetur pœnitens nudam veritatem confiteri, neque peccatum aliquod commiſſum celando, nec aliquid non commiſſum manifeſtando; vt Sacerdos tanquàm Iudex à Chriſto conſtitutus, cauſa cognita pro qualitate criminum, ſententiam feret, remedia, pœnaſquè iniungat; ergò pœnitēs, vel tenetur neceſſariò manifeſtare circumſtantias notabilitèr aggrauantes, vel minuentes, ſi tales circumſtantiæ variant iudicium Confeſſarij in re graui, vel neutras manifeſtare, ſi materialitèr ſe habent ad iudicandum; neque enim intelligibile eſt, quod varietur iudicium propter exceſſum, non autem propter defectum, ſi fuerit vterquè notabilis, vt manifeſtum eſt conſideranti.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO VIII.

Valde probabilis eſt opinio docens non eſſe neceſſarium detegere in confeſſione circumſtantias, aggrauantes ſolum, & augentes malitiam peccati, quæ non mutant ſpeciem.

PRobabilitatem extrinſecam huius ſententiæ negabit nemo: ſunt enim multi grauiſſimi Doctores pro ea. Fauet Scotus in 4.d.17.§. de Secundo, à verſ. nec ſolum peccata: eam vero ex preſsè tenent ex noſtris D.Bonau.Riccard.Ouand.Cordub. Errer. Pitign. & fabr. nec diſplicet Villalobos. Ex alijs etiam defendunt D. Tho. Alb.Magn.D.Antonin.Durãd.Siluef.Paludan.Tolet.Vaſquez Enriquez,& multi alij, quos citant, & ſequuntur Vrtadus diſp. 9. difficult.3.& Lugo diſp.16.ſeſſ.3.num.207. Diana par.1. tract.7. reſolut. 1. qui omnes Doctores certè dant maximam probabilitatem huic propoſitioni. Probatur etiam ratione: nam ex doctrina Tridentini integritas confeſſionis requiritur, vt illa poſſit Confeſſarius iudicium de peccatis ferre; ſed circumſtantię aggrauantes nõ ſunt peccata diuerſa à præcipuo opere; nec ſperiale peccatum conſtituunt; ergò ſine præparatione illarum poteſt Confeſſarius diuerſum iudicinm ferre. Ratio à priori eſt, quòd materia neceſſariò aperienda in confeſſione habetur ex præcepto diuino, & Eccleſiaſtico: ſed nullum reſtat præceptum de circumſtantijs aggrauantibus, ergò &c. Dices: ſi quis vnico bombardæ iſtu decem occidat homines; vel vnico actu interno decem vellet occidere; tenetur confiteri decem homines voluiſſe occidere, vel occidiſſe; ſed circumſtantiæ extentionis non mutant ſpeciem, ſed ſolum aggrauant (cùm occiſiones omnes ſint eiuſdem ſpeciei) ergò &c. Reſpondetur, quod licèt illa extenſio non multiplicet peccata ſpecie (quia omnia homicidia ſunt eiuſdem ſpeciei) tamen multiplicant peccata numero, & de numero peccatorum extat præceptum, & ex Tridentino omnia, & ſingula peccata debent detegi. Accedat altera ratio: præceptum confitendi peccata, tàm quoad numerum, quàm quaod circumctantias, & de iure diuino, & non de ſolo Eccleſiaſtico; & Chriſtus potuit inſtituere hoc Sacramentum, vt ſolum eſſet obligatio confitendi ſpecies, & numerum peccatorum, non vero circumſtantias aggrauantes; ergò niſi conſtet Chriſtum Dominum voluiſſe, vt etiam iſtæ circumſtantiæ explicarentur ſine fundamẽto, tale onus imponemus pœnitentibus: quod vero non conſtet Chriſtum Dominum talem obligationem impoſuiſſe, patet; quia non conſtat ex ſcriptura, nec ex traditione, nec etiam ex doctrina Patrum. Confirmatur: quia Concilium Tridentinum ex poteſtate abſoluendi tradita à Chriſto Domino, colligit explicandas eſſe ſpecies, & numerum peccatorum; de circumſtantijs vero aggrauantibus nihil dixit; ergò ſine fundamento ſufficienti aſſeritur neceſſarium eſſe explicare has circumſtantias, cùm eius verba doctrinalia ſint.

Dices: Concilium ſolum docuiſſe, quod eſt certum; in alijs vero abſtinuiſſe ab opinionibus Theologorum. Contra: re vera ſi certum eſſet ex eo, quod Sacerdotes ſint iudices in hoc Sacramento à Chriſto Domino conſtituti illis verbis: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* explicandas eſſe has circamſtantias colligiſſet Cõcilium quoad numerum, & ſpecies peccatorum: vndè ad minus incertum eſt an ex illis verbis colligatur declarandas eſſe huiuſmodi circumſtantias. Quod ſi incertum eſt quouſquè ab Eccleſia declaretur, tale iugum minime imponi debet pœnitentibus. Notant non multi ex eo, quod in illo cap.5. poſtquàm docuerat Tridentinum neceſſariò eſſe confitendas peccatorum ſpecies, numerum, nec non, & circumſtanrias, quæ ſpeciem mutant; addidit: *Nihil aliud à pœnitentibus in Eccleſia exigi.* Eminentiſſimus de Lugo dicit, poſſe conſeruari vim huius confirmationis; ſi quis dicat, ly *nihilaliud*, non eſſe referendum ad circumſtantias notabilitèr aggrauantes, ſed ad peccata, quæ memoriæ non occurrunt. Tamen ſemper Aduerſarios præmit illa obſeruatio, ſcilicèt Concilium non meminiſſe circumſtantias notabilitèr aggrauantes, aut minuentes, immò eas tacitè excluſiſſe ab obligatione confeſſionis, ponendo limitationem illam, *quæ ſpeciem mutant*, dum obligationem confitendi circumſtantias doceret; ergò ſupponit nihil

aliud

Digitized by Google

aliud exigi, à pœnitẽtibus in Eccleſia, quã confiteri circumſtantias ſpeciem mutãtes. Probatur noſtra propoſitio ex abſurdo, quia ex oppoſita ſẽtẽtia ſequeretur etiã in confeſſione declarandas eſſe circumſtãtias notabilitèr minuentes: quia ſi notabilitèr aggrauãtes ſunt explicãdæ; ideò eſt, vt Cõfeſſor integrum, & exactum iudicium ferat de quantitate peccati, & iuxta eius menſuram, pœnitentiam imponat: at ad hoc iudicium, neceſſarium eſt cognoſcere circumſtantias notabilitèr minuentes; etenim iſtæ etiam variant iudicium ne æqualis imponatur pœnitentia pro peccato mortali minimo, & pro maximo in eadem materia, quod tamen eſt contra vſum, & praxim. Rurſus deindè ſequeretur exprimendas eſſe circumſtantias intenſionis, & durationis, iſtæ enim multum augent malitiam, & explicato peccato in genere, non intelligitur quatenus fuerit affectus, & duratio eius. Adde, quod ex contraria opinione tenerentur Confeſſores interrogare pœnitentes de ijs circumſtantijs, quòd eſt contra praxim, & videtur graue onus pœnitentibus, & Confeſſarijs impoſitum ſine vrgenti neceſſitate.

Obijcies nobis: Scotum in 4.d.17. §.de ſecundo, à, ver. nec ſolum peccata, vbi ità dicit *Circumſtantias notabilitèr aggrauantes includit dictum præceptum*. Reſpondetur: Scotum ſubitò declaraſſe ſuam ſententiam his verbis: *ſaltem ill. s ſtico aggrauantes, & neceſſariò confitendas, quæ ſpeciale prohibitione prohibentur, v.g. alienum accipere eſt illicitum, ſed ſpeciali prohibitione prohibetur: accipe de loco Sancto, & ideò ſpeciale peccatum, ſcilicet ſacrilegij per hanc circumſtantiam conſtituitur, &c.* Clara ergò eſt Scoti intentio, ſcilicèt eum loqui de circumſtantijs mutãtibus ſpeciem. Nec eſt, quod dicas Scotum ſermonem faciens de circumſtantijs notabilitèr aggrauantibus, hæc ſcribere verba: *De quibus non eſt ita certum, quod oporteat illas confiteri, tamen tutum, & vtile eſt hoc ita fieri*. Concedimus Scoti diſcurſum, ſed nil dicit contra nos; quinimmò pro nobis arma ſumit: etenim eo ipſo, quod dicit non eſſe certum confitendas fore circumſtantias aggrauantes: implicitè ſe ſubſcribit docentibus non eſſe imponẽdum tale ius; nec pœnitentibus confitendi illas; nec Confeſſoribus interrogandi de illis. Monemus nullum dari Doctorem, qui neget probabilitatem ſententiæ, affirmantis pium eſſe circumſtantias cõfiteri tales.

PROPOSITIO IX.

Probabilior eſt ſententia, docens aperiendas eſſe in confeſſione circumſtantias notabilitèr aggrauantes, aut minuentes peccatum,

Confitendas eſſe tales circumſtantias defendunt noſter Alenſis p.3. q.18. memb.4. art.3. §.ſecundo. Altiſiodorenſis, Marſilius maior, Victoria, Caietanus, Suarez, Sanchez, Conninch; & multi alij, quos citat Pater Diana. Noſtram propoſitionem probo primò; quia ex Auguſtino capite. *Conſiderat de Pœnitentia D. 5. dicitur: Conſideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeuerantia, in varietate perſonæ, & quali hòc fecerit intentionem*, & poſtea ſubiungit: *Omnis iſta varietas confitenda, & deflenda eſt*. Ad hoc Auguſtini teſtimonium nihil aliud reſponderi poteſt, niſi quod Auguſtinus id docuerit, quod ſentit altera opinio; vel quod verba Auguſtini contineant Concilium, non præceptum: Neutrum mihi placet; quia Auguſt. dicit: *Omnis iſta varietas, confitenda, & deflenda eſt*, quod verbum ſignificat neceſſitatem. Accedat altera ratio: videtur omninò neceſſarium, vt notabilis quantitas furti in confeſſione exprimatur, quoniam nullus eſt tàm rudis homo, qui non dicat in confeſſione quantitatem peccati, nec vlla eſt Reſpublica benè inſtituta, quę nõ deteſtetur grauiſſimè maximum furtum, & quæ non puniat grauiori pœna: ſed pœnitentię Sacramentum eſt iudicium tale, ergò ad modum iudicij ſentẽtia de peccatis fertur. Citantur etiam nonnullæ leges pro hac opinione. Reſpondent Authores negantes neceſſitatem confitendi iſtas circumſtantias, quòd quantitas furti ſit confitenda, quia neceſſe eſt, vt Sacerdos intelligat quantum ſit reſtituendum, & moneat pœnitentem. Alij reſpondent eſſe dicendum, quia ſolet eſſe furtum magnũ, caſus Epiſcopo reſeruatus, ſed certè non viden-

Digitized by Google

videntur ſatisfacere: quia quod caſus ſit Epiſcopo reſeruatus,id in cauſa eſt magnitudo ſurti, vel criminis atrocitas. Item in cap. prouenit de ſententia excommunicationis, enormis percuſſio Clerici, excommunicatione affecta, Reſeruatur Summo Pontifici; at verò mediocris, etiam excõmunicatione affecta,reſeruatur ſolum Epiſcopo, illa verò Pontifici, id facit magnitudo, aut leuitas delicti; quia vna eſt percuſſio enormis. Item qui ad annum in excommunicatione perſiſtit, iuxta Canones puniri debet, tanquàm ſuſpectus hæreticus; ergò illa temporis mora, tàm notabilis,videtur criminis atrocitatem continere. Præterea quis poteſt negare eum, qui aliquem ità crudelitèr verberauerit, confiteri non debere illam peccati magnitudinem. Item Diuus Thomas, & multi cenſent inceſtus ſpecie non differre, & tamen quis negaret inceſtum turpem cum parentibus in primo gradu. Accedat aliud argumentum: confeſſio eſt inſtituta iure Diuino, vt Sacerdos, tanquã iudex ferat ſententiã, & puniat delicta, vt fiat Deo iuſta compẽſatio delicti; ſed re vera in iudicio ſententia fertur grauior, aut leuior iuxta grauitatem, vel leuitatem delicti. Item Sacerdos tamquam Medicus ſpiritualis medetur nobis pœnitentijs; ſed prudens Medicus curat morbi grauitatem, vel leuitatem morbi, vt opportuna remedia grauiora,vel leuiora præbent; ergò ſit altera ratio, aliàs quàm turpitudinis eſt in peccato celaretur, quàm diceretur. Patet: ſi in oppoſita ſententia pœnitens debet dicere ſolum ſe eſſe furatum quantitatem pecuniæ, quæ eſt materia peccati mortalis; ergò ſi furatus eſt magnum cumulum pecuniæ, plus ex peccato celat, quàm dicat; quoniam materia læthalis peccati conſtituit v. g. vnum nummum aureum, & tamen celat centum millia aurea. Item in obſcenis actibus multa ſunt,quæ ſpeciem non mutant,& tamen ita turpitudinem augẽt intra eamdem ſpeciem, vti iure dicere non poſſumus, & celari licitè poſſe. Item ſequeretur,vt ſi pœnitens, qui furatus eſt centum millia ſcuta aurea, & ſolum confitetur furatum eſſe materiam peccati mortalis, ſatisfacere: quinimò interrogatus à confeſſario quanta ſit illa pecunia, negare poſſe ſe velle reſpondere, quia ſecundum eam ſententiam non debet quantitatem exprimere. Item inter blaſphemias, quis neget blaſphæmię atrocitatem debere confiteri, & turpitudinem; & tamen Caietanus, & alij fatentur blaſphemias ſpecie non differre. Ad hoc nihil aliud reſponderi poteſt, niſi blaſphemias eſſe ſpecie diſtinctas. Tamen multæ ſunt, quæ non differunt, niſi atrocitate,vel leuitate. Concludo circumſtantias notabilitèr aggrauantes, aut minuentes intra eamdem ſpeciem eſſe confitendas: Variant quippè in re morali prudentis iudicium prætèr notabilitatem, deceptionem, ſiuè per exceſſum, ſiuè per defectum. Dũ ergò concedimus prudentum iudicio circumſtantias intra eamdem ſpeciem notabilitèr aggrauare, vel minuere peccatum, quoad ipſam moralitatem; conſequentèr tenemur affirmare,notabilitèr etiam variari prudentis Confeſſarij Iudicium, ex manifeſtatione, vel non manifeſtatione huiuſmodi circumſtantiarum notabilitèr aggrauantium, vel minuentium intra eamdem ſpeciem.

PROPOSITIO X.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta cõtra ſententiam, docentem non eſſe confitendas circumſtantias non minuentes ſpeciem.

PRimum argumentum deſumitur ex eo, quod diuerſitas gradus cognitionis non diuerſificat copulas carnales, & nihilominus, ſi quis matrem,vel ſororem carnalitèr cognoſcat, tenetur talem circumſtantiam manifeſtare, ergò circumſtantia ſolum aggrauans eſt neceſſariò cõfitenda. Aliàs quis ſufficientèr cõfitebitur dicendo commiſſi Inceſtum. Reſpondetur concedendo conſequentiam; quia in terminis concedunt. Pipius tract. de caſibus reſeruatis. Megula in prima parte lib.5.c.12. num.9. & alij. Immò eamdem conſequentiam concedunt quotquot affirmãt omnes inceſtus eiuſdem lineæ eſſe eiuſdem ſpeciei v.g. cognoſcere matrem,& filiam, &c. Ita Diana prima parte tract. 7. reſolu. 31. ſequutus Nugnum. & in tertia par. tractat. 4. reſolut. 67. §. reſolut. 31. addit

Digitized by Google

dit pro hac ſententia Ioannes de la Crux; pro qua etiam Auxonius verbo circumſtãtiæ num. 19. adducit Gabrielem Vrtadum; in quorum Authorum ſententia, qui cognouit Matrem, & filiam, &c. ſufficientèr confitetur dicendo; Non habui cum conſanguinea in recta linea. Addo cnm Diuo Thoma ſecunda ſecundæ q. 154. art. 9. cũ Caietano ibidem, & cum Fauſto citato ab Auxonio, ibi non differre ſpecie inceſtus diuerſæ lineæ, ideſt conſanguinitatis, & affinitatis, & ideò qui cognoſcit matrem propriam, aut matrem ſuæ conſortis, ſororis, neptem, &c. ſufficientèr confiteretur dicendo: toties commiſi inceſtum, non explicando an fuerit cum conſanguinea: an cum affine, an in primo, an in alio gradu; ratio eſt, quod quælibet circumſtantia aggrauans poteſt reticeri: Solum enim tenemur cõfiteri peccata quoad ſpecies, & numerum, necnon & circumſtãtias, quæ ſpeciem mutant. Ita ſcribit de verbo ad verbum noſter Pater Chriſtophorus Delcadillu Complutenſis Lector Iubilatus, & ad præſens Conuentus S. Franciſci Madrid Guardianus, & mihi chariſſimus, eſt certè bonus Religioſus, & illum ſic expertus sũ in Conuentu noſtro Complutenſi, tempore Capituli Generalis. Legatur cap. 17. dub. 64. de Pœnitentia.

Ad ampliorem Doctrinam dicimus falſum eſſe, gradus conſanguinitatis non variare ſpeciem: nàm intra inceſtum, qui eſt veluti genus, pluries ſpecies inceſtus dantur ſecundum gradus ſuos, & ſic eſt neceſſarium detegere in confeſſione, quod matrem, vel ſororem cognouerit: nam eſt circumſtantia mutans ſpeciem. Aliud argumentum; non minus peccat, qui per vnam horam habet voluntatem determinatam ad furtum, vel ad mediam, quia ille, qui inter eamdem horam ter, vel quatuor furatur, vel mechatus fuerit, ſe tenetur in confeſſione detegere numerum furti, vel fornicationis v. g. ergò ſimilitèr tenetur perſeuerantiam detegere, licèt ſpeciẽ peccati non mutet, ſed ſolum augeat malitiã. Reſpõdemus numerum peccatorum detegendum eſſe in confeſſione, non verò perſeuerantiam: quippè de numero peccatorũ eſt ad præceptum, non verò de grauitate peccatorum, ſufficit ergò ad ſaluandam veritatem confeſſionis dicere ſe eſſe furatum notabilem quantitatem.

PROPOSITIO XI.

Proponuntur alia argumenta, et ſoluuntur.

IN Concilio Romano c. 25. ita ſcribitur; *Pœnitentibus ſecundùm differentiam peccatorum ſacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernũtur, debet ergo Sacerdos ſingulorum cauſas ſingillatim conſiderare originem, modumq; culparum.* D. Auguſtinus relatus à Scoto habet hæc verba: *Conſideret Sacerdos qualitatem criminis in loca, in tempore, in perſeuerantia, in varietate perſonæ, &c.* Subinfero; ſed requirit iſta conſiderare debitè ſacerdos, ſi ei in confeſſione non detegãtur circumſtantiæ ſolum aggrauantes, cuius generis eſt culparum, modus, & perſeuerantia; ergò pœenitentes tenentur detegere in confeſſione circumſtantias aggrauantes ſolum. Reſpondemus Concilium nihil habere contra nos: quinimò nobis fauet, dum ait: Cauſas, origines, & modus culparum eſſe detegenda; quippè iſta fore ſemper mutant ſpeciem. Ad Auguſtinum dicimus, ſolum eſſe loquutum conſultiuè, docendo nos, quod vtilius, & cõuenientiùs nobis ſit, non verò quid ſit neceſſarium. Aliud argumentum: peccata mortalia aliquando ob circumſtantias notabilitèr aggrauantes intra eamdem ſpeciem, grauius faſtidium animum, & periculoſiora fiunt, quando ob circùmſtantias mutantes ſpecies, ergò ad minus hoc in caſu ſunt neceſſariò confitendæ. Negatur conſequentia, nàm neceſſitas Confeſſionis non eſt deſumenda ex eo, quod magis, vel minus res nobis appareat confitenda: quinimò tota ratio neceſſitudinis, confeſſionis eſt petenda à præcepto Chriſti in ſe, & per Eccleſiam nobis propoſitum: hinc cum non nobis appareat præceptum tale datũ à Chriſto, reſtamus in opinione, quod non ſint confitendæ neceſſariò aliæ circumſtantiæ, niſi ſpeciem mutent.

Aliud argumentum: Interdum Eccleſia reſeruat peccatum ratione alicuius circũſtantiæ aggrauantis; ſed circumſtantia ag-

Digitized by Google

grauans non capit ſub obligatione confeſſionis; ergò vana eſſet illa reſeruatio. Reſpondemus diſtinguendo minorem: per ſe concedo; per accidens ſeù ratione reſeruationis, negò: nàm ſicut Eccleſia poteſt imponere excommunicationem reſeruatam ratione alicuius circumſtantiæ, quæ adhuc notabiiitèr non aggrauat (hac ratione in bulla Cœnæ reſeruatur furtum de bonis Chriſtianorum, qui paſſi ſunt naufragium; cum tamen circũſtantia illa naufragij præcedentis non aggrauat notabilitèr) & ſicut, qui furatus eſt bona naufragorum tenetur confiteri illam circumſtantiam non per ſe, ſed per accidens, ſcilicèt ratione excommunicationis: ita tenemur confiteri circumſtantiam aggrauantem, non ratione ſui, ſed ratione reſeruationis.

PROPOSITIO XII.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta probantia, non eſſe neceſſariò confitendas circumſtantias, non mutantes ſpeciem,

PRimum argumentum: Tridentinum ſolum diffiniuit circumſtantias ſpecie mutantes eſſe confitendas,& nihil dixit de cæteris; ergò circumſtantiæ non mutantes ſpeciem, minimè ſunt confitendæ. Reſpõmus Cõcilium ibi ex iure ipſo Diuino colligebat omnium peccatorum confeſſionem eſſe faciendam; & ideò diffinuit occultiſſima mentis peccata eſſè confitenda,& deindè numerum peccatorum: nàm circumſtantia mutans ſpeciem, diuerſum peccatum conſtituit; cætera verò, quæ in opinione Theologorum conſiſtunt, reliquit intacta. Sit aliud argumentum: Diuinum præceptum confeſſionis ſolùm eſſe de omnibus peccatis confitendis; ergò ſolum debemus numerum, & ſpeciem peccatorum confiteri. Sine ergò neceſſitate dicitur eſſe confitendas circumſtantias notabilitèr aggrauantes. Reſpondeò: non ſolùm hoc in præcepto diuino contineri, ſed etiã vt confiteatur peccatum tale, & tantum, qnale, & quantum eſt,quoniam qui præcipit, vt peccatum confiteamur,eo ipſo recipit, vt confiteamur, quale, & quantum eſt, vt deteſtemur, & vniamus in nobis ipſis, quale,& quantum peccatum contra Deum fecimus. Dices ergò neceſſe eſt, vt confiteamur qualemcumque peccati intentionem, & continuationem. Mayor, & alij Authores iſtius opinionis id libentèr concedunt. Nos reſpondemus debere eam confiteri circumſtantiam, quæ iudicium humanè,facilè atrocem dijudicat enorme: quoniam cum talis eſt, & tanta intenſio, priuatio, & continuatio vulgares, & ruſtici etiam homines eam circumſtantiã agnoſcunt, & confiteri ſolent.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO IX.

De Reuiuiſcentia bonorum operum per Pœnitentiam, & reditum peccatorum per ſubſequens peccatum.

DIfficultates omnes dabimus reſolutas per ſubſequentes propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Deleantur per pænitentiam peccata, ità vt reuiuiſcere non poſſunt de potentia Dei ordinaria.

ADmittunt cum Catholicis etiam hæretici remiſſionem peccatorum; non tamen eodem ſenſu: ſiquidem hæretici, cum putent peccata eſſe ipſam concupiſcentiam, ac proindè rem poſitiuam, & quaſi naturalem in nobis, quæ auferri ab homine non poſſit, conſequentèr volunt remitti peccatum per ſolam non imputationem; ità vt hoc ſenſu dicatur, Deus nobis remittere; non quia ipſa non permaneant in nobis, ſed quia ea Deus non imputat nobis ad pœnam, imò neque ad culpam. Catholici verò, qui alitèr de peccato ſentiunt, alitèr de eius omiſſione ſentire coguntur, & volunt remitti peccatum à Deo per ipſius peccati deletionem, & amotionem à conſcientia peccatoris, ita vt nihil omninò remaneat in pœnitente poſt abſolutionem, quod vel minimam rationem peccati habeat. Dimiſſis hæreticis noſtram adſtruamus fidem (iam enim aliàs dicimus, concupiſcentiam non eſſe peccatum, vnde corruit figmentum hæreticorũ de remiſſione peccatotum per non imputationem.) Ratio pro noſtra propoſitione eſt: quia benignus Deus, non ſub conditione, ſed abſolutè voluit nobis remiſſa peccata; ergò irrationabilitèr dicet quis redire de facto peccata. Paritatem deſumimus ex humanis. Scimus de debito in humanis, quod ſi ſemel abſolutè condonatum ſit; tunc tale debitum, neque redire, neque repeti poteſt, & ſi offenſus, ſemel, & iterùm grauitèr de nouo offendatur; hinc magnus Pater Auguſtinus ſuper illa verba Pſal. 31. *Beati quorum tecta ſunt peccata* Dicit, tegi peccata aliud eſſe nihil, quàm amplius à Deo non videri quoad vindictam. Accedat hoc noſtrum, pro fide noſtra argumentum. Peccatum tranſacto actu peccati, vel ex relatio rationis, ſcilicèt obligatio ad pœnam æternam, (vt multi arbitrantur Scotiſtæ, & & alij, vel eſt macula, & deformitas quædam in anima peccatrice, quæ eſt ſimplex priuatio nitoris; & ſplendoris, quam gratia iuſtificans confert animæ iuſtificatæ, quæ eſt ſententia Diui Thomæ; vel peccatum habituale in ipſummet actuale phyſicè tranſactum, & moralitèr perſeuerans, vt verior docet opinio. Subinfero, ſed mediante pœnitentia ità placatur Altiſſimus, vt ceſſet omninò illa obligatio ad æternam pœnam, & amplius non ſit; conferturq; animæ pœnitẽti gratia gratum faciens, & iuſtificans, cuius aduentu macula expellitur; eo modo, quo omnis habitus expellit ſuam priuationem, & facit, vt amplius non ſit, vt deſertis verbis docet D. Paulus ad Epheſios 5. vbi explicans, quomodo ex impio, piùs homo fiat, ait Chriſtum proprium ſanguinem fudiſſe, vt exhiberet ſibi ſponſum non habentem maculam, neque rugam, ergò pœnitentia de medio tollit, auellit, deſtruit funditùs peccatum.

Ità deſtruitur per pœnitentiam peccatũ, vt reuiuiſcere amplius non poſſit, quamuis iterato peccet homo. Sunt, qui opinantur hanc partem eſſe definitam à Galeſio de pœnitentia diſt. 4. Canone diuina, & 23. q. 4. Canone *ſi illa*, dum ait; *Diuina clementia dimiſſa peccata in vltionem iterum redire non patitur*: Ita Scotus in 4. diſt. 22. §. & verſic. de ſecundo, & communitèr Theologi, præſertim D. Thomas q. 88. artic. 1.

tic.1. Vaſquez, Suarez, & Ægidius; quos citat, & ſequitur Gabriel Vrtadus.
Mallem controuerſiam præſentem proponi ſub hoc titulo. Vtrum Deus, qui per pœnitentiam nobis cōdonauit omnia peccata; poſtquam iterato peccamus, non ſolùm peccatum præſens puniat, ſed etiam condonata antè peccata, Nam cum dicimus pœnitentiam de medio tollere, auellere, deſtruere funditùs peccatum, & ita deſtruit per pœnitentiam peccatum, itaque occidi, & interfici, vt reuiuiſcere amplius non poſſit, quamuis iterato peccet homo. Nam iſte modus loquendi in publicis concionibus parit ſcrupulum, dū enim rudis, & ſimplex populus audit; An peccatum aliquando reuiuiſcat; ſubito præ ignorantia imaginatur peccatum eſſe aliquod animal in venatione captum, & occiſum. Vel etiam fingens, & ſimulans ſe occiſum ad modum Vulpis, vt poſtea incautos mordeat. Hæc obiter dicta: Concludimus abſolutè, tantam eſſe diuinam bonitatem, & miſericordiam in peccatorum prædictorū condonatione, vt amplius eorum non recordetur, nec obliget de nouo peccantem ad pœnam debitam antecedentibus peccatis in hoc conueniunt omnes Theologi, argumento ſumpto à diuina bonitate ex eo, quod non iudicat Deus bis in idipſum. Attamen ex Sacra Pagina colliguntur varij Teſtus, quibus videtur adſtrui iſte reditus, & reuiuiſcentia peccatorum. Præcipuè viget illa parabola de ſeruo; cui condonauerat Dominus debitū maximum, qui quia voluit cōdonare ſeruo ſuo ad dominum adductus, non obſtante condonatione, mancipatur perpetuis carceribus, & reus coram Domino ſuo ſiſtitur eiuſdem debiti, cuius donationem acceperat: cuius parabolæ ſenſus à Chriſto proponitur his verbis. *Sic Pater meus faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris*. Reſpondemus ex Scoto §. & verſiculo ad argumenta, mentem ſacræ Paginæ, Sanctorumq; Patrum in eo ſtare, quod eadem pœna damnationis exigitur à ſeruo illo propter defectum charitatis in conſeruum; ſeu quia illi noluit dimittere; ac fuiſſet exacta ab illo propter delictum principale. Dicimus ergò non redire dimiſſa peccata ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm qualitatem, ſcilicèt non redire oblgationem ad æternam pœnam, ſed tantum per modum ingratitudinis; quatenus adueniens Deus gratiam, quam contulit huic homini, eumq; aduertens tanto beneficio ingratum; magis punit, & ſeueriùs caſtigat iterato peccantem, quia quàm ſi tantum ſemel peccaſſet, & non fuiſſet miſericordiam ſemel conſequutus. Hæc eſt omnium communis reſponſio.

PROPOSITIO II.

Quando Deus non abſolutè, ſed ſub conditione iſta (ſi homo, non in nouum incidat peccatum) remitto peccatum; ſi autem dixiſſet, remitto peccatum ea lege, ne amplius peccet, & iterato peccando, volo redire peccatum; rediret.

PVtamus Scotum nobis propitium in 4. diſt. 22. §. iſta quæſt. verſic. item, & verſic. ſic igitur. vbi ſic concludit. Poteſt de potentia Dei abſoluta peccatum idem numero redire non ſolùm in recidiuante, ſed etiam in non recidiuante. Sum ergò in opinione, quòd quando Deus condonaret peccatum ea conditione, vt ſi poſt conditionem iterum peccaret, peccans reſtaret obligatus ad pœnam, & ità abſolutè poſſet redire peccatum remiſſum. Mihi eſt ratio, quod in hoc remittendi modo reſpectu Dei nulla apparet repugnantia, aut indecentia. Exemplum eſt clarum in contractis humanis. Facit & etiam, quia Deus ſic habuit pactum cum Protoparēte noſtro Adamo de conſeruando ſibi, & poſtris iuſtitiam originalem ea lege ne comederet de ligno vetito. Non ergò video, cur non conſimilitèr potuiſſet Deus habere pactum cum cæteris hominibus, & tunc reiterato peccato, rediret peccatum. Addo, quod poſſet Deus de potentia abſoluta condonaſſe peccatum per extrinſecam condonationem. Quod ſi condonaſſet beneficio gratiæ ſanctificantis, nec etiam aliquam pateretur iacturam noſtra propoſitio: quippè ſumus in opinione, gratiam ſanctificantem non expellere peccatum ex natura rei, ſed ſolum ex diuina ordinatione, & cōſequentèr poſſet gratia ſtare cum peccato.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Merita per peccatum mortale mortificata reuiuiſcunt per ſubſequentem pœnitentiam.

MVnificentior eſt pœnitentia erga opera noſtra bona, & viua, quæ mortificantur, & iugulantur à ſuperuenięnte peccato mortali: nam omnia opera mortificata reuiuiſcunt per pœnitentiam. Erũt hæc facilia cognitu, ſi notauerimus omnium hominum opera ad quatuor claſſes reduci, in quarum prima reponitur opera viua, quæ ab homine iuſto, & in gratia ſanctificante exiſtente fiunt ad Dei gloriam, & diuinum cultum, qualia fuere omnia opera bona Chriſti, ſuæ Matris, Ioannis Baptiſtæ, & cuiuſcumque hominis iuſti, quandiu in iuſtitia perſeuerauerit. In ſecunda claſſe reponuntur opera bona moralitèr, quæ paſſiuè mortua ſunt, eo quod fiant ab homine iniuſto, & peccatore extra Dei gratiam exiſtentem, qui ſi aliquod bonum ſola bonitate morali fecerit, eo quod illud opus bonum priuatur influxu diuino, qui eſt vita bonorum operum, illud opus dicitur paſſiuè mortuũ, eo modo, quo corpus anima expoliatum dicitur paſſiuè mortuum. Huiuſmodi ſunt omnia ieiunia, omnes eleæmoſynæ, omnes orationes, & alia id genus bona, quæ ab homine peccatore fiunt. In tertia claſſe reponuntur omnia opera mortua actiuè, quæ & mortifera dicuntur; omnia videlicèt lætalia peccata. In quarta claſſe reponuntur ea opera, quæ mortificata dici ſolent; omnia ſcilicèt in prima claſſe poſita, ſi peccatum læthale ſuperuenerit, cuius eſt vitam auferre ab omnibus operibus, ſcilicèt auferre meritum ab eis.

Bona opera primæ claſſis, quę diù in ſuo ordine manent, & à ſuperueniante peccato non interimuntur, nihil emendicare debent à pœnitentia, à qua nullum beneficium recipere poſſunt: Viuunt enim habentq; gratiam; ac proindè nihil eſt, quod requirant. Opera mortua paſſiuè, cum nunquam vitam habuerint, ſed à ſui principio mortua fuerint, nihil ſperent à pœnitentia; in eo namque ſunt ſtatu, vt ſicut, cum facta fuerunt, extra Dei gratiam facta ſunt, & meritum nullum habuerunt ad vitam æternam, niſi tantum de congruo, ita numquam viuere, aut reuiuiſcere poſſunt, vt de condigno mæreantur vitam æternam. Opera mortua actiuè, necem, & deſtructionem ſibi à pœnitentia polliceantur, deſtruit enim pœnitentia omne peccatum. Opera mortificata, quia olim vitam vixerunt beatam, fueruntq; in diuina gratia facta, & poſtmodum diabolica fraude tirannicè, & crudelitèr interfecta fuerunt; diuinam reclamant bonitatem, quæ tanta eſt, vt ſi homo iuſtus in peccatum ceciderit, & poſtmodum illius pœniteat, gratiam ſuã ei Deus conferat; necnon omnibus operibus bonis, quæ ante peccatum fecerat, ac proindè reuiuiſcunt; ſcilicèt de nouo efficiuntur meritoria vitæ æternę, & à Deo accepta. Non leuitèr veritatem iſtam, haud ſuadent ità diſcurrentes: merita illa non fuerunt præmiata, nec mutata in aliquod bonum temporale, ergò ſunt præmianda. Non minus eſt gratioſa illa obſeruatio deſumpta ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 16. & canone 32. vbi enumerans conditiones requiſitas ad vitam obtinendam æternam, illas triplices aſſerit; prima eſt, quod fiant ab homine iuſto. ſecunda, quod gratia ſupernaturalis ſuum præbeat influxum. tertia, quod homo, extremum vale, mundo dicens, claudat vitam in gratia; ſubinfero; at iſtæ tres conditiones reperiuntur in homine pœnitente vltimatè; ergò ipſius opera meritoria reuiuiſcunt. Fauet Scot. in 4. diſt. 22. §. de ſecundo, verſicul. Reſpondeo. Diuus Thomas 3. par. q. 89. ar. 5. & vt vnico verbo claudam, tale eſt cunctorum Theologorum votum.

PROPOSITIO IV.

Proponuntur, & ſoluuntur nonnulla argumenta.

MErita agnoſcunt pro illorum ſubſtẽtaculo, & fundamento gratiam; ergò cum primò anihilatur gratia, pereunt merita.

Reſpondemus; Merita tunc durare in acceptatione diuina. Fatemur vtiq; quod perſeuerante peccato, toto eo tempore omnis meriti ratio ſit quaſi mortua; dixi

quaſi

Digitized by Google

quaſi, quia certè peccatum non deſtruit valorem meritorum; ſolùm ergò operatur, ne proximè proprium obtineant finem.

Dices. Opera bona præterita manere non poſſunt, hoc enim docet illa vox *præterita*; ergò neque merita iuxta tritũ axioma; *ad deſtructionem fundamentorum ruit ædificium*: facillimo negotio nos ſe expedimus ab hoc ſcrupulo, repetendo, quod, & ſi merita in ſe non durent, perſeuerant tamen in diuina acceptatione.

Dices: Concluſimus in antecedentibus: peccatum per gratiam remiſſum non redire, ergò à pari nec redibunt merita, ſi per peccatum deſtruantur. Negamus paritatem: notauimus iam ſupra peccatum per gratiam non debere dici mortificatum, quippè verè in nihilum reducitur: nec alicubi aliquam, vel aliqualem retinet perſeuerantiam. Grandis certè, & omni laude ſublimior, ac excelſior eſt, ſuperabundans bonitas, & miſericordia diuina, quia ſemper bona viuunt in eius acceptatione, & ſemper eſſet eis præmium retribuendum, niſi eſſet indiſpoſitio recipientis propter nouam culpam: ſed mala totalitèr extinguuntur, ita quod neque in ſe, neque in intellectu, neque in voluntate diuina remanent in ordine ad vindictam. Legatur Scotus in 4. diſt.22. §. de ſecundo, verſic. Reſpondeo, apud quem aliquantulum inferius hæc leguntur; Eſſet ad propoſitum bonum exemplum Iuriſtarum. Quod alicui remanet aliquod ius, cui tamen non remanet, vel non competit actio propter aliquod impedimentum. Pulcher eſt iſte diſcurſus, & reale nobis præſtat fundamentum ad ſtabiliendam noſtram propoſitionem Dices noſtram probationem deſumptam ex Tridentino claudicare, & minimè eſſe ſufficientes tres à nobis obſeruatas conditiones; quippè apud idem Tridentinum altera enumeratur neceſſaria conditio illis verbis: *benè operantibus vſq; in finem proponenda eſt vita æterna*; ergò perſeuerantia non interrupta, eſt neceſſaria. Reſpondemus interruptionem gratiæ minimè eſſe neceſſariam. Ad verba Tridentini dicimus ſolum velle, quod homo, vt æternam conſequatur ſalutem, claudat ſuam vitam in ſtatu gratiæ; hoc in ſenſu aimus intelligenda verba Matth. 10. *Qui autem perſeuerauerit vſq; in finem hic ſaluus erit.* Vtrum verò merita per peccatum interrupta, & per gratiam viuificata, reuiuiſcant integrè quoad totam gloriam, quã ta deberetur, ſi per peccatum non fuiſſent interrupta. Nobis eſt opinio affirmatiua. Hoc eſt nobis fundamentum. Merita per peccatum nõ fuerunt in nihilum deducta, ſed tantum mortificata, aut impedita; ergò cum per superuenientem pœnitentiam, & concomitantem gratiam auferatur impedimentum; reſtat. quod iam nunc illis debeatur, quod prius. Legatur Scot. ſupra citatus, verſic. & per iſtam viam.

Dices iuxtà Theologorum axioma. Ad gratiæ menſuram datur gloria; ſed homo minimè ad tantam reſurgit menſuram gratiæ, quam habebat antè lapſum: ergò neque ad gloriæ meritum. Reſpondemus: gloriam eſſentialem dari ad mẽſuram gratiæ, quàm habet homo in inſtanti quo vitam claudet; non autem ad menſuram gratiæ, in qua reſurgit à peccato. Concedimus dare pœnitenti gratiam correſpondentem, & proportionatam ſuæ diſpoſitioni talitèr, quod ſi parua diſpoſitio ſit, tunc non ei dabitur pro tunc, quantum gratiam per peccatum perdidit. Dicimus tamen, quòd in puncto mortis (Deo benignè operante) habebit homo tantam contritionem ſuorum peccatorum, vt illa ſit ſatis, & adæquatæ gratiæ deperditæ, vndè extremum vale mundo, dicet adornatus tota gratia correſpondente omnibus bonis operibus in vita factis. Ita philoſophantur Theologi illi, quorum eſt opinio, propter merita remiſſa, non conferri gratiam ſtatim, Dicunt gratiam conferendam eſſe in inſtanti mortis, vt ad menſuram gratiæ conferatur gloria eſſentialis in præmium cunctorum meritorum, etiam remiſsè habitorum. Legatur Scotus in 4. diſt. 21. quæſt. prima, §. in iſta quæſtio, vèrſiculo iſtud eſt.

DI-

Digitized by Google

DISPVTATIO X.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

PRædicante Chriſto Euangelium ſuum, nihil magis Iudeorum aures offendit, quã peccatorum remiſſio, in qua danda erat, Chriſtus ità liberalis, vt neminem, in corpore ſanauerit; quin eidem dixerit: *remittuntur tibi peccata tua*: quod cum audirent Iudei, ſubitò exclamauerunt; quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Infideliũ Iudeorum, hæretici filij ſunt, qui nequaquã ferre poſſunt Sacerdotis vices Chriſti gerentis, hanc diuinam vocem (*abſoluo te ab omnibus peccatis tuis*.) Fides tamen Cattholica docet, Eccleſiam à Chriſto Sponſo ſuo, hanc facultatem dimittendi peccata, accepiſſe; non quidèm, ità vt exerceatur àb omnibus Fidelibus, ſed àb his ſolis, qui ordinis, & iuriſdictionis duas poteſtates habent non impeditas, ſuntquè proprij, aut legitimi Confeſores, & ea inſigniti ſcientia, quæ ad ferendam ſententiam in foro conſcientiæ, & Dei, & ad diſtinguendum inter lepram, & non lepram neceſſaria eſt; de his quatuor qualitatibus diſputandum eſt per ſubſequentes propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Poteſtas Ordinis, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſum Sacerdotium, neceſſaria eſt volenti miniſtrare Sacramentum Pænitentiæ.

SCiendum tamen eſt ad noſtræ propoſitionis intelligentiam, Sacerdotium eſſe duplex. Primum, ſine poteſtate, ſine caractere, & ſine ordinatione, ac proindè appellatur Sacerdotium impropriè, & per quandam analogiam. Hoc Sacerdotium habent omnes fideles, tàm viri, quàm mulieres, vt ſua bona opera Deo offerre poſſint; quæ opera appallantur ſacrificia. Aliud Sacerdotium eſt cum poteſtate, ordinatione, & caractere, quo ij ſoli pollent, qui Sacerdotalem digitatem Epiſopalium manum impoſitione acceperunt, atq; adeò ſuut veri Sacerdotes, habentes in Chriſti corpus naturale ſummam poteſtatem: cum per verba conſecrationis Chriſtum exibēt præſentem ſub ſpeciebus panis, & vini; habentquè aliam poteſtatem in Corpus Chriſti miſticum, ſcilicèt ergà fideles, vt ab illis abſolutionis beneficium impertiatur. Solis Præsbiteris, & Sacerdotibus ab Epiſcopo ordinatis competere auctoritatem dimittendi peccata, docuit Chriſtus Ioan. 20. vbi poſtquam dixiſſet; *ſicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos*, ſubdit. *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſſeritis peccata &c.* quæ verba, ſolis Apoſtolis, eorumquè ſucceſſoribus, per manuum impoſitionem inſtitutis, etiam hæretici mordicùs tenent. Vndè apud eos, ſoli Miniſtri, quos fuiſſe putant Apoſtolorum ſucceſſores, baptizant, prædicant, cænam adminiſtrant; ex quo nos, ità argumentamur. Ex verbis illis, *ſicut miſit me &c.* colligitur, ſolis Apoſtolis, eorumquè ſucceſſoribus competere minima Chriſti officia, ad quæ exercenda miſſus eſt à Patre; ea autem ſunt, baptizare, docere, fruſtum panis in Cœna miniſtrare; ergò à minori ad maius, ad exercendum ſummi Chriſti munus, nempè ad dandam peccatorum remiſſionẽ, ſoli deſtinantur Apoſtoli, eorumquè ſucceſsores.

Quæret fortè aliquis, nùm licet, ſaltèm in caſu neceſſitatis confiteri laico. Reſpondetur cum diſtintione: ſiquidem confeſſio fieri poteſt cum intentione ad abſolutionem Sacramentalem, & hæc ſoli Sacerdoti eſt facienda; peccaret mortalitèr, qui eo animo confiteretur laico, & laicus dans abſolutionem, fit irregularis ſecundum regulam generalem, Eccleſiæ, qua declarantur irregulares, qui aliquod ordinis officium exercent ſine ordine, & mortalitèr peccant. Confeſſio fieri poteſt ſine intentione ad ſacramentalem abſolutionem, ſed, vel ad conſilium petendum, vel ad ſui humilitatem, vel ad pietatem, & deuotionem;

nem; vt videlicèt facta confeſſione, is qui, eam excepit, dicat, miſereatur, indulgentiam, aliaſuè fundat præces ad Deum pro eo; & hæc confeſſio licita eſt; tamen,quia periculoſa, raro eſt facienda.

Obiciet aliquis: poſſe laicum in caſu neceſſitatis baptizare, ac proindè per baptiſmum, omnium conferre peccatorum remiſſionem; ergò à ſimili poteſt laicus in casù neceſſitatis audire confeſſionem, & peccatorum abſolutionem impertiri.

Reſpondetur; quod argumentum, à ſimili, in materia ſacramentali ſemper claudicat Deindè non eſt par ratio baptiſmi, & pœnitentiæ; eſt namquè baptiſmus Sacramentum neceſſitatis,quod aliunde ſuppleri non poteſt. Non ità ſe habet pœnitentiæ Sacramentum; nam vbi defecerit Sacerdos, ſufficit contritio. Deinde baptizans remittit peccatum per ſimplicem adminiſtrationem baptiſmi; at verò abſoluens in Sacramento pœnitentiæ,non abſoluit per ſimplicem Sacramenti adminiſtrationem, ſed iuridicè, & vt medius conſtitutus inter Deũ, & Peccatorem.

PROPOSITIO II.

Poteſtas iuriſdictionis neceſſariò debet coniungi cum ordinis poteſtate, vt ſit valida abſolutio, quam iuriſdictionem, partim à Deo, partim ab Eccleſia habuit Miniſter Pœnitentiæ.

NEceſſitas huius iuriſdictionis probari non poteſt, niſi Eccleſiæ auctoritate, & comuni Theologorum conſenſu: innititur tamen rationi, quæ dictat, neminẽ poſſe ſententiam ferre niſi in ſubditum, & & ſententiam à non ſuo Iudice latam, eſſe nullam. Plus habet difficultatis, diuinare, à quo Sacerdos accipiat huiuſmodi iuriſdictionem. In re tam ardua,contenti ſimus paucis, & dicamus iuriſdictionem, tribus conſtare partibus; quarum prima appellatur potentia propinqua, & paſſiua, vt quis aſſumi poſſit ad dandam abſolutionem. Hæc autem potentia propinqua, & paſſiua, nihil aliud eſt quàm ipſamet poteſtas ordinis, ſeù Sacerdotium ipſum cum relatione ad abſolutionem; nequè enim aliud eſt in potentia paſſiua, & propinqua, vt aſſumatur ad audiendam confeſſionem,& dandam abſolutionem niſi fuerit Sacerdos. Secunda iuriſdictionis pars, eſt potentia actiua, qua fit facultas Sacerdoti, actù exercendi munus ſuum, & abſoluendi à peccatis, indeterminatè tamen, quia non dum determinantur ij, quos abſoluere à peccatis debet.

Tertia iuriſdictionis pars, eſt poteſtas actiua determinata,quà determinantur homines illi, qui ſunt iuriſdictionis illius Sacerdotis, in quos ſe extendet ſua iuriſdictio, & quos abſoluere à peccatis poteſt, Ex his tribus iuriſdictionis partibus, duas priores accipit immediatè à Deo,ac proindè illis priuari non poteſt Tertiam accipit ab Eccleſia. Et quia duæ priores, quantũ ad exercitium, & exequutionem limitantur à tertia, & in illa includuntur eodem modo, quo genera, & ſpecies includuntur in indiuiduo, ſeruatur in noſtro negotio illa logicalis regula:ſublatis primis ſubſtantijs neceſſarium eſt tolli ſecundas. Ex quo fit, vt cum tertia pars iuriſdictionis poſſit limitari, coarctari, imò, & tolli omninò per Eccleſiam à Sacerdote; neceſſarium eſt duas priores tolli ſi tollatur tertia. Quod, ſi vel poteſtas iuriſdictionis, vel ordinis, vel ambæ ſimul impeditæ fuerint per aliquam cenſuram, aut pœnam Eccleſiaſticam, aut per irregularitatem, irrita eſt confeſſio, & abſolutio, ſi pœnitenti conſtet de huiuſmodi impedimento. Notandum inſupèr duplicem eſſe iuriſdictionem, ſcilicèt ordinariam, & delegatam, ſeù ex commiſſione. Non eſt contemnenda ea iuriſdictionis diſtributio, quà diuidunt iuriſdictionem ratione principij, & ratione materiæ, ſeù ſubdictorum, monentquè iuriſdictionem ex parte principij eſſe à Deo: ex parte materiæ, ſeù ſubdictorũ, eſſe ab Eccleſia.

Digitized by Google

PROPOSITIO III.

Proprius ſit aut legitimus pœnitentis confeſſor, qui eſt Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ.

COincidit hæc propoſitio cum antecedenti: nam ille eſt proprius confeſſor, qui iuriſdictionem ordinariam habet in pœnitentem; ille verò eſt legitimus confeſſor, qui iuriſdictionem delegatam, ſeù ex commiſſione dumtaxat habet, cui nihilominus ſeorſim ponenda hæc propoſitio, vt clarius pateret, quis nam ſit proprius, aut legitimus confeſſor.
Eſt ſummus Pontifex tanquam vniuerſalis Eccleſiæ caput, omnium fidelium ordinarius confeſſor, & proprius Archiepiſcopus non ſolum ſuorum Diœceſanorum; ſed etiam viſitationis tempore omnium fidelium ſuis ſuffraganeis ſubditorum, proprius confeſſor; vt videre eſt in cap. vltimo de Conſectatione Altaris, & Eccleſiæ in 6. Idem habet Diœceſanus Epiſcopus, ſicut, & Parochus in ſua Eccleſia, & quicumquè habent beneficium cum cura, legitimi confeſſores ſunt; omnes Sacerdotes, ſiuè ſeculares, ſiuè regulares ab Epiſcopis approbati.

PROPOSITIO IV.

Scientia debet eſſe in Confeſſore maxima, quâ cuiuſcumque peccati naturam, vel deformitatem agnoſcat; Ius Canonicum non ignorat; caſus reſeruatos exploratos habeat; quæ peccata habeant annexam reſtitutionem, certò ſciat.

QVI tot, tantaquè, in Confeſſore requirunt; Oratorem Ciceronianum; Rempublicam Platonis, & Globum mathematicum mihi fingere videntur; quamuis ingenuè fatear hæc omnia in Confeſſore requiri: quia tamen ars longa, vita breuis; mihi probantur illi; qui ab audiendis confeſſionibus, non arceant competentèr litteratos; hæc verò competentia in hoc conſiſtit, vt habeant mediocrem peccatorum cognitionem, dummodo tamen copolleant ingenio, vt ſi aliquid occurrat grauius, ſciant dubitare, & trepidantes timore Chriſtiano, differant in aliud tempus abſolutionem, donec libros, Viroſquè doctos conſulerint.

FINIS.

Digitized by Google

DISPVTATIO XI.

Diſputatur de poteſtate Clauium Eccleſiæ.

NON hic acturi ſumus de ferreis illis clauibus, quas oſtiarij in ſua ordinatione, Epiſcopi manu porrectas, aut tangunt, aut accipiunt, quaſi rationem reddituri de ijs, quæ ſub illis continentur; ſed de Clauibus à Deo ſuæ Eccleſiæ traditis, quæ propterea cæleſtes ſunt, & ſpirituales, non terreſtres, aut materiales, quæ proindè appellantur Claues Regni Cælorum. Nec dicas ridiculum eſſe clauibus tribuere munus ligandi, & ſoluendi; cum ligare, & ſoluere manibus conueniat, clauibus autem aperire, vel claudere. Non enim eſt ridicula hæc metaphora, ſi nouerimus quomodo peccata hominem ligent, non ſolùm ad inſtar funium, ſed catenarum ferrearum, quæ ſine dubio ſolui, aut ligari non poſſunt, niſi mediante claue, vt videre eſt in carceratis, & ijs, qui in triremibus remigant. Si ita ligant peccata, optimè dicentur claues ſoluere, & ligare; quod ſi dicas: per Chriſtum eſt Cælum apertum hominibus, qui propterea dicitur habere claues vitæ, & mortis: quia à ſe dilectis, & electis aperuit Cælum propria morte; & ſibi non dilectis ita claudit oſtium Inferni, vt hinc egredi non valeant; ſi iam apertum eſt Cælũ per Chriſti paſſionem, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit; quomodo claues Eccleſiæ claudere, & aperire poſſunt? Reſpondeo: Chriſtus ſua morte aperuit nobis Cælum, non quidem propinquè, ſed remotè tantùm; Claues Eccleſiæ aperiunt propinquè, quam diſtinctionem ita explico: clauſum nobis erat Cælum, & nullus mortalium poterat ſibi colligere introitum in Regnum Cælorum propter indignitatem peccati originalis, quam ex primo Parente contraxerant, & non propter indignitatem peccatorum actualium, quæ vnuſquiſque committit quamdiu in hoc ſæculo viuit: noſtri miſertus Dei filius, noſtram aſſumpſit naturam mediator Dei, & hominum factus, cum diſpendio propriæ vitæ, & ſanguinis ſui effuſione totam liberat naturam humanam à duplici indignitate, & dignam eam facit; ſcilicet capacem, vt poſſit vnuſquiſque, & auderet ſublata illa indignitate ſibi polliceri introitum in Regnum Cælorum. Et ita paſſio Chriſti aperuit Regnum Cælorum remotè, quia homines conſtituit dumtaxat ſolùm in potentia ad ingreſſum Cælorum; ſed vt hæc potentia ad actum redigatur, & vt reuera homo introducatur in Paradiſum, neceſſariæ ſunt claues Eccleſiæ, quæ Cælum aperiant propinquè; ſcilicet, in illud introducant actu, & reuera homines; idque claues præſtant duplici beneficio: duo enim ſunt, quæ hominem retardant ab introitù Cæli; nempè culpa, & pœna, ſcilicèt obligatio ad æternam pœnam, & obligatio ad temporalem Purgatorij pœnam: at Sacerdos abſoluendo liberat à culpa, etſi condignam impoſuerit pœnitentiam, quæ à pœnitente ſuſcipiatur, & impleatur; liberat à pœna purgatorij, quibus duobus impedimentis ſublatis, nihil eſt, quod impedire poſſit, quin pœnitens ab Angelis ſuſcipiatur in gloria.

Scotus ergò in 4.d.19.quæſt. vnica notat claues Eccleſiæ non eſſe corporales, ſed ſpirituales; hinc nec veræ, ſed metaphoricè claues ſunt: Non enim ſecundùm proprietatem, ſed ſecundùm metaphoram nomen clauium vſurpat Eccleſia; nam clauis in corporalibus, dicitur propriè inſtrumentum, quo arces, oſtia, & alia huiuſmodi clauduntur, & reſerantur, qui ſunt proprij clauis materialis actus; ad hoc autem eſt excogitatum tale inſtrumentum, vt locorum cuique propriorum, Dominis tantùm pateret ingreſſus; alijs verò de licentia eorum; hinc eſt, vt qui Domus, vel alterius rei claues habet, illius dominium, vel poſſeſſionem, vel adminiſtrationem, vel cuſtodiam putetur habere, & cui horreorum committuntur claues, is mercium diſpenſator, & cuſtos exiſtimetur eſſe. Hinc vſus modus tradendæ poſſeſſionis eſt

eſt per claues, vt Gloſs.in c.ex literis v.ſignum de cõſuetudine, per l. clauibus §. de contrahenda emptione, vbi Bartolus traditis, inquit, clauibus videtur tradita poſſeſſio earum, quæ ſub clauibus ſunt, quod etiam Innocentius dixit in cap. de fide inſtrumentorum citatus, & receptus à Roſella in v. claues §. 8. Angelo §. vltimo, Silueſtro in principio Armilla §. 1. quin etiam dominium transfertur per traditionem clauium, ſi tradens Dominus ſit; ſin minus vſucapiendi transfertur conditio per dictam l.clauibus. Hinc demum, principibus cum in ſuas Ciuitates primo ſe recipiunt, ciues tradere claues ſolent in recognitionem Dominij. Hæc de claui materiali.

Deindè hoc nomen clauium ad ſpiritualia translatum multa ſignificat, & primò largè ſumptum ſignificat ſupremam poteſtatem Regni Vrbis, vel Domus; cuius ſignificationis metaphoricæ, ea eſt ratio, quod ſicut dixi, Domus ſumma poteſtas eſt pœnes eum, cuius clauium poteſtas eſt; ſic ſumitur Iſaiæ 22. Et dabo claues Domus Dauid ſuper humerum eius, loquitur de Eliacim filio Elciæ, cui promiſit Deus ſe daturum ſummam poteſtatem in Aula Regis Ezechiæ, & in Hieruſalem; quam poteſtatem ſignificauit per claues, quod probatur ex antecedentibus, & conſequẽtibus: loquens enim Deus ab Sobna Miniſtrum tunc Regis Ezechiæ, & ſupremum moderatorem Aulæ illius, qua poteſtate eijci debebat, ſic dicit: expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te; & erit in die illa: vocabo ſeruum meum Eliacim, filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manibus eius, & erit quaſi Pater habitãtibus Hieruſalem, et Domui Iudæ, poſt quæ verba, addidit: Et dabo clauem Domus Dauid ſuper humerũ eius, &c. Hinc ſatis patet, quid ibi per promiſsam clauem ſignificetur; patet etiam ex ſequentibus: at aperiet, et nõ erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat, quorum verborum ſenſus eſt: eius erit intromittere in Aulã Ezechiæ Regis, eoſque excludere, quos voluerit. Sic etiam ſumitur in Apoc.c.3: dum dicitur: qui habet clauem Dauid, qui aperit, et nemo claudit, qui claudit, & nemo aperit, &c. Vbi ſignificatur per clauem ſumma poteſtas Chriſti in Regno Patris ſui. Sic denique ſumitur Matt: 16: cum dicitur: Et tibi dabo claues Regni Cælorum, vt infra videbimus.

Secundò minùs largè ſignificat poteſtatem Eccleſiaſticam quamcumque, qua homo diſponitur, & promouetur ad Regnum Cęlorum; ſic Lucæ cap. 11. Veh vobis legiſperiti, qui tuliſtis clauem ſciẽtiæ, ſcilicèt Sacræ Scripturæ interpretandæ facultatem, vt exponit Dominicus Sotus, ſic etiam Apoc. 5. dicitur de Chriſto: Vicit leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula, &c. qualis etiam eſt poteſtas dandi Indulgentias, conferendi ordines, excommucandi, &c.

Tertiò ſtrictè, & per antonomaſiam ſignificat clauis in Eccleſia poteſtatem quã dam remittendi, & retinendi peccata, ducta metaphora ex duobus clauis materialis actibus, qui ſunt aperire, & claudere. Vt autem claues Eccleſiæ dicuntur metaphoricæ, ſic etiam, & ianua, ſeu obſtaculum, & aperire, & claudere, & apertio, & clauſio; nulla enim eſt in Cælo materialis Ianua, nec fores, quæ claudantur, & reſerantur, ſed Ianua Cæleſtis eſt diuinæ fruitionis conſequutio per ſimilitudinem ad Ianuæ vſum, ſeù fructum, qui eſt impedire, vel expeditam reddere penetrationem interiorem, ita vt aperire Ianuam cæleſtẽ, ſit, expeditam facere conſequutionem fruitionis Diuinæ, ita Caietanus in tertia parte Summæ Diui Thomæ q. 49. artic: 3 & Medina ibidem; è contra verò clauſio nihil aliud eſt, quàm fruitionis Diuinæ priuatio poſt hanc vitam, non qualiſcumq; ſed ex tali cauſa orta, ſcilicèt ex peccato, quod proindè eſt obſtaculum, & quantũ ad maculam, et quantùm ad reatum pœnæ, de quo patet Iſaiæ 35: Et erit ibi ſemita, et via ſancta vocabitur, et non tranſibit per eam pollutus.

Monemus duplex eſſe obſtaculum, vt duplex eſt peccatum: vnum toti naturæ humanæ communæ, quod eſt peccatum primi Parentis, per hoc enim præcludebatur homini introitus in Cælum: vndè legitur Gen. 3. poſt peccatum Adæ, illo eiecto, Deum collocaſſe ante Paradiſum voluptatis, Cherubim, et flammeum gladium

Digitized by Google

dium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Alterum verò eſt ſpeciale, quod per proprium cuiuſque hominis actum committitur: primum obſtaculum ablatum eſt à Chriſto, nec ab alio auferri poterat; hinc Chriſtus dicitur nobis aperuiſſe Ianuam cæleſtem, & paſſio Chriſti dicitur clauis Ianuæ cæleſtis; poſt oblationem huius obſtaculi communis toti naturæ manet tamen clauſum Cælum alicui per peccatum originale, quod contrahit, & per actuale, quod committit. Primum hoc tollitur per baptiſmum, vt in cap. maiores §. cautè; hinc baptiſmus dicitur aperire Cælum miniſterialitèr, & Baptiſmus dicitur clauis Cæli inſtrumentalis. Aperire itaque Ianuam cæleſtem, eſt tantùm auferre peccatum quoad culpam, ſeù maculam, & quoad pœnæ reatum, ſic enim oblato peccato, clarum eſt tolli Diuinæ fruitionis priuationem, vt pœnam, & ſimplicitèr tollit, quia vt pœnam, tantùm retinebat illam priuationem Diuina benignitas; vt igitur clauis materialis aperit auferendo obſtaculum, quo impeditur ingreſſus; ſic illa poteſtas, qua aufertur obſtaculum peccati, dicitur clauis metaphorica, & ſpiritualis.

Concludit ergò *Scotus* in 4.d.29.q.vnica; *Clauem Eccleſiæ in propoſito dici ad ſimilitudinem clauis materialis*, qua vtimur aperiendo, vel claudendo Ianuam Domus; ſicut enim hæc non eſt ipſa apertio, nec aperiens, nec dignitas intromittendi, vel indignitas excludendi, ita clauis ſpiritualis in Sacerdote, nil aliud eſt, quā authoritas, ſeù poteſtas ſententiandi, hoc eſt, aperiendi, vel claudendi Regnum Cælorum dignis, vel indignis, ſoluendo, vel retinendo peccata, & quia hæc poteſtas non poteſt rectè, aut validè exerceri ſine authoritate diſcernendi prius in cauſa peccatoris; an ſit dignus, vel indignus; hinc præter priorem clauem, quę vocatur poteſtatis, ponitur alia, quæ dicitur clauis ſcientiæ, & eſt authoritas diſcernendi in cauſa peccatoris. Notat ſecundò Scotus clauem hanc ſcientiæ non eſſe ipſam ſcientiam actualem, vel habitualem, vel diſcretionem quantumcumque: quia multi laici, multis Sacerdotibus doctiores, magiſq; diſcreti inueniuntur. Eſt ergò authoritas cognoſcendi cauſam, ad cuius rectum vſum neceſſaria eſt ſcientia, ac diſcretio; ſicut poteſtas iudicandi non eſt ipſa iuſtitia, quæ tamen ad rectum vſum talis poteſtatis omninò neceſſaria eſt.

Monet tertiò: In Eccleſia duplex eſſe forum; vnum ſecretiſſimum, in quo idem eſt accuſator, & reus, & vocatur forum Dei; forum poli, forum conſcientiæ; alterum publicum, in quo Eccleſia habet authoritatem corrigendi delicta publica, ad quam requiritur duplex clauis prioribus ſimilis, nempè ſententiandi, & diſcernendi delicta publica ligando, vel ſoluendo reum à cenſuris, & pœnis publicis, puta excommunicatione, ſuſpenſione, &c. & hoc vocatur forum fori, forum externum, forum Eccleſiæ. Itaque claues huius fori habent aperire, vel claudere Cælum Eccleſiæ militantis; priores verò Cælum Eccleſiæ triumphantis; priores ſolis Sacerdotibus, poſteriores etiam non Sacerdotibus communicari poſſunt. De his clauibus nobis eſt agendum, præmittendo prius; Vtrum in Eccleſia præter poteſtatē Eccleſiaſticam, detur poteſtas ſæcularis. Sit ergo primum Documentum.

DOCVMENTVM PRIMVM.

Agens de Origine Iuriſdictionis ſæcularis.

MOneo primò eſſe aliquod diſcrimen inter poteſtatem, & potentiam: Philoſophi enim naturales facultates ſenſuum, veluti viſum, auditum, & alias conſueuerunt appellare potentias, quas tamen poteſtates dictas non legimus, & è conuersò dignitates aliquas, & magiſtratus poteſtates dicimus cum eas potentias, non appellemus; vt dicimus poteſtatem conſecrandi; poteſtatem excommunicandi, non tamen potentias; hoc diſcrimen innuit Sanctus Thomas in 4.d.24. vbi viſus eſt docere, nomine potentiæ indicari facultates naturales, ſic illæ dicuntur materiales potentiæ, non tamen poteſtates; at verò poteſtatem eſſe authoritatem aliquam, quam qui habet aliquod munus poteſt exercere; poteſtas conſecrandi eſt authoritas, qua poteſt Sacerdos ſuum munus exercere in Corpus Chriſti verum; cum igitur poteſtas nihil aliud ſit, quàm autho-

authoritas ad aliquod exercendum; videamus an Eccleſia ſit vna poteſtas, vel duæ; hoc eſt: an in Eccleſia Chriſti ſit tantùm vna authoritas, aut duæ præcipuæ authoritates diuerſæ,& diſtinctæ ad diuerſa munera exercenda; altera ſæcularis,& laica: alia Eccleſiaſtica, & ſpiritualis.

Supponimus in Iudice, vt rectè iudicet, requiri aliquam poteſtatem, ſeu iuriſdictionem, vt communis eſt Theologorum ſententia. Ratio eſt, quia ſicut in legislatore requiritur poteſtas, ita in Iudice, cuius ſententia eſt quædam lex particularis circa aliquod factum particulare. Accedit, quia ſi non eſſet aliqua poteſtas in Iudice, qua poſſet cogere partes ad obediendum ſententiæ, fruſtra daretur ſententia. Certum eſt hanc poteſtatem debere eſſe erga ſubditos, & in cauſis ſuæ iuriſdictionis; alioquin, non poteſt mittere falcem in meſſem alienam, cap. ſcriptum 6. quæſt. 3. c. vt animarum de Conſtit. in 6.

Hinc ſequitur peccare mortalitèr cum obligatione reſtitendi omnia damna, & expenſas, & ſatisfaciendi etiam iniuriæ, qui iudicat alium, vel ſine vlla poteſtate, vel ſine poteſtate erga talem perſonam, vel ſine poteſtate in tali cauſa, quia eſt peccatum vſurpatæ iuriſdictionis contra iuſtitiam: nam vſurpare rem alienam eſt ſpecies furti, C. ſi à non competente Iudice. Legatur D. Thomas quæſt. 60. art. 6. nec afferri poteſt exemplum Danielis ad excuſationem huius peccati: quia Danieli data eſt à Spiritu Sancto authoritas iudicandi in illo caſu: ait Scriptura Dan. 13. ſuſcitauit Dominus ſpiritum pueri iunioris. Nec afferri poteſt exẽplũ Leonis IV. quia ſua ſpontè ſe ſubdidit iudicio Imperatoris, vt oſtenderet ſuam innocentiã, et auferret ſcandalum ab Eccleſia Can. nos 2. quæſt. 7. Petes an ſententia Principis Tyranni ſit valida. Mihi eſt opinio eſſe validam; non quidem ex poteſtate Tyranni, quæ nulla eſt; ſed ex conſenſu interpretatiuo Populi: quia in tali oppreſſione Reipublicæ neceſſarium eſt, vt ſit aliquis, qui lites dirimat in Republica; alioquin non poteſt in illa Republica concordia ſeruari; ſed in talibus circumſtantijs expedit Reipublicæ approbare iudicia Tyranni, vt minus malum: ergò ſententia valet ex approbatione Reipublicæ.

Petes curioſè de origine iudiciorum, eorumque cauſa efficiente, & finali. Hinc ſit.

DOCVMENTVM II.

Diſputatur de origine iudiciorum, eorumq; cauſa efficienti, & finali.

PROPOSITIO PRIMA.

IVdicium cœpit à tempore Adami c. ſerpens de pœnitentia, diſt. 1. c. in capite diſt. 1. Nam poſt peccatum Adami Deus illum citauit his verbis: Adam vbi es? qui citatus comparuit coram eo, et naturali quodam inſtinctu ſe cœpit defendere, reijciens culpam in mulierem: Vndè Deus videns friolam defenſionem, illũ damnauit, Vt in ſudore vultus tui, etc. vt dicitur Gen. 1. et 3. Vndè patet primò litem primam fuiſſe motam in Paradiſo, vt notat Speculator in proem. primæ par. num. 21. Hinc ſecnndò patet origiuem iudicij habuiſſe originem à iure naturali: quod tamen creuit paulatim ſucceſſu temporis: Nam Conſtitutis Principibus à iure gentium, augeri cœpit forma iudicij: principio enim omnia manu Principis ad exequutionem mandabantur: deindè verò impeditis Principibus ex alijs negotiis. Conſtituti ſunt Magiſtratus l. ſecunda ff. de orig: ius. Sed non erant inuentæ actiones, nec ordo iudiciarius. Tum verò multæ leges latæ, præſertim in lege Moſayca, & in lege Romanorum circa iudicia, vt patet ex libro leuit. & toto tit. ff. & C. de iud.

PROPOSITIO II.

CAuſa finalis inueniendi iudicia, fuit neceſſitas conſeruandę pacis in Rep. vt fusè Petrus Greg. lib. 47. ſyntachmatis iuris ciuilis c. 1. Nam cum multa iniqua fierent ab hominibus in Rep. in præiudicium aliorum, nec deceret, vt quis ſibi propria authoritate ius diceret, vel vltionem ſumeret, l. nullus, C. de iud. c. niſi 23. q. 1. neceſſarium fuit, vt eſſet aliquis in Rep. qui auditis partibus ius diceret: hic autem non poterat eſſe priuatã perſo-

Digitized by Google

na, quia alij non ob ſtemperaſſent: tunc neceſſarium fuit, vt eſſet perſona publica, ideſt habens authoritatem publicam, qui ius diceret,& vim coercitiuam exerceret. Vnde lex priuat iure, quod quis habet, dum propria authoritate ſibi ius dicere præſumit. l. ſi quis in tantam C. vnde vi.

DOCVMENTVM III.

Diſputans de ſpeciebus, & diuiſionibus Iudiciorum.

DE hac quæſtione Speculator tit. de iud. §.1.& ſecundo, Felin. & Abb. rubr. de iud. DD. C. & ff. de iud. vbi ius. Petrus Greg. lib.47. ſyntachmatis iur.ciu. & lib. 5. ſyntachm. iur. canon. Ex quibus eſt notandum, iudiciorum diuiſiones poſſe ſumi ex pluribus capitibus. Primò ex perſona Iudicis: ſecundò ex cauſis: tertiò ex ordine procedendi: quartò ex perſona actoris, & rei.

DOCVMENTVM IV.

Diſputatur de diuiſione Iudiciorum ex perſona iudicis.

EX perſona Iudicis ſex diuiſiones tradi poſſunt. Prima, quod aliud ſit competens, aliud incompetens: aliud ordinarium, aliud delegatum: aliud ſeculare, aliud Eccleſiaſticum: aliud ordinarium, aliud prorogatum: aliud iuriſdictionale, aliud arbitrarium: aliud contentioſum, aliud voluntarium.

DOCVMENTVM V.

Agitur de iudicio competenti, & incompetenti.

PROPOSITIO PRIMA.

IVdicium competens dicitur, quod ventilatur coram Iudice, qui habet iuriſdictionem, & exercitium illius ſupra litigantes. Nã hic eſt Iudex competens. vt notat gl. clem. 2. vt lit. pen. & ibi Card. q.3.

Dices an ſit Iudex competens, quando poteſt excludi per aliquam exceptionem: Reſpondetur affirmatiuè, quia donec opponatur exceptio, proceſſus valet, ſiuè exceptio attingat iuriſdictionem, vt Iudex impetratus per falſum reſcriptum, ſiuè attingat perſonam, vt quia eſt ſuſpectus ex aliqua cauſa.

PROPOSITIO II.

INcompetens dicitur, quod ventilatus coram Iudice incompetente, ſiue ex defectu iuriſdictionis, l. priuatorum ff. de iuriſd. om. iud. ſiuè ex defectu exercitij, vt Iudex excommunicatus, vel cui ſuſpẽſa eſt iuriſdictio.

Dices an ex conſenſu priuatorum poſſit tribui iuriſdictio. Reſpon. non poſſe ei qui nullam habet iuriſdictionem, d.l. priuatorum: poſſet tamen prorogari iuriſdictio illius, qui habet aliquam, licèt non ſupra litigantes, vel ſupra illam cauſam: modò ille conſenſus non ſit per errorem, l.2. ff. de iud. quia vel magis eſt contrarium, quàm error, l. ſi per errorem ff. de iuriſd om. iud. Similitèr non prorogatur iuriſdictio ex conſenſu, quando quis cogitur conſentire viribus præturæ, l. ſecunda ff. de iud. l. ſi qui C. de Epiſcop. audi. Tertiò dicitur Iudex incompetens ratione rei, vt datus ad certam cauſam non poteſt iudicare de alijs, niſi quæ pertinent ad eandem cauſam, ſiue ſit quæſtio incidens, ſiue emergens, l. 1. C. ſi à. non Iudic. C. de ord. iud.

Hinc patet, Iudicem incompetentem ratione cauſæ principalis poſſe ſe intromittere quoad acceſſorium. Vt v.g. ſi quis ſit delegatus Iudex per falſum reſcriptum ſi excipiatur de falſitate reſcripti, poteſt cognoſcere de falſitate: immò impetrãtem carcerare, & condemnare ad expenſas. Et ſi hic nullam habeant iuriſdictionem, quoad cauſam principalem: ita Spe. tit. de expens §. in iſta verſiculo 9. vbi ait quando practica eſt, vt condemnet ad expenſas: & poſtea ſe declaret Iudicem incompetentem. Sequitur Felin. cap. 1. num.6. de iud. vbi ait, poſſe condemnari ad expenſas, etiam poſtquam ſe declarauit iudicem competentem. c. cum appellat. de appell. in 6.

Hinc

Digitized by Google

Hinc patet idem dicendum de Clerico vocãte laicum coram Iudice ſæculari: quia poteſt condemnari clericus ad expenſas per Iudicem ſæcularem: ita Fel. in cap.at ſi clerici num.8.de iud. Vbi etiam Ioannes de Imola, quia hæc condemnatio eſt neceſſaria ad ſententiam; neq; hoc reperitur prohibitum in iure Canonico.

Dices, an qui alium vocat ad Iudicem incompetentem, ſiue ratione iuriſdictionis, ſiuè ratione cauſæ, peccet mortalitèr, & teneatur ad reſtitutionem. Reſp.peccare mortalitèr, et teneri ad reſtitutionem omnium expenſarum, & damnorum, quæ altera pars paſſa eſt: quia hic peccauit cõtra iuſtitiam, quæ obligat ad reſtitionem.

PROPOSITIO III.

IVdicium competens diuiditur in Diuinum, & humanum. Diuinum dicitur, quod reſeruatur poteſtati diuinæ, cuiuſmodi ſunt occulta, de quibus homines iudicare non poſſunt c.nomen 2. q.1. c.erubeſcat diſt. 32. Similitèr quando oppreſſi à potentioribus nõ inueniunt iuſtitiã apud iudices terrenos, vt dicitur cap.8. Iudic.

PROPOSITIO IV.

HVmanũ verò iudiciũ dicitur quod exercetur poteſtate hominis diuiditur in publicum, & priuatum. Publicum dicitur duplicitèr, ſiuè quod eſt à poteſtate publica, ideſt iuriſdictionis, l.quippe ff.de iud. ſiuè ex actione publica, quæ ſcilicèt datur cuilibet de populo contra crimina, quæ verſantur in perniciem publicam, vt patet toto tit. ff.& inſtit. de public.iud. Priuatum verò ſimilitèr dicitur duplicitèr, vel ratione actionis priuatę, quę non conceditur cuilibet de populo, ſed tamen ijs, qui damnum ſunt paſſi, vt patet toto tit. de delict. priuat. Secundo ratione poteſtatis priuatæ, ſiuè quia homo iudicat de factis proprijs, vel de factis alienis, quod quando fit ex conſenſu partium dicitur arbitrium, quando verò fit ſine conſenſu partium, ſæpè dicitur iudicium temerarium, dè quo aliqua dicemus.

Primo quid eſt iudicium temerarium? Reſp. eſſe iudicium de malo proximi conceptum ſine ſufficientibus inditijs.

Secundo an ſit peccatum mortale. Reſpond. ex genere ſuo eſſe mortale eiuſdẽ ſpeciei, ac detractio, quia vtrumque eſt contra iuſtitiam: nam læditur bona fama, & exiſtimatio proximi; Vndè Matt. 7. et Lucæ 6. maximè prohibetur, ac grauitèr.

Tertio quæ requiruntur ad hoc, vt iudicium temerarium ſit mortale? Reſp.tria, primò voluntas plenè deliberata: ſecundò vt ſit læſio grauis famæ proximi. tertiò vt fiat ſine ſufficientibus inditijs.

Quartò quando dicitur voluntas plenè deliberata? Reſp. quando eſt cum plena aduertentia ad grauitatem peccati, & damni, quod infertur proximo, et id fieri temerè. Pro cuius rei explicatione.

Primò notandum, Iudicium eſſe actum intellectus, et ideò non poſſe eſſe peccatum niſi imperetur à voluntate.

Secundò notandum, ſicut cum offeruntur intellectui aliquæ cogitationes contra fidem cum rationibus inclinantibus intellectum ad diſſentiendum, ſeu dubitandum de rebus fidei, non ſunt peccatum hæreſis, niſi accedat actus voluntatis plenè deliberatus, quo homo ſtatuat apud ſe habere ius fidei, vt falſas, vel ſaltem dubias: Ita eſto ſe intellectui offerat aliqua cogitatio de proximo cum coniecturis inclinantibus intellectum ad aſſentiendum, non erit peccatum mortale, donec voluntas conſenſu plenè deliberato imperet intellectu, vt iudicet illud tanquàm determinatè verum: Interim verò vel erit peccatum veniale, ſi aliqua negligentia interuenerit in expellenda illa cogitatione, vel vllum erit peccatum, ſi ſtatim atq; animaduerterit, conatur eam cogitationem reprimere, vel diuertendo intellectũ ad aliam cogitationem, vel inueniẽdo rationes contrarias prædictæ cogitationi.

Tertiò notandum: vt ſit conſenſus deliberatus ſufficiens ad peccatum mortale id quod iudicatur non ſatis eſt, vt aduertatur, v.g. quod Petrus eſt fur: ſed neceſſarium eſt, vt aduertatur, vel dubitetur, illud iudicium eſſe ex talibus indicijs, ideſt inſufficientibus, quia alioquin illud iudicium non eſſet voluntarium, vt temerarium, ſed tantùm erit motus primus præueniens libertatem voluntatis: etiam ſi longo tempore duret illud iudicium: ita Leſſius lib. 2. c. 29. dub. 2. Et idem

Digitized by Google

idem obſeruandum eſt in omnibus motibus intellectus voluntatis, imaginationis, & ſenſuum externorum : niſi enim aduertatur turpitudo, & malitia actus, vel de ea dubitetur, ibi non poteſt eſſe culpa mortalis: Vbi verò aliquis cœpit aduertere, vel dubitare, quòd illud iudicium ſit temerarium, nec conatur expellere, iam turpitudo illa incipit eſſe voluntaria, atq; adeò committeret peccatum mortale, quia voluntariè admittit in ſe aliquem actum, cui ſuſpicatur ineſſe turpitudinem, atque ideò vult illam turpitudinem.

Quartò notandum : Cum aduertentia malitiæ poſſit eſſe duplex, vna imperfecta, altera perfecta; ex imperfecta fit peccatum veniale, ex perfecta fit mortale. Dicitur autem imperfecta, quando ita offertur intellectui, vt non poſſit grauitas illius malitiæ, & turpitudinis ſatis cognoſci, & ponderari; ſiuè quia mens operatur alijs cogitationibus, ſiuè quia mens detinetur aliqua vehementi delectatione, ita vt non poſſit conſulere regulas morales, niſi quaſi pertranſendo; ſiuè ex imperfectione potentiæ, quæ ex natura ſua requirit tempus ad cogitanda plura, vel conſulenda. Aduertentia verò perfecta dicitur, quando mens libera ab aliis cogitationibus, vel delectationibus, reflectit ſe ad ſuum actũ, quem cognoſcit in materia notabili eſſe contrarium legi diuinæ, vel ſaltem de ea re dubitat.

Quintò notandum; facilè quem excuſari à peccato mortali in huiuſmodi materia ex defectu deliberationis, quando quis eſt aſſuetus iudicare, quia ſtatim oblato obiecto intellectus fertur in illud, quia cõſuetudo facit, vt voluntas applicet potentiam ſine plena aduertentia. Hinc Sotus lib. 3. de iuſt. q. 4. ar. 3. dixit non eſſe peccatum mortale, quando quis recordatione alicuius rei præteritæ quaſi rapitur ad iudicandum ſiniſtrè de ea. Hinc ſecundò patet viros timoratos rarò incidere in peccatum mortale iudicij temerarij, etiamſi ipſi ſæpius patiantur huiuſmodi cogitationes: ita Mol. diſp. 13. quia plerumq; eſt repentinus conſenſus ſine plena deliberatione. Hinc tertiò patet, quæ regula tenẽda ſit à Cõfeſſarijs pro huiuſmodi peccato. Nam ſi qui confitentur : ſunt ſcrupuloſi, & dubitant de conſenſu, iudicandum eſt non peccaſſe; immò mittendi ſũt ad Euchariſtiam ſumendam, ſi carent alijs peccatis, abſq; abſolutione. Si verò pœnitentes ſunt timorati, ſed nõ ſcrupuloſi, & dubitant de conſenſu, tunc interrogandi ſunt, an ſi aduertiſſent illud iudicium eſſe temerarium, deliberatè conſenſiſſent: nam ſi negant, cenſendi ſunt nõ peccaſſe mortalitèr : ſæpè enim Dœmon conſcientias timoratas vexat huiuſmodi cogitationibus ſiuè blaſphemiæ, ſiuè infidelitatis, ſiuè iudicij temerarij, vt pacem ſpiritus perturbet, & impediat progreſſum in deuotione, ac inducat odium legis diuinæ: Vndè conſulendum eſt, vt huiuſmodi tentationes nullo modo confiteantur.

Dices quintò, quando dicitur materia grauis, vt ſit ſufficiens ad peccatum mortale iudicij temerarij? Omiſſis opinionibus aliorum. Dico materiam grauem eſſe illam, ex qua oritur grauis infamia, vel graue damnum quoad exiſtimationem proximi, vel vndè oriri poteſt graue damnum reſpectu tertij : ità colligitur ex Soto loco cit. Salo. 2. 2. q. 60. art: 3. & ibi Arag. Valen. to. 3. diſp. 5. q. 4. pun. 3.

Notantur aliqua Corrollaria.

HInc patet primò, falsò dici ab aliquibus omne iudicium de peccato mortali proximi eſſe mortale, nam aliqui ſunt, quorum exiſtimatio non ſolùm non læditur ex peccato mortali, ſed etiam gloriantur : vt ſi de milite dicatur, quod aliquem ad duellum prouocauerit, vel de iuuene laſciuo, quod fornicatus fuerit.

Hinc ſecũdo ſequitur, iudicium de veniali peccato proximi licèt regularitèr nõ ſit mortale, aliquando tamen eſt mortale: nam ſi peccatum veniale detrahit notabilitèr de exiſtimatione, quæ habetur de aliquo viro ratione ſui ſtatus, ſiuè ratione ſanctitatis, ſiuè ratione maximæ honeſtatis, cui ſtatui, peccatum illud veniale multum detrahit: vt de homine religioſo, quòd ſit valdè mendax, vel intemperatus, vel de muliere valdè honeſta, quod ſit vana, tale iudicium erit mortale. Ita Moli. Sayrus, & Salon loco cit.

Hinc tertiò ſequitur: Iudicium de malo pœnè proximi, vt quod ſit fatuus, illegitimus de genere hebræorum, vel ignobilis

bilis

Digitized by Google

bilis, poſſe eſſe mortale, quia ſicut ſi quis infamaretur apud proximos de huiuſmodi defectibus, læderetur eius exiſtimatio, & honor ex peccato detractionis: ita quando talis infamia irrogatur iniuſtè proximo apud ipſum iudicantem: quia proximus ex hoc iudicio iure magis offenderetur, quàm ſi læderetur in tanta quantitate bonorum, quanta ſufficit ad peccatum mortale, ita Medi. lib. 1. inſtruct. c. 14. Salon. Moli. Valen. & alij locis cit. quia ob huiuſmodi defectus repelluntur à multis bonis, vt docet Nau. conſil. 22. de hær. in nouis. Contrarium docet Petrus Nau. lib. 2. de reſt. cap. 4. numer. 450. Leſſius lib. 2. de iuſt. dub. 2. num. 14. quia apud Deum, & rectè ſentientes, ac prudentes ex his defectibus nulla irrogatur infamia, cum eueniant ſine illius culpa. Sed falluntur, quia infamia oriri poteſt ex varijs capitibus: quis enim non egrè fert ſe eſſe filium latronis publici, vel filium rebellis?

Quartò ſequitur, quòd licèt regularitèr iudicium de bonitate proximi non ſit peccatum mortale contra iuſtitiam, licèt ſit peccatum veniale contra prudentiam; tamen aliquando poteſt eſſe peccatum mortale, quando ſcilicèt illud iudiciũ eſt cauſa, vt committatur aliquod munus graue indigno. Ita Nau. rub. de iud. num. 48. Vndè obitèr ſciendum eſt, quòd licèt quilibet præſumatur bonus, tamẽ quando tractatur de electione ad aliquod munus nemo præſumitur bonus, niſi probetur, vt Na. n. 45. colligitur ex toto tit. de ele. peregri.

Hinc quintò ſequitur non eſſe peccatũ mortale quando quis iudicat de malo in communi, etiamſi illud iudicium ſit falsũ, & etiamſi illud malum videatur fieri à determinata perſona: vt v. g. ſi quis putat eſſe peccatũ mortale maledicere iumento, quod agit, & deindè videt aliquem maledicere iumento, certè iudicauit illum peccare mortalitèr: hoc iudicium ex Caiet. non eſt peccatum, quia non eſt iudicium de perſona, ſed de rebus, vt ait D. Thomas q. 60. ar. 4. ad ſecundum. Contra verò ſi videro aliquam perſonam ornatam, & iudico ſe illam ornaſſe cauſs impudicitiæ; hoc iudicium dicitur de perſonis, quia iudico intentionem perſonalem eſſe impudicam. Similitèr ſi video furtum commiſſum, vel domum combuſtam ignoto authore, & iudico Ioannem hoc patraſſe, iam iudico de perſona: quia non conſtat illam perſonam in hoc peccaſſe. Vnde patet iudicium de perſonis eſſe iudicium de corde ſeù intentione alterius, vel de applicatione perſonæ ad hanc actionem: Iudiciũ verò de rebus eſſe iudicium de actibus ſecundum ſè, vnde ille actus in communi iudicatur eſſe peccatum.

Sextò colligitur quando iudicium de re graui non afficit determinatam perſonam, ſed vagè, quòd aliquis de tàli oppido, vel religione commiſerit peccatum, non eſt peccatum mortale iudicij temerarij, quia nulli particulari perſonæ facit iniuriam: niſi ex illo iudicio reſultaret diminutio exiſtimationis alicuius Religionis, vel Monaſterij, vel ſimilis Congregationis, quia tunc eſſet peccatum mortale, quia hæ communitates ſunt perſonæ fictæ. Moli. diſp. 16. nu. 5.

Septimò, ſequitur quando iudicium fertur circa particularem, & determinatam perſonam, quam quis, vel non cognoſcit, vel nec cogniturus eſt, non eſt peccatum mortale iudicij temerarij, quia non facit illi grauem iniuriam, cum non cognoſcatur quis ille ſit.

Dices ſextò, quæ dicuntur indicia ſufficientia, vel inſufficientia?

Prima regula. Hoc non poteſt determinari per certas regulas; quia hoc pendet ex varijs circumſtantijs, de quibus non poteſt dari certa regula: Nam quod vnũ indicium eſt ſufficiens reſpectu alicuius perſonæ, & delicti, non eſt ſufficiens reſpectu alterius, vt ver. gr. ſi inueniatur iuuenis cum puella in aliquo loco remoto ſimul colloquentes, & in alio loco inueniatur religioſus cum ſimili puella; ibi nõ eſt iudicium temerarium iudicare aliquod malum: hic verò eſt iudicium temerarium: quia præſumitur docere illam Pater noſter vt ait Bart.

Secunda regula. Illa dicuntur indicia ſufficientia, quæ ſufficiunt, vt quis exiſtimetur prudentèr iudicare, vel ſuſpicari, vel dubitare. Contra verò dicuntur indicia inſufficientia.

Tertia Regula, vt inditium ſit ſufficiẽs ſecundum rectam prudentiam, debent attendi circumſtantiæ. Primò perſonarum, cuius conditionis, & qualitatis ſint. Secundò

cundò qualitas delicti, an facilè, vel difficile ſoleant committi à tali genere perſonarum. Tertiò temporis, nam aliqui actus facti de nocte indicant aliquod malum, quod nō indicant facti de die. Quartò loci, quod aliquod factum in occulto indicat malum, quod non indicat factum in publico. Et ita ex ſimilibus circumſtantijs debet colligi, quod indicium ſit ſufficiens, quod verò non.

Quarta regula plura requiri ad hoc, vt indicium ſit ſufficiens ad fori exterioris condemnationem, quàm in interno: quia in foro exteriori requiruntur indicia clariora: imò DD. dicunt, neminem poſſe condemnari ex indicijs, ſed requiri certā, & plenam probationem de qua re alibi.

Quinta regula plus requiri ad indiciū, quàm ad ſuſpitionem: & plus ad ſuſpitionem, quàm ad dubitationem. Vndè rariſſimè fit dubitatio temeraria, quia rarò accidit non moueri intellectum ex aliquo motiuo ad dubitandum, quod leuiſſimè ſufficiat ad dubitandum.

Sexta regula, quando inditia non ſunt ſufficientia ad certum iudicium, ſed valdè probabilia, quæ faciunt rem multo veriſimilem, tunc ſi fiat iudicium certum non eſt peccatum mortale, quia inter magnam probabilitatem, & moralem certitudinem non eſt tanta diſtantiā, vt cenſeatur inferri grauem iniuriam perſonæ, de qua fit iudicium.

Hinc patet primo non eſſe iudicium temerarium, quando quis iudicat de rebus ex hiſtorijs: quia prudētèr hiſtoricis adhibetur fides; Nam alioquin nihil ex antiquitate ſcire poſſemus.

Hinc ſecundo ſequitur non eſſe iudiciū temerarium credere ijs rebus, quæ ſcribuntur ex varijs partibus, ab ijs, qui dicuntur Manātes, ita Nau. rub de iud. n. 5. Nam alioquin totus Orbis eſſet damnandus de peccato mortali.

Hinc tertiò ſequitur famam, quādo habet ortum à perſonis honeſtis, & non odioſis eſſe ſufficiens indicium ad iudicandum: ſecus verò ſi eſſet fama ab incerto authore, vel à certò quidem authore, ſed indigno fide. Ita Clau. regia lib. 12. c. 10. num. 3. Dicunt tamen aliqui huiuſmodi famam eſſe ſufficientem ad iudicandum, vel ſuſpicandum.

Hinc quartò ſequitur quid faciēdum ſit quando audimus aliquem referentem delicta alicuius. Nam debent attendi circumſtantiæ perſonarum: Nam ſi perſona referens eſt valdè pia, & perſona, de qua refertur eſt mala, vel mali nominis, tunc ſi creditur non eſt iudicium temerarium. Quod ſi perſona referens eſt mali nominis; vel indigna fide, & perſona, de qua refertur eſt boni nominis; tunc credendo peccatur mortalitèr, quia eſt iudiciū ex indicijs inſufficientibus. Si verò vtraque perſona eſt boni nomiuis; tunc ſuſpendendum eſt iudicium, quia ex vtraque parte ſunt rationes oppoſitæ credendi, & non credendi. Magis tamen peccaretur, ſi quis vellet ferre iudicium in credendo, illum dicere falſum, quam in credendo perſonam illam honeſtam feciſſe malum: quia difficilius homines probi referunt falſa de proximo, quàm efficiant aliquod malum, quia primum eſt peccatum ex malitia, ſecundum poteſt eſſe ex paſſione.

Dices ſeptimò. An ſuſpitio, & dubitatio temeraria de malo fratris, ſit peccatum mortale. Reſpondet Caietanus ver. Iudicium temerarium, & ver. ſuſpitio, & 2. 2. q. 60. ar. 3. numquam eſſe peccatum mortale, niſi fiat iudicium habens certitudinem, & ſine vlla formidine ſit, itaut ſi iudicans interrogaretur an id, quod iudicat ſit verum, & affirmans iterum an ità ſit verum, vt non poſſit eſſe falſum: Si reſpondet, quod fortè eſt falſum; tunc non peccaret mortalitèr, etiamſi ſibi videatur id eſſe verum. Hunc ordinem ſequitur Nau. loco citato numer. 48. & 49. Medi. lib. 1. inſtruct. c. 14. §. 37. Pet. Nau. lib. 2. reſtit. c. 4. par. 4. dub. 1. Sylu. ver. Iudicium, q. 3. Val. tom. 3. diſp. 5. q. 4. punct. 3. Sotus lib. 3. de iuſt. & iur. q. 4. ar. 3. qui tamen dicit hanc regulam fallere in criminibus maximè infamibus, & atrocibus. Fundamentum huius opinionis eſt, quia omnis actus ex genere ſuo mortalis, ſit venialis, quando eſt imperfectus: ſed dubitatio, & ſuſpitio ſunt actus imperfecti, quia carent certitudine, quæ eſt de perfectione actus intellectualis. alij tamen putant eſſe mortale. Ità recentiores 2. 2. q. 60. ar. 3. Vbi Salon, Bannes, Arag. & Saxr. loc. cit. c. 3. num. 7. & alij.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO PRIMA.

EGo verò dico primo, attendendã eſſe qualitatem perſonæ, de qua eſt ſuſpicio, vel dubitatio: Nam circa ordinarias perſonas non eſt peccatum mortale, quia eorum opinio, et fama non leditur notabilitèr ex huiuſmodi ſuſpitione, vel dubitatione, ſi verò perſona ſit multæ probitatis, et ſanctitatis; tunc ſuſpitio, et duratio eſt peccatum mortale, quia læditur notabilitèr eorum opinio, et fama, et hoc eſt quod volebat dicere Sotus, dum dixit, ſuſpitionem, vel dubitationem de criminibus valdè enormibus, eſſe peccatũ mortale, quia hic læditur fama notabilitèr.

PROPOSITIO II.

DIco ſecundò, quando eſt aliquis ſuperior, ad quem pertinet cura alicuius perſonæ: tunc licitum eſt illi dubitare de probitate, vel vitio ſubditi, quia non tàm dubitat, quòd ſubditus malum fecerit, ſed prouidet, vt remedium adhibeat ne faciat malum, vel malè factum emendet. Similitèr ſi Epiſcopus prouidere debeat de aliquo offitio, vel benefitio, et pro eo proponitur aliqua perſona, poteſt licitè dubitare, et in examen abducere probitatem illius perſonæ.

PROPOSITIO III.

DIco cum Molina tract. 4. diſp. 16. in praxi confeſſionum attendendum eſſe qualitatem perſonæ pœnitentis: quia ſi eſt perſona docta, non ſcrupuloſa, ſciens diſcernere inter iudicium, et ſuſpitionem, tunc iudicandum eſt de eo peccato, prout ille confitetur. Si verò perſona ſit ſcrupuloſa, ſiue docta, ſiuè indocta, non eſt habenda ratio ſuſpitionum tanquàm peccatorum lætalium, immò potius inclinandum eſt non peccaſſe. quia ſuſpicari eſt adeò facilè, & vehemens, vt ſæpè accidat nobis non aduertentibus: et hoc maximè habet locum in ſcrupuloſis, qui perturbatam habent conſcientiam. Et idem dicendum de perſonis indoctis: Nam ſi velimus harum actus nimis examinare circa conſenſum, et grauitatem ſuſpitionum, facilè eas ducemus in baratrum ſcrupulorum: quia hæ perſonę neſciũt diſcernere inter ſuſpitionē et iudiciũ neq; inter iudiciũ ſufficiens: et inſufficiens, vndè fieret odioſa confeſſio.

Dices octauò an iudicium, & ſuſpitio, quæ durant per breue tempus, ſint peccata mortalia. Reſp. etiamſi peccatum quando adeſt deliberatio pſſit fieri in inſtanti, tamen raró accidit peccatum tàm breui tempore fieri, quia antequàm intellectus deliberet circa omnia neceſſaria ad peccatum mortale, mortalitèr ſemper neceſſarium eſt aliquod tempus.

Dices nonò; an ſit peccatum mortale ſuam ſuſpitionem, vel iudicium prudens alijs aperire. Reſp. etiamſi qui iudicat non peccet iudicando, peccat tamen reuelando aliis, quando eſt res ſecreta: vel etiam quando quis ſuſpicabatur, ſed ex mea relatione magis confirmatur, quod ſi res eſt alijs nota, nec ex mea relatione opinio augetur, erit veniale, quia male loqui de fratre ſine cauſa ſemper eſt veniale.

Dices decimo, an quando res eſt dubia, debeat homo in meliorem partem interpretari. Affirmat Scotus dicens, debere tunc poſitiuè nos iudicare de bona intentione fratris. Verùm Caietanus ait, non obligari nos ad poſitiuè iudicandum de bona intentione, ſed ſufficit negatiuè ſe habere, ideſt vt non iudicemus habuiſſe malam intentionem, quē ſequitur Molina. Salon verò diſtinguit, quod vel perſona, de qua agitur eſt nota, tanquam perſona bona, vel honeſta, & tunc tenemur habere actum poſitiuum, quod ille habuerit bonam intentionem: quia alioquin frater ſpoliaretur poſſeſſione bonæ opinionis, in qua apud me eſt: at in dubio nemo eſt ſpoliandus poſſeſſione, quia melior eſt cõditio poſſidentis. Quòd ſi perſona eſt ignota tunc nõ tenemur poſitiuè, ſed negatiuè. Et idem dicendum de perſona nota, quando per dubitationem nihil mutatur de opinione illius perſonæ. Et hæc opinio mihi placet: quæ præcipuè vera eſt in ſuperioribus, vt non facilè iudicent de bona intentione, vel mala, ſed tantùm prouideant, ac ſi eſſet res mala, ne illa eueniant cum poſſint euenire.

Ad iudicium priuatum pertinet iudicium arbitri: quia cum iudex arbiter habeat authoritatem decidendi à partibus, quæ ſunt priuatæ perſonæ, & partes non

Digitized by Google

poſſint dare iuriſdictionem, fit vt non habeant authoritatem publicam, ſed priuatam, l. priuatorum ff. de iuriſd. omn. iud. De quo Iudice quatuor breuitèr dicemus Primò quis ſit,& quotuplex: Secundò quã obligationem habeat iudex compromiſſarius: Tertiò quam obligationem habeant partes compromittentes: Quartò de cõpromiſſo inter conſanguineos, iuxtà pragmaticam Regni ſub tit. de Arbitris.

DOCVMENTVM VI.

Quis, & quotuplex ſit Arbiter.

RESp. Iudex compromiſſarius dicitur, qui nullam poteſtatem habens in eligentes, conſenſu partium in iudicem eligitur, vt eius iudicio,& definitioni ſtetur.

Dicitur, nullam poteſtatem, &c. quia prohibitum eſt fieri compromiſſum in iudicem ordinarium de cauſa ſui fori. c. infames §. ſi quis 3. q.7.

Dices an peccat Iudex ordinarius cognoſcens amicabilitèr de cauſis, quarum eſt Iudex. Reſp. Negatiuè, quia id non prohibetur c. ſi quis membrorum 23. q.8. prohibetur autem procedere via iuris ex compromiſſo, quia hoc poſſet redundare in præiudicium perſonæ, cuius vicem gerit, vt iudex ordinarius.

Dicitur ſecundò, conſenſu partium,ad differentiam Iudicis iuris, qui eligitur ex neceſſitate: vt arbiter inter conſanguineos, qui eligitur iure ad id obligante.

Dices, an Principes non recognoſcentes ſuperiorem teneantur, controuerſiam, quam inter ſe habent, decidere ex vi cõpromiſſi an armorum. Reſp. obligari in conſcientia ad compromiſſum,atque ad id ſi ſunt Principes Chriſtiani, poſſunt cogi à Pontifice ad vitanda peccata, & damna Reip. Chriſtianæ, quæ contingere ſolent ex bello, quia Pontifex ſupremam Poteſtatem habet, ſaltem indirectè, in omnes Principes, quando ex facto illorum aliquod damnum publicum euenire poteſt Reipublicæ Chriſtianæ, quod ſi decidi non poteſt controuerſia ex compromiſſo; tunc deueniri poteſt ad arma: ita Molin. to.1. de iuſt. & iur.

Dicitur tertiò (vt eius iudicio ſtetur) quia omnis promiſſio inducit obligationẽ, etiamſi ſit ex nudo pacto: quare cum compromiſſum habeat vim ex pacto, fit vt inducat obligationem ſtandi iudicio arbitri compromiſſarij, l. diem proferre §. ſtari, ff. de recep. arb.

Dices, quot genera arbitrum,ſeu arbitrorum reperiuntur? Reſp. omiſſis arbitris iuris, de quibus infrà. Compromiſſarij diuiduntur in duo genera: alij enim ſunt arbitri ſimplicitèr, alij arbitratores, de quorum differentia multa Bart. in l. ſocietatem §. arbitrorum ff. pro ſocio; & Abb. in cap. quintauallis de iur. iuran. Molin. to.5. de iuſt. & iur. diſp. 30.

Aliqui dicunt, Arbitratorem dici reſpectu contractuum, eoquòd partes reducit ad concordiam. Arbitrum verò dici reſpectu litium motarum, vel mouendarum: ita colligitur ex l. idem Pomponius §. recepiſſe ff. de recep. arb. Vbi arbiter dicitur qui partes iudicis ſibi vendicat: arbitrator verò, qui ſuo conſilio tamquam amicabilis compoſitor, & bona fide abſq; Iuris ſolemnitate partes concordat.

Verum hæc opinio non placet Bart & Abbati locis cit. Alij verò dicunt tam arbitratorem conſtitui ſuper lites; ſed cum diſcrimine, quia arbiter debet procedere cum rigore iuris tam in procedendo,quam in ſententiando: ſed arbitrator non tenetur ſeruare rigorem iuris in procedendo, vel ſententiando, ſed poteſt ſeruare equitatem iuxta arbitrium boni viri abſque vlla ſolemnitate; vndè Bart. dixit arbitratorem eſſe tanquam proxenetam: ita videtur colligi ex d. §. recepiſſe. Verum Molinæ non placet hæc doctrina, eoquòd poteſtas procedendi, & ſententiandi ſecundùm ius, vel æquitatem, pendet ex voluntate partium, quæ faciunt compromiſſum: nam iuxta authoritatem, quam illi dant, ſiuè in procedendo, ſiuè in ſententiando, tàm arbiter, quàm arbitrator procedere debet, idq; colligitur ex d. §. recepiſſe, ll. ſeq: Verum non eſt diſcedendum à communi opinione, quam rectè explicat Baptiſta de Blaſio tract. de differentijs arbitri, & arbitratoris, qui habetur to.2. tractatuum, &c.

Digitized by Google

DOCVMENTVM VII.

Agens de obligatione, quam habet arbiter, vel arbitrator in procedendo, vel in ſententiando.

PROPOSITIO PRIMA.

NEmo tenetur regularitèr ſuſcipere munus arbitrandi, tex. in l. 3. §.tã etſi ff. de recup. arb. quia omnis obligatio debet oriri ex aliqua lege, vel naturali, vel poſitiua, ſed in caſu noſtro non adeſt lex naturalis, quia vnicuique liberum eſt, vbi non adeſt extrema neceſſitas proximi, alteri benefacere: Neque ex lege poſitiua: quia hic non adeſt aliqua lex, neque conſenſus partium poteſt alium obligare eo inuito, quia partes non habent publicam authoritatem, ſed priuatam, præſertim cum in contractu non poſſit oriri obligatio, niſi ex conſenſu contrahentium.

Dixi (regularitèr,) quia aliquando tenetur velle ex lege naturali charitatis, quando ſcilicèt ſine ſuo magno incommodo poteſt dirimere rixam, vel controuerſiam proximorum ad euitandum damnum expenſarum, & odij, quod oriri ſolet ex litibus, vt dicemus in materia de Charitate. Secundò quando recepto prius arbitrio; & poſtea fuit in mora iudicandi, & ſententiandi, ſi partes volunt iterum compromittere tenetur acceptare munus arbitrarium: tum partim ex lege naturali, vt reſarciat damnum ex mora ipſius prouenìens partibus: tum ex lege poſitiua, l. ſi cum diem ff. de recep. arb. vbi gl.

PROPOSITIO II.

NON videtur acceptaſſe compromiſſum, qui pollicetur tentare an poſſit ſua authoritate litem dirimere: quia hic non eſt arbiter, ſed amicabilis compoſitor d. §. recepiſſe. Secundò quando litigatores ex mutuo conſenſu adiacerunt ad alium arbitrum: tunc ſi redeant ad primum non tenetur litem dirimere: quia intulerunt illi iniuriam l. vel alium arbitrum cum ſeq. ff. de recep. arb. Tertiò quando pœna non fuit promiſſa ab vtraque parte, ſed ab vna gl. in l. litigatores ff. de recep. arb. Quartò, ſi quis ex illis iudicem adierit, quia ſoluitur compromiſſum, l. ſi quis ff. de recep. arb. Tenetur tamen ille ſoluere pœnam deductam in compromiſſo: lis tamen eſt finienda coram Iudice. Quintò quando quis poſt compromiſſum factus eſt Sacerdos: ſecus verò, ſi dum erat Sacerdos, acceptauit compromiſſum: l. non diſtingueremus ff. de recept. arbit. Sextò, quando iam fuit tranſactum in cauſa, d. l. non diſtingueremus. Septimò quando aliquis ex compromittentibus factus eſt legatus vniuerſitatis d. l. non diſtingueremus §. item ſi quis.

Dices primò: an legitimè impeditus teneatur ſententiam ferre. Reſp. nequaquam: ſed tamen conſtare debet de impedimento l. licet ff. de recep. arb.

Dices ſecundò: quæ ſunt legitima impedimenta? Primò infirmitas, d. l. licèt: quæ tamen non excuſat, quando infirmitas erat antequam acceptauit, vt ibi gl. Secundò inimicitiæ exortæ inter arbitrũ, & aliquem ex litigatoribus. Tertiò timor probabilis inimicitiæ non præuiſæ, quando acceptauit compromiſſum Quartò ſi fuerit infamatus à litigatoribus, l. itẽ ſi, §. 1. ff. eod. Deniquè omnis alia incommoditas grauis, quæ ſuperueniat, l.& ſi qua, ff. eod. Accedat, quod non tenetur arbiter ferre ſententiam illis diebus, in quibus Iudex non teneretur, niſi dies compromiſſi exitura videretur, nec fuit actum, vt dies proferatur, l. idem Pomponius §. arbiter, ff. de recep. arb.

PROPOSITIO III.

NON poteſt arbiter plus efficere, quàm id, quod fuit ſibi conceſſum in compromiſſo, l. non diſtingueremus §. de officio ff. de recep. arb. quia ſicut Iudex non poteſt excedere limites ſuę iuriſdictionis: ita nec arbiter limites compromiſſi. Hoc autem conſiſtit in tribus. Primò quoad cauſas, vt non iudicet de alia cauſa, quam deducta in compromiſſo: Conceditur tamen iudicare de omnibus illis, ſine quibus non poteſt cauſa commiſſa commodè expediri, gl. d. §. de officio: Vnde ſtatuere poteſt de die ſolutionis, & de fructibus; quia hæc ſunt acceſſoria ad cauſam. Secundò quoad tempus l. arbiter

Digitized by Google

ff.de rec.arb. Tertiò quoad modũ cognoſcẽdi,& pronũcãdi,de qua re Mol.diſ.33i

Dices primò, quid poſſit arbiter quando fit cõpromiſſum,vt procedatur ſummariè,& de plano ſine ſtrepitu,& figura iudicij, ſeruata tamen æquitate. Reſp. primo non teneri ſeruare ſolemnitatẽ omnẽ iuris poſitiui. Secũdò tenetur ſeruare ſolemnitatẽ iuris naturalis, quæ conſiſtit vt audiat partes,& rationes vtriuſque, eaſq;rationes examinet quantum ſufficit, vt veritas humano modo intelligatur, deindè tenetur ſententiam ferre: Vndè arbiter, qui ſine legitima cauſa, vel non fert ſententiam, vel multum differt ferre ſententiam, ferre tenetur ad intereſſe partis, ſicut iudex ordinarius, quod ſcilicet patitur pars ex non lata ſententia; quia non ſeruat obligationem contractus. Quod ampliatur non ſolùm, quando arbiter habet pretium, ſcilicèt trigeſimam, ſui arbitrij, ſed etiam quando gratis promittit ferre arbitrium; quia ex tali promiſſione quis ſuſcipit officium iudiciũ Iudicis: quare ex officio tenetur iudicare, atq; adeò ex iuſtitia.

Dices, quòd quando fit ſimplicitèr cõpromiſſum in arbitrum, vel arbitratorem? Reſp. adhuc poſſe omitti ſolemnitatem iuris, quia ex opinione communi arbitrator non tenetur ſeruare ſolemnitatẽ iuris.

Dices, an arbiter elicitus, vt procedat de plano, &c. poſſit ſeruare ſolemnitatem iuris. Reſp. duplicitèr poſſe ſub hac forma compromitti, primò concedendo facultatem, & tunc poſſunt illam ſeruare. ſecundò præſcribendo modum procedendi, & tunc tenentur omittere ſolemnitatem iuris, quia ſtandum eſt diſpoſitioni compromiſſi.

Dices an poſſit ex vi huius poteſtatis auferre aliquid de iure partium. Reſp.negatiuè, quia nemo cenſetur remittere ſuũ ius, vt detur alteri, niſi eius conſenſus ſufficientèr exprimatur. Vnde arbiter tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ ſunt ſequuta partibus ex iniuſta ſententia, ſiuè lata ſit, ſcientèr, ſiuè ex ignorantia craſſa in examinãdis meritis cauſæ. Quartò debet ſeruari compromiſſum, quoad ſententiandum: & quidem quando nihil exprimitur, tenetur arbiter in ſententiando ſequi ius, ſicut Iudex.

Difficultas eſt quando data eſt illi facultas, vt de facto procedat in ſententiando, data illi poteſtate auferendi de iure partium, & dandi cui maluerit; an peccet ſi non ſeruat æquitatem, vel rigorem iuris. De hac re legite Moli. diſp. 33. & omiſſis varijs opinionibus. Reſp. primo quando ex dolo aliquid tolleret de iure alterius, ſiuè inductus muneribus à parte, ſiuè precibus, & ſimilibus, tunc tenetur ad reſtitutionem: Immò pars, cui ius alterius eſt adiudicatum, non poteſt tuta conſcientia id retinere, quia contractus non attenditur vltra intentionem partium: at partes non cenſentur conſentire in huiuſmodi dolo, vt fusè Moli. diſp. 30. & colligitur ex tex. in l. ſi ſocietate §. arbitrorum ff. pro ſocio, & in l. diem proferre §. ſtari ff. de recep. arb. Reſp. ſecundò quãdo compromiſſum eſt factum cum hac poteſtate cum intentione partium donandi alteri parti,quod fuerit iudicatum;tunc arbiter poteſt tollere aliquid de iure alterius, ſiuè id fiat ad tollendas expenſas litium, ſiue ob aliam legitimam cauſam pro bono pacis, modo fiat bono animo: tunc & arbiter eſt tutus in conſcientia, & ſimilitèr pars quia nihil eſt magis naturale, quàm vt dominium transferatur in alium ex voluntate Domini. Reſp. tertiò quando compromiſſum fit ad vitanda diſpendia litis, & moleſtias, ſi iuſtitia cauſæ partis vnius eſt aperta, ſed ob potentiam partis vel calumnias, altera pars,pro qua ſtat iuſtitia, reducitur ad compromittendum cum hac facultate tunc pars, cui aliquod per iniquam ſententiam eſt adiudicatum non eſt tuta in conſcientia, quia tale compromiſſum fuit factum ex voluntario mixto ad redimendam ſcilicet vexationem; ſicut dicitur de illo, qui ſoluit vſuras. Reſp. quartò, quando cauſa eſt dubia, & partes ad vitanda diſpendia litis compromittunt cum hac poteſtate, ſiuè petente arbitrio, ſiuè ex ipſis compromittentibus tunc poteſt arbiter tollere de iure alterius, & pars, quæ requirit eſt tuta in conſcientia, quia hic contractus eſt veluti contractus ſortium, cui vtraq; pars ſe exponit periculo lucrandi,& perdẽdi. Quod ampliatur, etiamſi talis ſententia oriatur ex negligentia arbitri nolentis ſumere laborem pro cognoſcẽdo iure partium: quia arbiter non alitèr acceptare voluit com-

pro-

Digitized by Google

promiſſum, niſi vt eximeretur ab illo onere examinandi iura partium, vt fusè Moli. diſp. 33. num. 7.

DOCVMENTVM VIII.

Agens de obligatione partium compromittentium.

PRimò notandum: duplicitèr poteſt fieri compromiſſum. primo ex nudo pacto. ſecundò ex ſtipulatione, ſiuè abdita pœna, ſiue non, ſiuè abdito iuramento, ſiuè non.

PROPOSITIO PRIMA.

PArtes tenentur in foro cōſcientiæ ſtare in compromiſſo quomodocumq; celebrato, quia etiam ſi ex pacto nudo nō oriatur actio in foro externo, oritur tamen obligatio naturalis, quia de iure naturali eſt pacta ſeruare l. 1. ff. de pact,

PROPOSITIO II.

ANtè ſententiam latam obligantur partes ad parendum præceptis rationabilibus arbitrorum: quia cui commiſſa eſt expeditio cauſæ, commiſſa etiam ſunt omnia, ſine quibus cauſa expediri non poteſt, l. 1. ff. de iuriſd. om. iud.

PROPOSITIO III.

QVando eſt appoſita pœna contra inobedientes, qui non ſeruat compromiſſum tenetur ad ſolutionem pœnæ, quia hæc debetur ex pacto, quando non eſt appoſita pœna, qui non ſtat compromiſſo tenetur ad intereſſe, ad quod etiam tenetur quando eſt appoſita pœna, quæ non pertingit ad valorem intereſſe: ita colligitur ex l. 1. C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt, vt fusè Molin. diſp. 34. num. 10.

PROPOSITIO IV.

AD ſoluendum hoc intereſſe tenetur in foro conſcientiæ, etiam antè ſétentiam. patet ex alijs contractibus. Ad pœnam verò conuentionalem an ſic teneatur, dicemus, cum de contractibus, quod ſi pars noluerit ſoluere pœnam, vel intereſſe, poteſt cogi ad ſoluendum, non per arbitrum; quia caret iuriſdictione, ſed per Iudicem ordinarium rei nolentis obedire, quia actor ſequitur forum rei.

PROPOSITIO V.

Poſt ſententiam latam tenentur Partes illi obedire.

DOcet l. litigatores §. interdum ff. de recep. arb. Non tamen hoc oritur ex vi ſententiæ, eoquòd ſententia arbitri non oritur exceptio rei iudicatæ, ſed ex vi pacti, quia exceptio rei non oritur niſi ex ſententia habentis iuriſdictionem, l. 2. ff. de recept. arb.

PROPOSITIO VI.

Quando in compromiſſo eſt appoſita pœna contra eum, qui non ſtat ſententiæ; poteſt Pars ſoluendo pœnam, liberari ab obligatione de ſtando ſententiæ.

ITA multi Doctores docent apud Molinam diſp. 35. Dicerem ego tamen deberi vtrumque, & ſtari ſententiæ, & ſolui pœnam à non ſtante, quia pœna non apponitur ad auferendam vim à pacto de ſtando ſententiæ, ſed ad confirmandum pactum, & eius obligationem. Hinc dico quod partes cogi debent ad ſtandum ſententiæ à Iudice Ordinario, quia ille habet iuriſdictionem:

PROPOSITIO VII.

Quando compromiſſum vallatum eſt iuramento, & altera Pars eſt manifeſtè grauata, tunc poteſt appellari etiam ſine abſolutione iuramenti.

MOueor ad hoc: quia iuramentum non extenditur vltra vires pacti; ſed

Digitized by Google

ſed compromittentes nō ſe obligauerunt ad non appellandum, quando ſunt notabilitèr, & euidentèr grauati: ergò neque iuramentum ad id obligat.

PROPOSITIO VIII.

Quando promiſerunt non appellare, etiam ſi ſint grauatæ, tunc non poſſunt appellare, niſi prius obtenta abſolutione à iuramento.

PRobatur ex eo, quia aliàs eſſet periurus; ita Molina diſp. 36. qui hoc ampliat non ſolum quando expreſsè renuntiatum eſt appellationi, ſed etiã quando tacitè èſt renunciatum. Tamen dico, quòd quando grauamen eſt manifeſtum, tunc debet concedi à Iudice Eccleſiaſtico relaxatio iuramenti; & ſolùm ad effectum examinandi coram Iudice ordinario iniuſtitiam ſententiæ; ſed quando grauamen eſt dubium, tunc non debet concedi, niſi citata Parte, & coram ipſo Iudice Eccleſiaſtico, examinata ſummariè iniuſtitia ſententiæ: aliàs ſe exponeret periculo faciendi iniuriam tertio.

AD punctum noſtræ principalis difficultatis, Vtrum in Eccleſia ſit vna poteſtas, vel duæ; hoc eſt: an in Eccleſia Chriſti ſit tantùm vna authoritas, aut duę præcipuè authoritates diuerſæ, & diſtinctæ ad diuerſa munera exercenda; altera ſæcularis, & laica: alia Eccleſiaſtica, & ſpiritualis; Reſpondemus ſubſequenti Propoſitione.

PROPOSITIO.

In Eccleſia non eſt tantùm vna poteſtas, ſed neceſſariò ſunt conſtituendæ duæ ſupremæ poteſtates: altera ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, altera temporalis; & Regia.

PRobatur: In Eccleſia ſunt variæ actiones; quædam ſpirituales, aliæ verò ſæculares, & temporales: ergò varia debent eſſe principia iſtarum actionum: nam iuxta documentum Ariſtotelicum: habitus diſtinguuntur per potentias; potentiæ per obiecta; ita, & principia per actiones; actiones verò per fines; rectè igitur ſequitur, in Eccleſia: variæ ſunt, actiones, ergò varia principia iſtarum actionum: ſed in Eccleſia, quæ actiones variæ ſunt, ſunt hæ duæ, ſpiritualis, & ſæcularis, & iſtæ diuerſæ pœnes diuerſos fines: nam temporalis finis eſt Rempublicam in tranquillitate, & pace cuſtodire; ſpiritualis verò finis, eſt homines ad perpetuam beatitudinem dirigere: fines iſti ſunt omninò diuerſi, ergò actiones diuerſæ: ergò principia harum actionum diuerſa principia ſunt; hæ duæ authoritates, Eccleſiaſtica, quæ eſt principium actionum ſpiritualium, & temporalis, quæ eſt principium actionum peculiarum; & ita in Eccleſia conſtituendæ ſunt hæ duæ poteſtates, ſæcularis altera, altera Eccleſiaſtica. Accedat altera ratio. Poteſtas propterea conſtituta eſt à Deo, vt ea media homines promoueantur ad bonum, & arceantur à malo: ſed vt fieri hoc poſſit, debent eſſe neceſſariò duæ poteſtates: ergò ſtatuendæ ſunt: Confirmatur: quia ſi vnum tantùm eſſet hominum bonum, nempè laus humana, vt Philoſophi conſtituebant, & vnũ tantùm malum, id ſcilicèt, quod temporale eſt; foret ſatis vna temporalis poteſtas, qua homines ad illud bonum promouerentur, & à malo arcerentur, eaque ſola ſufficeret ad conſeruandã Rempublicam, ſi non eſſet aliud bonum præterquam temporale, nec aliud damnum niſi temporale, & poſt hanc vitam nullum eſſet præmium, vel pœna, ſed cum præter huius ſæculi fælicitatem, vel damnum ſit alia fœlicitas, alterius vitæ, aliudq; damnum: ita Chriſtus dicebat, Nolite timere eos, qui poſſunt perdere corpus, non autem animam; ſed timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, animam poteſt mittere in gehennam. Et Matth. 5. Primùm quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius, ſcilicèt antè omnia beatitudinem inquirite, cum igitur pręter malum huius ſæculi, & præmium huius vitæ in futuro ſæculo ſit alia fælicitas, nempè æterna beatitudo, & alia pœna, nempè æternum ſupplicium, oportet præter poteſtatem ſæcularem, qua promoue-

Digitized by Google

mouemur ad bonum temporale, & arceamur à malo temporali, conſtituere aliam poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem, quà promouemur ad bonum ſpirituale; hoc eſt ad æternam beatitudinem; & arceamur à malo ſpirituali, & æterno ſupplicio; & ita in Eccleſia præter poteſtatem laicam, & ſæcularem, conſtituenda eſt alia poteſtas ſpiritualis, & laica, & ita duæ ſunt in Eccleſia diuerſæ poteſtates. Accedat altera ratio. In Eccleſia eſt verè ſpiritualis poteſtas, quæ non eſt in eo, qui habet poteſtatem ſæcularem. Et ita in Eccleſia eſt poteſtas ſpiritualis diſtincta, & diuerſa à laica. Confirmo diſcurſum: nam in Eccleſia eſt poteſtas remittendi peccata, data Apoſtolis, Ioannis 21. Accipite Spiritum Sãctum, quorum remiſeritis peccata, &c. eſt poteſtas in Eccleſia conſecrandi data Apoſtolis ex communi Theologorum opinione in nocte Cœnæ, Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem; eſt in Eccleſia poteſtas clauium, Matth. 16. Amen dico vobis quæcumque ligaueritis ſuper, &c. Et tibi dabo claues Regni Cælorum. Eſt præterea poteſtas in Eccleſia excõmunicandi data Apoſtolis Matt. 18. Si Eccleſiam non audierit ſit tibi tanquàm ethnicus, & publicanus. Subinfero: Harum tamen poteſtatum nulla eſt in Rege, nec in Imperatore, in quo eſt poteſtas ſæcularis; ergò in Eccleſia præter poteſtatem laicam, & ſæcularem; eſt alia Eccleſiaſtica, & ſpiritualis, & ita duę ſunt in Eccleſia poteſtates. Adde quòd in Rege Saule legimus ſæcularem poteſtatem fuiſſe primò Regum cap. 7. cui tamen nullo modo legimus commiſſam ſacerdotalem, nec alijs Regibus; ergò poteſtas hæc Eccleſiaſtica, & poteſtas ſuprema ſæcularis, & Regia, diſtinctæ ſunt. Propoſitio huius argumenti vera eſt: nam primus Rex Iſraelis fuit Saul, & huic non eſt commiſſa poteſtas Eccleſiaſtica, & Sacerdotalis; imò habenti poteſtatem Regiam prohibita fuit operatio Sacrorũ, vndè cum obtuliſſet Saul abſente Samuele aliqua holocauſta, &c. reuerſus Samuel, idque videns, vehementèr eum reprendit 1. Reg. cap. 13. Stultè inquit Samuel Sauli, egiſti, &c. & hanc repræhenſionem paſſus fuit, quia voluit ea exercere, quæ ad Sacerdotem ſpectabant: in Saule igitur 1. Reg. non fuit poteſtas Eccleſiaſtica, nec in aliquo ſucceſſore eius, in quo tamen fuit poteſtas Regia: hæ ergò poteſtates diuerſæ omninò ſunt, & diſtinctæ; & ità in Eccleſia duæ ſunt ſupremę poteſtates, & authoritates; alia ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, alia ſæcularis, & Regia.

Quæ noſtram impugnant propoſitionẽ, proponuntur, & ſoluuntur in ſubſequenti Propoſitione.

PROPOSITIO.

Proponuntur, & ſoluuntur impugnantia noſtram poſitam propoſitionem.

PRimum argumentum: Ariſtoteles in ſua Met. damnat multitudinem Principum; ſi igitur in Eccleſia eſſent duæ authoritates ſupremæ, altera Regis, vel Imperatoris, alia Eccleſiaſtica, & Pontificia; ſequitur duos eſſe in Eccleſia Principes; hoc autem repugnat Reipublicæ optimè diſpoſitæ, quia multitudo Principum mala: ergò vnus in Eccleſia tantùm Princeps: vnus ergò, & non duo, & conſequentèr non ſunt in Eccleſia duæ diuerſæ, & diſtinctæ poteſtates ſupremæ, ſed altera tãtum. Reſpondetur illud Ariſtotetelis intelligendum eſſe dum Principes æquales ſunt; tunc enim confuſio maxima eſt, quando multitudo Principum eſt æqualiũ in poteſtate, & in caſu noſtro, res ita non ſe habet. Principes enim, qui in Eccleſia conſtituuntur, non ſunt æquales; nam Eccleſiaſticus præcedit dignitate ſæcularem; eſtque authoritas Pontificia dignior, & præſtantior Regia. Adde ob non ad eundem finem referuntur temporalis authoritas, & Eccleſiaſtica: nam finis temporalis eſt vt quietè, & tranquillè in Republica viuatur; Spiritualis verò hunc habet ſibi propoſitum ſcopum, & finem, vt membrũ Eccleſiæ rectè gubernata, beatitudinem conſequantur; cum igitur poteſtaates, quę in Eccleſia conſtituuntur, non ſint æquales, neque in eumdem finem tendant; ideò nullam pariunt confuſionem, neque alterius ſuperfluitatem, ſed vnaqueque neceſſaria eſt, quia vtraque ſuum munus gerit; nec altera eorum ad illud omne, quod altera exerceat, poteſt valere.

Secun-

Digitized by Google

Secundum argumentum: quò probatur non dari aliam poteſtatem prætèr Eccleſiaſticam. Numquàm legimus aliquem à Deo inſtitutum, Regem, nec alicui fuiſſe commiſſam poteſtatem Regiam; cum tamen legamus poteſtatem Eccleſiaſticam commiſſam Apoſtolis in inſtitutione Sacramentorum; ſupremam poteſtatem Põtificiam datam Petro Eccleſiæ Principi, Chriſtique Vicario. Quodſi dicatur Saulem inſtitutum Règem à Deo, non quidẽ ex voluntate Dei, ſed ex importunitate Populi, & contra voluntatem Dei, & Samuelis, vt patet 1. Reg. cap. 9, & 10. ergò à Deo non eſt inſtituta hæc poteſtas ſæcularis, & Regia, nec alicui ex præcepto Dei commiſſa. Legimus tamen creatum Pontificem Petrũ,cum illi dixit Chriſtus, Ioannis 21. Paſce Oues meas; paſce Agnos meos; ergò dicendum, poteſtatem temporalem eſſe ſuperfluam. Argumentum hoc non mediocritèr grauidum eſt: duo enim quærit. Primum de inſtitutione Regis. Secundum de origine Regiæ poteſtatis.

Regia poteſtas, quoad primum ſub nomine Regis à Deo immediatè nemini cõceſſa,aut data,legitur, ſaltem antè Saulem; nam is eſt, qui primò legitur creatus Rex cum iſto nomine Regis. Si dicatur id non fuiſſe ex voluntate Dei, ſed ex importunatione Populi, & contra voluntatẽ Dei, & Samuelis. Monemus Dei voluntatem duplicem eſſe; aliam præceptiuam, aliam permiſſiuam: Saul non fuit Rex per voluntatem præceptiuam; numquam enim Deus præcepit Saulem creari Regem, vt poteſt colligi ex reſponſo,quod dedit Samuel Populo volenti, ſeu poſtulanti Regem; fuit tamen creatus Rex volente Deo voluntate permiſſiua, et ita habuit poteſtatem à Deo: quia, vt docet Apoſtolus ad Rom. 13. omnis poteſtas à Deo eſt. Tamen longè iam antè tempora Saulis, data fuit à Deo poteſtas ſæcularis diſtincta à Sacerdotali, cum dixit Exodi 13. Moyſi; Conſtitues, et facies Iudices ex ſtrenuis, et cordiſſimis filijs Iſrael, qui iudicabunt inter amicos, et hoſtes, et hi in temporalibus: nam ſacerdotalis poteſtas data fuit Aron, et filijs eius num. 13. Hoc tamen fuit diſcriminis, quod antè tempora Saulis, illi, qui inſtituti fuerunt à Deo in Exodo appellabantur Iudices: Regis nomen Saul primus fuit ſortitus;quod ſi Membrot legatur habuiſſe dominium Gen. 10. nõ erat ille propriè Rex, ſed Tyrannus; primus quidem Tyrannorum, de quo dicitur, quod fuit robuſtus venator coram Domino; hic autem loquimur non de quouis genere dominij, quomodo Tyrannides intelligitur etiam; ſed de vero dominio excludente tyrannidem. Et ita vſq; ad Saulem non legimus aliquẽ fuiſſe Regem, ſaltem ſub iſto nomine, qui fuit Deo permittente creatus Rex, etſi non præcipiente;Legimus enim iam antè tempora Saulis datam poteſtatem regẽdi Populum in ſæcularibus, diſtinctam à Sacerdotio, et hanc datam à Deo ipſo: nã omnis poteſtas à Deo eſt; hinc ſap. 8. Deus dixit: Per me Reges regnant, per me Principes imperant,et potentes decernunt iuſtitiam.

Videamus modò de origine illius poteſtatis; atque in primis dimittamus illos Iudices; ſaltem ſcimus Saulem creatum Regem Deo volente permiſſiuè, etſi non præceptiuè. Petimus ergò, an hæc poteſtas Regia ſit à Deo. Negari non poteſt eam à Deo eſſe; hic ad Rom. 13. Subditi eſtote omni præexcellenti creaturæ, ſiuè Regi, etc. quia omnis poteſtas à Deo eſt et ad Rom. 12. Non eſt poteſtas, niſi à Deo, et qui ſuperiori poteſtati reſiſtit,Dei ordinationi, reſiſtit; et Chriſtus Ioann. 19 dixit Pilato: non haberes poteſtatem in me, nec poſſes quidquam, niſi illud tibi datum eſſet deſuper;et primæ Petri 2.cap. Subditi eſtote Regi, ſiue tamquàm præexcellenti: obedite præpoſitis veſtris, etiam diſcolis, manat igitur poteſtas hæc ſæcularis à Deo; multo tamẽ alitèr,quã Eccleſiaſtica nã Eccleſiaſtica ita manat à Deo, vt ex propria Chriſti inſtitutione ortũ habeat, vt immediatè à Chriſto Petrus ſit cõſtitutus Princeps huius poteſtatis,Vicariuſq;Dei,cum illi dixit:Paſce oues meas, paſce Agnos meos,et in perſona Petri data eſt hęc poteſtas eius ſucceſſori Rom.Põtifici canonicè electo,cui etiã illa verba in perſona Petri à Chriſto data ſunt. Non ita manat à Deo ſæcularis poteſtas, nec talem legimus inſtitutionem.nihilominus manat etiam à Deo; nàm quæ manant à Deo, duobus modis dicuntur emanare;

alia

Digitized by Google

alia per legem poſitiuã, alia per legem naturalem; hæc poteſtas, quæ alia erat tẽpore Moyſi, vtraq; tamẽ ſpiritualis eſt, manatq; à Deo immediatè tunc immediatè à Deo Moyſi, nunc verò immediatè tradita à Chriſto Apoſtolis: at verò poteſtas temporalis manat à Deo mediatè per legem naturæ; incæperunt enim homines primò in caſulis habitare, vbi cum ſe non tutos viderent varijs hominum, & brutorum iniuriis, ac latronum inſidiis; in vnum hic, alij illic conuenerunt, dictante hoc natura, quæ quietem, & tranquillitatem poſtulat; quia tamen ſic connecti, confuſionem magnam patiebatur eorum ęqualitas, volente vnoquoque præcipere, & alijs nolentibus obedire; ideò eadem natura, quę quietem exigit Reipublicæ, dictante, ſtatuerunt in vnaquaque communitate aliquem conſtituere Principem, & Magiſtratum, ad cuius nutum omnia fierent, vt vno imperante, omnis de medio tolleretur cõfuſio; naturæ igitur lex ordinauit, & in Republica fierent Principes, qui Rempublicam tranquillam cuſtodirent, in quem communitas totam ſuam authoritatem tranſtulit, & ita poteſtas temporalis immediatè ineſt Regi à Populo, & communitate: Populus enim conſtituit Regem, & ſucceſſores eius, in quem tota Reſpublica ſuam authoritatem tranſtulit; mediatè verò eſt à Deo authore legis naturalis, quia ita eſſe res habendas, & conſtituendum in communitate Principem, lex naturalis dictauit; Eccleſiaſtica autem poteſtas, non ſic orta eſt: nam non fuit in Eccleſia primò poteſtas, quam transferret in caput ab ipſomet primò electum. Poteſtas ergò Eccleſiaſtica ortum habet immediatè à Deo, qua Chriſtus conſtituit Vicarium ſuum Petrum, et eo mortuo Romanum Pontificem, à quo in cæteros hæc poteſtas deſcendit, tamquam à capite, et ita poteſtas Eccleſiaſtica manat à Deo immediatè; ſæcularis verò mediatè dictante lege naturali, eo modo, quo ſupra diximus.

Tertium Argumentum ſaltem in Eccleſia ab Aduentu Chriſti, eſt conſtituenda vnica tantum poteſtas, eaque ſpiritualis; Regia verò, et laica reijcienda: Probatur ex illo Matt. 17. Acceſſerunt, qui colligebant tributum Cæſaris ad Ieſum dicentes: Magiſter, quare tu, et diſcipuli tui non ſoluitis, etc. Chriſtus vocans ad ſe Petrum interrogauit eum ita: Petre; Reges à quibus poſtulãt tributa, à filiis, an ab alienis? Reſpondit Petrus, ab alienis; Chriſtus, reſponſum Petri approbans, collexit; filij ergò liberi ſunt. Nunc tale ſit argumentum: Filij Chriſti, ſũt liberi dicente Petro, alienos tributa dare, et colligente Chriſto, filios eſſe liberos à poteſtate ſæculari. fideles ſunt filij Dei; quia credunt, et poteſtatem dedit eis filios Dei fieri ijs, qui credunt in nomine eius. Fideles ergò omnes, et quicumquè in gremio Eccleſiæ continentur per fidem, ſunt filij Chriſti; ergò omnes liberi à poteſtate ſæculari; ergò in Eccleſia vna tãtum eſt poteſtas ſpiritualis, et Eccleſiaſtica, et nulla datur ſæcularis, vel Regia. Reſpondemus duplicem eſſe ſeruitutem; aliam peccati, qua dicitur peccator ſeruus peccati, et quæ contraria eſt libertati gratiæ, de qua Chriſtus dicebat Ioan. 8. Si filius vos liberauit, verè liberi eſtis; quod intelligentes Iudæi illi, cum quibus Chriſtus loquebatur, dixerũt: Semen Abrahæ ſumus, nemini vmquam ſeruiuimus: Alia eſt libertas Ciuilis à qua Chriſtus non liberauit nos ſua morte: liberauit quidem nos à ſeruitute peccati merendo nobis gratiam ſua Sanctiſſima paſſione, et eruendo nos à poteſtate culpæ, et Dæmonis, quę eſt ſeruitus peccati, quod non intellexerunt Hæretici, qui volebant omnes liberatos eſſe à quacunquè ſeruitute, et peccati, et ciuili. Hoc tamen non ita eſt; nam à ſeruitute peççati nos liberauit, nõ à temporali, et Ciuili, et ita Apoſtoli dicebantur filij, et liberi, quia liberati à ſeruitute Dæmonis, quos Chriſtus à ſolutione tributi voluit liberari; Primò, quia ratione prędicationis, et muneris docendi, quod exercebant in populum erant eximendi, vt ſolutio tributi prædicatione compenſaretur; nam poterant illi ob prædicationem accipere, ſic enim dicebat Apoſtolus 1. Corinth. 9. Si vobis ſpiritualia, etc. quid mirum ſi carnalia metamus? cum tamen non acciperent, fit indè, vt ſolutio tributi, prædicatione penſaretur. Secundò liberi erant, quia tributum non tantùm debetur ratione perſonæ, quàm ratione bonorum; et cùm Apoſtoli nulla haberent bona (omnibus ſiquidem renunciauerunt) ideò non tenebantur ſoluere; quid

Digitized by Google

enim ſoluerent, ſi nihil habebant? vndè ſęculares nō poſſunt eſſe liberi ſicut Apoſtoli cum illi bona habeant; Apoſtoli tamen renunciauerunt, etiam per votum paupertatis; ità enim viſus eſt ſentire Auguſtinus in ſermone Domini in monte, vbi docet, hoc inſtitutū vouendi paupertatem; non eſſe ab homine inuentum, ſed ab ipſo Chriſto, et incæpiſſe in Apoſtolis.

Quartum argumentum: in ſtatu innocentiæ nulla fuiſſet poteſtas: (manſiſſent enim omnes in ſuo iure naturæ, à quo habent vt ſint omnes æquales) at per Chriſti paſſionem reducta eſt Eccleſia in ſuum ſtatum; ergò in ea nulla debet eſſe poteſtas, et cōſequentèr multò minus duæ. Reſpōdemus negando in ſtatu innocentiæ non fuiſſe Principem; quinimò mihi eſt opinio quod fuiſſet in eo ſtatu aliquis Princeps: ſic enim poſtulat ordo, vt in omni congregatione aliquis ſit omnium Princeps, et Caput, nè congregati multi in eadem æqualitate ſine aliquo Principe, pariant confuſionem. Adde, quod tunc fuiſſent oblata aliqua ſacrificia in honorem Dei: fuiſſent forſitan deputati aliqui, quibus hoc munus offerendi competeret, in quibus huius muneris cauſa eſſet Eccleſiaſtica, et ſpiritualis poteſtas. Concludimus ergò vera eſſe illa, quæ à nobis ſtatuta ſunt. Poterit quidem Deus, qui ſumme ſapiens eſt, et omnipotens regere Eccleſiam ſuam abſque poteſtate, et Principatu aliquo, ſed quia Diuina Sapientia attingit à fine vſque ad finem, et diſponit omnia ſuauitèr; vt in Eccleſia hæc reluceret ſimilitudo cæleſtis Eccleſiæ, ad cuius exēplar facta eſt; oportuit in ea aliquas eſſe poteſtates: aliquos eſſe ſuperiores, alios inferiores, aliquos, qui regerent, alios, qui regerentur, nec omninò æquales; quemadmodum videmus in naturalibus, non omnia natura conſtantia eſſe æqualia, ſed alia ſuperiora, alia inferiora, inferioraque ab illis regi, et gubernari, et illa ſuperiora in hac inferiora influere. In Apoſtolis quoq; hic ordo reperitur, vt alij ſuperiores ſint, alij inferiores, et inferiores à ſuperioribus illuminantur, atq; reguntur; ita dicendū in hac Eccleſia militante, quæ ſuperioris illius triumphātis typum gerit; quæ ab illa ducit ortum, non omnes eſſe æquales ſed alios ſuperiores, alios inferiores, alios, qui regant, alios, qui reguntur, quod optimè à Deo ordinatum eſt, vt indè de medio auferatur omnis confuſio: ſi omnes eſſent æquales, & non alij maiores, alij minores; quod factum eſt conſtitutis duabus poteſtatibus, Eccleſiaſtica, quib.:res ſpirituales correſpōdent, & temporalis, per quam res ſæculares reguntur.

Harum poteſtatum nō eſſe æqualem dignitatem, quinimò vna ſit maioris dignitatis alia minoris, infrà videbimus. Pro nunc dico ſemper poteſtatem Eccleſiaſticā eſſe præferendam ſæculari, vt legitur in Decretalibus de maioritate, & obedientia vbi hęc legūtur: duo fecit luminaria Deus in firmamento: luminare maius, Solem; luminare minus, lunam; ita & in Eccleſia, quæ huius vitæ firmamentum eſt, duo cōſtituit Deus luminaria; Solem, ſcilicèt poteſtatem Eccleſiaſticam, & lunam ſcilicèt poteſtatem temporalem, & Regiam. Hic ponderandum Eccleſiaſticam comparari ſoli, ſæcularem vero lunæ: vt indè ſciamus, quod quemadmodum Sol, lunam dignitate præcedit, ita Eccleſiaſtica poteſtas ſæculari præferenda eſt. Ad maiorem huius rei intelligentiam ſit.

DIFFICVLTAS.

Quænam ſit dignior ex his duabus poteſtatibus? Reſpondemus poteſtatem Eccleſiæ, quæ ſpiritualis eſt, eſſe longè præſtantiorem, ac perfectiorem poteſtate laica, & temporali Regis, vel Imperatoris.

SVadetur hęc veritas ex varijs capitibus primò ratione antiquitatis temporis. Sit tale argumentum: poteſtas Eccleſiaſtica præcedit tempore quamcumque ſæcularem poteſtatem: ergò poteſtas Eccleſiaſtica, & ſpiritualis, dignior eſt, & perfectior poteſtate temporali. Poteſtatem Sacerdotalem præcedere ſæcularem temporis antiquitate. Probatur primo in lege naturæ teſtimonio Auguſtini in lib. 5. ad Oroſium, vbi commendat perſonam Abelis; tria, inquit, ſunt in eo laude digna, & commendatione. Primum Sacerdotiū. Secundum Virginitas. Tertium Martyriū, quibus

Digitized by Google

quibus gerit Typum Chriſti. Accipe tale argumentum: In Abel fuit poteſtas Eccleſiaſtica, hoc eſt Sacerdotium: (offerebat enim Deo) Abel autem longè præceſſit poteſtatem temporalem: ergò poteſtas Eccleſiaſtica eſt antiquior, & dignior temporali. Adde, quod in lege naturæ omnes primogeniti erant Sacerdores: coincidebant iſta in eodem atq; vno, ſicut de Melchiſedech, qui fuit Rex Salem, ſcilicèt Ieruſalem. In lege ſcripturæ, Aron fuit primus inter Sacerdotes; nec tamen vigebat adhuc poteſtas ſæcularis, & ita poteſtas Sacerdotalis præcedit temporalem. Tum quia ſi cõſideremus ſcripturæ legem, poteſtas Eccleſiaſtica ſæcularem præcedit: nam in lege Scripturæ, poteſtas Regia, & laica incæpit in Saule; Sacerdotalis verò in Arone, Exodi 14. præceſſit tamen Aron multo tempore Saulem; temporis ergò antiquitate poteſtas Eccleſiaſtica ſuperior eſt ſæculari. Ex altero cap. Probatur etiam noſtra propoſitio: ea poteſtas alteram ſuperat dignitate, quæ incipit via ordinaria, & recta; altera verò per vim, & violentiam: nam, quæ introducta eſt optimo iure, ipſa excedit eam, quæ introducta eſt per tyrannidem, & vim: nam poteſtas Eccleſiaſtica introducta eſt optimo iure; nam in teſtamento nouo introducta eſt à Chriſto, Domino cuiuſcumq; poteſtatis: Chriſtus enim inſtituit caput, & Iudicem, cui totam poteſtatem in Eccleſiam dedit, & ſucceſſoribus eius, nempè Petro, & Romanis Pontificibus. In veteri etiam Teſtamento, Deus ipſe cõſtituit Aron Sacerdotem, & filios eius. num. 3. & ita poteſtas Sacerdotalis, & Eccleſiaſtica, tàm in nouo, quàm in veteri teſtamento ritè introducta eſt: tradita enim eſt ab ipſomet Deo; non ita eſt de poteſtate ſæculari, quæ introducta eſt per tyrannidem, vim, & violentiam.

Addè, Imperia, & Monarchias, quæ colliguuntur in ſacris literis: primò Aſſyriorum: ſecundò Medeorum, & Perſarum: tertiò Græcorum: quarto Romanorum; omnia hæc incœperunt per tyrannidem occupãtibus hominibus eas Prouincias vi, & armis, in quas nullum habebãt ius. Incipiamus ab Aſſirijs, & Caldeis. In iſtis primis fuit Membrot, qui fuit Tyrannus, & tyrannide, ac oppreſſione, ſe aliorum fecit dominatorem; ita legitur de eo Gen. 10. quod fuit Gigas potens oppreſſor hominum robuſtus venator coram Domino, & nationes occupans, omniumq; poteſtates vi quadam, & violentia ad ſe redigens; Vndè Ioſephus declarans illud Robuſtus Venator coram Domino. Venator, inquit, cœpit eſſe potens, Gigas, & robuſtus venator coram Domino; quia illius iniquitatem Deus videbat, ideò dicitur coram Domino: hic fuit primus, qui poſt diluuium cœpit tyrannide, ac vi homines vexare, Regioneſque occupare; itaque primum Regnum, quod fuit Aſſyriorum, & Caldæorum, per tyrannidem, & vim incæpit. De ſecundo, quod fuit Perſarum, & Medeorum, idem dicendum: nam vt habetur Danielis 2. Baldaſſare occupato, eoque mortuo; Perſæ, & Medij eius imperium armis occuparunt; vndè hoc ſecundum Imperium, quod fuit Medeorum, & Perſarum, per vim quoque incœpit. De tertio Imperio, quod fuit Græcorum, idem verificatur: nã vt legitur primo Machabæorum, armis, & vi Alexander ſuperauit Darium: eum interfecit, eiuſq; Regiones occupauit, & ſic Imperium, quod erat in Dario, tranſlatum eſt in Alexãdrũ, qui Græcus erat, & hoc vi, & armis. De quarto Imperio, quod fuit Romanorum, dubitabit nemo eius initium nõ fuiſſe Tyrannicum, Iulio Cæſare ſibi congregante vniuerſum perſonarũ dominium per vim, & violentiam. Veritatem hanc teſtantur Hiſtoriæ, quæ id abundè docent, & Auguſtinus in lib. de Ciuitate Dei.

Sæcularis igitur poteſtas incœpit vi, & armis: poteſtas autem Eccleſiaſtica optimo iure tradita eſt ab ipſo Deo Domino omnium rerum, eis, qui ipſa Eccleſiaſtica poteſtate deindè functi fuerunt: ergò Reges Tyranni fuerunt, peccaruntque regnando: quia regna tyrannicè occuparũt. Deindè tamen fuerunt approbati Reges, vel à Deo, vel ab ipſo Populo, illos in Reges ſuſcipientes conſenſu tacito, vel expreſſo, à quo deindè potuit haberi verum imperium, & regni dominium; cum igitur poteſtas ſæcularis habuerit ortum, & principium per tyrannidem, vim, & violentiam; poteſtas verò Eccleſiaſtica orta ſit optimo iure, & ordinario, eam intro-

 ducente

Digitized by Google

ducente Deo omnium rerum Domino, concludendum poteſtatem Eccleſiaſticam præſtantiorem eſſe : cum ea præſtantior ſit aliã, cuius exordium fuit tyrannicum, & violentum. Accedat altera ratio: poteſtates ex finibus diſtinguuntur, quæ igitur ex his duabus poteſtatibus Eccleſiaſtica, & temporali, digniorem habuerit propoſitũ finem. ea erit præſtantior; finis Eccleſiaſticę eſt ducere homines ad beatitudinem; finis poteſtatis ſæcularis, eſt Rempublicã in pace, et tranquillitate cuſtodire. Nemo autem dubitabit digniorem finem eſſe conſequutionem æternę beatitudinis; ergò poteſtas Eccleſiaſtica cuius finis eſt conductio ad beatitudinem, ſine dubio, dignitate præcedit poteſtatem ſæcularem.

Sit altera ratio: ea poteſtas, aliam excedit, quæ poteſt aliam iudicare; ipſa autem nullius alterius ſubeſt iudicio: ſed ſic res ſe habet in Eccleſiaſtica poteſtate, & laica: nam Eccleſiaſtica à nulla alia poteſt iudicari; vnde in Decretis diſt. 96. dicitur Nephas eſſe Romanam Eccleſiam velle iudicare: quia, & ſi ipſa habeat facultatem de omnibus iudicandi, ipſa autem à nulla alia poteſtate eſt iudicanda; Eccleſiaſtica tamen poteſtas, de ſæculari poteſt iudicium ferre: hic legimus Gelaſium Pontificem ad Anaſtaſium Imperatorẽ ita ſcripſiſſe: Zaccharias Romanus Põtifex depoſuit Frãcorum Regem, eo quod eſſet inutilis Regni gubernationi, cuius loco ſubſtituit, vel potius inſtituit Pipinum Patrem Caroli Magni. Præterea in Decretalibus Cap. venerabilem, Stephanus Papa excommunicauit Archadium Imperatorem: tranſtulit Imperium à Grecis in Germanos propter varios errores, in quos inciderunt Greci; illud, quod legitur Hieremiæ 1. Ecce conſtitui te ſuper Reges, & Gentes, vt euellas, ædifices, & plantes, à Doctoribus intelligitur de Petro, & Romano Pontifice eius ſucceſſore, Chriſtique Vicario, qui poteſtatem habet euellendi, quæ Reipublicæ Chriſtianæ nocent, & plantandi ea, quæ ad cultum Diuinum magis videbuntur accomodata; cum igitur Pontifex, in quo eſt poteſtas ſpiritualis, habeat ius in poteſtatem laicam, poteſt quidem Reges Regno priuare, & alios conſtituere; laica tamen nil habet iuris in ſacerdotalem; hinc fit, vt ſpiritualis poteſtas temporali ſit præferenda. Altera ratio: ea poteſtas alteram excedit, quæ perpetuo durabit altera quandoque deficiente; aut mutationem ſubeunte; poteſtas verò Eccleſiaſtica durabit etiam Regibus, deficientibus, quod patet ex verbis Chriſti Matt. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram edificabo Eccleſiam meam, & porte inferi non prę-ualebunt aduerſus eam: vbi Doctores per portas inferi intelligũt perſecutiones Tyrannotum, hæreſes, & peccata, quæ omnia ſunt inferi porta; quia portas inferi illa comittentibus aperiunt, & hæc non præualebunt (inquit Chriſtus) aduerſus eam: quia nec hæreſes, nec perſecutiones, nec peccata, vel ſimilia poterunt Eccleſiam ſepulturæ commendare: poteſtas verò temporalis, poteſt ruere, & ſubinde mutari: cum temporalis ſit, caduca eſt, & quæ ruinam poteſt pati, & ita relinquitur manifeſtum poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem proferendam eſſe laicæ, & ſæculari, atque temporali, & proinde iudicandam eſſe perfectiorem, digniorem, & denique præſtantiorem. Quæ noſtram impugnant propoſitionem ſoluit noſtra, quæ ſubſequitur.

PROPOSITIO II.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta contra noſtram propoſitionem.

PRimum argumentum; poteſtas ſæcularis antiquitate poteſtat poteſtati ſpirituali ergò poteſtas ſęcularis præcedit Eccleſiaſticam. Antecedens probatur authoritate Auguſtini 15. de Ciuit. Dei, vbi ait eam cepiſſe primo inter homines; nam Cain cepit primo dominare, & ante Cain non fuit aliquis ſacerdos: etenim Abel primus Sacerdos, erat minor natù ipſo Cain; ergo poteſtas temporalis; prior eſt ſpirituali: ergo dignior. Secundò poteſtas Membrot (ſi loquamur poſt diluuium) præceſſit quamcumq; ſacerdotalem. Probatur: poteſtas Membrot ſtatim fuit poſt diluuium Gen. 10. primus ſacerdos poſt diluuium fuit Melchiſedech, qui fuit poſt

Mem-

Digitized by Google

Membrot Gen. 14. In Membrot primo poſt diluuium fuit poteſtas laica, in Melchiſedech primo ſacerdotalis, Membrot fuit multo ante Melchiſedech: ergo poteſtas temporalis prior eſt, & antiquior ſpirituali, & ex conſequenti dignior. Tertio verum ſacerdotium incepit in Chriſto: poteſtas temporalis præceſſit Aduentũ Chriſti: nam multo ante eius tempora fuerunt Reges: ergo poteſtas temporalis prior eſt Eccleſiaſtica. Quarto Moyſes præceſſit Aron dignitate: Aron fuit Sacerdos, Moyſes Dux Populi, & prius fuit creatus Moyſes Dux Populi, quàm Aron Sacerdos; ergò dignitas temporalis præceſſit ſpiritualem; eſt igitur perfectior.

Ad primum reſpondet verum eſſe id quod dicit Auguſtinus, Cain fuiſſe Dominum: nam eo tempore, quo interfecit Cain fratrem ſuum, alij erant homines, iamque alios genuerat Adam, etſi eorum non fiat mentio in Scriptura; ideo dixit, egrediamur foras, nam ex iſto loco bene colligit Auguſtinus, iam aliæ erant habitationes extra quas ſuadebat Cain Abelem fratrem exire, vt ibi à nemine impeditus, interficeret Abel, & ita verum eſt, quod dicit Auguſtinus ex huius ſententia, iam alij erant Adæ filij præter Cain, & Abel, etiamſi eorum non recordetur Scriptura, quorũ dominium voluit ſolùm Cain tyrannidè occupare; ſed antequam Cain eſſet effectus Dominus, prius obtulit Abel: nam in ſacra Gen. dicitur Abelem obtuliſſe Deo munera, quæ Dominus odoratus eſt in odorem ſuauitatis; itaque quamuis Cain ceperit eſſe Dominus omnium eorum, poteſtatem tyrannidè occupauit, & Abel prius obtulit hoſtias Deo acceptas. Addè, quod poſſet dici, & ipſum Cain fuiſſe ſacerdotem antequam habuiſſet dominium: erat enim primogenitus, & omnes primogeniti in lege naturæ erãt ſacerdotes. Ad ſecundum argumentum Reſpondeo ibi eſſe errorem dum dicitur poſt diluuium non fuiſſe ſubitò ſacerdotes: nam Noè præceſſit Membrot, & nihilominus Noè, qui Membrot multo tẽpore præceſſit, erat ſacerdos, qui egreſſus ex Arca, in ſignum gratiarum pro collata ſibi à Deo beneficia, & liberatione à diluuio, obtulit Deo ſupra Aram de lapidibus conſtructam ſacrificium de volucribus cæli, & de cunctis animantibus terrę. Ad tertium Reſpondeo, particulam illam, *verum*, æquiuocum eſſe: datur enim duplex verum; vel opponitur ficto, vel figurato. Si argumentum intendat incepiſſe in Chriſto verum ſacerdotium, quia præcedentia fuerint ficta, errat argumentum: nam præcedentia ſacerdotia minimè fuerunt ficta: erant enim inſtituta à Deo, & Dei perfecta ſunt opera: ſacerdotium Aron à Chriſto fuerat inſtitutum Exodi 14. Si verò argumentum intendat in Chriſto incepiſſe verum ſacerdotium pro quãto verum opponitur figurato; concedo in Chriſto incepiſſe verum ſacerdotium, ſcilicet ſacerdotium, quod nullius ſubſequuti fuit Imago, immò cũcta præcedentia, eius typi, & figuræ fuerunt: Ad quartum, Reſpondeo, non eſſe inconueniens, quod poteſtas laica præſertim in antiquo teſtamẽto eſſet in aliquo dignior ſacerdotio illius temporis, quod non erat ita perfectum ſicut nũc in nouo teſtamento. Saltem in nouo Teſtamento nemo dubitabit ſacerdotes, qui ſunt veriſſimi miniſtri Dei, qui ſunt inſtituti, & conſecrati, eſſe digniores quacumque alia dignitate, & magiſtratu & multo perfectiores, & digniores ſacerdotibus veteris Teſtamenti propter multa, quæ conceſſa sũt ſacerdotibus noui Teſtamenti, quæ numquam conceſſa fuerint illis. Curioſè difficultabis.

DIFFICVLTAS.

Quo iure ſit introducta poteſtas Eccleſiaſtica, & quotuplex ſit: quomodo ſit in Eccleſia, & in quibus.

IN Eccleſia eſſe duplicem poteſtatem ſpiritualem, ſcimus; altera eſt poteſtas Eccleſiaſtica, ordinis, & conſecrationis, quæ eſt in corpus Chriſti verum, & ea eſt, quæ confertur per conſecrationem. Alia eſt poteſtas iuriſdictionis in foro animæ, & conſcientiæ Notanter dixi in foro animæ, & conſcientiæ: quia eſt etiam poteſtas iuriſdictionis in foro exteriori ad excomunicandum, & ſimilia, &c. Eſt igitur poteſtas Eccleſiaſtica, quædam or-

Digitized by Google

ordinis,quà exercentur munera in corpus Chriſti verum; alia iuriſdictionis in foro animæ, & conſcientiæ, qua poteſt, eam habens, opera exercere in corpus Chriſti miſticum: remittere peccato; conferre gratiam. De his duabus modo nobis dicendum eſt. Sit ergo.

PROPOSITIO I.

Poteſtas ſpiritualis Eccleſiæ, ſiuè ſit poteſtas ordinis, & conſecrationis, ſiuè poteſtas iuriſdictionis in foro animæ, & conſcientiæ, non eſt à iure humano, nec à iure poſitiuo, ſed à ſolo iure Diuino.

TRes ſunt huius propoſitionis partes. Prima eſt huiuſmodi poteſtatē ſpiritualem Eccleſiæ non eſſe à iure humano, vel poſitiuo. Probatur: id quod ſuperat humanos effectus,& excedit humanam facultatem, non poteſt eſſe à iure humano: effectus huius poteſtatis ſpiritualis, excedunt effectus humanos, & quidquid ab hominibus in humanis fieri poteſt; ergo hæ poteſtates non ſunt à iure humano. Probatur minor: effectus huius poteſtatis ordinis, eſt conſecrare corpus Chriſti verum; & hoc certè excedit omnem humanam facultatem: nequit enim homo viribus naturalibus corpus Chriſti verum conſecrare,neque in corpus Chriſti materiam panis conuertere: dimittere peccata non poteſt homo: Vndè putabant Iudęi Chriſtum protuliſſe blaſphemiam, quando dixit: dimiſſa peccata paralitico; dicebantquè, Quis poteſt dimittere peccata; niſi ſolus Deus? Si igitur effectus harum facultatum excedunt humanas vires nō igitur poſſunt eſſe à iure humano, nec poteſt tota Reſpublica talem poteſtatem dare hominibus. Secunda pars noſtræ popoſitionis, eſt talem poteſtatem minimè eſſe à iure naturali, hoc eſt, ex inſtinctu naturali. Probatur: id non poteſt à iure naturali effici, quod vires naturæ excedit: ſed effectus huius poteſtatis excedit, & ſuperat vires naturæ: quippe corpus Chriſti conficere: dimittere peccata, tota natura præſtare nequit: ergo poteſtas talis minime eſt à iure naturali.

Poteſtatem iſtam eſſe à ſolo iure Diuino, oſtenditur: quippè non datur aliud ius præter hæc tria, quod valeat aliquam poteſtatem inſtituere.

PROPOSITIO II.

Poteſtas ordinis, & conſecrationis ex æquo eſt in omnibus ſacerdotibus; ſed poteſtas iuriſdictionis non eſt æqualitèr in omnibus.

PRima pars noſtrę propoſitionis oſtenditur ex eo, quod omnes ſacerdotes poſſunt verè conficere corpus Chriſti; nec in hoc Papa excedit infimum ſacerdotem: ergo omnes,quoad hanc poteſtatem ſunt æquales, quia hæc conſiſtit in conſecratione Eccleſiæ; Eccleſiam autem conſecrare, omnes æqualiter poſſunt.

Quantum ad poteſtatem iuriſdictionis, in hoc non ſunt omnes æquales; hoc eſt, quod in poteſtate, quà ſacerdotes exercent ſua munera in corpus Chriſti miſticum, quod conſtituunt fideles, in hoc, alij alios præcedunt: Epiſcopi inferiores ſacerdotes: Summus Pontifex, cœteros omnes tàm Epiſcopos, quàm reliquos ſacerdotes. Non defuerunt quidam contendentes in poteſtate Clauium omnes fuiſſe æquales, Epiſcopos, & ſacerdotes, in iſto errore fuit Epiſcopus Aelius quidam, vel vt alij dicunt Aërius, qui dixit Epiſcopum in poteſtate non ſuperare ſimplicem ſacerdotem, ſed vtrumque, & Epiſcopum, & ſacerdotem, eadem poteſtate iuriſdictionis gaudere; hunc ſequutus fuit Arius; nam hic error inter errores Arianorum recenſetur, & tempore Concilij Conſtantienſis hūc errorem quoque tenuit Ioannes Viclef, & hac noſtra ætate Martinus Lutherus; eſt itaque error iſtorum, æqualem poteſtatem dantibus ſacerdotibus, & Epiſcopis, nec amplius tribuentes dignitati Epiſcopali,quàm ſacerdotali. Aduerſus hunc errorem iam damnatum in concilio Cōſtantienſi, & multis alijs, breuitèr augumentandum eſt nobis nonnullis rationibus, illiſque validis. Sit primum argumentum: oportet ex lege figu-

Digitized by Google

figuratum reſpondère figurato. In lege veteri, quæ erat figura nouæ, erat diſcrimen inter ſacerdotem ſummum, & alios ſacerdotes; ergò in lege noua erit eadem diſtinctio: omnia enim in figura illis contingebant, quæ deinde in re erant euentura, teſte Apoſtolo: nos enim in luce; illi verò in vmbra ambulabant; ſed in lege veteri, alia erat conſecratio ſummi Sacerdotis, alia inferiorum ſacerdotum ergo. Secundò in lege veteri, alia erant munera ſummi Sacerdotis, alia inferiorum officia, Tertiò in lege veteri diuerſus admodum ſummi Sacerdotis erat ornatus ab ornato aliorum; ergò ſummus Sacerdos maximè ab inferioribus erat diſtinctus, aliaquè erat eius dignitas: cum tot diſtinctiones inter ipſos, & alios reperiantur. Primò in conſecratione ſacerdotali erat diſcrimen inter ſummum Sacerdotem, & alios, vt patet Leuit. 8. nam in conſecratione ſũmi Sacerdotis vngebatur eius caput oleo; tum etiam manus, quæ vnctio, non vt in alijs fiebat, ſed ſpeciali conſecratione: nam etſi aliorũ vngebantur manus, non tamen caput, nec eum ea ſolemnitate, qua vngebatur ſummus Sacerdos; diuerſa igitur erat conſecratio, & conſequentèr diuerſa erant officia: etenim ſummo Sacerdoti licebat ingredi in ſanctaSãctorum ſemel in anno per ſanguinis hircorum, aut vitulorum aſperſionem, vt teſtatur Apoſtolus ad Hebręos 9. quod alteri minime licebat. Tum quia ſummus Sacerdos cõſecrabat minores ſacerdotes; ipſi autem ſacerdotes non poterant ſummum Sacerdotem conſecrare; erãt igitur horum authoritates, officio, & munera diſtincta, & conſequentèr maxima inter illos diſtinctio, ergo in noua lege officium ſummi Sacerdotis, debet eſſe diuerſum ab officio inferiorum Sacerdotum. Hinc experimento videmus conſecrationem Epiſcopi eſſe admodum diuerſam à conſecratione aliorum inferiorum ſacerdotum, quamuis ſit iure Pontificio, nihilominus per eam confertur dignitas. Epiſcopalis, & ea multum diuerſa eſt à conſecratione ſimplicium ſacerdotum.

Sit aliud argumentum: legimus in Actibus Apoſtolorum, cum ſermo eſt de electione Matthiæ, quod Apoſtoli, ex Diſcipulis 72. eligerunt Matthiam ad dignitatem Apoſtolicam, qui iam antea erat vnus ex 72. Diſcipulis; deinde per nouam electionem aſſumptus eſt ad ordinem Apoſtolatus. Argumentor iam ex conſenſu omnium Theologorum: inferiores, & ſimplices ſacerdotes ſuccedunt 72. Diſcipulis; Epiſcopi verò Apoſtolis; & Matthias, qui erat ex 72. per electionem reductus eſt in ordinem Apoſtolorum; ergò antequam eligeretur, non erat Apoſtolus, & iam erat Diſcipulus: ergo qui erant Diſſcipuli non erant Apoſtoli; diſcrimen igitur eſt inter Diſcipulatum, & Apoſtolatũ. Sit hoc argumentum: eſſe Diſcipulum, & eſſe Apoſtolum, diuerſa omninò ſunt: ſed Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis: reliqui ſacerdotes 72. Diſcipulis, ergo diſcrimen eſt inter Epiſcopos, & ſimplices ſacerdotes; non igitur habent æqualem clauium poteſtatem Obſerua quod in Concilio Iſpalenſi 2. decretum fuit à ſancta Synodo ſolos Epiſcopos poſſe confirmare, & de conſecratione diſt. 5. decretum eſt ſolos Epiſcopos poſſe ordines conferre; quod ſi ſacerdotes ab alijs, quàm ab Epiſcopis fuerint, ordinatio (inquit Textus) irrita ſit, & pro nulla habeatur. Argumentor modo ita: ſi ſacerdotes, & Epiſcopi non eſſent diuerſi ſecundum rem; qui ordinaretur à ſacerdote, quãuis peccaret, eſſet tamen reuera ordinatus; qui enim habet poteſtatem Epiſcopi, etſi non bene faciat, quod facit Epiſcopus, facit tamen, & ideo hic ſacerdos ordinatus ab alio ſacerdote, eſſet reuera ordinatus: at irrita eſt, quaſi facta ab eo, qui non habet poteſtatem faciendi: ergò Epiſcopus, & ſacerdos ſimplex, & in dignitate, & in poteſtate, diuerſi admodum ſunt.

PROPOSITIO III.

Poteſtas iuriſdictionis in foro animæ, & conſcientiæ eſt poteſtas Clauium.

CLauis triplex dicitur, alia eſt authoritatis, alia excellentiæ, alia miniſterij. Clauis authoritatis; eſt poteſtas, quà aliquis propria authoritate poteſt peccata dimittere, & gratiã largiri; hancquè ſolus Deus habet. Alia clauis excellentiæ, quæ eſt in Chriſto homine, qui per ſuam

Digitized by Google

ſuam paſſionem meruit nobis gratiam, & erat in eo excellentia operandi effectus ſacramentorum ſine ſacramentis, & hæc clauis miniſterij, quæ eſt in ſacerdotibus, qua media ſacerdotis miniſterialitèr remittunt peccata, & conferunt gratiam: nam ſacramentorum Miniſtri, peccantibus remittunt peccata, & conferunt gratiam; vndè Apoſtolus ad Corinth. 8. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros, & diſpenſatores miniſteriorum Dei.

PROPOSITIO IV.

Claues non ſunt datæ niſi ſolis Sacerdotibus, non veteris teſtamenti, ſed ſolum noui teſtamenti.

PRobatur prima pars: eaq; dantur per conſecrationem aliquam, non dantur niſi conſecratis illa conſecratione, & alijs, qui ea conſecratione conſecrati non ſunt, non dantur: conſecratio non datur, niſi Sacerdotibus: & ſolis ſacerdotibus dantur ordines, poteſtas, eis igitur ſolis conſecratio datur, & conſequentèr ſolis Sacerdotibus datæ ſunt claues Eccleſiæ. Quod claues datæ ſint ſolis Sacerdotibus noui Teſtamenti: Probatur: eis ſolis datę ſunt claues, quibus data eſt facultas aperiendi Cælum (quia medijs clauibus Cælum aperitur:) Sacerdotes legis veteris non potuerunt Cælum aperire; quia erat clauſum per peccatum Adæ, quo tota natura erat infecta; quia ad illud aperiendū erat neceſſaria de lege communi mors Chriſti, eiuſq; paſſio: at Chriſtus non eſt mortuus ātequam illi fuiſſent Sacerdotes, & ita, cum Sacerdotes veteris legis munere ſuo fungebantur, adhuc non erat apertum Cælum, & ex conſequenti, nec ipſi habebant claues. Accedat aliud argumentum: illis datæ ſunt claues, qui earum munus exercendo, poſſunt conferre gratiam: Sacerdotes autem veteris legis nullo modo poterant conferre gratiam: ergo illi nullo modo habuerunt claues.

PROPOSITIO V.

Poteſtas iuriſdictionis diſtinguitur realitèr à poteſtate conſecrandi.

ITà habet Scotus in 4. diſt. 19. §. de 3. Artic. verſ. ad primum, & verſ. conſimilitèr: Scoti hæc ſunt verba: *Prius enim dicit Epiſcopus ordinando; accipe poteſtatem conficiendi, vel celebrandi miſſam, tàm pro viuis, quàm pro defunctis; dans ei calicem; & quibuſdam interpoſitis, ponens manum ſuper caput eius dicit; Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, &c.* Vndè videtur quod quilibet Sacerdos priùs tempore accipiat poteſtatem conficiendi, quàm abſoluendi; ergò eſt alia, & alia realitèr diſtincta. Ita Scotus. Accedat ratio: quia iſtæ poteſtates ſunt ſeparabiles, immò de facto in Apoſtolis pro aliquo tempore fuerunt ſeparatæ; etenim poteſtas conſecrandi data fuit in Cœna, quando conſtituti fuerunt Sacerdotes; clauis autē, aut & poteſtas abſoluendi data fuit poſt reſurrectionem, quando Chriſtus dixit Apoſtolis Ioannis 20. Quorum remiſeritis peccata, &c. ergò cum ſeparatio euidentèr concludat diſtinctionem realem, ſequitur tales poteſtates diſtingui realitèr.

PROPOSITIO VI.

Poteſtas clauium operatur remiſſionem culpæ.

HÆC Propoſitio eſt contra multos Hæreticos: contra Nouatianos negantes Sacerdotem poteſtatem habere dādi remiſſionem peccatorum poſt baptiſmum lapſis; contra Armenos dicentes nullum Sacramentum conferre gratiam, nec poſſe, etiamſi, quis maxima cum deuotione ſe præparet ad ſuſceptionem: hac enim vniuerſali loquutione intelligitur eos negare per claues dimitti peccata: etenim, ſi Sacramenta non conferunt gratiam; ergò nec ſacramentum confeſſionis; ſi non confert gratiam, remitter peccatum: cum non niſi gratia, peccata dimittantur; eſt contra Viclef, qui de confeſſione cap. 4. Teſte Vualdenſe de Sacra-

Digitized by Google

cramento Pœnitentiæ cap. 145. dicit claues iſtas non eſſe ſpirituales poteſtates datas ſpecialitèr noſtris Sacerdotibus ad tollendum peccata hominum; quia hoc eſt proprium Agni. Eſt denique contra Lutherum negantem Sacramenta conferre gratiam, & proindè dimittere peccata, vt habetur in Bulla Leonis X. contra errores Lutheri: communio tamen Theologorum ſententia fauet noſtræ propoſitioni, D. Thomas hic, Scotus in 4. diſt. 14. q. 4. §. quantum ad 3. Antonius Andreas d. 14. q. 3. diſt. 18. q. 1. Baſſolius diſt. 14. q. 1. artic. 2. diſt. 18. q. 1. art. 3. Mayronus d. 19. q. 3. Riccardus d. 18. art. 2. q. 1. Durandus q. 2. Paludanus d. 19. q. 1. Scotus d. 14. q. 1. art. 3. et d. 18. Marſilius q. 12. artic. 3. par. 2. Victoria q. 103. Cano. parte 5. Nauarrus in cap. voluiſſent §. ex ijs de pœnit. d. 1. Vegha lib. 13. in Trid. cap. 33. Probatur propoſitio primò ex Scriptura dicente: quorum remiſeritis peccata, &c. peccatum autem ſimplicitèr ſignificat culpam, ergò, &c. Accedit, quod Chriſtus dixit ſe diſcipulos mittere, ſicut ipſe miſſus eſt, vt remittat culpam, ergò Sacerdotes remittunt culpam. Præterea: Quodcumque ſolueritis, & quodcumque ligaueritis, &c. iſtæ duæ authoritates ſibi mutuò reſpondent, & quoniam ſolutio propriè eſt à vinculo culpæ, ergò, &c. Cōfirmatur, quoniam ita narratur claues dari Petro, ſicut Chriſto Apoc. 3. qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit, qui claudit, & nemo aperit; ſed Chriſtus aperit remittendo culpam; ergo etiam Petrus, & alij, quoad hoc eandem habent cum Petro poteſtatem; ſemper tamen intelligenda eſt differentia, vt Chriſtus habeat poteſtatem excellentiæ, alij verò miniſterialem. Confirmatur: quoniam ſi poteſtas data non dicitur ad tollendam culpàm, dicetur data, vel ad demonſtrandam culpam ſublatam, vel ad tollendam pœnam; non primum; tùm quia non diceretur, quorum remiſeritis peccata remittuntur, et quæcumque ſolueritis erunt ſoluta, ſed diceretur remiſſa ſunt. Tùm etiam, quia Sacerdos nulli oſtendit peccatorem ſolutum, non Deo: quoniam ſcit; non pœnitenti, vel ſibi, vel Eccleſiæ: quia etiam poſt abſolutionem non habetur certitudo. Tùm deniquè, quoniam eſſet æquiuocatio in verbis; nam cum dicitur (quorum remiſeritis) intelligeretur, oſtenderitis remiſſam. Non ſecundam, tùm ob hanc vltimam rationem; tùm quia, vel intelligitur de pœna æterna, et hoc non; quia hęc eſt annexa culpæ, et non intelligitur quis amicus Dei reus æternæ pœnæ; vel intelligitur de pœna temporali, et neque; quoniam illius relaxatio, non ſufficit ad hoc, vt quis dicatur relaxare peccatum; præſertim, quia non habet Sacerdos poteſtatem relaxandi pœnam temporalem, ſed taxādi, ita vt minor pœna virtute clauium ſit magis ſatisfactoria.

Probatur ſecundò noſtra propoſitio ex Conc. Florentino vbi effectus huius Sacramenti definitur eſſe abſolutio à peccatis; Fauet Trid. ſeſſ. 14. cap. vbi hoc ſacramentum pœnitentiæ inſtitutum dicitur ad remiſſionem peccatorum poſt baptiſmum commiſſorum; effectus autem, qui Sacramento tribuitur, abſolutioni præcipuè conuenit, in qua præcipua Sacramenti vis ſita eſt, vt ait Trid. cap. 3. et prætereà cap. 3. et can. 1. hoc ſacramentum definitur inſtitutum ad eos Deo reconciliandos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, et cap. 1. et can. 3. dicitur Apoſtolis data poteſtas, et eorum ſucceſſoribus remittendi peccata ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, et can. 2. definitur eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium. Omnia autem hæc, vera non eſſent niſi per abſolutionem, quando incipit eſſe ſacramentum, remitterentur peccata, vt patet ſingula conſideranti; et confirmatur ex cap. 6. in fine, et can. 9. vbi confertur poteſtas remittendi peccata, et impugnatur remiſſio peccatorum per ſolam fidem; ſed remiſſio peccatorum, quæ ſoli fidei negatur, eſt quoad culpam; ergò illa etiam, quæ conceditur Sacerdotibus Accedat argumentum Scoti; quia ex oppoſita ſententia Sacramentum pœnitentiæ non eſſet Sacramentum nouæ legis, nec aliquam cauſalitatem haberet ad primam gratiam; quia numquam dignè ſuſciperetur, niſi ab habente iam primam gratiā; nullus enim dignè oſtenditur ſolutus à Deo, niſi prius ſit ſolutus. Accedat altera ratio: ſuſceptio huius ſacramenti (inquit Scotus) eſt inſtrumentum ad gratiam, hoc eſt diſpoſitio efficax, et neceſſaria ex

Digitized by Google

ſtatuto Diuino ad gratię ſuſceptionem; inſtrumentum autem, vel diſpoſitio præuia, non eſt ſignum rememoratiuum, ſeu oſtenſiuum alicuius, vt iam præteriti, ſed futuri; ergò collocatio Sacramenti pœnitentiæ, non eſt ſignum abſolutionis Diuinæ præcedentis, ſed iam in ipſa collatione datæ.

PROPOSITIO VII.

Examinantur aliquorum Theologorum placita circa hanc rem.

MAgiſter ſententiarum in 4. diſt. 15. aſſerit, quod in tantùm dicuntur Sacerdotes habere poteſtatem remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ in quantum habent poteſtatem declarandi illa eſſe remiſſa, non minus, ac Sacerdotes veteris legis, qui non habebant virtutem, et poteſtatem emundandi à culpa, ſed ſolum facultatem declarandi immunes à lepra; vndè conſequentèr dicebat Magiſter, quod antè Sacramentum pœnitentiæ, iam erant peccata dimiſſa per contritionem anteriorem.

Sed hanc ſententiam Magiſtri impugnat Scotus in 4. d. 14. q. 4. §. quantum ad 3. quia nimis videtur derogare Sacramento pœnitentiæ: cum ex illa ſententia ſequatur numquàm pœnitentiam peccata remittere: ſicque non eſſe pœnitentiam ſecundam poſt naufragium tabulam; quippe numquàm hominem naufragum crimine ad portum ſalutis perduceret. Riccardus de Sancto Victore, lib. de poteſt. ligandi, atque ſoluendi capite 12. ita in ſententiam Magiſtri inuehit; extat quorundam ſententia tam friuola, vt ridenda potius, quàm referenda videatur; peccant enim Sacerdotes non habere poteſtatem abſoluendi, ſed oſtendendi ſolummodò ſolutum, quod enim apertè eſt contra illud Matth. 16. vbi non dicitur; Quodcūq; oſtenderitis ſolutum, ſolutū erit, ſed quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutū, et in Cœlo; ergo Sacerdos in Sacramento pœnitentiæ non ſolùm habet poteſtatē oſtēdēdi immunes à crimine, in quo cōueniunt cū Sacerdotibus antiquæ legis; quinimò verè, et realitèr abſoluunt à culpa.

PROPOSITIO VIII.

Proponitur aliquorum Catholicorum alter modus dicendi.

ALiqui Catholici, qui Magiſtrum ſententiarum impugnarunt; vt denegent veram, et omnimodam poteſtatem, virtutemque remittendi peccata, et Sacerdotibus, et pœnitentiæ Sacramenti; alios modos dicendi excogitarunt. Vgo Victorinus lib. 2. de Sacram. parte 14. cap. 8. duplicem rationem in peccato ſupponit; ſcilicèt culpæ, et pœnæ, et conſequentèr docet pœnitentiam habere virtutem, et Sacerdotes poteſtatem remittendi pœnā æternam, non verò culpam. Hic modus dicendi nullo modo eſt amplectendus; aduerſatur quippè Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. dicēti pœnam ęternam ſemper cū culpa remitti.

Alij verò quorum ſententiam ſuppreſſo nomine refert Medina tract. 2. q. 38. alia incedunt vja dicentes duplicitèr poſſe haberi pœnitentiæ ſacramentum, et in re, et in voto; et docet, quod pœnitentiæ Sacramentum in voto remittit culpam, et pœnam, non verò in re. Hic modus dicendi diſplicet: tum quia ex illo ſequitur nullam Chriſtum Dominum tribuiſſe poteſtatem Sacerdotibus ad remittenda peccata per pœnitentiam, quod eſt apertè contra illud Ioannis 20. Quorum remiſeritis peccata, &c. quippe Sacramentum in in voto à Sacerdotibus non adminiſtratur. Tùm quia promiſſio remittendi peccata, non fuit facta Sacramento Pœnitentiæ in re. Dum deniq; quia non eſt ratio cur virtus remiſſiua culpæ denegetur Sacramēto Pœnitentiæ in re, et concedatur pœnitēti æ in voto: ergò ſi pœnitentia Sacramētum in voto remittit peccatum etiam erit remiſſum culpę ſuſceptum in re.

Deniquè Medina lib. 1. § videtur ergò, tria in peccata conſiderat: Primum, quod conſtituat hominem inimicum Deo; ſecundum reum æternæ pœnæ; tertium excluſionem à Regno Cæleſti, et aſſerit Deū remittere peccata antè Sacramentum: quia ille ſolus facit amicitiam, et cōdonat pœnam contritis antè Sacramentum; Tertiū verò præſtat ipſe Sacerdos in Sacramento pœnitentiæ; talitèr, quod in illo datur poteſtas, et in pœnitentia vis, et virtus ad ape-

Digitized by Google

aperiendum Ianuam Cæli. Tamen prætèr quod hæc ſit gratis dicta, inter ſe non coherent: quia pars præcipuè pœnæ æternæ eſt excluſio à Regno Cæleſti: ergò ſi Deus tollit ante Sacramentum pœnitentiæ pœnam æternam, etiam tollet excluſionem à Cæleſti Curia, ita quod nec Sacramentũ Pœnitentiæ pœnam æternam etiam tollet excluſionem à Cæleſti Curia, ita quod nec Sacramentum pœnitentiæ, nec Sacerdos per illud aperient Ianuam Cæli. Tum etiam quia aſſertum Medinæ pugnare videtur contra Trid. ſeſſ. 6. cap. 10. vbi docet iuſtificatos à peccato, conſtitui hæredes Regni Cæleſtis. Tum deniquè: quia ſi Deus denegauit poteſtatem Sacerdotibus aperiendi Ianuam Cæli; Cur non remittendi culpam quoad inimicitiam, vel quoad pœnam æternam? ergò vel nullam poteſtatem, & virtutem conceſſit Chriſtus Sacerdotibus, & Sacramento pœnitentiæ; vel in illam elargitus fuit; ergò non amplectendus iſte modus dicendi Patris Medinæ.

PROPOSITIO IX.

Sacerdotes veram habent poteſtatem remittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ.

PRobatur ex illo Matt. vltimo: Data eſt mihi omnis Poteſtas in Cælo, & in Terra; cui adiunge illud Ioannis 20. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos; & cum hæc dixiſſet, inſufflauit, & dixit eis: quorum remiſeritis peccata (non dixit quorum peccata declaraueritis remiſſa) remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt; has item claues Petro, & eius in ſacerdotio conſortibus promiſit Chriſtus Mat. 16. Tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris, &c. & Mat. 16. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cælo; & in Trid. ſeſſ. 14. can. 9. de Sacram. Pœnit. Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſteriũ pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, &c. Anathema ſit.

Suppono ad Sacramentum pœnitentiæ requiri diſpoſitionem præuiam ex parte pœnitentis, quæ communitèr diſplicentia, ſeu dolor peccati dicitur, qua poſita remittuntur peccata actualia, ad quæ delenda inſtitutum fuit hoc Sacramentum: non quod alio modo non poſſit Deus ſine Sacramento conferre gratiam remiſſiuã peccati (quippe Deus potentiam ſuam nõ alligauit Sacramentis) ſed ex pacto diuino, quo ſtatuit, quod ſi ponatur ſenſibile ex parte abſoluentis, & confitentis, ſe eſſe collaturum gratiam remiſſiuam peccati, Hoc expreſſit Ioannes dicens: ſi cõfitemur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus Deus vt remittat nobis peccata. Hinc infero, quod Deus duplici via remittit peccata actualia. Primò per contritionem. Secundò per Sacramentum. Hæc eſt doctrina Scoti, & communi.

PROPOSITIO X.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta contra noſtra aſſerta.

PRimum argumentum: Chriſtus prius ſanauit leproſum illum Lucæ 1. quam eum ad Sacerdotem miſerit ſeſe ad oſtendendum, ſimilitèr prius reſuſcitauit Lazarum, quam Diſcipulis tradiderit ſoluendum. Adde D. Hieronymum ſuper illud Matt. 16. Tibi dabo claues, etc. vbi dicit in Leuit. ſe oſtendere Sacerdotibus iubentur leproſi, quos illi non faciunt, non leproſi, ſcilicèt mundos, ſed diſcernunt, qui mundi, vel immundi ſunt, quibus in verbis Hieronym. videtur velle, quòd claues Eccleſiæ non extendent ſe, niſi ad declarandum aliquem eſſe contra Deo mundũ, vel immundum lepra peccati.

Reſp. exempla illa leproſi, et Lazari ad ſolum deſeruire, quod ſicut in mundatione vnius, et reſuſcitatione alterius, cauſa principalis eſt ſolus Deus, et Chriſtus, quo homo authoritate excellentiæ; ita in Sacramento pœnitentiæ, ſolus Deus per authoritatem principalem, et Chriſtus per poteſtatem excellentiæ ſoluit, et ligat, Sacerdos autem nonniſi miniſterialitèr. Similitèr ſicut Sacerdotes legales oſtendebant aliquem à lepra mũdatum, ita Sacerdos Euangelicus multò verius oſtendit

aliquem ſolutum à peccato, quia re ipſa ſoluit, et ſicut Apoſtoli Lazarum iam reſuſcitatum ſoluerunt; ſic Sacerdotes in hoc foro multò veriùs peccatorem ſoluunt quantum ad vitam, et libertatem gratiæ iuxta hunc ſenſum intelligendus eſt D. Hieronymus.

Secundum argumentum: Apoc. 4. Vidi, & ecce in Cælo hoſtium apertum: ergo ad eius ingreſſum, non eſt opus clauibus. Huic argumento patet ſolutio ex antecedentibus. Reſp. ergo cælum quidem apertum ſine opere clauiū ex ijs omnibus quibus in baptiſmo pro Chriſto, qui cælum aperuit, applicatur, dummodo inpoſterum non reddant ſe indignos, vel potius dignos, quibus cælum claudatur. Quod ſi hoc contingat, iam opus erit clauibus. Dices: ſacramenta in bonum hominum ſunt inſtituta, ergò tantùm habent aperire cælum, & non claudere. Reſp. ſicut Deus nō indurat impertienda malitiam, ſed non impertiendo gratiam efficacem; ſic ſacerdos dicitur retinère peccata, non inducendo in ipſa, ſed non abſoluendo, quem indignum iudicat.

Obijcies 3. Apoc. 3. de ſolo Chriſto dicitur, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Reſp. hoc intelligi tum de poteſtate principali, quam habet, vt Deus; tum de poteſtate excellentiæ, quam ſolus habet, vt homo; cum ijs tamen ſtat poteſtas minus principalis, vel potius mineſterialis ſacerdotum. Sic etiam Deus dicitur facere mirabilia ſolus, cū tamen multa faciāt, vel fecerint homines, vt Dei miniſtri. Sic etiam dicitur de poteſtate miraculorū.

Quartum argumentum: remiſſio tribuitur actui potentiæ interioris, in pſalm. 31. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei; quem locum expendens Riccardus cap. 23. & 24. dicit, duo eſſe in peccato. Primum Dei iniuriam, qua includit iniquitatem, & impietatem. Secūdum peccati corruptelam, quæ includit inhoneſtatem, ſeù impuritatem, & deformitatem, & ait per contritionem remitti iniuriam, ſeù impietatem erga Deum, in qua conſiſtit culpa; non tamen impuritatem quam dixit purgari, vel igne Purgatorij, vel medela ſatisfactionis: Reſp. ita eſſe, non tamen inde fit, quin efficaciam nō habeat hoc ſacramentum remittendi peccatum: nam nemo negat, baptiſmum habere efficaciam remittendi peccatum originale, cum tamen adulto remitti poſſit per votum baptiſmi.

Quintum argumentum: culpa, & pœna æterna illi debita, habent infinitatem: ideo Deus, qui eſt virtutis infinitæ poteſt illas remittere; non ergò ſacerdos. Reſp. in primis negando illā infinitatem. Secūdo dico Miniſtrum remittere ex virtute meritorū Chriſti, & ex ordinatione Diuina.

Sextum argumentum: Verba ego te abſoluo, habent ſemper eundem ſenſum: ſed aliquando habent ſenſum illum: ego oſtendo te abſolutum (quando nimirum præceſſit contritio) ergo ſemper. Varijs modis ſolet reſponderi huic argumento. Prima reſponſio deſumitur ex D. Thoma hic ad 5. qui dicit, ſenſum vniuerſalem talis dicti eſſe; ſacramentum abſolutionis impendo tibi, ſcilicèt, vt interpretantur Caietanus, & Sotus: ego ſacramentalitèr te abſoluo, ſcilicèt te abſoluo abſolutione inſtituta à Chriſto, vt inſtrumento efficaci ad delenda peccata, ſi adſint & non deſit conueniens diſpoſitio, & hic ſenſus eſt etiam verborum baptiſmi. Alias reſponſiones vide apud Alenſem q. 21. membro 2. art. 1. & Bonauenturam d. 18. par. 1. art. 2. qu. 2.

Septimum argumentum: ſtādo in ſententia Magiſtri egregiè ſaluantur omnia ſaluanda; quia ſaluantur omnia, quæ aſſeruntur contra poteſtatem clauium, & multum tribuitur clauibus, & ſacerdotum poteſtati: ergò. Reſp. negando omnia benè ſaluari, quia aſſerendum non eſt, poſſe remiſſam eſſe culpam, & non pœnam æternam, vt nonnulli ex illa ſententia dixerunt. Primò, quia habentes gratiam, ſunt Filij Dei; ſi Filij; ergò hæredes iuxta illud Rom. 8. hæres autem eſt reſpectu vitæ æternæ; vndè per gratiā dicitur quis ordinari ad vitam æternam. Confirmatur quia membrum Chriſti non debet eſſe ordinatum ad pœnam æternam. Reſpondet Riccardus c. 19. & 20. aliquod eſſe membrum tripliciter; primò electione per prædeſtinationem, & hic habere poteſt culpam. Secundò reparatione per veram cōpunctionem, quia remittitur culpa. Tertiò habitudine, & concorporatione per ſuſce-

ſceptionem baptiſmi, vel pœnitẽtiæ, quod explicat exemplo ligni; quod primo eſt pars ædificij electione in ſylua. Secundò delatione. Tertiò aptatione in ædificio. Sed contra: quia, qui caret culpa, & habet gratiam, eſt perfectiſſimum membrum concorporatione: nam recipit influxum Chriſti capitis, & hoc præcipuè verum eſt ſuſcepto baptiſmo; quia capax eſt omnium ſacramentorum; nec multum intereſt, ſi non poteſt ſuſcipere ſacramentum Euchariſtiæ, non præmiſſa pœnitentia ſacramentali poſt peccata ſequentia baptiſmum, tùm quia non indè penſanda eſt ratio membri; tum quia non eſt ſimplicitèr neceſſaria ſuſceptio baptiſmi. Secũdò, quia remiſſio culpæ explicari ſolet per non imputationem ad pœnam æternam, vt eſt apud D. Auguſtinum in pſalm. Beati quorum remiſſe ſunt iniquitates, &c. Tertiò, quia nõ congruit Diuinæ bonitati ordinare ad pœnam æternam amicos ſuos habentes veſtem nuptialem, quæ ſecundum Patres diſtinguit Filios Regni à filijs perditionis.

PROPOSITIO XI.

Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis non accipit iuriſdictionem, ſeu poteſtatem proximam abſoluendi à peccatis; ſed ſolum ab ipſa Eccleſia.

PER iuriſdictionem intelligunt hic Theologi poteſtatem quamdam ſpiritualem ſuperioris in ſubditos exercendi poteſtatem clauium. Hac in re, Armacanus de quæſtionibus Armenorum lib. 11. docuit quemlibet ſacerdotem vi ſuæ ordinationis, & iure diuino accipere vtramquè clauem ſcientiæ, & poteſtatis, non ſolum remotè, vt omnes concedunt; verum etiam proximè accipiendo vi ordinis iuriſdictionem abſoluendi validè quemlibet à peccatis, non minus quàm poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti. Pro hâc ſententia citatur Durandus in 4. d. 19. qu. 2. Fauet Nauarrus in ſumma cap. 4. & cap. 7. quatenus docet ſacerdotem virtute clauium accipere poteſtatem, ſeu iuriſdictionem habitualem, quæ tamen ab Eccleſia impediri poteſt.

Noſtræ tamen propoſitioni ſe ſuſcribunt reliqui Theologi, & nobis clarè fauere videtur Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. quoniam inquit: natura, & ratio iudicij, illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe, Synodus hæc cõfirmat, nullius momenti abſolutionem eã eſſe debere, quam ſacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Accipe tale argumentum; actus iudicialis huiuſmodi eſt abſolutio ſacramentalis, nec validè, nec licitè poteſt in non ſubditum exerceri: ſed ſacerdos vi ordinationis præcisè, nullum habet ſubditum: ergò neminem poteſt ſacramentalitèr abſoluere. Minorem ſupponit Concilium, & probatur, quia cum perfecta Eccleſiæ Hierarchia, & cura Paſtorali ſtare non poteſt, quod quiuis promiſcue ſacerdos, hoc ipſo quod ſacerdos ſit, habeat quemlibet Chriſtianum in hoc foro ſibi verè ſubditum; cura enim ſupremi Paſtoris, in eo maximè oſtenditur, vt Papa in ſingulis Diœceſibus præficiat idoneos Epiſcopos, & hi in ſingulis locis idoneos Parochos, & Delegatos, per quos poſſent cultum ſui pecoris dignoſcere: ergò conuenientiſſimum fuit etiam iure Diuino nõ eſſe liberum cuiuſuisOcei ad quemlibet ſacerdotem pro ſuo placito tranſcurrere.

Accedat ratio: poteſt ſummus Pontifex, & Epiſcopus ſibi certos caſus graues reſeruare, à quibus interim non poſſunt inferiores, validè, vel licitè abſoluere, vt definit Triden. ſupra, & admittunt authores oppoſitæ ſententiæ; ſed hoc fieri nequit niſi per ſubtractionem conditionis in illis caſibus, ergò, &c. Sit tale argumentum: ſi illa iuriſdictio fieret immediatè à Chriſto vi ordinationis, non poſſet vllo modo ab Eccleſia ſubtrahi, vel ſuſpendi ſaltem quoad validitatem actus exerciti: quippè non poteſt Eccleſia impedire quo minus ſacerdos quamtumuis excommunicatus, vel degradatus validè conſecret; aut quominus Epiſcopus etiam hęreticus, validè conferat ordines, vt omnes docẽt, ea ſola ratione, quod huiuſmodi poteſtates immediatè, & proximè in ipſa ordinatione fuerint collatæ. Nec iuuant, quod dicunt Aduerſarij, iuriſdictionem quidem dari

Digitized by Google

dari à Chriſto immediatè vi ordinationis, ſub conditione tamen, vt tamdiù maneat, quamdiù ab Eccleſia non ſubtrahitur, vel reſtringitur, perindè, ac ſi dicerent, omnem quidem aquam naturalem ex inſtitutione Chriſti eſſe materiam validã baptiſmi, ea tamen conditione, vt tamdiù maneat, quamdiù Eccleſia non ordinauerit ſolam aquam pluuialem forè validam. Non diſplicet argumentum aliquorum. Si poteſt Eccleſia ſubtrahere iuriſdictionem vi ordinationis datam; cur non & impedire quominus detur? Quod ſi hoc facere poteſt; cur non etiam ſemper facit? quorſum enim permittit iuriſdictionem, quàm ſtatim, ac collata eſt, aufert?

Ad maiorem explicationem præmitto quod licèt ex vi ordinationis præcisè non habeant ſacerdotes authoritatem iudicialem abſoluendi; tamen ſacerdotibus concomitanter dum ordinãtur confertur poteſtas abſoluendi; non eo quod caracter ordinis extendatur ad abſoluendum, ſed quia eſt fundamentum authoritatis abſoluendi: quare quando Epiſcopus ordinat in Presbyterum, non ſolum dicit: accipe poteſtatem conſecrandi, ſeù dicendi Miſſam, tàm pro Viuis, quàm pro Defunctis; ſed etiam dicit: quodcumquè ligaueris, &c. Hinc habes, quod ſacerdotes verè habent poteſtatem abſoluendi iure Diuino, non humano, vel Eccleſiaſtico. Ratio eſt: quia ſi poteſtas abſoluendi daretur ab homine, ſequeretur neminem habere poteſtatem abſoluendi Pontificem, nec ipſe Pontifex poſſet illam concedere: quippè nullus eſt ſuperior illo, & concedere authoritatem, ad ſuperiorem ſpectat: ergò authoritas non confertur ab Eccleſia, ſed à Chriſto dum quis ordinatur in Præsbyterum; vndè ſi præterita ſententia aſſerat ex vi ordinationis præcisè ſacerdotes habere authoritatem abſoluendi, fallitur. Si verò doceat concomitantèr talem facultatem conferri ſacerdotibus, nos ſumus cum illis. Monemus ſecundò quod in authoritate abſoluendi duo reperiuntur. Primum eſt authoritas, quaſi actiua, ſeu virtus actiua iudicandi, & hæc immediatè confertur à Chriſto in ipſa ordinatione. Secundum applicatio materiæ, ratione cuius poteſtas iſta actiua prorumpat in actum, quæ applicatio fit ab Epiſcopis, à Summo Pontifice, & Eccleſia; ex quo infero, quod cum adæquata poteſtas abſoluendi, adæquatè conſtituatur ex hac duplici parte; partim confertur ab Epiſcopo in ipſo ordine, & partim ab Eccleſia, quæ applicat materiam ſupra quam cadat virtus; hinc cum Beccano dico auctoritatem abſoluendi, ſeù iuriſdictionem requiſitam ad abſoluendum, nec totalitèr confertur à Chriſto in ipſo ordine, nec totalitèr ab Eccleſia, vt videntur docere ſententiæ ſupra propoſitæ; ſed partim cõfertur à Chriſto Domino (nempè actiua poteſtas abſoluendi) & partim ab Eccleſia, nempè applicatio materiæ.

Concludimus ergò iuriſdictionem neceſſariò requiſitam ad abſolutionem in Miniſtro partim conferri à Chriſto, et partim ab Eccleſia; à Chriſto in ipſo ordine confertur actiua poteſtas; ab Eccleſia verò applicatur materia. Diſcurſus noſter fundatur in eo, quod per illa verba (Quorum remiſeritis peccata, etc.) aliquid tribuitur præter authoritatem conficiendi Sacramentum: ſed nihil aliud poteſt conferri, niſi actiua iuriſdictio, & poteſtas abſoluendi, ergò, &c. ſubinfero; ſed hæc actiua poteſtas non poteſt in actum ſecundum exire; niſi ei applicatur materia (nempè pœnitentes) qui ſe ipſis non applicantur, ſed ab Epiſcopis, quibus tradidit Epiſcopus regimen Eccleſiæ: ergò partim eſt à Chriſto, & partim ab Eccleſia; vndè Summus Pontifex poteſt eligere ſacerdotem in ſui confeſſarium, & tunc non confert authoritatem actiuam illi (hoc namq; eſt impoſſibile) ſed ſolùm ſeipſum applicat, vt materiam, circa quam Sacerdos exerceat iuriſdictionem actiuam collatã à Chriſto: hinc Eccleſia poteſt ſuſpendere authoritatem abſoluendi, non applicando materiam, non tamen poteſt auferre poteſtatem actiuam abſoluendi; cum hanc non habeat ab Eccleſia; ſed à Chriſto Domino.

PRO-

PROPOSITIO XII.

Proponuntur, & ſoluuntur, quæ militant contra noſtra dicta.

OBijcitur primo ex Armacano: Io.20. ad ſacerdotes ſine vlla reſtrictione dicitur: Accipite Spiritum Sanctũ, quorum remiſeritis peccata, &c. ergò Eccleſia non poteſt hanc poteſtatem reſtringere. Reſp. illis verbis dari quidem poteſtatem remittendi peccata ſacerdotibus, ſed remotam tantum, & ad actum non reducibilem niſi prius accipiant ſubditos in quos illã exerceant. Exemplum ſit: Ignis in vacuo poſitus habet potentiam calefaciendi lignũ hic exiſtens, ſed ex ipſa diſtantia rei impeditam, ac ſuſpenſam, donec paſſum ſufficientèr approximetur.

Secundum argumentum: poteſtas clauium eſt verè actiua: ergò ei hoc ipſo correſpondet paſſiua, quæ non poteſt eſſe niſi in aliquo ſubdito. Reſpon. conceſſa conſequentia eo modo, quo conceditur antecedens, ſicut enim ſacerdos vi ſuæ ordinationis accipit poteſtatem actiuam remittendi peccata; quamuis remotam; ſic & quiuis Chriſtianus, & remotè ſubditus illis, quatenus ſcilicèt Eccleſiæ auctoritate poteſt actu ipſis ſubijci. Conſimile exemplum ſatis aptum eſt de Iuriſdoctore, qui cum in aliqua vniuerſitate creatur Doctor, accipit hoc ipſo poteſtatem litigandi, vel ex cathedra publicæ docendi, quam tamen non poteſt actu exercere, niſi alicubi prius Aduocatus, Iudex, vel Cathedraticus conſtituatur.

Tertium argumentum: deſumitur ex verbis Ioan.20. quorum remiſeritis, &c. Ex his verbis colligunt Patres, & Doctores, non ſolum ſacerdotibus eſſe collatam poteſtatem abſoluendi à peccatis, verum etiã omnibus Chriſtianis mortalitèr peccantibus impoſitum eſſe præceptum confitendi, adeoquè ſeſe ſubmittendi ſacerdotibus in hoc foro: ergò iure ipſo Diuino ſunt facti ſubditi ſacerdotum. Reſp. ex dictis, diſtinguendo antecedens pro ſecunda parte cum ſubordinatione Hyerarchiæ, Eccleſiaſticæ, Pontificis; ſcilicèt; vel Epiſcopi, cui iurè Diuino reliqui omnes in hoc ſubijciuntur; concedo; ſecus nego.

Quartum argumentum: nullus alius poteſt ipſum ſummum Pontificem ſubijcere alteri Sacerdoti (cum ipſe ſit ſupremus in terris): ergò vel tenetur ſummus Pontifex iurè Diuino confiteri, vel certè ipſo iure Diuino eſt in hoc foro cuiuis ſacerdoti ſubiectus; quod ſi earum eſt de ſummo Pontifice, multo maiori iurè de alijs inferioribus. Reſpon. ergò ſummum Pontificem iure Diuino debere confiteri ſuum peccatum mortale, non minus quam reliqui Chriſtiani; ac proinde eodem iure debere ſeipſum tamquàm perſonam priuatam ſubijcere, ſe in hoc ſecreto foro alicui ſacerdoti inferiori, quod benè ſtat cũ eius ſupremitate in ratione capitis Eccleſiæ. Replicabis: in ipſa ordinatione accipit ſacerdos poteſtatem proximam, & ab Eccleſia quantum ad valorem non impeditam conficiendi corpus Chriſti verum; ergo & poteſtatem proximam in corpus Chriſti miſticum quoad ligandi, & ſoluendi. Negatur conſequentia. Diſparitas eſt: quia prior poteſtas, eſt purè miniſterialis, poſterior præterea requirit actum iudicialem ad quem ex natura rei requiritur ſubditus; & ex alia parte, ſi quiuis poſſet quamlibet abſoluere, eſſet in ſummum præiudicium ſupremi, & ordinarij Paſtoris; eſſetque non minus indetrimentum animarum.

Ex hactenus dictis conſtat Sacerdotem in ſui ordinatione duplicem, eamque diſtinctam poteſtatem accipere; vnam in corpus Chriſti myſticum quoad effectum ligandi, & ſoluendi à peccatis. Hinc oritur quodam dubium: num vtrique poteſtati correſpondeant diuerſi characteres ſacramentales? Apparet quod ſic: tum quia habent diſtinctas materias, & formas: diſtinctus ritus, & ceremonias. Tum quia ſi ſufficiat vnius character datus in collatione primæ poteſtatis, qui ſufficienter deſignet priorem potoſtatem: ergò hoc ipſo quod imprimitur, datur vtraque poteſtas etiam nulla adhibita noua ceremonia pro collatione poſterioris, quod dici non poteſt: quia nec Apoſtoli ante reſurrectionem Chriſti poterant ſacramentalitèr abſoluere; nec hodie ſacerdotes ex vi ſolius primę poteſtatis ſine collatione po-

ſte-

Digitized by Google

ſterioris ſub expreſſis ſignis traditæ, vt docent omnes. Videtur etiam non eſſe multiplicandos characteres. Tum quia ſic erunt pluſquam octo ordines ſacri, duo ſcilicèt ſacerdotales, & alij ſeptẽ: quia quot characteres diſtincti, tot ordines diſtincti: tum etiam quia, qua ratione pro poteſtate clauium imprimitur diſtinctus character, eodem etiam pro qualibet ſeorſim claue, aſſignãdus erit proprius ac diſtinctus character, & ſic erunt tres characteres ſacerdotales.

Ad hoc dubium Reſpõdet Scotus poſſe vnum, vel alterum dici; & quidem tenendo priorem viam; ad primum contra eam poteſt dici, quod vt ſaluetur diuerſitas illa materiæ, formæ, ac ritus, ſufficiat, quod vel ſimul cum applicatione formæ imprimatur character, vel certè quod præſupponatur iam alia via impreſſus, vt in collatione primæ poteſtatis, & quod prætcrea forma aliquem verum, & diſtinctum effectum ſortiatur, pro vt in propoſito cõfert poteſtatem clauium. Ad ſecundum diceretur, quod licèt vitute characteris in collatione primæ poteſtatis reddatur ordinatus, remotè diſpoſitus ad receptionem clauium; non tamen accipit eas proximè donec adhibeatur propria materia, & forma deſignantes eiuſmodi poteſtatem. Tenendo poſteriorem viam, ad fundamentũ alterius reſponderi poteſt, etiam admiſſis tribus diſtinctis characteribus in ſacerdotio, non eſſe numerandos tres diſtinctos ordines; quia & ex ordinatione Chriſti, & ex perpetua Eccleſiæ praxi inſeparabilitèr conferuntur, quod non fit in alijs ordinibus. Ad priorem viam magis videtur inclinatus Scotus in 4.d.19 q.vnica.

PROPOSITIO XIII.

Claues, quas Chriſtus D. Petro, eiuſquè Succeſſoribus Summis Pontificibus dedit, nobiliores ſunt Clauibus datis alijs Eccleſiæ Prælatis.

POllicetur Chriſtus Petro claues Regni Cælorum Matt. 16. Tù es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cælorum. Traditas fuiſſe has claues D. Petro, nemo negauerit, niſi qui Chriſtum mendacem fuiſſe impudẽtèr dixerit. Hinc communi conſenſu Patres dicũt donationem harũ clauium factam fuiſſe tunc cum dixit Chriſtus D. Petro Ioan. 20. Paſce oues meas, paſce Agnos meos. Sic proinde videndum eſt, quidnam ſint iſtæ claues; ni me meum fallat iudicium, in his continentur duæ illę claues ſuperius explicatæ, ſed maximo cum exceſſu; itaq; clauis authoritatem ſonat, quæ hic notatur maxima, & ſuprema, cum appellatur clauis Regni Cælorum. Et quo nobilius cælum eſt rebus ſublunaribus, & terrenis, ita claues datæ ſummo Pontifici, ſunt nobiliores alijs clauibus ſcientiæ, & iuriſdictionis. Imò quemadmodum cælum nihil à terra, & ſublunari mundo emendicat, ſed viceuerſa omnia hæc inferiora moderatur influxu perpetuo; ita ſummi Pontificis authoritas, ſupereminet omni alteri poteſtati, nihilque ſummus Pontifex accipit ab alijs Eccleſiæ Prælatis, ſed viceuerſa omnes alij Prælati, ſuas accipiunt claues à ſummo Pontifice. Et quemadmodũ terra nihil auferre à cęlo poteſt cũ tamen cælum à terram fertilitatem, & pulchritudinẽ ſuã auferre valeat: ita Prælati Eccleſię virtute ſuarum clauium non poſſunt arctare, aut tãtillum detrahere authoritati, & clauibus ſummi Pontificis; cum tamen Pontifex virtute ſuarum clauium reſtringere, imò, & omnino impedire valeat claues Prælatorum reliquorum.

Rem paulo clarius iterato dicamus: nõ poteſt tota Eccleſia inſimul congregata priuare ſummum Pontificem ſuo Pontificatu, nec eius authoritatem arctare, aut minuere: poteſt tamen ſummus Pontifex, nedum ſimplices ſacerdotes, aut ſolos Epiſcopos aut Archiepiſcopos, ſed etiam Patriarchas exequutione ſuarum clauium priuare, ſcilicèt authoritatem eorum coarctare, minuere, imò omninò tollere. Quęrenda eſt tãti diſcriminis ratio, quam iam obſcurè tradidiuimus. Summus Pontifex habet à Deo immediatè, non autem ab homine ſuas claues, ſcilicèt ſuam authoritatem; quę autem ſunt immediatè à Deo, mortalium nullus auferre poteſt; quod enim Deus coniunxit, homo non ſeparet. Vndè nec ſũmus Pontifex inferiores Prælatos priuare poteſt ijs rebus, quas habent im-

immediatè à Deo, vt videre eſt in hoſtię conſecratione, & ſacerdotum ordinatione. Claues autem ſcientiæ, & iuriſdictionis non dantur immediatè à Deo, ſed mediante Summo Pontifice, qui cum ſit totius Eccleſiæ caput, influit in membra ſingula. hoc eſt in omnes vtriuſque conditionis fideles.

PROPOSITIO XIV.

Poteſtas Clauium ſolis Sacerdotibus eſt data.

DIcimus ergò ſolum Sacerdotem eſſe miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ. Nobiſcum ſunt omnes catholici contra hæreticos quoſdam, quorum fuit opinio omnes fideles, ſiuè Sacardotes, ſiuè laicos, ſiuè viros, ſiue mulieres habere poteſtatem abſoluendi à Chriſto. Pro noſtra Propoſitione eſt perpetua traditio Eccleſiæ ad cuius aures talis poteſtas ſolis Sacerdotibus eſt conceſſa. Et veritas noſtræ propoſitionis indè redditur clarior, quia ab ipſis hæreticis nihil poteſt adduci, niſi recurrendo ad tempora Apoſtolorum, & à tempore Apoſtolorum nunquam legimus poteſtatem hanc fuiſſe conceſſam alijs, quam Sacerdotibus, nec legimus, laicum aliquē abſolutionem ſacramentalem dediſſe: ergò clarafcit hac poteſtate ſolos Sacerdotes fuiſſę vitatos. Accedunt Sancti Patres, inter quos Chriſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, inter alia prærogatiua Sacerdotum legis Eccleſiæ, docet hoc ipſis eſſe conceſſum, nempè vt à peccatis abſoluerent: quam (inquit) neque Angeli, nec Archangeli, nec terreni Principes habent; quia ad omnes hos dictum non eſt: quodcumq; ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis. Item Leo Papa Epiſt. 91. dicit: Diuinę bonitatis pręſidia ita eſſe orninata; vt indulgentia Dei nonniſi Sacerdotum ſupplicationibus poſſit obtineri. Fabianus etiam Epiſt. 2. decretalium dicit eum, qui mortalitèr peccat in baratrum labi, niſi Sacerdotali dignitate ei ſubuentum fuerit. Ambroſius lib. 1. de Pœnit. dicit ius ligandi, & ſoluendi ſolis Sacerdotibus eſſe conceſſum, & lib. 2. cap. ſecundo: conceſſit (inquit) hoc Chriſtus Apoſtolis, quod ab Apoſtolis ad Sacerdotes trāſmiſſum eſt: & in alio loco dicit: Accepimus Spiritum Sanctum, qui non ſolùm peccata noſtra dimittit; ſed etiam nos facit Sacerdotes ad aliorum dimittēda peccata. Auguſtinus hom. 50. Venia (inquit) ad Antiſtites, per quos in Eccleſia claues adminiſtrantur; & ita demū omnes Patres. Non mediocrem congruentiam pręſtabit nobis, qui ſubſequitur diſcurſus. Valdè conſonum rationi videtur Deum Hierarchiam Eccleſiaſticam, eo iure, & ordine conſtituiſſe, vt in ipſa eſſent Iudices, ſicut in Rempublicam humanam, qui facerent iudicium, ſententiamquè ferrent in delinquentes: hoc autem iudicium minimè omnibus permiſcuè concedi, ſeù cōmitti debuit: nam ſi omnes eſſent Iudices; nullus eſſet Iudex; vbi enim omnes habent poteſtatem, & authoritatem æqualem, nullus ſubijcitur alteri. Hinc cum congruū fuerit in Eccleſia eſſe Iudices, & quod non debuerit iudiciaria poteſtas promiſcuè cōmitti omnibus, concludendū authoritatē illam eſſe collatam congruentèr ſolis Sacerdotibus. Vndè ſiuè antiquitatem, ſiuè Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ authoritatem, ſiuè rationem, aut congruentiā conſulamus, inueniemus miniſterium hoc abſoluendi à peccatis, ſolis eſſe cōceſſum Sacerdotibus. Huius Sacerdotalis dignitatis typum inuenimus in lege veteri: etenim ſolis illius legis Sacerdotibus conceſſum fuit dignoſcere inter lepram, & leprā: etenim Chriſtus Mat. 4. & Lucæ 17. ad ſolos ſacerdotes remiſit leproſos. Hoc etiā indicaſſe videtur Chriſtus cum Lazarum ſoluerdum Diſcipulis commiſit.

Accedat altera probatio fundata in ſacris Concilijs. In Florentino in Decretis vnionis definitur ſacerdotem eſſe miniſtrū huius Sacramenti. Concilium Conſtant. ſeſſ. 8. & 15. idem definit. Et Leo V. inter alios Lutheri articulos damnauit errorem huic veritati contrarium. In Trid. ſeſs. 14. can. 10. noſtra propoſitio redditur manifeſta his verbis. Si quis dixerit ſacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſoluendi non habere, aut non ſolos ſacerdotes eſſe miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus eſſe dictum: quæcumque ligaueritis ſuper terram, &c. Anathema ſit.

Digitized by Google

PROPOSITIO XV.

Proponuntur, & ſoluuntur quæ contra noſtram militant Propoſitionem.

PRimum motiuum deſumitur ex illis verbis: quæcũmque ſolueritis ſuper terram, &c. & Quorum remiſeritis peccata, &c. Ex quibus verbis non poteſt colligi ſufficientèr ſolos ſacerdotes habere hãc poteſtatem: ergo ſine beneficio rationis authoritas illa negatur laicus. Confirmatur: nam ſi ex inſtitutione Sacramenti, aut Chriſti verbis non poteſt colligi, quod alij excludantur, & ex alio cap. reſultat in bonum fidelium, ſi cuncti fideles habeãt illam poteſtatem; dicendum omnes Chriſtianos gaudere ea facultate; maximè, quia poteſt aliquando non adeſt Sacerdos; facit, quod Sacramentum baptiſmi ita inſtitutum eſt, vt à quocumque validè adminiſtrari poſſit, & hoc ne ſi eius diſpenſatio ad ſolos ſacerdotes pertineret, plures homines tantò beneficio priuarentur. Ergo idem dicendum de Sacramento pœnitentiæ. Reſpondemus propoſitionem noſtram fortè nõ deduci ex illis nudè cõſideratis; ex illis tamen ſanè intellectis, benè deduci; hunc autem intellectus colligimus ex traditione Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum, et Decretis Summorum Pontificum, & ex Concilijs generalibus quorum vnum, vel alterũ eſſet inſolidum fundamentum, & maioris ponderis, quam quidquid pro hæreticis adduci poſſit. Quandò dicitur quod magis cederet in emolumentum fidelium cunctos chriſtianos poſſe abſoluere. Reſp. non oportere, quod omni modo, quo poſſit illis prouideri, prouideatur; ſed ſufficit quod habeant homines ſufficientia remedia, quibus ſi velint opportuno tempori, vti valebunt. Satis quippe eſt Chriſtum talia nobis reliquiſſe media, quibus tota communitas (moralitèr loquendo) vti ſemper poſſit, licet aliquid in aliquo caſù non poſſet illis vti. Imò. Hoc ipſum argumentum poſſet fieri de baptiſmo; etenim potuiſſet Deus ita inſtituere baptiſmum, vt quilibet poſſet ſe baptizare, & hoc, quod ſi fuiſſet, nullus adultus moreretur ſine baptiſmo, ſeu ex defectu Miniſtri. Adde, quod nulla foret ratio dubitationis de ſuſceptione baptiſmi, quem nos ipſi, nobis ipſis adminiſtraremus. Adde, quod ſuſcipiendo baptiſmum ab alio non habemus certitudinem de intentione baptizantis, quam tamen haberemus, quando nos ipſi nos ipſos baptizaremus. Non ergò recurrendum ad conſimiles congruentias, quando de voluntate Chriſti inſtituentis Sacramẽta, conſtat. Sit altera ratio: nonnullorum Theologorum fuit ſententia peccatores ligatos macula mortali debere in articulo mortis, ſeù extremæ neceſſitatis cõfiteri laico, ſi non abſit ſacerdos: ergò rationabilitèr valebit quis ſuam conſcientiam ſacramentalitèr aperire laico, & ab eo abſolutionem recipere. Antecedens patet. ità enim ſentire videtur Magiſter in 4. d.17. cap. 3. & cum eo Angelicus Doctor ibidem q.3. art. ſecundo, quæſtiuncula ſecunda ad primum, & etiam Concilium Tiburienſe, & cap. fures de furtis, vbi præcipitur, quod fur, qui in actuali furto interficitur, careat Eccleſiaſtica ſepultura; & ſubditur: ſi verò Præsbytero, vel Diacono confeſſus fuerit, cõmunione non priuatur. Fauet S. Cyprianus lib. 3. Epiſt. 17. vbi apertè dicit infirmum moribundũ nõ habentem copiam ſacerdotis debere confiteri Diacono: ergò errat noſtra Propoſitio docens facultatem ſolis ſacerdotibus eſſe datam. Dicimus nullum Theologum docuiſſe confeſſionem Sacramentalem poſſe fieri, non Sacerdoti. Et ſi aliquis fuerit talis opinionis, errauit ipſe, ſicut & errabunt illum ſequentes. Prædicti autem Authores, etſi dicant in caſu neceſſitatis eſſe licitum confiteri laico; gloſſamus illos, quod non fuerint loquuti de confeſſione ſacramentali. ſed de quadam confeſſione libera, & voluntaria, ad maiorem humilitatem, & confuſionem confitentis. Non me latet hunc modum confitendi minimè eſſe laudabilem, vt inter reliquos notat Scotus in 4. diſtinct. 14. quæſtione 4. etenim confeſſio non induens rationem ſacramentalis, minimè eſt neceſſaria neceſſitate medij, aut præcepti. Adde quod peccator ſe infamaret confitendo peccata ſecreta laico, à quo non poteſt abſolui; cum tamen conſeruatio propriæ famæ ſit iuris naturalis,

in quo

in quo nullus diſpenſare poteſt. Nec dicas cum Suarez diſp. 24. ſeſſ. 1. hominem in illo caſu poſſe cedere ſuo iuri. Hęc enim doctrina nobis non probatur: etenim, nemo poteſt cedere ſuo iuri ad detrimentū propriæ famæ quamdiù habet ius ipſam conſeruandi; habet autem ſemper ius non ſe infamandi, niſi apud ſolum ſacerdotem; vel quando vocatur in iudicium præuijs indicijs euidentibus. Nec ratio Suarez contra Scotum vrget; nempè quod quis indigeat conſilio, ſeu auxilio, & alter ſit prudens, qui poſſit ipſi, vel vnum, vel alterum dare: tunc (inquit Suarez) optimū erit hoc medio vti, ſiquidem illa qualiſcumque infamia, maiori ſpirituali bono compenſatur. Dato gratis, quod illud conſilium, vel auxilium eſſet maioris pōderis, & pluris faciendum, quem propria fama, (quod tamen eſt falſum) ſine dubio poſſet, & rationabiliùs alitèr explicare, & conſiliū petere, quàm ſeipſum infamando: poſſet enim fingere caſum in tertia perſona, & ita petere conſilium illius prudētis viri, non autem dicendo ſe comiſiſſe hoc, vel illud peccatum. Hinc cum Scoto dicendum eſt non ſolùm talem cōfeſſionem eſſe inualidam, ſed etiam eſſe illicitam; quòd poſt Scotum docere videtur Triden. ſeſſ. 14. cap. 5. vbi dicit nec Chriſtum talem confeſſionem præcepiſse, nec ſatis conſultè aliqua humana lege pręcipi poſſe, vt peccata (ſaltim ſecreta) publica confeſſione aperirentur; imò & Theologi docent non teneri quempiam per interpretem illi ſacerdoti confiteri, licet illa confeſſio eſset ſacramentalis: ſi ergò peccator non tenetur confiteri Sacerdoti per interpretem in ordine ad abſolutionem ſacramentalem; ſanè multò minus tenebitur confiteri ipſi interpreti, à quo nō poſſit abſolui.

Ex dictis collige Eccleſiam nec in periculo mortis, nec in extrema neceſſitudine poſse diſpenſare, vt aliquis non ſacerdos abſoluat ſacramentalitèr. Ratio eſt, quia poteſtas abſoluendi eſt de iure Diuino: ſed Eccleſia non habet authoritatem ſupra ius Diuinum, ergò Eccleſia non poteſt diſpenſare. Concludendum ergo ſolos ſacerdotes poſse vti clauibus.

DISPVTATIO XII.

Diſputatur de Abſolutione Sacramentali.

SAcerdotem poteſtatem habere abſoluendi à peccatis ſupponit diſputatio præſens. Monet etiam materiam remotam, & neceſſariā ſacramentalis abſolutionis eſſe peccata mortalia poſt ſuſceptum baptiſmum commiſsa. Non eſt tamen accipienda hic materia remota eodem in ſenſu, quo in alijs Sacramentis: Siquidem ea eſt ſignificatio materiæ remotæ in hoc Sacramento, vt idem ſit remota, quod remouenda, & ſit materia, non ex qua, ſed circa quod deſtruendum verſatur hoc Sacramentum; quod totum in eo eſt poſitum, vt omne pæccatum mortale de medio tollatur. Monemus etiam peccatum duobus modis conſiderari; vel cum eſt in fieri, fitque, vel cum iam tranſijt in præteritum. Si primo modo conſideretur: eſt tr ā ſgreſſio Diuinę legis, ſcilicèt carentia, & negatio rectitudinis, quę actibus noſtris ineſſe debet ex conformitate, ſeù conformatione noſtræ voluntatis ad Diuinam; Omnis ſiquidem voluntas creata, non ſolùm ex natura ſua eſt ad peccandum prona, & procliuis, ſed in probabiliori ſententia, nec per Diuinam quidem potentiam poteſt vlla voluntas creari impeccabilis per naturam; Vndè oportuit voluntatem noſtram regulam habere, quam ſequatur; quæ regula in quibuſdam actibus poteſt eſse intellectus, non tamen in omnibus: Nam, & ipſe intellectus, cuius eſt dictare voluntati id, quod iuſtum, & equum eſt, fallitur aliquando, ſeduciturq; ab appetitu naturali, qui in nobis eſt, ita vt malum pro bono ſæpiùs conſulat; Quærenda idcircò

circò regula certior, quæ ſit omni ex parte impeccabilis: talis eſt Diuina voluntas, quæ ex ſe,& ex natura ſua falli, aut fallere non poteſt, ad quam ſi conformatur noſtra voluntas, numquam peccabit, ſed in omnibus ſuis actibus erit rectitudo iuſtitię Si verò ei non conformetur, peccabit, & in omnibus actibus ſuis deſiderabitur rectitudo conformitatis. Hæc Diuina voluntas nobis patefit per legem ab ipſo Deo impoſitam, qui cum poſſet ſi voluiſſet, imponere omnia, & iubere cum obligatione peccati, noluit tamen (prohibēte sūma ſua bonitate,& conſideratione humanæ fragilitatis.) Prętereà triplicē dedit hominibus legem, quarum prima eſt lex præcepti, continetq; Decalogum, & ea, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, quorum obſeruatio maximum habet in Cælis præmium, tranſgreſſio damnationem æternam. Alia eſt lex Conſilij ſimplicis, quæ minutula quædam per modum conſilij proponit, quę qui obſeruauerit, non propterea magnam ſperet in Cælis remunerationem; Eadem, qui tranſgreſſus fuerit, non per hoc timeat damnationem, vt ſunt ea conſilia de non proferendo verbo otioſo; de nō dicēdo fratri ſuo racha; obſeruatio enim iſtorum non eſt ad ſalutem neceſſaria. Alia eſt lex conſilii perfectionis quæ ſuadet, & conſulit obſeruantiam rerum difficilium, ſcilicèt venditionem omnium bonorum ſuorum,& eorumdem in pauperes elargitionem. His adde omnia conſilia Euangelica de caſtitate ſeruanda, &c. Hæc, quæ obſeruantur difficilia ſunt, ſi ſeruentur, maximam in Cælis habent remunerationem, ſi verò non ſeruentur, dummodò abſit contemptus, nullo pacto onerant conſcientiam. Primæ legis tranſgreſſio, eſt peccatum mortale primam eliminans gratiam. Secundæ legis tranſgreſſio, eſt peccatum veniale non tollens, ſed minuens gratiam Tertiæ legis tranſgreſſio nullum eſt peccatum.

Ex his collige peccatum mortale cum ſit, eſſe tranſgreſſionem legis præcepti, eſſe inquam puram negationem rectitudinis,quæ debet ineſse actibus noſtris ex neglectu conformitatis noſtræ ad Diuinam. Quod ſi petatur, tranſacto actu, & cum ab opere malo ceſsauerit homo,vndè dicatur peccator? hac de re ſunt inter ſe diſcrepantes Theologorum ſententiæ; Quibuſdam Scotiſtis placet,peccatum,cum tranſierit in præteritum, eſse purè, & ſimplicitèt obligationem ad æternam pœnam, at proindè nihil eſse poſitiuum,aut reale, ſed ſolummodò relationem rationis ex parte intellectus Diuini, atque voluntatis adiudicantis illum, qui peccatum commiſit ad æternum ſupplicium; Idque probant duplici argumento. Primum: in rebus humanis, quæ Diuinis aſſimilari ſolent, & debent; Si quis ſubditus Principem offenderit, tandiù dicitur reus læſæ Maieſtatis, quamdiù manet in voluntate Principis punire illum, itaut ſi ſpontè Princeps vitam donet, liberetq; eum ab obligatione pœnæ iam amplius reus non ſit; Ergò à ſimili, ſi quis noſtrum offenderet Cæleſtem Regem Deum ab eo abiudicabimur peccatores, & rei læſe Maieſtatis Diuinæ, quòd volūtas Diuina obliget nos ad æternum ſupplicium, quam obligationem ſi tollit, certum eſt nō amplius nos eſse peccatores; Vndè concludunt hanc ſolam obligationem eſse peccatum, cum actus peccati in præteritum tranſierit. Secundū argumentum fundatur in ſimilitudine; homo dicitur iuſtus non ſolùm tunc cum iuſtè operatur, ſed etiam tunc cum ab omni opere iuſto ceſsauerit. Denominatur autem iuſtus à ſola Diuina acceptatione, & voluntate præmiandi iuſtum ęterno,& Cęleſti præmio, ita vt habitualis illa iuſtitia, qua homo nihil boni faciens, bonus tamē appellatur, eſt relatio rationis in Diuino intellectu, & voluntate acceptante, & deſtinante illum ad æternam beatitudinem: ergò à ſimili iniuſtus dicitur homo tunc cum ab opere iniuſtè ceſsauerit,& ſola obligatione pœnæ debitæ peccato. Quod ſi illis obijcias peccatum ex Deo non eſt: hanc pœnæ obligationem à Deo eſse, ac proindè non eſset peccatum; Reſpondent, quòd hæc obligatio bifariam conſideratur, vel quatenus ex Deo eſt in ratione cauſæ quaſi elicientis, & tunc non eſset peccatum; vel quatenus eſt occaſionata ab homine, & tunc verè eſt peccatum, quemadmodum originale peccatum eſt carentia iuſtitiæ originalis cum debito habendi iam; Non quidem quatenus ex Deo eſt, qui negat omnibus huiuſmodi iuſtitiam, ſed in quantum eſt occaſionata per

pec-

Digitized by Google

peccatum primi Parentis; Nam palam eſt pœnitentiã nõ delere peccatum originale, neq; actualia antè Baptiſmum cõmiſſa.

Hæc enim deletio ſolùm debetur Baptiſmo fluminis, flaminis, vel ſanguinis, nec delere peccata venialia, quia illa compati poſſunt cum prima gratia, ſed delere peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa. Quid nobis hac in re probabilius appareat, diximus ſupra diſputando de ratione formali peccati actualis, & habitualis.

Notamus etiam peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, eſſe materiam neceſſariam huius Sacramenti; Non quia ſine illis non poſſit conſiſtere hoc Sacramentum (cum ſola venialia ſufficiant,) ſed qui peccata mortalia neceſſariò ſunt clauibus ſubijcienda, vt remittantur. Peccatum verò veniale licèt non ſit neceſſaria materia, eſt tamen materia ſufficiens. Monemus etiam ad validitatem Sacramentalis abſolutionis deberi præmitti confeſſionem diligentem, integram fidelem, & obedientem. Canoniſtæ, & Caſuiſtæ ſexdecim requirunt in Confeſſione conditiones; ita tamen, vt ex illis hæ quatuor à nobis enumeratę ſint inſeparabiles à Confeſſione, & quaſi eſſentiales illi. Aliæ verò duodecim, ſunt accidentales, & ad melius eſſe. Quaternarium explicemus:

Diligens erit confeſſio, ſi rimulas cordis, & conſcientiæ abdita, cogitationes, verba, operationes ita rimatur, & expendat, vt nihil intactum relinquat. Eamdẽ diligentiam in examine peccatoris exigit Deus, quæ requiritur in reddenda ratione commiſſi officij ad Dominum, ita vt ſi per negligentiam in latebris obliuionis remaneat aliquod peccatum, reus fiat noui peccati, adhibenda eſt, & in alio diligentia; Quærendus namque Confeſſor vir doctus, & pius nulla cenſura, aut pœna Canonica irretitus. Nam qui ſciens, & prudens confitetur Confeſſori indocto, & non verſato in caſibus conſcientiæ, niſi pœnitentis ſcientia illius ignorantiam vincat, vel qui excommunicato, aut irregulari, aut ſuſpẽſo ſua confitetur peccata, nulla eſt omninò eius confeſſio nulla abſolutio, ac proindè iteranda. Integra erit ſi peccata omnia, nullo relicto, Sacerdoti manifeſtet: ſi quoties in idem reciderit peccatum enumerauerit; ſi circumſtantias ſpecies peccati mutantes, non prætermiſerit. Duæ ſunt circumſtantiarum claſſes, quædam enim peculiari præcepto inhibentur quod aliud præceptum ab eo, quo peccatum cõmiſſum prohibetur: vt prohibetur furtum abſolutè præcepto vno, & alio præcepto prohibetur, ne quis ex loco ſacro aliquid auferat; ac proindè non ſatis eſt dicere ego furtum feci, ſed addendum eſt in loco ſacro, & hæ circumſtantiæ ſunt, quæ mutant ſpeciem peccati, vt furtum in loco ſacro, tranſit in ſacrilegium. In ſecunda claſſe reperiũtur illæ, quæ nec mutant ſpeciem peccati, neq; illud augent, vt fractio ieiunij per ientaculum antè auditionem Sacri. Fidelis erit ſi narratur peccatum verbis perſpicuis ſine amphibologia, & æquiuocatione, neminem præter ſe accuſans. Obediens erit, ſi eo animo pœnitens addit Confeſſori, vt monita illius diligentèr auſcultet, & iniuncta humilitate, & ſollicitè adimpleat.

His poſitis: difficultates ſpectantes ad materiam dę abſolutione ſacramentiali, dabimus ſolutas per ſubſequentes Propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Conuenientiſſima, & apta forma huius Sacramenti conſiſtit in iſtis verbis, Abſoluo te.

HAnc Propoſitionem reddit probabiliſſimam vnanimis Theologorum conſenſus; Certiſſimam verò praxis totius Eccleſiæ, & Conciliorum Generalium, Florentinum, & Tridentinum; fauet ratio ex Scoto in 4. diſtinctione 14. queſt: quarta; §. Ex hoc patet ratio, quare, &c. Ratio ſtat in his verbis: Forma Sacramenti pœnitentiæ debet eſſe illa, quæ ſignificat effectum præcipuum, ad quem aſſequendum, inſtitutum fuit Sacramentum, ſicut patet in alijs Sacramentis, quorum formæ ſunt illæ, quæ ſignificant effectum, ad quem fuerunt Sacramenta inſtituta: ſed effectus ad quem inſtituta eſt pœnitentia ſignificatur per illa verba; Abſoluo te; Ergò illa duo verba ſunt forma Sacramenti pœnitentiæ. Minor patet nam effectus præcipuus pœnitentiæ eſt liberatio

Digitized by Google

beratio, & remiſſio peccatorum, qui effectus optimè ſignificatur per verba illa: Abſoluo te.

PROPOSITIO II.

Hæc ſola verba: Ego te abſoluo, ſunt de eſſentia formæ huius Sacramenti.

PVtamus ergò illa verba: Ego te abſoluo eſſe de eſsentia formæ huius Sacramenti, itaut illis prolatis, ſtatim fiat remiſſio peccati, & conferatur gratia. Dubitant nõnulli de veritate noſtræ Propoſitionis, & ratio difficultatis ſumitur ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. & ex Florentino ſeſſione vltima in Decreto Eugenij, vbi dicitur formam huius Sacramenti contineri in his verbis: Ego te abſoluo, &c. Cum ergo addatur, &c. videntur hæ Concilia plura verba velle eſse de eſsentia huius Sacramenti. Et vt certa ab incertis ſeparemus, ſuppono, & colligo ex his Concilijs omnia verba, quæ promitti ſolent à Sacerdote, antequam perueniat ad verba hæc, non eſse de eſsentia formæ Sacramenti.

Secundò pronomen, Ego, expreſsè prolatum, non eſse de eſsentia formæ: quia implicitè iam continetur in verbo, Abſoluo; nec illi nouam ſignificationem addit. Item ſuppono pronomen, Te, ad eſsentiã formę pertinere, de quo neminem vidi dubitare: denotat enim ſubiectum, quod expreſsè ſignificari debet, ſicut & in Baptiſmo nihil efficeret, qui diceret: Ego baptixo in Nomine Patris, &c. niſi adderet pronomen, Te, quia in traditione huius formę, ita ſignificat Chriſtus dicens: Baptizantibus eos, &c. Similitèr dixerit: Quorum remiſeritis peccata, vbi per particulam, Quorum, pœnitentes intelligit in hac forma exprimendos eſse.

PROPOSITIO III.

Illa verba à peccatis, non ſunt de eſſentia forma.

ITA tenet ſanctus Thomas, hic Caietanus in ſumma Verbo abſoluo, Nauarrus de Pœnitentia diſp. 6. cap. 1. D. Antonius 3. part. num. 17. cap. 21. §. 1. Fundamentum pro hac propoſitione eſt, quia ſuppoſita confeſſione peccatorum ſuper quæ cadunt hæc verba. Ego Te abſoluo; Iam ſufficiētèr determinãtur ad ſignificãdũ abſolutionẽ à peccatis; ſi enim Sacerdos vult abſoluere, manifeſtum eſt velle abſoluere ab illis vinculis, quæ Pœnitens coram ipſo confeſſus eſt, etiam ſi alia verba addat; Patet in iudicio humano, in quo audita accuſatione, & tota cauſa rei, ſi Iudex pronunciet illum eſſe immunem, & liberum, ſatis declarat ſuam mentem; Ita ſimilitèr in præſenti.

Confirmatur: Nam, vel illa maior expreſſio, & ſignificatio, quæ fit per illa verba: A peccatis tuis; Eſt neceſſaria ad valorem Sacramenti ex vi inſtitutionis Chriſti, vel non; Si primum: Ergò ſine illis non poteſt conſiſtere hoc ſacramentum, quod nemo docet; ſi non: Ergò etiam ſi addantur verba, non ſunt de eſſentia. Conſequentia per ſe patet: quia eſſentia ſacramenti à voluntate inſtituentis, non ab arbitrio ſacerdotis deſumi debet, nec poteſt deſumi ex Sacerdotis voluntate: quippè ratio eſſentialis deſumi debet ex voluntate inſtituentis; nec poteſt etiam miniſtrare effectum ſacramenti ſuſpendere perfecta, & conſumata ſignificatione eſſentiali formæ: cum ergò ſignificatio huius formæ ſufficientèr conſumetur in his verbis; Ego Abſoluo Te; Non poteſt effectus ſuſpendi ex ſola voluntate ſacerdotis; ſi enim in his verbis: Abſoluo Te, eſt tota eſſentia ſacramenti, cur expectanda ſunt alia, vt effectus producatur? Cum ſacramenta operentur admodum cauſæ naturalis, quæ in eodem inſtanti in quo applicatur, producit effectum.

Hic tamen aduertendum, quod licet hæc verba: A peccatis tuis, explicitè prolata, non ſint de eſſentia; peccaret tamen grauiter ſacerdos, ſi ea omitteret, quia & poneret ſacramentum periculo nullitatis, cum contraria ſententia probabilis ſit, ſaltem ob Doctores, qui eam ſequuntur, & ob id, addiderunt Concilia illam particulam &c. Vel quod magis credo, docuerũt, quod eſt certum, & in alijs abſtinuerunt ab opinionibus Theologorũ. Nota etiam, ſi aliquis diceret; Ego abſoluo à peccatis tuis

Digitized by Google

tuis, validè abſolueretur: quia verba à peccatis tuis æquiualent pronomini, Te. Similitèr colligo, ſi quis abſoluens Regem vrbanitatis gratia diceret: Ego vos abſoluo, vel Epiſcopus authoritate diceret; Nos Te abſoluimus; validum eſſet ſacramentum, nam ex accommodatione vſus, idem ſenſus eſſet; Foret tamen peccatum mortale à conſuetudine Eccleſiæ declinare, vt docuit Caietanus in ſumma verbo abſolutio.

Examinantur nonnullæ difficultates contra noſtras Propoſitiones.

OPponas primo pro Durando: remiſſio peccatorum non fit propriè, & principalitèr à ſacerdote, ſed à Deo; ſacerdos autem ſe habet per modum Miniſtri: ſed in actione Miniſtri, quæ fit nomine agentis principalis, debet exprimi ipſum agens principale: Ergò in abſolutione debet fieri aliqua mentio principalis agentis. Reſpondetur negando Minorem, quam non probat Durandus, niſi adducendo paritatem de Baptiſmo, quæ tamen non valet: nam licèt in Baptiſmo fiat expreſſio Sanctiſſimæ Trinitatis; hoc fit ex ſpeciali ratione huius ſacramenti, in quo fit profeſſio fidei Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ ratio non currit in propoſito, & etiam ex ſpeciali inſtitutione Chriſti; nam quãdo inſtituit ſacramentum Baptiſmi, ipſum inſtituit expreſsè cum inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis; At quando inſtituit pœnitentiam, nec mentionem quidem Trinitatis fecit; Verum quidem eſt ſacerdotes ſolere adiungere hęc verba abſolutioni ſacramentali: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; Et quidem laudabilitèr; tamen non ſunt neceſſaria ad valorem ſacramenti, ſicut nec alia verba, quæ ſolent præmitti, vt: Dominus noſter Ieſus Chriſtus, &c. Et alia, quæ ſolent adiungi, vt: Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Oppones ſecundò: forma cuiuſcunque ſacramenti debet eſſe determinata in ordine ad ſignificandum effectum ſacramẽti, & non debet eſſe indifferens, ambigua, aut æquiuoca, tàm reſpectu effectus ſacramenti, quàm alicuius alterius non pertinentis ad ſacramentum: ſed illa verba sũt indifferentia ad plures effectus: Nam non ſolum abſoluitur quis à peccatis, ſed aliquando etiam à cenſuris, vt ab excommunicatione, vel ſuſpenſione; Ad quod ſignificandum, tam apta ſunt illa verba, ſicut ad ſignificãdum abſolutionem à peccatis: Ergò illa non ſunt ſufficientia, niſi adiungantur alia, quibus auferatur indifferentia; videlicet: A peccatis tuis; nam forma ſacramenti debet cadere ſupra determinatam materiam, vt patet, in omnibus alijs ſacramentis: nam in Baptiſmo non ſufficit dicere: Baptizo in Nomine Patris, &c. niſi addatur Te, & ad conſecrationem non ſufficit dicere: Hoc eſt corpus, niſi addatur meum. Reſpondetur diſtinguendo minorem: illa verba ſunt indeterminata abſolutè, & quantum eſt ex ſe tranſeat; eo modo quo ſolent proferri, negatur: determinantur enim per confeſſionem ipſius pœnitentis ad quem refertur oratio abſoluentis; Pœnitens enim confitetur peccata, & petit abſolui ab illo à quo cognoſcit ſe eſſe ligatum; cùm autem cognoſcat ſe ligari peccatis, & hoc in iudicio exprimat: Iudex ferens ſententiam per verbum abſoluo, ſufficientèr ſignificat abſolutionem cadere ſupra ſubiectam ſibi materiam: quemadmodum ſi aliquis peteret à ſummo Pontifice indulgentiam, dicendo: Indulgentiam ſeptem annorum Beatiſſime Pater: Si Pontifex reſponderet, concedimus, nihil aliud dicendo, ſufficientèr intelligeretur loqui de indulgentia, quamuis verbum, concedimus, eſſet indifferens ad ſignificandam conceſſionem indulgentiæ, vel conceſſionem mille aureorum. Si ergò in propoſito, quando Pœnitens dicit ſe peccaſſe, Sacerdos, dicendo abſoluo Te, non poteſt de alio intelligi, quàm de abſolutione à peccatis. Adde falſum eſſe, quod forma cuiuſcumque Sacramenti debet eſſe determinatiua materiæ talis ſacraamenti, hoc enim plerumque eſt falſum: nam forma Baptiſmi nõ determinat aquam. Hinc patet pronomen Ego, non eſse de neceſſitate huius Sacramenti; nam ly abſoluo ſufficientèr ipſum importat.

Oppones tertiò, Concilia Florentinũ, & Tridentinum inſinuãt alia verba neceſſariò requiri ad valorem huius Sacramenti præter prædicta: dicunt enim expreſsè

forma

Digitized by Google

forma abſolutionis conſiſtere in iſtis verbis: Abſoluo te; ſed particula, &c. aliquid aliud importat in omni loquutione; Ergò ex Concilijs requiruntur alia verba. Huic difficultati iam ſupra fuit à nobis reſponſum.

Solent alij reſpondere per particulã,&c. non indicari aliqua verba, quæ pertineãt ad valorem Sacramẽti, ſed referendã eſſe ad alia verba deprecatoria, quæ communitèr adiungi ſolent formæ. Alij dixerunt per illam particulã indicari alia, quæ addi ſolent, non quidem de neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum gratia maioris expreſſionis, videlicèt à peccatis tuis. Nobis neutra iſtarum reſpõſionum videtur ſufficiẽs; Non prima, quæ refert illam ad preces, ſeù ad orationes ſubſequentes; etenim Concilium expreſsè facit mentionem illarum precum: poſtquam enim dixit formam conſiſtere in illis verbis, Abſoluo te, &c. ſubiungi hæc verba, quibus quidem de Eccleſię Sanctę more preces quędam laudabilitèr adiunguntur; ad ipſius tamen formæ eſsentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſsariæ. Particula autem, &c. nec debet, nec ſolet ex communi vſu referri ad aliquod, quod expreſsè ipſam ſequitur, ſed debet referri ad aliquod non expreſsam, ſed omiſsam maioris breuitatis gratia. Ergo cum Concilium expreſsè faciat mentionem illarum orationum, quæ adiungi ſolent abſolutioni Sacramentali, non poterit particula, &c. ad illas referri. Secunda reſponſio ſoluit hãc difficultatem, ſed aliam patitur, nam Cõcilium ibi intendit tradere doctrinam de forma, quæ eſsentialitèr, & neceſsariò requiritur ad valorem Sacramenti, & conſequentèr omnes illæ particulæ: Abſoluo te, &c. vdentur æqualitèr pertinere ad integritatem Sacramenti; Cum autem ſecundùm reſpondentes, ly, à peccatis, non pertineant ad eſsentiam, aut integritatem Sacramenti, non poteſt dici, quòd illa particula,&c. referatur ad illam aliam. Quòd autem Tridentinum intenderit per totam illam orationem incluſiuè aliquod verè, & eſsentialitèr requiſitum ad formam ſacramentalem patet ex verbis immediatè ſequentibus: Nam cum dixit, Abſoluo te, &c. requiri ad formam Sacramenti, poſteà loquendo de illis alijs orationibus adiũgi ſolitis, dicit ipſis nõ pertinere ad eſsentiã formæ, quibus verbis ſupponi videtur, quod totum, quod comprehendit in prima oratione, tàm quo ad expreſsa contenta in ipſo Textu, quàm quoad illa, quæ indicantur per ly, &c. pertineat ad eſsentiam formæ.

Reſpondetur ergò probabile eſse Concilium per illam particulam, &c. indicare non aliquod, quod ſpectat ad illam numero formam, quam ibi præſcribit: Nam ſic valdè diminutè procederet in materia doctrinali, cũ non poſset cõſtare quidnam eſset illud, &c. ſeù ad quod deberet referri, nec aliquod extraneum, aut impertinens ad rationem eſsentialem formæ, vt vult ſecunda reſponſio propter rationes contra ipſam adductas, nec preces, aut orationes, vt patet ex rationibus adductis contra ſecundum. Per illam ergo particulam indicat alias etiam formas eſse ſufficientes, & æquiualentes illi formæ, de quibus controuerti ſolet inter Theologos, vt: remitto; condono tibi peccata: ſis abſolutus: abſolueris à me, & ſic de quibuſcumque verbis, quibus ſacerdos ſignificaret ſeuerè exercere actum iudicialem, ita quod particula: etc. denota omnes alias formas æquiualentes: et hæc explicatio, ſi ſoluat proprietatem locutionis tollit orationem difficultatem.

Viſa ergò ſufficientia illius formæ, alia difficultas occurrit examinanda, videlicèt, vtrum non ſolum illa forma ſit ſufficiens, ſed etiam ſit ita neceſsaria, vt alia non ſufficeret; Et ſuppono controuerſiam non eſse de alijs formis conſtantibus, æquiualentibus omninò verbis, et idem ſignificantibus, quòd ipſa: Certum enim eſt tales ſufficere, vt communitèr ſupponunt Theologi, ſed difficultas eſt: vtrum forma deprecatoriè, et non iudicatiuè prolata, ſit ſufficiens: vt ſi quis diceret. Indulgeat tibi Deus: Deus te abſoluat, etc.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Forma per modum deprecationis, vel impetrationis, inualida eſt, & inſufficiens.

FVit tempore Diui Thomæ, vt ipſe refert opuſculo 22. cap. 1. Auctor quidam, qui dicebat ſacerdotem non debere vti hac forma: Abſoluo te, ſed per modum deprecationis: Abſoluat Te Deus, & ob id præmittendam eſſe orationem: Miſereatur tui Omnipotens Deus, &c. Et tum dicit; Ego te abſoluo, ſolùm oſtendere illum eſſe abſolutum, per abſolutionem inferiorem; quam ipſe oratione illa impetrauit. Talem ſententiam damnat Sanctus Thomas, vt temeraria; & reuera, vt erronea damnari poteſt: quia Concilium Florentinum aſſignat pro forma huius Sacramenti hæc verba: Egò te abſoluo, & idem docet Tridentinum locis citatis. Bona eſt ratio, quam aſſignat Diuus Thomas, & colligitur ex dictis: nam Sacerdos verè habet poteſtatem abſoluendi, & remittẽdi peccata, & verè abſoluit; verè ergò poteſt dicere: Ego te abſoluo. Accedat ratio pro noſtra propoſitione, eamquè aſſignat Sanctus Thomas in opuſculo: Sacramenta nouæ legis efficiunt, quod ſignificant; Si autem Sacerdos vteretur forma deprecatoria non oſtenderet ſe abſoluere à peccatis, ſed impetrare, vel petere abſolutionem ab alio; Vndè Sanctus opponit diſcrimen inter poteſtatem datam Apoſtolis ad ſanandos infirmos, & ad tollenda peccata, quod illa erat gratia gratis data, non ad ſanandum, ſed ad impetrandam ſanitatem; Hęc autẽ eſt ad tollenda verè peccata, non verò ad impetrandã remiſſionem; Quod tamen Caietanus, & Sotus intelligunt regularitèr loquendo; Aliquando enim etiam auctoritatiuè, & imperatiuè ſanabant Apoſtoli, vt cum dixit Petrus: Quod autem habeo tibi do, ſurge, & ambula. Hæc ratio non videtur ſatis efficax; nam etiamſi Sacerdos forma impetratoria vteretur, verè diceretur abſoluere, Nam Sacramento extremę vnctionis ſacerdos vero confert gratiam, & tamen vtitur forma deprecationis, & impetrando ſignificatiuè, quod facit: Ergò licèt ſacerdos forma deprecationis vteretur, verè abſolueret. Nec ualet reſpondere in extrema vnctione dari ſpęcialem effectum, ſcilicèt ſanitatem corporis, quam non ſemper infallibilitèr operatur, ſed quãdo vult Deus, & ita oportet vti modo deprecatorio. Nihil enim valet, nam primarius effectus, ſcilicèt gratia ſemper datur per hoc ſacramentum, & tamen dicitur illam verè ſacerdos, & ſi vtatur forma deprecatoria, & quando ſequitur ſanitas corporis, verè etiam dicitur ſacerdos dediſſe illam. Præterea licèt Apoſtoli regularitèr orationibus, et precibus curarent, dicebantur tamen habere poteſtatem curãdi iuxtà illud Matthæi 10. Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eijcerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem; Et Marci cap. 3. et Lucæ cap. 10. Dedit illis virtutem, et poteſtatem, vt languores curarent, et qui oratione ſuſcitat mortuum, dicimus illum ſuſcitaſſe, Ergò etiam ſi ſacerdos oratione, et precibus impetraret, verè diceretur habere poteſtatem abſoluendi, et vere abſoluere. Ratio à priori eſt: quia qui precibus aliquid alicui impetrat, eſt verè cauſa eius, ſaltem moralis, et ita verè dicitur effectũ illum operatum eſſe, imò etſi defendamus Sacramenta operari ſalutem animæ: per modum inſtrumenti phyſici ſecundum aliquos Doctores, poſſet Sacerdos vti forma deprecatoria, vt patet ex ſacramento extremæ vnctionis, quod ratione inſtrumenti phyſici, ſicut alia ſacramenta in hac ſententia, et tamẽ forma deprecatoria eſt. Melior ergò recentioribus probatur ratio deſumpta ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. vbi dicit Chriſtus reliquiſſe ſacerdotes Præſides, et Iudices in hoc foro, et audita cauſa ſententiam pronuncient. Sit ergo argumentum: hoc ſacramentum inſtitutum eſt per modum iudicij, et ſententiæ latæ à legitimo Iudice: ſed ſententia repugnat, vt feratur modo deprecatorio, quinimò debet perferri modo indicatiuo, vel iudicatiuo: Modus enim deprecatiuus pugnat cũ abſolutione eſt enim abſolutio formalitèr actus authoritatẽ exercẽtis; deprecatio verò eſt actus ſupplicãtis, qui autem ſupplicat oſtendit ſe poteſtatem abſoluẽdi nõ habere, quinimò ab alio gratiã abſolutionis expectare; Ergò forma deprecatiua pugnat cũ abſolutione. Ex dictis colligo eadem verba in ſenſu deprecandi dicta, inualida eſſe, et inſufficientia

dicta tamen in modo, & ſenſu imperandi, valida eſt: vt ſi Sacerdos imperantis modo diceret; Abſoluatur Petrus, ſicut dicunt Greci in Baptiſmo: Baptizetur ſeruus Chriſti. Ratio eſt, quia per talem formam ſufficientèr explicatur poteſtas Iudicis, & effectus abſolutionis: ſemper enim Sacerdos ſe gereret tamquam ſuperior, & Iudex; & alia verba continent ſententiam à Iudice latam eſſe: Ergò forma valida. Concludimus ergò, quod abſolutio ſacramentalis ad hoc, vt ſit valida, neceſſariò debet proferri modo iudicatiuo, & per modum ſententiæ, ſeu actus iudicialis, & alter fiat; erit nulla. Confirmatur ipſa doctrina ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi definit abſolutionem ſacerdotis non habentis iuriſdictionem, ſeù latam in non ſubditum, nullius eſſe roboris: ſed non poteſt aſſignari ratio, ob quam neceſſariò requireretur iuriſdictio in Sacerdote, niſi quod abſolutio eſt actus iudicialis; nam ad exercitium nullius alterius actus requiritur, quod exercens illum ſit Iudex, ſeu habeat iuriſdictionem; neque enim habens iuriſdictionem magis poteſt orare, aut deprecari pro ſubdito, quàm ſubditus pro ipſo; ergò cum ſecundùm Tridentinum omnis abſolutio, vt ſit valida debeat eſſe Iudicis in ſubditum, ſequitur manifeſtè nullam eſſe validam, quæ non ſit actus iudicialis, huiuſmodi non eſt deprecatoria: deindè effectus remiſſionis peccati præmittitur Sacerdotum ſententiæ, nō precibus. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Confirmatur; nam de facto ſequeretur communitèr, quod antequam ſacerdos proferret illa verba: Abſoluo te, abſolueret pœnitentem, & ita fruſtra proferret ipſa; patet ſequela; nam his verbis præmitti ſolent: Miſereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. quod ſi verba deprecatoria ſunt ſufficientia, proculdubio iſta remitterent peccata ſtatim, ac proferuntur. Nec valeat aliquorum reſponſio dicentium Sacerdotem tunc non habere intentionem, donec proferat verba formæ conſuetæ: nam communitèr ſacerdotes habent intentionem abſoluendi, ex quo incipiunt audire confeſſionem, quod ſi poſtea interrupta fuerit illa intentio, in ipſo actu Cōfeſſionis, non refert, nec impedit quominus verum conficiat Sacramentum, quando profert formam ſufficientem: nam talis intentio ſufficit ad valorem Sacramenti.

Oppones locutiones aliquorum Patrū dicentium remiſſionem peccatorū adſcribendam eſſe Sacerdotum orationibus; Et Leo Papa dicit non alitèr peccata remitti, quàm ſupplicationibus Sacerdotum. Reſpondetur, formas plurium Sacramentorum dici à Patribus aliquando orationes, ſeù preces: Non quod reuera ſint orationes, ſicut illæ, quibus communitèr aliquid petere ſolemus, ſed quia frequentèr verba dicta, ordinata ad cultum Diuinum, ſeù ad collationem gratiæ, vocātur orationes: nec multùm curandum eſt, cur orationes dicantur, nam ſufficit ipſa conſuetudo, & communis modus loquendi.

Oppones ſecundò, Ritū Eccleſię Orientalis, nàm vtitur forma deprecatiua: aliqui enim ex ipſis vtuntur hac forma: Domine Ieſu Chriſte, qui dediſti nobis poteſtatem, abſolue Petrum à peccatis ſuis: Item Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui dedit Apoſtolis ſuis poteſtatem; quæ per illos tranſit ad nos, abſoluat te, ſeù condonet tibi peccata tua. Reſpondetur talem formam nullum conficere ſacramentum: Nec Græci ſiſtunt in illis verbis, ſed ſolent ſubiungere alia iudicatiua, et abſoluta, videlicèt: Et ego poteſtate mihi tradita à Deo, ſeù à Superioribus meis, te abſoluo, qui modus nō eſt alienus, ſed valdè conformis noſtro ritui; non ergò obſtat valori Sacramenti, quod aliqua verba deprecatoria præmittuntur formæ.

PROPOSITIO V.

Abſolutio ſub conditione de futuro nulla eſt.

SVppono vt certum abſolutionem datā cum conditione de præterito, vel de præſenti validam eſſe, vt ſi diceret Sacerdos: Si peccaſti ego te abſoluo; aut, Si doles, ego te abſoluo; nàm iſta conditio non ſuſpendit actum, nec voluntatem abſoluendi actu. Declaratur; nam vel illa conditio fuit re ipſa, vel eſt iam poſtea, vel non; ſi non, deſtruitur intentio Miniſtri, et non eſt Sacramentum, quia volūtas

ſub

ſub conditione, non exiſtente conditione, nulla eſt; Si autem conditio eſt poſita, intentio tranſit in abſolutam, & tàm abſoluta eſt, ac ſi non eſſet conditio adiuncta, vt cum dico: Si non eſt baptizatus ego te baptizo, validus eſt baptiſmus, poſito, quod non ſit baptizatus, non debet tamen Sacerdos vti his cõditionibus ſine cauſa vrgente, aut probabili. Difficultas ergo tãtùm eſt de conditione de futuro, vt ſi dicatur: Ego te abſoluo ſi reſtitueris, vel hoc, aut illud feceris. Noſtram propoſitionem probat Caietanus: quia non eſt in poteſtate Miniſtri ſuſpendere effectus Sacramenti in tempus futurum. Ratio iſta titubat: debuiſſet enim aſſignare rationẽ, cur non poſſit, quando ipſa verborum forma propter conditionem oppoſitam, ita videtur poſtulare; non enim ſignificat effectum abſolutè, ſeù ſub conditione. Sit ergò altera ratio: Sacramentum non poteſt fieri ſine voluntate Miniſtri de pręſenti, & efficaci, ſed talis conditio tollit voluntatem de præſenti, & efficacem, ergò, &c. Maior eſt certa: Cum enim Sacramẽtum à voluntate efficaci Miniſtri dependeat, nequit hic, & nunc fieri ſacramentum abſque voluntate efficaci Miniſtri volentis conficere ſacramentum; Minor verò patet: nam, qui dicit: Ego te abſoluo ſi reſtitueris, idem eſt, ac ſi diceret: Ego te abſoluam cum reſtitueris; Ad id enim apponitur illa conditio in contractibus, & conſenſibus, ſcilicèt ad ſuſpendendum conſenſum, donec res in conditione poſita eueniat: probo à ſimili eſſe ſenſum hunc: nam ob id Doctores in materia de matrimonio docent hanc formam: contraho tecum ſi pater conſenſerit, nullam eſſet, quia talia verba ſub prædicta conditione ſignificant, non conſenſum exiſtentem, & de præſenti, ſed in conſenſum de futuro, & ob id, poſtea poſita conditione debet repeti conſenſus, vt matrimonium ſit validum; ergò voluntas abſoluendi ſub conditione de futuro non eſt ſufficiens ad abſolutionem, & effectum eius, quia reuera non eſt voluntas præſenti, & exiſtens, ſed futura, poſita conditione; nihil ergò operatur tunc, ſicut in ſimili propoſito conditionalis, nihil ponit in eſſe; ergo, & voluntas conditionalis, vt ſic nihil operatur; debet ergò ſemper eſſe abſoluta, vel inabſolutam tranſire.

PROPOSITIO VI.

Conditio de futuro, neceſſario, & infallibilitèr certa, non impedit valorem Sacramenti.

NOſtrę Propoſitionis veritas probatur ex poſitione omnium requiſitorum, & oblationum incompoſſibilium cum valore eius: poſito enim omnium requiſitorum ſupponitur tàm ex partè Miniſtri, quã ex parte pœnitentis. Probatur altera pars de negatione omnium incompoſſibilium: nàm nihil ponitur pręter iſtam conditionẽ de futuro, ſed hæc ex ſuppoſitione, quod futura ſit, non impedit, ergò. Probatur minor à paritate conditionis de præſenti, ſeù de præterito, quæ ſecundùm ipſos aduerſarios non impedit Sacramentum; ergò nec conditio de futuro neceſſario, futura cuiuſmodi eſt: Abſoluo te, ſi Chriſtus venerit ad iudicandum. Probo conſequentiam, nam ideò illæ conditiones non impediunt ſecundùm ipſos aduerſarios, quia ſubſiſtunt tunc; nec poteſt aliter contingere, quàm, quod fuit, vel eſt, fuerit, vel ſit, quam, quod illud, quòd neceſſario futurum eſt, ſit futurum: Ergò non minus abſoluta erit propoſitio alligata conditioni iam poſitæ, quàm neceſſario futuræ.

Dices diſparem eſſe rationem de cõditione de pręſenti, aut de pręterito iam poſita, ac deponenda profuturo: nam quãdo dico: Abſoluo te, ſi es viuus, vel ſi reſtituiſti bona aliena; iam vita eſt re ipſa exiſtens, & reſtitutio facta, & ſic abſolutio erit valida; At quando dico: Abſoluo Te ſi Antichriſtus eſt futurus, tunc Antichriſtus non eſt ſecundum ſuam exiſtentiam, ergò non eodem modo propoſitio conditionata de futuro, debet verificari, ac cõditionata de præſenti, vel præterito. Contra: Eatenus poſitio conditionis de præſenti, vel de præterito requiritur ad valorem ſacramenti, ſeù adhoc vt illa locutio ſit abſoluta, quatenus poſitio ipſius requiritur ad veritatem proportionis; nam non neceſſariò requiritur ad valorem Sacramenti, quod Pœnitens iam actu reſtituerit, ſed ſufficit, quod habeat propoſitum reſtituendi: Ergò actualis poſitio, ſeù

ſeù præteritio talis cōditionis eſt omninò impertinens ad valorem formæ, niſi ad veritatem abſolutionis, ſeù propoſitionis vſi opponitur, ſed tam verum eſt, futurum neceſſariò eſſet ponendum, quam præteritum eſſe poſitum, vel præſens actu eſſe: Ergo tàm abſoluta, quàm efficax; erit propoſitio cōditionata de futuro, ac propoſitio cōditionata de præſenti, vel præterito. Quando enim dico: Abſoluo Te ſi Chriſtus venerit ad iudicium, ſenſus non eſt, quod tunc Te volo abſoluere, quando Chriſtus actu iudicauerit, tunc enim nihil facerem, ſed ſenſus eſt. ſi verum eſt, quod Chriſtus ſit iudicaturus in die iudicij, Ego nunc Te abſoluo; Quæ propoſitio ſanè tā abſoluta eſt, ac quæcumque alia, ſiue de præſenti, ſiue de præterito; ſicut tam verum eſt, quod Chriſtus ſit iudicaturus, ac quod illa conditio de præterito, ſit iam adimpleta, ſeu de præſenti actu exiſtens.

Opponi ſolet contra hanc concluſionem, quod omnis propoſitionis conditionatæ de futuro veritas dependeat à poſitione conditionis, quando autem pronūciatur abſolutio ſacramentalis ſub tali cōditione, conditio nondum poſita eſt; Et quando ponitur, poſtea, tunc abſolutio antecedens non poteſt habere ſuum effectum. Putamus tamen hoc fundamentum nullius eſſe valoris: quippè falſum eſt veritatem illius propoſitionis dependere à poſitione conditionis, ſed ſolum à veritate futuritionis eius. Vndè exiſtimamus abſolutionem datam cum tali conditione alligari ipſius conditionis poſitionis, conſequentèr quidem loquatur dum negant ipſam eſſe validam; Vndè controuerſia videtur de nomine inter ipſos, & affirmātes eſſe validam; Nam ſi ipſi putarent talem locutionem quoad ſuam veritatem non reſpicere ad ipſam poſitionem conditionis, ſed ad veritatem futuritionis eius, puto ipſos admiſſuros veritatem eius eſſe omninò abſolutam, & efficacem, ſicut è contra nos diceremus, quod ſi eius veritas dependeret à poſitione conditionis, numquàm ſortiretur effectus, vndè ſola controuerſia eſt circa ſenſum talis abſolutionis: an videlicèt hæc propoſitio: Abſoluo Te, ſi Antichriſtus eſt futurus, faciat hunc ſenſum: Abſoluo te pro tunc, quādò Antichriſtus fuerit, ſi futurus ſit; an verò faciat hunc ſenſum; ſi Antichriſtus eſt futurus, quandocumque futurus ſit, Ego iam Te abſoluo, intendens te ex nunc eſſe abſolutum; ſed ſi Antichriſtus non ſit futurus, non intendo Te abſoluere. Nos autem contendimus propoſitionem habere hunc ſenſum, & hoc ex proprietate ſermonis, & ex communi modo loquendi ad quem ſemper recurrendum eſt pro deciſione talis controuerſiæ. Quod ſi aliquis præter communem modum loquendi vellet vſurpare aliquam propoſitionem ſiuè ex eo, quod exiſtimaret in tali ſenſu communitèr intelligi ab alijs, ſiuè ex eo, quod ipſe vellet ſibi fingere nouum modum ſecundum quem dirigeret ſuam intentionem contra communem modum aliorum, licèt in tali caſu limitaretur ſenſus propoſitionis ſecundum intentionem particularem loquentis, non ſequeretur ipſam non eſſe veram, & abſolutam communitèr. Dices etiam ſecundum communem modum loquendi propoſitiones cōditionatas de futuro, quo ad ſuum effectum, & valorem dependere à poſitione conditionis in eſſe, ergò, &c. Probatur, nām ſi aliquis diceret. Dò tibi Equum, ſi exercitus Imperatoris reportauerit victoriam de Inimico craſtina die, quamuis à parte rei imperiales ſint futuri victores pro die ſequente, tamen non intelligitur dominium Equi translatum in alium, donec poſt factam victoriam: Ergo propoſitio conditionata de futuro, non eſt vera, donec ponatur re ipſa conditio. Reſpon. negando conſequentiam, nam non ex eo, quod illa propoſitio non fuerit abſolutè vera ante partam victoriam per Imperatorem, non transfertur dominium Equi in alium, ſed ex eo, quod nondum conſtat de furitione conditionis, & ſic ille cui promittitur Equus non poteſt procedere contra dantem, quia non poteſt probare ſuum Ius, ſic nec alius poteſt diſponere de equo ipſum vendendo, aut alteri dando, vtriuſque enim ius eſt ambiguum, ſicut, & euentus: ſed ſi reuera Imperator viceret, ille in illo inſtanti quo dans dixit: Dò tibi equum ſub tali conditione, fit verus Dominus equi; Vnde poſt partam vi-

victoriam, non opus eſt, vt alter faciat aliam donationem.

Quantum ad alias conditiones de futuro, de quorum euentu non poteſt nobis conſtare donec re ipſa eueniant: An reddant abſolutè inualidam necnè; communitèr tenent Theologi talem abſolutionem eſſe inualidam. Secluſa tamen auctoritate, non apparet, & quo capite inualidaretur ex ſuppoſitione, quod tales conditiones rem obſtante earum contingentia, ſint abſolutæ, & determinatæ futuræ. Quod ſi quis diceret nullam propoſitionem de futuro contingenti eſſe determinatè veram, poſſet dicere abſolutionem cum tali conditioni non valere: nam eius veritas dependeret à veritate futuritionis alicuius, quod non habet veram futuritionem, & ita daret aliquam diſparitatem inter abſolutionem cōditionatam de futuro contingenti, & abſolutionem cum conditione certò, & infallibilitèr futura: nam talis conditio, vt patet, eſt iam in determinatione certa cauſarum, & eius futuritio eſt tam certa, ac quodcumquè aliud in rerum natura. Relinquendo tamen hāc communem ſententiam cum ſua probabilitate, quam maximè, vel & ſolo Theologorum auctoritate accipit; Placet hanc aliam ſententiam veritatis examinādæ gratia ſtabilire. Præmittendo primò nonnulla documenta.

Primum eſt nos ſupponere cum communi, quod omnium poſſibilium, ſeù futurorum, ſeù contingentium, ſiuè neceſſariorum; verum eſt de quolibet, quod erit, vel quod non erit; ita quod ſi aliquod contingens hodie ponatur, de tali fuit ſēper vera propoſitio affirmans eius futuritionem. Supponimus ſecundò Deum habere ſcientiam, ſeù viſionem cuiuſcumque. His, ſuppoſitis cum communi ſententia.

Probatur hæc particularis hoc diſcurſu: nihil poteſt aſſignari, quod inualidet talem abſolutionem, niſi, vel, quod ſit conditionata, vel quod dependeat à conditione de futuro, vel, quod illa conditio ſit contingens: ſed nihil horum impedit: Ergo abſolutio erit valida. Probatur minor, & primò, quod non ex eo, quod ſit conditio nata abſoluta. Patet: nam ſecūdum omnes, conditionata de præſenti, vel præterito iam poſitis, non impediunt valorem ſacramenti; nam ex eo, quod ſit de futuro vt patet ex antece[de]ntibus, & concedunt plures ex aduerſa[ri]js. Probatur tertia pars in qua eſt tota difficultas: nam, quod illa conditio ſit contingens, non facit quominus abſolutio ſit vera, & per ipſam exerceatur verus actus iudicialis; ergò erit valida. Conſequentia patet ex terminis: nam nihil requiritur ad valorem formæ, niſi quod ſit vera, ſeù, quod verba, quibus profertur ſignificent remitti peccata, ſeù conferre gratiam, dummodo reliqua concurrant, vt intentio Sacerdotis, & actus Pœnitentis. Probatur antecedēs: nam propoſitio conditionata, eatenus nō eſſet vera quatenus ipſa conditio non haberet determinatam veritatem: ſed ex doctrina ſuppoſita contingentia alicuius futuri non facit quominus verè futurum ſit: ergò eius contingentia non facit, quod propoſitio cui opponitur non ſit determinatè vera. Probatur ſecundò idem antecedens: nam aliæ propoſitiones conditionatæ de futuro contingenti, ſunt veræ in omni rigore; ergò contingentia conditionis appoſitæ abſolutioni, nō facit quominus ſit vera. Probatur antecedens, nam iſtæ propoſitiones ſunt veræ; Si benè operatus fueris, & mandata Dei cuſtodieris, recipies mercedem, vitam æternam; ſi peccaueris, pœnam, &c. Quibus propoſitionibus opponuntur conditiones contingentes, & dependentes à noſtro libero arbitrio, & tamen propoſitiones ſunt non ſolum veræ, ſed etiam de fide; ergò cōtingentia conditionis appoſitæ alicui propoſitioni, non obſtat eius veritati.

Dices: licèt contingentia conditionis in ſe conſiderata nō impediret, impediret tamen, quia nec Sacerdoti, nec Pœnitenti poteſt cōſtare de veritate futuritionis eius; requiritur autem, vel, quòd vtrique, vel alterutri conſtet determinatè de veritate futuritionis conditionis. Malus diſcurſus, & ſine fundamento: nam ſuppono, quòd ſacerdos det abſolutionem cum conditione de præſenti, vel de præterito, de cuius conditionis poſitione non cōſtat, aut pœnitenti, aut ipſi ſacerdoti, vt ſi daret abſolutionem ſub his conditionibus: ſi es viuus, ſi es baptizatus, ſi es filius Petri, &c. In talibus caſibus poſſit contingere, quod

quod neutri ipſarum conſtaret de poſitione conditionis, vt patet; & tamen abſolutio ſub aliqua, ſeù ſub quacumque ex iſtis conditionibus eſſet valida, poſita ipſa conditione, etiam ſecundùm ipſos Aduerſarios: Ergò, quod veritas, conditionis contingentis de futuro adimplendæ conſtet, aut Sacerdoti, aut Pœnitenti, eſt omninò impertinens ad valorem ſacramenti, ſed ſufficit, quod abſolutè ſit futura cõditio, vel ſoli Deo conſtet de eius futuri cõditione. Oportet autem, quod Deus ipſam ſciat, non ſolum ex ratione communi, ſed etiam propter peculiarem rationem, quæ eſt in propoſito ad producẽdam gratiam; nam cum productio gratiæ, ſeù remiſſio peccati ſit proprium opus ipſius Dei, & illi effectus dependeant ex futuritione illius conditionis, ſi neſciret Deus an futura eſſent abſolutè redderetur perplexus, & non concurreret, cum verbis Sacerdotis ad productionem gratiæ; quia alligauit productionem gratiæ intentionis ipſius Sacerdotis; cum autem intentio ſacerdotis ſit conficere ſacramentum cum dependentia ad illam conditionem futuram, & quod ſi non eſſet futura, non haberet intentionem ipſum conficiendi; ſi Deus neſciret eius futuritionem, non determinaretur ad cauſandum gratiam.

Secluſo ergò communi Doctorum cõſenſu; nullam video diſparitatem cur abſolutio conditionata de præſenti, aut de præterito eſſet valida, & non de futuro, ſeù cur conditionata de futuro neceſſariò eſſet potius, quàm de futuro contingenti, & liberè ponendo. Dices talem abſolutionem non eſſe actum iudicialem, & conſequentèr eſſe inualidam. Conſequentia optima eſt; tamen aſſumptum difficultèr, aut nullo modo probari poteſt, niſi petendo principium, dicendo, actũ iudicialem neceſſariò debere eſſe abſolutum ab omni conditione; hoc autem, præterquamquod eſt petitio principij; eſt falſum etiam ſecundum ipſorum Aduerſariorum doctrinam: nam abſolutio conditionata de præſenti, vel futuro, non eſt minus actus iudicialis, quàm illa, cui nulla opponitur conditio; Et non eſt minus conditionata, quàm conditionata de futuro, ſiuè neceſſariò, ſiuè contingenti, & tamen ſecundum omnes Aduerſarios, conditionata de præſenti, & præterito, eſt verè actus iudicialis, & ſecundum plures ex ipſis conditionata etiam de futuro neceſſariò.

Dices ſecundò: poteſt contingere caſus in quo abſolutio daretur ſub conditione de futuro, & quod quamuis poneretur conditio, non ſortiretur effectum: ſed nõ eſt maior ratio, cur ita contigeret in vno caſu, quam in omnibus: Ergò ſi vna erit nulla non obſtante poſitione conditionis, quæcumque erit nulla. Probatur maior formando talem caſum; Abſoluat ſacerdos ſub hac conditione: Abſoluo Te ſi prima propoſitio, quã dixeris fuerit vera; ſin minus, non intendo Te abſoluere. Dicat tunc: Tu non me abſoluiſti; ſi hæc propoſitio eſt vera, non poteſt pœnitens eſſe abſolutus, cum tamen conditio ſub qua Sacerdos abſolutionem intendit, ſit pòſita; Ergò falſum eſt abſolutè abſolutionem conditionatam de futuro, etiam poſita futuritione conditionis eſſe validam.

Reſpondetur imprimis, ad veritatem propoſitionis abſolutè non eſt neceſſariũ, quod abſolutio data ſub quacumque cõditione, & in quocumque caſu poſſibili, ſit valida, ſed ſufficit, quod in vno tantùm caſu ſit valida: Controuerſia enim eſt; vtrum abſolutè poſſet ſtare validitas abſolutionis cum conditione de futuro cõtingenti; Quod ſi in vno tantùm caſu poſſent ſtare ſimul, hoc ſufficit ad veritatem propoſitionis affirmantis talem abſolutionem eſſe validam; nam per hoc ſolum dicitur, quòd non neceſſariò inter ſe pugnãt abſolutio valida, & conditio de futuro contingenti, non autem dicitur, quòd neceſſariò, & in quocunque euentu, in quo conditio eſſet vera, abſolutio etiam eſſet valida, & hoc dicendo, inſtantia non facit contra propoſitionem.

Quantum autem ad illud caſum in ſe, probabilius eſt, talem pœnitentem eſſe abſolutum; nam opponens conditionem, & intendens verificari ſuam propoſitionẽ per veritatem conditionis, non intendit aliquam conditionem, cuius poſitio deſtrueret veritatem ſuæ propoſitionis, alioquin intenderet contradictoria: ſed hoc ipſo, quod intendat ſuam propoſitionem eſſe veram ſub aliqua ratione, debet cenſeri

ſeri, excludere omnem conditionem deſtructiuam talis veritatis; Cum autem illa propoſitio; Tu non me abſoluis ſit deſtructiua iſtius; Ego te abſoluo, qui intendit veritatem huius poſterioris ſub aliqua conditione, non determinando hanc, aut illam conditionem, ſine dubio non intendit, ſed excludit quamcumque conditionem incompoſſibilem cum veritate ipſius, nam non poteſt habere intentionem verè abſoluendi ex ſuppoſitione, quod verum ſit, quod non abſoluat; nam hoc eſſet intendere abſoluere ſimul, & nõ abſoluere; Qui caſus eſt immaginarius, nũquam reducibilis ad praxim.

PROPOSITIO VII.

Abſolutio Sacramentalis non poteſt dari perſonæ abſenti, & ſi detur nulla erit.

NON defuerunt Doctores, & plures, & graues, qui cenſuerunt in caſu aliquo neceſſitatis poſſe cõfeſſionem abſenti ſacerdoti fieri, & ab eodem abſente abſolutionem dari. Ita opinati ſunt Paludanus, Petrus de Soto, Medina, Adrianus, Nauarrus, Diuus Antoninus, Riccardus, & Enriquez citati à Vaſquez. q. 91. art. 4. dub. 2. num. 1. Noſtra tamen propoſitio eſt communis inter Theologos huius temporis: illam defendit Scotus in 4. diſ. 17. §. ad argumenta, verſic. quilibet ergò, verbis illis; Igitur abſens expectet præſentiam, cum propoſito confitendi, ea habita, illam tuentur Sotus, Toletus, Valentia, Vaſquez, Suarez, &c.

Oppoſita ſententia fuit damnata à Clemente Octauo in die 19. Iulij Anni 1602. ſub his verbis, Sanctiſſimus Dominus noſter, &c. re maturè, ac diligentèr conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicèt licere per literas, ſeù inter nuntium Confeſſario abſenti peccata ſacramentalitèr confiteri, & ab eodem abſente abſolutionẽ obtinere, ad minus, vt falſam, temerariã, & ſcãdaloſam damnauit, ac prohibuit, præcepitq; ne vnquam tanquã in aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim, quouis modo deducatur. Adiunxit excommunicationem ipſo facto incurrendam, & ſibi reſeruatam contra violantes hoc decretum, &c. Variè probari ſolet ab Auctoribus noſtra propoſitio. Aliqui ipsã probant ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 2. vbi loquens de inſtitutione huius Sacramenti, ſic ait; Ante hoc tribunal tamquam reos (loquitur de pœnitentibus) ſiſti voluit, ſupplet Chriſtus, vt per ſacerdotum ſentẽtiam ab admiſſis peccatis poſſent liberari. Sed hæc auctoritas, niſi aliundè conſtaret de veritate propoſitionis, parum, aut nihil probaret; nam poſſet pœnitens dici ſiſtere ſe antè hoc tribunal, licèt ipſe perſonalitèr non compareret, ſed per Nuntium Procuratorem, vel ſcripturam. Deindè ſuppono, quod pœnitens præſens cõfiteatur ſua peccata, ſed differatur abſolutio ex aliqua rationabili cauſa; in tali caſu, verum eſſet, quod ſiſteret ſe, & perſonalitèr antè hoc Tribunal, quod ſolum dicit Concilium; Cur ergò non poſſet poſteà per literas abſolui? quod ſi fieri poſſet, adhuc ſaluaretur veritas Tridentini.

Secundò probari ſolet à paritate aliorũ ſacramentorum, quæ nonniſi præſentibus perſonalitèr adminiſtrari poſſunt; præter matrimonium, quod ſecundum communẽ ſententiam inter abſentes contrahi poteſt. Hæc ratio non videtur firma; Cur enim potius paritas reliquorum ſacramentorum probaret in hoc ſacramento requiri præſentiam Miniſtri, & ſuſcipientis, quàm paritas matrimonij probaret nõ requiri. Nec ſufficit pro diſparitate, quod ab aliquibus aſſignatur, videlicèt, matrimonium, iam antea fuiſſe verum contractum, & ſemper ſeruare naturam cõtractus phyſici, & quod Chriſtus nihil circa ipſum mutauerit; Nam hoc idem diceret Aduerſarius de pœnitentia, quod ſcilicèt inſtituta ſit per modũ iudicij, & Tribunalis, in quo reus debet ligari, vel abſolui per ſententiam iudicis; Et ita quòd ſequatur naturam, & normam iudicij politici, in quo ſententia Iudicis in abſente lata, eſt rata, & valida. Paritas deindè aliorum Sacramentorum facilè ſolui poteſt, nam in alijs Sacramentis, cum de ipſorum eſſentia ſit, quod materia ipſorum applicetur phyſicè ſuſcipienti, & huiuſmodi applicatio nõ poſſit fieri à Miniſtro, niſi præsẽte; tamẽ sẽtẽtia poteſt ferri in abſente; hinc poſſet dici, quod in reliquis requiratur pręſentia, licèt nõ in hoc.

Poteſt

Poteſt ergò deſumi ratio pro noſtra propoſitione ex veritate formæ, præcipuè ex illo pronomine, Te, quod præcipuè perſonam pręſentem deſignat: quia eſt pronomen demonſtratiuum ad ſenſum; ergò circa rem abſentem verificari non poteſt. Confirmatur, nam in materia de Euchariſtia nequit panis abſens conſecrari: Quia pronomen, Hoc, eſt demonſtratiuum ad ſenſum, & ſic ſignificat rem ſenſibilitèr præſentem: ſed pronomen, Tę, etiam eſt demonſtratiuum ad ſenſum, ergo circa rē abſentem verè, & propriè poteſt ferri. Præterea ſi pronomen, Te, mutaretur in aliud ſignum, quod ſignificet perſonam abſentem, vt ſi diceret: Ego abſoluo illum, nihil efficeret, ſicut nihil efficit dicens: illud eſt corpus meum, quia pronomen, illud, ſignificat rem abſentem: cum tamen pronomen hoc in eſſentia formæ contemptum dirigatur ſolùm ad rem præſentem: ergò cum pronomen te, contemptum in forma eſſentiali ſignificet rem præſentem, nequit ſalua veritate forma ad Pœnitentem abſentem ex intētione Sacerdotis dirigi; ergò debet Pœnitens, vt præſens ex vi formæ ſignificari. Dices: loco pronominis, Te, poteſt poni nomen propriū Pœnitentia ſcilicèt, Ego abſoluo Petrum; tunc autem abſolutio dirigitur propriè, & formalitèr ad abſentem. Confirmatur, quia pronomen Te, materialitèr ſumptum, non eſt de eſſentia formæ: iſta enim forma valida eſſet: abſoluo Petrum (ſi abſoluatur Petrus:) ergò eneruatur multū illa ratio noſtra fundata in pronomine Te, Reſpondetur, licèt pronomen, Te, materialitèr ſumptum, & ſub hac voce, non ſit de eſſentia, vt conuincit ratio facta; tamen ſignum aliud, aut nomen, quod loco eius ponitur, debet illi æquiualere in ſignificatione; Quare, ſicut, Te, ſignificat Pœnitētem præſentem, ita omne aliud ſignum, aut nomen, in quod mutatur, debet ſignificare Pœnitentem præſentem, ſaltem ex circumſtantijs, hoc autem probo: nam ex Eccleſia habemus hanc formam (Ego te abſoluo) tamquam eſſentialem; ergo ex vi formæ ſignificatur præſentia Pœnitentis; Ergò vt ſaluetur ſenſus eſſentialis formę, in qua vis forma ſub quibuſcumque verbis prolata, debet requiri, aut ſignificari præſentia pœnitentis, alias talis forma non eſſet æquiualens formæ, quàm, vt eſſentialem recipit Eccleſia, atq; adeò nulla eſſet: Cum ergò in forma, quam Eccleſia, vt eſſentialem amplectitur, ſignificetur Pœnitens, vt præſens, ita, & in omni alia: quare ſi iſta forma valet, abſoluo Petrum, ideò eſt, quia ſuppoſita confeſſione, quam coram me fecit hic, & nunc iam ſufficientèr denotatur perſona Pœnitentis.

Oppones cōtra noſtram propoſitionem factum Sancti Thomæ Cantuarienſis, de quo legitur, quod ſcripſerit ad ſummum Pontificem, pro abſolutione, & eam obtinuiſſe, de quo facto dubitare videtur Suarez, dicens, ſe neſcire vbi Scotus inuenerit illam hiſtoriam, quam tamen ipſe, nūquam vidit. Reſpondetur tamen Sanctum Antiſtitem ita fuiſſe, quod præter Scotum teſtantur alij plures, & præcipuè Surius in vita præfati Sancti; Tamen illa abſolutio, non fuit Sacramentalis, ſed ſolum per modum Indulgentiæ, aut ab aliqua: Cenſura Eccleſiaſtica, de qua fortè dubitauit, & petijt abſolutionem pro cautela, quod ſæpiſſimè fit.

Obijci etiam ſolet factum Diui Cypriani libro primo 17. refert ſe rogatum fuiſſe per Epiſtolam, à quodam, pro abſolutione. Reſpondetur hoc nihil obſtare: Nam Diuus Cyprianus loquitur ibi de quibuſdam lapſis à fide, qui poſteà pœnitentia ducti per interceſſionem quorumdam martyrum petebant abſolutionem à Diuo Cypriano, vt communitèr volunt Auctores non fuit ſacramentalis, ſed quædam quaſi reconciliatio externa ad communionem fidelium, vel dato, quod fuerit ſacramentalis, ſanctus non dicit ſe miſiſſe abſolutionem, licèt alij petierint, ſed id cōmiſiſſe quidam Diacono, vel Presbytero, qui eos reconciliaret.

PRO-

PROPOSITIO VIII.

Neceſſaria ſunt verba propriè dicta ad formam Sacramenti Pœnitentiæ, itaut nec ſcriptura, nec ſignum aliquod ſenſibile exprimens intentionem de abſoluendo, ſufficiat ad hoc Sacramentum.

HAnc partem defendit maior pars Theologorum cum Magiſtro in 4. diſt. 14. Diuo Thoma 3. parte quæſt. 84. art.3.& Scotus in 4.d.14.q.4.vbi definiens Sacramentum pœnitentiæ, docet eſſe abſolutionem certis verbis prolatam. Noſtra hæc propoſitio fundatur in Concilijs: nam Florentinum in decreto Eugenij expreſsè docet formam huius Sacramenti eſſe verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te abſoluo, & Tridentinum ſeſſ. 14. q. 3. ita ſcribit; Docet præterea Sancta Synodus ſacramenti pœnitētiæ formam in illis verbis Miniſtri poſitam eſſe: Ego abſoluo te: Accedat ratio, nam Chriſtus Dominus ſacramentum Pœnitentiæ inſtituit ſicut alia nouæ legis ſacramenta: ſed aliorum ſacramentorum forma (vno Matrimonio dempto ex communi traditione Eccleſiæ) ſita eſt in verbis propriè dictis, vt omnes fatentur: ergò forma Sacramenti pœnitentiæ ſita eſt in verbis propriè dictis. Nec valet ſi dicas Chriſtum Dominum non aſſignaſſe verba ſed ſolùm dixiſſe inſtituendo pœnitentiā; Quodcumque ligaueris ſuper terram, &c. Quorum remiſeritis, &c. Ergò ſignum eſt Chriſtum Dominum voluiſſe verba propriè dicta neceſſaria non fore. Hoc non valet, quia nec in ſacramento baptiſmi expreſſit Chriſtus verba, quæ ſunt formæ baptiſmi; nam in Iordane baptiſmus inſtitutus fuit, & nullum verbū protulit Chriſtus, ſed ſolus Ioannes baptizauit; & tamen, quia adeſt decretum Conciliorum, communis traditio Eccleſiæ, & conſenſus antiquorum, omnes fatentur, ad formam baptiſmi verba propriè dicta neceſſaria eſſe: Ergò ſimilitèr, quia de hoc Sacramento Pœnitētiæ adſunt Decreta Cōciliorum: traditio Eccleſiæ, Antiquorum conſenſus vtentiō verbis in hoc Sacramēto, dicendum cenſeo, quod licèt Chriſtus verba nō aſſignauerit, eſſe tamen neceſſaria ad formam ſacramenti Pœnitentiæ, & non ſufficere ſcripta, vel ſignū aliquod ſenſibile exprimens intentionem Miniſtri de abſoluendo pœnitentē; vndè concludimus, quod de eſſentia ſacramenti pœnitentiæ ſit, quod eius forma proprijs verbis, & voce humana proferatur.

Paludanus in 4. d.17.q.2. art.1. Medina, Petrus Soto, Nauarrus, & Io:de Medina arbitrantur non eſſe neceſsaria verba propriè dicta ad formam huius Sacramenti, ſed ſufficere ſignum aliquod externū, quo exponatur intentio Miniſtri de abſoluendo, vtpotè, ſcriptura, vel nutus. Ratio huius poſitionis à priori eſt: quia Sacramentum Pœnitentię inſtitutum fuit per modum iudicij emandatiui, ergo nihil eſt de eſſentia pœnitentiæ, quod non ſit de ſubſtantia iudicij forenſium; ſed non eſt de eſsentia iudicij, quòd ſententia voce humana proferatur, ſed ſufficit ſcriptura, qua intentio Iudicis manifeſtatur; ergò ad formam ſacramenti pœnitentiæ, non ſunt neceſsaria verba propriè dicta. Confirmatur à ſimili in Confeſſione, in qua non eſt neceſsarium peccata verbis proferre, ſed aliquando ſufficiunt nutus ad iudicialem accuſationem. Tùm in Matrimonio, in quo non ſunt neceſsaria verba, ſed ſufficiunt nutus externi exprimentes contrahentium mutuos conſenſus: Ergò ſimilitèr in Sacramento Pœnitentiæ non ſunt neceſsaria ſimplicitèr verba propriè dicta; ſed ſufficiunt ſcripturæ, vel nutus, quibus oſtendatur intentio de abſoluendo Pœnitentem.

Motiua tamen iſta non æquiualent noſtris rationibus, quibus fuit probata noſtra propoſitio. Vndè ad rationem fundamentalem reſpondeo negando primam conſequentiam, nam licèt pœnitentia ſit verū iudicium, tamen eſt iudiciū ſpeciale, ſpecialitèr à Chriſto Domino inſtitutū, ideoquè habet ſpeciales conditiones, quæ non inueniuntur in iudicio forenſio, & humano; nempè, quod idem ſit accuſator, & reus & quod non ſufficiat ſcriptura, vel nutus, ſed neceſsaria ſint verba propriè dicta ad eius formam. Ad confirmationem reſpōdemus ex diſcrimine inter matrimonium, & ſacramentum Pœnitentiæ, & abſolutionem, & accuſationem. Accuſatio ſe tenet

net ex parte materiæ, & abſolutio ex parte formæ, quamobrem non requiritur tàm expreſsa peccati attentio per cõfeſſionem, ſicut requiritur remiſſio per abſolutionem, & in matrimonio noluit Chriſtus verba propriè requiri, benè tamen in sacramento pœnitentiæ; & hoc patet ex traditione Eccleſiæ, & communi conſenſu Antiquorum. Oppones, Confeſſio poteſt fieri per ſcriptum in præſentia Confeſſoris, ideſt dando illi peccata ſcripta, & dicendo, hæc commiſi, & de illis me accuſo, aut ſimilia verba; ergò ſimilitèr poteſt dari per ſcriptum abſolutio. Antecedens fatetur Scotus in 4. d. 17. §. ad argumenta; verſiculo quilibet ergò, verbis illis, niſi confitens ſit præſens, quando per ſcriptum confitetur; quod & communitèr fatentur. Reſpondetur negando paritatem, quia alitèr diſpoſuit Chriſtus Dominus de Cõfeſſione, ac de abſolutione, vt conſtat ex praxi Eccleſiæ, & Tridentino, atque ex Eugenio Quarto. Imò ſic diſponi, ſatis conueniebat: quia datur aliquando caſus, in quo nequit fieri confeſſio, niſi nutibus, aut per ſcriptum (vt patet in mutis, & in illo, qui repentè amiſit loquelam) nullus autem datur caſus ad abſoluendum ſcripto; aut nutibus. Dices contingere poteſt, quòd quando pœnitens, ſtatim vita diſceſſurus, adimplet Confeſſionem, Confeſsarius ammittet ſubitò loquelam; ergò tunc foret neceſsarium abſoluere nutibus aut per ſcriptum. Reſpondetur caſum eſſe rariſſimum, & fortè metaphiſicum. Spectat autem ad prouidentiã Dei diſponere, ne ſic contigat, ſicut dicunt Theologi poſſe contingere, quod prædeſtinatus moriatur in culpa mortali; quia tamen Deus illum prædeſtinauit, ſpectat ad eius prouidentiam diſponere, ne ſic contingat, aut tunc ſaluare pœnitentem per contritionẽ, ſine confeſſione in re; Et ſi ſolum ſit attritus, aut damnabitur in pœnam ſuorũ peccatorum, aut Deus, cuius omnipotentia non eſt alligata sacramentis illum ſaluabit vtendo potentia abſoluta.

DIFFICVLTAS.

Vtrum abſolutio informis ſit valida.

INformis dicitur illa, quæ in ſe eſt ſufficiens, & verum complet, & perficit sacramentum; tamen non habet effectum in ſuſcipiente ex defectu diſpoſitionis requiſitæ. Plures Moderni tenent poſſe abſolutionem eſſe informem, & ipſa verum confici sacramentum abſq; eo, quod Pœnitens recipiat eius effectus. Verior tamen eſt pars oppoſita: etenim ad hoc, et forma sacramenti verum conficiat sacramentum, neceſſariò requiritur intentio in sacerdote. Confeſſio in pœnitente, & dolor, ſeu contritio de peccatis, cum propoſito non peccandi, quod ſi aliquid ex ipſis defuerit, sacramentum perfici nequit. Cum autem omnia iſta ſunt, impoſſibile eſt, quod non ſequatur effectus sacramenti: nihil enim aliud aſſignabile eſt, à quo dependeat, neque ex inſtitutione diuina, neque ex traditione Eccleſiæ; Vndè querere; vtrum poſſit dari abſolutio valida informis, eſt querere; vtrum poſſit eſſe verum sacramentum, & ſimul non eſſe.

Dices sacramẽtum baptiſmi poteſt validè conferri abſq; eo, quod cauſet, gratiam in batizato, ergò & pœnitentia. Reſpondetur negando conſequentiam; Baptiſmus enim habet alium effectum præter gratiam, aut remiſſionem peccati; imprimit enim characterem; at pœnitentia nullum habet effectum, præter remiſſionem peccati, aut collationem gratiæ, & per hoc nõ eſt eadem ratio de ipſa, ac de baptiſmo. Oppones; Extrema vnctio nullum habet effectum prçter collationem gratię, & remiſſionem peccati, & tamen poteſt validè adminiſtrari abſque eo, quod cauſet gratiam; Nam ſuſcipiens ipſum in peccato mortali ſine vllo dolore, verum ſuſcipit sacramentum, ſed non gratiam; ergò, quod cauſet, vel non cauſet gratiam eſt omninò impertinens ad valorem sacramenti. Reſpondetur diſtinguendo conſequens; ſi ponãtur omnia eſſentialia requiſita ad eius valorem, concedo; ſi nõ, nego. In sacramento autem extremæ vnctionis nihil reperitur requiſitũ ad eius ualorem, præter ipſam unctionem, & uerba cum inten-

Digitized by Google

intentione Miniſtri; Nec nullus actus ipſius infirmi ingreditur eius cōſtitutionem. Non ſic autem de pœnitentia: nam tàm neceſſariò requiritur dolor in pœnitente de ſuis peccatis, ac requiritur intentio, ſeù prolatio formæ ex parte miniſtri, & ſic tã negatio talis doloris in pœnitente impedit eius valorem, ac defectus intentionis. Dices verum eſſe requiri dolorem de peccatis ad valorem sacramenti, ſed non quemcumq; ſufficientem ad eius valorem ſufficere ad eius effectũ, ſeù ad cauſationem gratiæ. Contra, nam hoc gratis dicitur: quia neque ex inſtitutione Chriſti, neq; ex traditione Eccleſię colligitur, quod aliquis dolor ſufficiens ad valorem sacramenti, non ſit etiam ſufficiens ad collationem gratiæ, ſed potius colligitur oppoſitum: nam Tridentinum agens de hac materia ſolum docet requiri contritionem, Confeſſionem, ſatisfactionem, & abſolutionẽ, & dicit dolorem etiam imperfectum, nempè, Attritionem, ſufficere cum hoc sacramento ad cauſandam gratiam, nec vllam diſtinctionem ponit inter illum dolorem, qui ſufficeret ad eſſentiam sacramenti tantùm; & illum, qui ſufficeret ad eſſentiam ſimul, & effectum ipſius. Nec etiam Florentinum vllius talis diuerſitatis meminit; vndè gratis omninò, & abſque vllo fundamento aſſereretur; vndè abſolutè verum eſt neminem vmquam recepiſſe sacramentum pœnitentiæ re ipſa, abſque eo, quod recipiat gratiam ſanctificantem; quo fit, vt illa abſolutio communitèr informis dicta, nihil ſit, præter merum figmentum.

Oppones: ſi aliquis diſpoſitus cum ſũmo dolore de peccatis accederet ad Confeſſarium, & integrè confiteretur ſua peccata, cum propoſito efficaci non peccandi, & abſoluta Confeſſione ſuorum peccatorum, peccaret mortalitèr antequam Sacerdos ipſum abſolueret; iſte talis verè ſuſciperet sacramentum, & tamen non reciperet gratiam: cum ſit incompoſſibilis cũ peccato denuò commiſſo, ergò hoc sacramentũ poteſt eſſe validũ, licèt abſolutio ſit informis. Probatur prima pars antecedentis; ſecunda enim de ſe eſt euidens: nam ille in tali caſu confiteretur ſua peccata, haberet dolorem ſufficiẽtem, & propoſitum non peccandi impoſterum, nec requiritur, quod ille dolor continuetur, & phyſicè maneat, donec re ipſa perficiatur sacramentum; nàm ſi diſtraheretur aliquãtulum, quando ſacerdos proferret formã, talis diſtractio non impediret valorem Sacramenti. Ex alio autem capite ſuppono ſacerdotem habere intentionem ipſum abſoluendi: nihil enim aliud requiritur ad valorem sacramenti Pœnitentiæ; ergò talis reciperet sacramentum informe, non verò gratiam. Reſpondetur negando antecedens quoad primam partem. Ad probationem dico ipſum iam retractaſſe dolorem, quem habuit, & abieciſſe animum, quem habuit de non peccando, quando actu peccauit; Non enim poteſt dici, quod quis habeat propoſitum non peccandi, quando actu peccat. Ad illud, quod dicitur, quod non eſt neceſſe, quod ille animus ſemper phyſicè duret; verum quidem eſt, ſed oportet tamen, quod moralitèr maneat, vel ſaltem, quod non phyſicè retractetur per animum oppoſitum, vt contingit in caſu poſito.

Digitized by Google

DISPVTATIO XII.

Diſputatur de Satisfactione.

TANTÆ molis, & difficultatis, eſt doctrina de ſatisfactione, vt de ea diſputari neceſſariū iudicem ab ouo, quod aiunt, incipere elucidationem. Ac proindè, antequam ſatisfactionis natura, eiuſque qualitates explicentur, præcedant, oportet nonnulla documenta de iniuria, & de reſtitutione.

EXPLICATIO VOCVM.

Satisfactio eſt redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti.

ADdit ſatisfactio ſacramentalis per opera laborioſa, quæ ſint in compenſationem pœnæ Purgatorij. Duplex eſt ſatisfactio, vna communis, ſeù generica: altera partis, ſeu ſpecifica, quæ ſacramentalis nuncupatur. Quantum ad primam ea explicatur primis verbis noſtri documenti. Eſt itaque ſatisfactio in communi redditio, quod ponitur tamquam genus, cui duæ ſubduntur ſpecies, ſcilicèt ſatisfactio, & reſtitutio. Satisfactio ſacramentalis dicitur redditio; quia in quolibet peccato, furtum committimus: eſt enim furtum retentio alienę rei inuito Domino, retinet enim omnis peccans inuito Deo ſuam gloriam, de qua ipſe teſtatur: gloriā meam alteri non dabo. Additur voluntaria voluntate iuſtitiæ, ſed in voluntaria affectione commodi, ſicut alias de pœnitentia diximus. Dicitur æquiualentis, vel ſecundùm rigorem iuſtitiæ, vel ſecundùm acceptationem illius, cui fit ſatisfactio. Additur aliàs indebiti, vel quod abſolutè, & ſimplicitèr debitum non ſit, vel quia ex benignitate illius, cui fit ſatisfactio, quamuis reuera illi debeatur, & tamquàm debitum poſſit illud exigere, tamen ſuo iuri cedens, tamquàm indebitum, & gratis oblatum accipit. Hæc omnia ſunt de intrinſeca ratione ſatisfactionis, ſacramentalis, quæ Deo fit, neque his tamen contenta eſt, ſed exigit ſatisfactio ſacramentalis vltra, vt illud æquiualens indebitum, ſit opus pœnale, & laborioſum valdè, vndè opera bona laborioſa dicuntur ſola ſatisfactoria, quæ cum quaſi innumera ſint, reducuntur tamen ad tria, ieiunium; eleemoſynam, & orationem. Enumerat Concilium Tridentinum ea omnia, quibus ſatisfieri Deo poteſt; ſeſſ. 14. cap. 9. docet tantam eſſe munificentiæ Diuinæ largitatem, vt non ſolùm pœnis ſpontè à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patientèr toleratis, apud Deum Patrem per Ieſum Chriſtum ſatisfacere valeamus. Ex communi tamen Theologorum ſententia, iudicandum eſt præſcriptas à Confeſſore pœnitentias eſſe inter opera ſatisfactoria maioris virtutis, & efficaciæ, ſi ſcilicèt ſacerdos condignam peccato imponat pœnitentiam, quam tenetur imponere, & pœnitens acceptare; ſunt enim hæc duo correlatiua. Qua ratione autem teneatur pœnitens acceptare, dicam inferius. Audiant Confeſſores quid illis in Concilio Tridentino præcipiatur ſeſſ. 14. cap. 8. debeant ergò Sacerdotes Domini quantùm ſpiritus, & ſapientia ſubiecerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere, nè ſi fortè peccatis conniuunt, & indulgentius cum pœnitentibus agant leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Reſtitutio eſt rei alienæ acceptæ, vel retentæ inuito Domino, cui debetur reſtitutio. Opponitur reſtitutio directè furto, quod eſt retentio rei alienæ inuito Domino; melius deſcribi non poteſt quam per redditionem rei alienæ. Haberi autem poteſt res aliena iniuſtè; vel quia accipitur, vel quia retinetur, vel quia accipitur, & retinetur. Quomodocumque fiat, mederi

Digitized by Google

deri huic malo non poteſt, quàm per reſtitutionem, & redditionem. Neceſſitatem iſtam eſſe de iure Diuino, ac proindè totam Eccleſiam Dei, nec ſummum Pōtificem, neque Imperatores, aut Reges diſpenſare poſſe, & liberare hominem à reſtitutione, qui rem alienam retinet; omnes fideles, & catholici docent: ſed in redenda ratione iſtius neceſſitatis non conueniunt inter ſe Doctores, nec tamen eorum diſcordia, aliquid minuit de obligatione reſtitutionis. Nos contenti ſumus vnica ratione ab omnibus laudata, & probata, & dicimus formalem rationem obligationis, & neceſſitatis ad reſtitutionem eſſe ceſſationem peccati, quæ ceſſatio ita intrinſeca eſt remiſſioni peccatorum, vt impoſſibile ſit remitti aliquod peccatum, niſi prius is, qui peccauit, ceſſet, non ſolum ab huiuſmodi peccato, ſed etiam ab omni occaſione inducente tale peccatum: ſed qui rem alienam detinet, aut accipit, tamdiù eſt reus furti, quamdiù perſeuerat in huiuſmodi acceptione, & ſemper appellabitur fur, & latro, donec per reſtitutionem Dominus rem ſuam accipiat: ergò ſi non fit reſtitutio, non ceſſatur à peccato; ergò Deum illudit, & blaſphemus, atque impius apud Deum eſt, qui veniam à Deo petit detentionis rei alienæ cum voluntate amplius retinendi eam, quæ voluntas vſq; ad reſtitutionem durat. Non me late nonnullos Hæreticos fuiſſe, qui vel negant omninò eſſe neceſſariam reſtitutionem, vel vt docet Guido, duplici modo à reſtitutione liberabāt. Primo, quia eas, qui tenebantur reſtituere; oleo vngebant. Secundò obligabant, vt partim aliquam pecuniæ, vel alterius rei, furto, aut alio modo oblatæ ſibi darent, & ſic eos abſoluebant. Error certè in fide: dicitur enim ad Rom. 13. reddite omnibus debita; Matt. 22. reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Quod ſi dicatur Dominum in hoc caſu eſſe irrationabilitèr inuitum: quia ſecundum leges charitas debet præponere bonum ſpirituale proximi ſuo bono corporali: ergò cum videat proximum nolle reſtituere, tenetur relaxare illi debitum ne ſit cauſa, vt ille committat peccatum mortale. Reſp. ordinem illum charitatis eſſe ſub præcepto tantùm in duplici capite. Primò, quando illud incumbit ex officio. Secundò quando eſt neceſſarium ſimplicitèr alteri: in hoc autem caſu neutrum contingit, tum enim ille poſſit reſtituere, & non velit; ex malitia ſua hoc facit, non autem ex neceſſitate; & quando alius peccat ex malitia, non teneor præponere bonum ſpirituale illius meo bono corporali; quia ipſius culpa eſt, ſi non reſtituit. Hac eadem ratione ſi vir iuſtus inuadatur à ſiccario, & poſſit ſe defendere occidendo inuaſorem, non tenetur permittere ſe occidi, vt alius non damnetur: quia alius ſua culpa ſe poſuit in has anguſtias, & ſic de alijs caſibus ſimilibus: alioquin viri iuſti in magnas argutias redigerentur ab impijs, & ſceleratis.

Vt habeamus notitiam iniuriæ. Moneo quod tot modis poteſt accipi iniuria, quot accipitur iuſtitia; nam tot modis dicitur vnum oppoſitorum, quot & alterū; cum ergò iuſtitia accipiatur, primo pro complexione omnium virtutem, ſeù pro virtute ipſa in ſuo primo conceptu ſumpta: ſecundò pro ſpeciali, & diſtincta quadam virtute Cardinali; hinc fit vt iniuſtitia, & ſumatur prima pro omni vitio, ſeù peccato, ita vt omne vitium, & peccatum ſit iniuſtitia ex eo, quod ſecum afferat, & conſtituat inæqualitatem cum regula rectæ rationis, & cum lege. Secundò pro habitu, vel actu vitioſo oppoſito habitui, vel actui iuſtitiæ; quamuis enim iniuſtitia; videatur importare vnam tantum negationem iuſtitiæ, tamen præter eā negationem, importat qualitatē realē, quæ ſit, vel habitus realis vitioſus inclinans ad ſedendum ius alterius, vel actus, quo actualitèr leditur alterius ius. Item monemus iniuſtitiam habitualem duplicitèr accipi poſſe; pro primò pro ea qualitate reali diſponente ad actus vitioſos lędendi ius alterius. Secundò pro peccato habituali iniuſtitiæ relicto ab actu iniuſtitiæ, vel etiam ab omiſſione, quā lædi poteſt ius alterius. In primo ſenſu iniuſtitia eſt vitium; in ſecundò ſenſu eſt peccatum; in primo ſenſu eſt realis qualitas; in ſecundò eſt tātùm quid reale morale habituale relictum ex actu poſitiuò, vel negatiuo iniurioſo, quo quis tranſacto tali actu dicitur formalitèr peccator peccato iniuſtitiæ, donec priorem voluntatem reuocet, & ſa-

& ſatisfaciat tàm Deo, quàm parti læſæ, ſi poteſt. Tandem monemus, quod etſi iniuſtia, & iniuria ſæpè confundantur, & ſumantur pro eodem ſi loquamur de actu iniuſtitiæ: videri tamen eſſe differentiam aliquam: nam iniuſtitia eſt ipſe habitus, vel actus violandi ius alterius; iniuria autem quamuis ſumi poſſit pro tali habitu, vel actu, & potius pro actu; tamen ea ſumi poteſt pro violatione poſitiua alieni iuris, quæ ſe tenet ex parte obiecti, quo ſenſu dicitur alter alteri feciſſe iniuriam; quia cauſauit violationem, & inæqualitatem iuris, quæ inæqualitas eſt oppoſita æqualitati, qua eſt iuſtitiæ obiectum. Concludo, quod iniuſtitia eſt habitus, vel actus quo ius alterius violatur: nam cum iniuſtitia ſit habitus, vel actus oppoſitus habitui, vel actui iuſtitiæ, debet deſcribi per violationem iuris alieni, quod iuſtitia conſeruat. His ſtantibus deſcendamus ad noſtra documenta.

DOCVMENTVM I.

Volenti non ſit iniuria.

ITA Philoſophus cum ſuis. Ratio eſt, quia illi non fit iniuria, cuius non violatur ius: ſed eius, qui volens patitur aliquod detrimentum, non violatur ius; ſiquidem ius, quod vnuſquiſque habet aliquid non patiendi, eſt ius id non patiendi contra voluntatem, vt conſtat inductione facta per omnia iura, quare ius alicuius numquam violatur, dum aliquis patitur quidpiam volens, ſiquidem nihil contra ius ſuum patitur, proindeq; illi nõ fit iniuria. Confirmatur: iniuriam pati, eſt vim pati: ergò vt repugnat aliquem volentem pati violentiam (cum voluntariũ, & violentum repugnent) ita repugnat vt aliquis volens patiatur iniuriam: nimirum violentum eſt, quod fit ab externo principio paſſo non conferente, ſed potius retinente; ergò iniurioſum eſt, quod fit non volente, ſed repugnãte paſſo; hinc ita ſcribit Philoſophus 5. Ethicorum cap. 9. *Læditur igitur aliquis ſua ſponte, patiturq; iniuſtum, ſed iniuriam nemo ſua ſponte patitur.* Hoc argumento probat Philoſophus eiuſdem libri cap. 11. non poſſe hominem à ſe ipſo iniuriam pati: quia quidquid homo à ſe ipſo patitur, id totum patitur ſua ſpõte. Confirmatur. quia qui volens conſentit; cedit ſuo iuri, illudque à ſe abdicit, & ipſum ponit in arbitrio alterius: ſed qui ita cedit ſuo iuri, non poteſt propriè pati iniuriam, ergò, &c. Dixi, propriè: quia quamuis patiatur damnum, non patitur tamen rationem iniuriæ formalitèr. Minorem oſtendo. Primò, quia iniuria eſt violatio iuris alieni: ſed ius, cui alter ceſſit ſua ſponte, & quod à ſe abdicauit, non eſt ius alienum, ſeu non cenſetur eſſe ius alterius. Tum quia ideo nullus patitur iniuriam à ſe ipſo: quia ſi quis ſibi damnum inferret, id faceret, non inuitus, ſed volens, & cedens, ergò, &c. Accedat altera ratio: ſicut ſe habet violentia ad ſubiectum naturale, non intellectuale; ita iniuria ad ſubiectum morale intellectuale: ſed ſubiectum naturale non patitur violentiam, niſi inclinatione naturali reluctante, & reſiſtente (nam violentum iuxta Philoſophum eſt, quod fit à principio extrinſeco nullam vim cõferente paſſo, ſcilicèt paſſo repugnantes): ergò ſubiectum intellectuale in genere moris non patitur iniuriam, niſi nolens. & reluctans: eſt enim iniuria quædam moralis violentia iuris. Adde: qui violat filiam conſentiente Patre, non facit Patri iniuriam: qui lædit ſeruum conſentiente Domino, non facit Domino iniuriam; ergò ad rationem iniuriæ propriè dictæ, requiritur, quod ille cui fit iniuria, ſit inuitus, & nolens.

Oppones, ſi quis occidatur volens, aut ſi aliena Vxor, ipſa, & Marito conſentiẽtibus, aut ſi Virgo ſtuprum patiatur volens; patiuntur iniuriam; ergò fieri poteſt iniurias volenti. Addè quamuis pupillus ſpontè conſentiat ſine vlla coactione, & cedat ſuo iuri in rem ſuam, maximè ſi ſit res mobilis; nemo tamen poteſt illam ſibi vſurpare: quia iniuriam faciet pupillo; ergò poteſt quis volens, pati iniuriam; cõſequentia patet; probatur antecedẽs; quia ſi vſurparet eo modò rem pupilli, teneretur ad reſtitutionem; quia lex pupilli donationem, vel iuris ceſſionem, redit inualidam. Confirmatur diſcurſus exemplis: qui deſlorat Virginem conſentientem, facit iniuriam eius parenti: qui percutit Clericum conſentientem, incurrit excommu-

Digitized by Google

municationem Canonis, ideò quia ipſi facit iniuriam; ergò incuria ſtat cum conſenſu. Adde, Chriſtum,& Martyres iniuriam paſſos eſſe à perſecutoribus, & interfectoribus, quamuis voluntariè propter Dei amorem pœnas, & mortem ſubſtinuerint; ergò volenti poteſt fieri iniuria.

Ad primum, nego antecedens, primò quia ius, quod habent, eſt nè patiantur inuiti: ergò dum volentes patiuntur, nihil contra ius ſuum patiuntur. Dicimus ergò tum poſſe fieri iniuriam volenti, & conſentienti, quando non poteſt cedere ſuo iuri,ſicut pupilius non poteſt: quia leges, talem ceſſionem reddũt irritam. Rem clariorem reddemus notando,quòd pupillus habeat quaſi duas voluntates, vnam naturalem, quæ eſt naturalitèr, & intrinſecè libera, & quà dum vult, poteſt conſentire ſpontè, & in damnum proprium, & cedere ſuo iuri:altera eſt voluntas quaſi moralis, & ciuilis, vel potiùs eſt ipſa naturalis voluntas, non conſiderata, vt eſt principium naturale liberũ eo modò quo diximus, ſed conſiderata cum habititudine ad legem ciuilem, cui ciuilitèr,& moralitèr eſt alligata; cum ergò in caſu propoſito voluntas pupilli ſit alligata moralitèr, & ciuilitèr legi ciuili vitanti, & irritanti pupilli donationem, & ceſſionem, qua cedit ſub iuri; indè fit, vt pupillus quamuis voluntate naturali,liberè ſuo iuri cedat, non cenſeatur tamen voluntate ciuili cedere ſuo iuri, ac proinde cenſetur ex hac parte nolens, & inuitus; quia nolente, & inuita lege, cui eius voluntas eſt ſubordinata, & alligata, cõſentit in proprium damnum: ideò dixi: nemo volens, vt volens patitur iniuriam: nam quamuis pupillus naturali voluntate volens cedat ſuo iuri, non patiatur iniuriam propriam quatenus voluntate ciuili cenſetur nolés, & inuitus. Ad illud de percutiente. Reſpondeo percutientem in eo caſu clericum incurrere excommunicationem Canonis, non propter iniuriam illatam perſonæ ipſius Clerici, ſed propter iniuriam illatam ſtatui clericali, ad cuius conſeruationem lata eſt iſta lex Canonis, & cuius iuri non poteſt cedere Clericus. Ad illud ex de vxore,&c. Dico quod marito volenti vxoris adulterium, non fit iniuria: proindeq; ipſi non debetur ſatisfactio, quamuis reuera in vxore, & complice, ſit delictum ſpecie diuerſum à ſimplici fornicatione, & propterea explicandum in confeſſione; quia habet malitiam cõtra bonum ſacramenti, coniugij, & prolis, quo iure maritus cedere non poteſt, ſed tantum iure, proprio. Legatur Cardinalis de Lugo tom.1. de Iuſtit. diſ.8.ſeſſ.1.num.6. Idem Cardinalis diſput.8. num.40. notat poſſe alterum coniugum, commonendo prius, & exortando alterum ne peccet, cedere iuri ſuo, vt coniux, alioquin adulterium commiſſurus, minus peccet, ablata circũſtantia iniuriæ coniugi illatæ. Ad illud de Martyribus negatur conſequentia: nam quamuis Chriſtus, & Martyres libentèr ſubſtinuererint pœnas propter Deum non inde tamen ſequitur quod ceſſerint ſuo iuri, & quod in actiones interficientium conſenſerint: imò eas, vt peccaminoſas deteſtati ſunt. Dices conſenſerunt in paſſionem ſuam, & pœnas, ergò & in actiones interficientium: quippè qui vult antecedens,vult conſequens,ſeù id quod eſt neceſſariò cõnexum cum antecedente; ſed actio eſt neceſſariò connexa cum paſſione, cum ſit eius correlatiuus: ergò qui vult actiones, vult paſſiones. Reſp. diſtinguẽdo antecedens: cõſenſerunt in paſſionem, & pœnas, quatenus habebant connexionem cũ tali actione mala, nego, quatenus meritoria, & Deo grata ob finem bonum à Deo intentum; concedo. Ad illud: qui antecedens, vult conſequens: hoc intelligendum eſt quando ſunt duo mala moralitèr connexa, vt poſito vno moralitèr ſequatur alterum, & voluntas, qua quis vult antecedens cenſeatur moralitèr influere in conſequens, illudque ſaltem interpretatiuè, velle. In propoſito autem, res alitèr ſe habet,vt patet intuenti. Hinc infero, cum qui voluit ab alio occidi,idq; petiuit, vt Saul; licet paſſus fuerit iniuriã quo ad vitam, cuius iure cedere non potuit, tamen occiſorum non teneri ipſi,aut alteri pecuniam reſtituere: quia hoc ius remittere potuit, & remiſit. Dices: ſi nõ poſſumus transferre dominium vitæ noſtræ,aut rerum noſtrarum, ita vt alter poſſit ſine iniuria nobis illas auferre,&c.ergò neque maritus iure ſuo cedere poterit circa vxorem. Confirmatur, quia maritus iure

Digitized by Google

iure cedens, vult etiã malũ vxoris vſum, ſicut, qui vellet actionem occidentis, vellet etiam malum vſum ſuæ vitæ. Negatur paritas: nam dominiũ proprietatis rei ſola illa creatura habere poteſt, quæ valet frui talis rei vtilitate: Inde fit me ſolum habere poſſe propriç vitæ manuſuè dominium: quia ſolus ego poſſum mea manu, aut vita viuere. Cæterum vtilitatem vxoris, non ſolum maritus frui poteſt, qua propter potuit etiam illius habere dominium, ſi illam duxiſſet: proinde maritus validè poterit cedere iuri, alterque vtens illius vxore, non inferret ipſi iniuriam; quia non peccauit contra iuſtitiam reſpectu mariti, ſed contra alias virtutes.

DOCVMENTVM II.

Iniuria formalis ex parte agentis, ſeu inferentis, debet neceſſariò eſſe voluntaria; ſed non oportet, vt ſit expreſsè, directè volita, vel intenta.

PRima pars eſt communis omnium: quia omnis iniuria formalis, vel eſt peccatum formalitèr, vel ſemper ſe cum affert peccatum, nullum autem eſt peccatum, niſi voluntarium, ergò, &c. Dixi iniuria formalis: quia ſi ſit tantùm materialis iniuria, poteſt eſſe non voluntaria, vt ſi quis dormiẽs, & inculpabilitèr ignorans, rem alienam deſtruat, vel accipiat. Secunda etiam pars eſt D. Thomæ, Scoti, & communis; huius rei, hæc eſt ratio: quia ſicut in alijs peccatis ad contrahendam rationem peccati, non ſemper eſt neceſſarium, vt expreſsè, & directè, ſed ſufficit quod indirectè, & interpretatiuè intendatur malum prohibitum; ita & in propoſito; vt conſtat de eo, qui furatur ad finem fornicandi, qui quamuis expreſsè non intendat inferre alteri damnum, vel iniuriam, eam tamen infert & voluntate ſaltem interpretatiuè. Ad maiorem claritatem ſit hoc exemplum: ſi quis interficiat inimicum ex odio, non intendens illam iniuriam facere amicis interfecti, vel Reipublicæ, cui ſuppono perſonam interfectam eſſe vtilem, vel neceſſariam; tunc interfector, voluntate, & intentione non expreſſa, vel directa, ſed indirecta, & interpretatiua facit iniuriam amicis interfecti, vel Reipublicæ, ergò, &c. ergò patet reſtitutionem eſſe neceſſariam.

DIFFICVLTAS.

De quibus bonis facienda ſit reſtitutio.

MVlta diſputant Caſuiſtæ, cũ Theologis, in eoq; omnes conueniunt, vt vnanimi conſenſu decernant de bonis naturæ, & fortunæ ſine vlla diſtinctione faciendam eſſe reſtitutionem, at de bonis animi, ſola eſt contentio: an videlicèt is, qui alium in peccatum deduxit, ac proinde læſit eum in bonis animæ, teneatur ad reſtitutionem. Sunt qui putant huiuſmodi teneri ad reſtitutionem, quam facillimam eſſe ſibi perſuadent, quaſi æquè facilè ſit homini alium abducere à peccato, atque facilè eſt inducere ad peccatum. Aliorum ſententia eſt qui negant reſtitutionem in iſto negotio, quam illi impoſſibilem omninò autumant; & quemadmodum inducens alium ad peccatum, illum nec cogit, nec cogere poteſt ad malè agendum propter ſummam humanæ voluntatis libertatem; ita impoſſibile eſt per vim, & coactionem reducere iſtum ad meliorem ſtatum. Proinde Auctores iſtius ſententiæ conſulunt, vt qui alium ad peccatum induxit, cum ei ſatisfacere non poſſit per reſtitutionem, alijs vijs ſatisfacere conatur, retrahendo à malo, inducendo ad bonum, ieiunando, orando, eleemoſynas faciendo, omnem mouendo lapidem, vt iſte ad Deum conuertatur, & in meliorem ſtatum deferatur. Vt rem clariorem reddamus.

Moneo triplicitèr poſſe aliquem conducere alium ad peccandum. Primò, vi cogendo illum, vel ita comminando, vt ille inducatur ad conſentiendum. Secundò fraude, & dolo perſuadendo, v.g. non eſſe peccatum, aut non eſſe adeò graue, aut quid ſimile oſtendendo, & vtroque modo poteſt hoc facere, vel ex odio Dei, aut proximi, cui vult hoc modo nocere, vel propter ſuum commodum: Tertiò ſine vi, fraude, vel dolo, & ſine animo nocendi, ſed ſolum propter ſuum commo-

mo-

Digitized by Google

modum. Accipe hæc documenta ad rei explicationem.

DOCVMENTVM I.

Si quis abſtulit alteri bona ſpiritualia naturalia, vel temporalia, tenetur illa reſtituere quantum poteſt ex vi iuſtitiæ commutatiuæ.

NOmine ſpiritualium naturalium, &c. Intelligimus vſus potentiarum naturalium, & rationes, ſcientias, & ſimilia. Ratio documenti eſt: quia abſtulit inuito Domino, & fuit cauſa grauis damni; hinc ſi quis induxit alium in amentiam v. gr. tenetur reſtituere quidquid alius inde damni paſſus eſt: quia qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. Similitèr ſi quis vi, vel fraude impediuit alium, nè aliquam ſcientiam acquireret, tenetur reſtituere ad iudicium boni, & prudentis viri, ita vt compenſetur tàm ſcientia, quàm damna omnia, quæ ex illius ſcientiæ carentia conſequuta ſunt ex natura rei. Similitèr ſi quis docuit alium falſitatem loco veritatis in ſcientia, tenetur reſtituere eodem modo, habita ratione circumſtantiarum.

DOCVMENTVM II.

Ille, qui mala voluntate, & ſtudioſè conduxit alium in peccatum, propter quod amiſit bona ſpiritualia ſupernaturalia, grauius peccauit, quàm ſi ipſum occidiſſet.

DOcumentum noſtrum docet expreſſè Gregorius q. 1. Can. ex meritò. Ratio eſt: quia multò maius eſt nocumentum bonorum ſpiritualium, quàm vitæ corporalis, & maior iniuria. Et quamnis Sotus ſequutus Salonem dicat eſſe neceſſarium, vt id faciat ſtudioſè, nimirùm intendens damnum ſpirituale alterius; quod ſi hoc non faciat, non eſſe grauius peccatum, quàm ſit occidere: eo quod grauitas peccati conſideretur non ſolum ratione nocumenti, ſed etiam ratione iniuriæ: quando autem ſtudioſè hoc non facit, nō eſt tanta iniuria: quia volenti non fit iniuria. Ego tamen crederem non eſſe neceſſarium addere illam conditionem: quia quocumque modo inducat alium in peccatum, ſemper plus nocet illi, quàm ſi occidiſſet, & plus iniuriæ fit Deo auferendo animam illi ſubiectam. Præterea plus peccati eſt in homicidio materiali perſuaſo alteri, quo perſuadet quis alteri, vt ſe occidat, & plus iniuriæ, quàm ſit in furto formalitèr, ergò. Eſt autem homicidium materiale quando quis perſuadet alteri, vt ſe occidat, non propter odium, ſed propter poſſeſſionem hæreditatis v. gr. aut ob alium ſimilem finem: furtum verò formale erit, ſi illi eidem viuo auferret hæreditatem, & quamuis Salon dicat ſecundum communem omnium Theologorum ſententiam omnium peccatorum, quæ ſunt contra proximum, grauiſſimum eſſe homicidium, & ideò grauius peccare eum qui occidit, quàm eum, qui inducit alium ad peccandum, & eo animo vt illi noceat, vel Deum offendat, in quo ait eſſe corrigendam ſententiam Soti: eius tamen ſententia indiget potius correctione: quia etiam ſi ex aliquibus capitibus videatur grauius peccatum homicidium, eo quod ſit omninò inuoluntarium, & infert damnum irreparabile, ſimplicitèr tamen eſt grauius inducere ad peccandum: quia damnum eſt multò maius ſine vlla proportione, & conſtituitur peccator in eo ſtatu, vt nullo modo poſſit reſurgere ab illo, niſi peculiari Dei priuilegio adiuuetur quando autem Doctores aliqui dicunt homicidium eſſe grauiſſimum inter omnia peccata, quæ ſunt contra proximum, loquuntur propriè de peccatis externis, quibus auferentur proximò aliæ res externæ.

Digitized by Google

DOCVMENTVM III.

Qui inducit alium iam paratum ad peccandum v. gr. Meretricem iam paratam, non tenetur curare illius emendationem maiori vinculo Charitatis, quàm aliorum quos videt peccare.

RAtio eſt; quia cum ille eſſet iam paratus ad peccandum, hic propriè non eſt cauſa peccati illius. Et idem dicendum de eo, qui licèt non eſſet ſimplicitèr, & explicitè paratus, eſt tamen facilis ad peccandum, vt alius non magna eguerit adhortatione, vt illum induceret: quia ibi etiam eſt parata voluntas moralitèr loquendo; vt ſi v. gr. quis inuitet alium ad furandum, & ille ſtatim conſentiat, non videtur fuiſſe ſimplicitèr cauſa peccati illius: alioquin nullum ferè eſſet peccatum, quod habeat complicem in quo vnus non trahat alterum, quod tamen videtur contra communem ſenſum. Idem eſt ſi mutua eſſet tractio: quia ſi aliqua eſt iniuria, illa eſt mutua, & recompenſata.

DOCVMENTVM IV.

Qui errorem grauem docet etiam inſpeculabilibus; ſiue grauitas erroris ſumitur intenſiuè, ſiuè extenſiuè, tenetur ad reſtitutionem ratione grauis iniuriæ.

ITA Theologi communitèr, Thomas; Sances lib. 10. cap. 3. dubio 4. Nauarrus, Caietanus, Aragon, & Ledeſma, quas ibi citat Sances; idem docet Cardinalis de Lugo diſp. 9. ſeſſ. 1. quamuis aliqui ex his non ſpecificent errorem inſpeculabilibus, ſed abſolutè dicant eum, qui falſam doctrinam docet teneri ad reſtitutionem. Tamen Sances, Caietanus, Lugo, & Ledeſma id ſpecificant de tradente falſam doctrinam, etiam in ſpeculabilibus. Immò addit Ledeſma; quod ſi non poteſt fieri reſtitutio reuocando falſam doctrinam, & docendo veritatem oppoſitam, tunc teneri eum, qui in hac parte intulit iniuriam, ad reſtitutionem pecuniarum. Nos hãc vltimam partem examinabimus inferius. Probatur noſtrum documentum. Quia, qui inducit in errorem grauem, infert graue malum oppoſitum perfectioni intellectuali: nam ſicut ſcientia eſt magna perfectio intellectus; ita error eſt magna imperfectio, & graue damnum; ergò inducit obligationem reſtitutionis, eo modo, quo fieri poteſt reſtitutio. Accedat altera ratio: qui retrahit hominem à ſcientia, & doctrina ſine iuxta cauſa, ita vt maneat ignarus, & idiota; facit ipſi grauem iniuriam inducentem obligationem reſtitutionis; non minus, immò magis videtur iniuriam facere, & ad reſtitutionem teneri: quia eſt cauſa non negatiuè, ſed poſitiuè ignorantiæ; hoc eſt, poſitiui erroris. Tamen notandum eſt primò errorem à nobis notatum in documento, cenſeri grauem duplicitèr. Primò intenſiuè, quãdo ſcilicèt error verſatur circa aliquam vnam veritatem, vel in materia fidei, vel etiam in materia ſcientiæ naturalis; ſi v. g. eſſet principium vniuerſale, ex cuius virtute, tamquàm ex fundamento deducuntur plures aliæ veritates particulares. Secundò cenſetur error grauis extenſiuè, quando Doctor, vel Magiſter, vel etiam quicumque alius tali muneri ſe ingerens, frequentèr, & permiſſiuè, errores doceret, ſeù doctrinam traderet omninò falſam, & probabilitate carentem. In quo caſu cenſetur talis facere grauem iniuriam contra veritatem, & intellectus perfectionem diſcipulis, & auditoribus, quàm iniuriam reſarcire tenetur. Notandum ſecundò reſtitionem in his caſibus fieri debere, vel docendo veritatem oppoſitam errori, quàm quis docuit, vel ſignificando falsum eſſe, quod docuit. Primo modo tenetur reſtituere: qui ex officio debuit quidem docere verum, ſed falſum docuit. Secundò vero modo tenetur reſtituere his, qui non ex officio debuit docere verum, ita vt læſa iuſtitia, ſatisfaciat dicendo, falſa eſſe, quæ docuit, quamuis lege Charitatis, & fraternæ correctionis poſſit eſſe obligatio ad docendum veritatem oppoſitam errori, quando nimirum eſſet cognitio neceſſaria ad ſalutem, & ad finem ſupernaturalem; ita Sances loco citato.

DO-

Digitized by Google

DOCVMENTVM V.

Qui vi, vel fraude alterum induxit ad peccandum, peccat contra iuſtitiam, & obligatur ad reſtitutionem.

ITA Theologi communitèr, quos citat, & ſequitur Læſius hic cap. 8. dubio 2. Bonacina de reſtitutione diſp. 2. q. 1. Fauet Scotus in 4. d. 15. q. 3. artic. 1. & ratio eſt quam Scotus ibidem aſſignat, quia (inquit) cum virtutes bona ſint maxima iuxta Auguſt. lib. 1. retractationum; plus damnificat, qui in iſtis damnificat, quàm qui in quibuſcumquè alijs, & conſequentèr plus ſecundùm iuſtitiam tenetur ad reſtituendum proximo tale bonum, quantum ſibi poſſibile eſt ita Scotus: ſi autem bona virtutum ſunt maxima, mala vitiorum, & peccatorum ſunt maxima, & conſequentèr maxima per illa fit iniuria, ac proindè, per reſtitutionem reſarcienda. Modum autem huius reſtitutionis aſſignat ibidem Scotus dicens, iſte tenetur modo ſibi poſſibili reſtituere damnum, ſcilicèt, inducendo eum efficacitèr ad pœnitétiam, & ad actus virtuoſos, & ſi ſola inductio non ſufficiat, (quia facilius eſt auertere, quàm conuertere,) tenetur etiam per ſe orando, & per orationes aliorum procurare impetrare illi conuerſionem, & per alios perſuaſiores efficaces, dummodò tamen illis non manifeſtet peccatum occultum illius alterius. Hunc etiam reſtituendi modum, Scotus, ſed tenent etiam Aragonius, Nauarrus &c. quos citat Sances ſupra. Verum ipſe Sances ibidem num. 5. dicit ſatis eſſe auferre ius, vel metum, vel dolum in ſua priſtina libertate relinquendo inductum ad peccatum. Probat: quia tota ratio iniuſtitiæ in ſola vi, vel metu, vel deceptione conſiſtit; hac tamen cauſa ceſſante, omninò voluntariè perſiſtit in peccato: quippè volenti non fit iniuria, ergò ſublata hac iniuſtitia, nulla obligatio iuſtitiæ ad reſtituendum ſupereſt. Monet Sances hanc ſententiam eſſe Salonis, & aliorum.

Mihi hæc ſententia probabilis videtur, cum hac tamen limitatione. Si ad peccatum v.g. à me inductum vi, vel fraude, vel metu, non ceſſetur amplius malè operari vi moralis influxus, quo ipſum ad peccatũ, vel errorem grauẽ induxi, ſed ſua propria malitia operatur; ſi autem primus influxus cenſetur adhuc moralitèr manere in animo illius, quem ad peccatum induxi, vtpotè quia vehemens fuit, & valdè inclinans alterius animum ad peccandum ita vt vi talis influxus moralitèr cenſeatur ſequi alia peccata: vt ſi v.g. fœmina ad peccatum inducta vi talis inductionis manet periculosè expoſita peccatis, vel ſi famulum ad furtum, & homicidia vehementèr induxi, & vi talis inductionis manet expoſitus huiuſmodi peccatis. Tunc dico me non tantùm ex lege charitatis, ſed etiã ex lege iuſtitiæ teneri nõ ſolum ad tollendam vim, vel metum, vel fraudem, ratione cuius fuit alter inductus; ſed etiam ſi non reſipiſcat, ad ponenda ea media, ipſum à malo reuocandi, quæ ex Scoto ſupra notauimus, & hæc videtur eſſe ſententia Lęſis num. 6. vbi ait: ſi varijs ſuaſionibus animum ipſius influxerint ad malum, tunc tenetur, ſi damnum tertiò immineat, quantum in ſe eſt ſuadere contrarium, quamuis ille ſciat aliundè veritatem. Verum limitatio iſta: (damnum tertiò immineat) non placet: quia etiam id verum eſt, ſi ſolum damnum ipſius inducti immineat. Ratio huius eſt: quia quandiù ex mea inductione cenſetur alter malè operari; tamdiù ego cenſeor moralis cauſa malæ operationis alterius, atque damni ex ea ſequuti; ergò ex iuſtitia teneor quacũque via poſſum impedire huiuſmodi malum, & damnum. Dices, ſi iam reuocaui meum influxum aperiendo decepto veritatem, non cenſeor amplius cauſa peccati alterius; vel damni cuiuſcumque indè ſequuti; Ergò ex iuſtitia ad nil aliud amplius teneor. Reſp. id eſſe verum, ſi ita efficacitèr reuocaui meam primã inductionem, vt vi illius nullo modo cenſeor cauſa influens moralitèr in alterius peccàtum, vel damnum ſequtuum.

Digitized by Google

DOCVMENTVM VI.

Qui ſine vi, & metu, ac fraude alterum induxit ad peccatum, quod in materia ipſius iuſtitiæ non verſetur; non peccat contra iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem per ſe loquendo, ſi peccatum eſt commiſſum, nec eſt periculum alterius peccati vi inductionis committendi.

ITA in re communis ſententia maximè recenſiorum. Legatur Bonaccina tract. de reſtitut. diſput. 5. ſeſſ. 1. num. 9. qui abſolutè tenent ex iuſtitia non obligari eum, qui ſine vi, metu, & fraude induxit alium ad peccatum, ſed teneri ex charitate altiori quidem ad obligationem, quà tenentur alij communitèr, qui tenentur ad correctionem fraternam.

De Scoti mente dubitari poteſt in hoc corrollario, & à recenſioribus citatur in oppoſitum in 4. d. 15. qu. 3. artic. 3. in quo docet abſolutè, & ſine limitatione, eum qui induxit alium ad peccandum in quocumque genere peccati, etiam ſine vi, ac fraude, ex iuſtitia teneri ad reſtitutionem: Non me latet Illuſtriſſimum Armacanum Cauallum, & Patrem Nicheum non conuenire circa mentem Scoti. Conſulantur ergò. Si liceret meam in hac parte ponere ſententiam; ita dicerem.

Ponitur ſine vi, & metu ac fraude; quia ſi hæc accedat, vel aliquod horum; certum eſt eſſe peccatum contra iuſtitiam, & oriri obligationem ad reſtituendum. Quid autem ſit inducti per vim, vel dolum, res facilis eſt. De metu poteſt quis dubitare: an v. gr. ſufficiat metus reuerentialis, quo pater filium, vel filiam; ſuperior, ſubditū, Dominus, ſeruum, &c. inducit ad aliquod genus peccati, & tenendum eſt ſufficere: quia impedit plenam voluntatis libertatem, ita cum Nauarro, & Silueſtro, Thomas, Sances.

Dicitur ſecundò in documento, quod in materia ipſius iuſtitiæ nō verſetur; quia ſi peccatum verſetur in materia ipſius iuſtitiæ, vt eſt peccatum furti, rapinæ, homicidij, &c. Inductio ad ipſum ſine vi, metu, vel etiam fraude ſufficit ad contrahendam obligationem reſtitutionis.

Dicitur tertiò non teneri ad reſtitutionem per ſe loquendo; tum quia poteſt talis obligatio eſſe in Superiore, vel Prælato, alioue ſimili ratione officij. Tum quia ſi inductio fuit grauis, & adeò vehemens vt cenſeatur æquiualere vi, vel metui, vel dolo; tenetur inducens ad reſtitutionem. Tunc autem non cenſetur grauis, vel vehemens inductio, quando ſimplici prece, ſuaſione, vel concilio, vel quando pretio, vel malo exemplo inducitur quis ad peccatum.

Dicitur quartò, ſi peccatum eſt commiſſum, nec eſt periculum alteriùs peccati: quia ſi peccatum eſt tendens in futurum, vel eſt periculum alterius peccati committendi poſtquam primum eſt commiſſum; ſi inquam extitit tale periculum vi efficacis, & vehementis inductionis; inducens, tenetur ad reſtitutionem retrahendo quantum poteſt alterum à malo, & orando pro ipſo, ac remedium oſtendendo. Si autem peccatū commiſſum eſt iam, nec eſt periculum alterius peccati, ſeù dāni ſpiritualis, vel temporalis ſequuturi, nec aliud damnum de facto ſequutum eſt ex peccato, præter damnum ipſius peccati; & inductus nouit bene ſe eſſe reductum, & ſit ſufficiens remedium reparandi gratiam, quam per peccatum amiſit; tūc exiſtimo, inducentem ad nihil teneri ex iuſtitia, etiamſi ex vi, fraude, vel metu inductio proceſſit. Ratio eſt: quia volenti non fit iniuria; inductus autem cenſetur ſciens, & volens perſeuerare in ſuo malo, ſi non reſpiciat poſteaquam efficacitèr ab inductore eſt admonitus, & inſtructus de modo, & medio reſurgendi; Ita Vaſquez, Sances, & Leſius. Vnde rigida videtur, & contra communem ſententiam, & praxim opinio Patris Hiquei in commento ad 4. Scoti d. 15. qu. 3. artic. 1. vbi docet ex iuſtitia teneri reſtitutionem eum qui etiam abſque vi, vel fraude induxit alium ad peccatum ratione ipſius damni ſpiritualis, quod ex peccato iam commiſſo præciſè incurrit.

Pro-

Digitized by Google

Proponuntur, & ſoluuntur obiectiones in contrarium.

OPpones primò: error purè ſpeculatiuus nulli nocet: ergò inducens in errorem ſpeculatiuum, non tenetur ad reſtitutionem. Probatur antecedens: quia inductus in errorem neſcit ſe eſſe in errore, ergò non patitur nocumentum. Confirmatur: ſit caſus quod quis inſcius, & ſine culpa inducat alium in errorem; talis non tenetur ad reſtitutionem; nam ceſsāte culpa Theologica mortali, ceſſat obligatio reſtituendi in foro cōſcientiæ. Reſp. primum errorem inferre nocumētum inducto in errorem, quia ſpoliatur perfectione excellenti intellectus, nec refert, quod ipſe id non cognoſcat; quia non requiritur notitia damni in damnificato ad hoc vt incurrat damnum. Ad confirmationem dico, ſi nullum aliud damnum indè ſequatur, talem non ex iuſtitia, ſed tantùm ex charitate teneri ad tollendum errorèm.

Oppones ſecundò: volenti non fit iniuria; ſed nullus peccat, niſi volens, ergò peccatori non fit iniuria: ergò inducens vi vel fraude ad peccatum, non facit iniuriam peccanti. Confirmatur, qui inducitur ad peccandum, vel ſcit eſſe peccatum id ad quod inducitur, vel neſcit, ſed inuincibilitèr deceptus eſt ab inducente. Si primum, reddit ratio iam facta; quia volens, & ſciens peccat. Si ſecundum, tunc nullum damnum incurrit: & conſequentèr non amittit gratiam, vel aliud bonum ſpirituale. Reſp. volenti neceſſitate diminuente notabilitèr rationem voluntarij, non fit iniuria; concedo; volenti cum tali neceſſitate; nego; vis autem illata, notabilitèr diminuit rationem voluntarij, ſicut etiam fraus, & metus: quamuis enim nō tollant rationem voluntarij ſimplicitèr, vt ſufficientis ad incurrendum peccatum; diminuunt tamen rationem voluntarij notabilitèr ſub ea ratione qua leges voluntarium, & libertatem coactioni oppoſitam requirunt: ſicut ſoluenti vſuras, fit iniuria ab vſurario, quamuis ſciens, & volens, ſoluat vſuras. Ad confirmationem dico, alterum poſſe induci ad peccandum vtroque modo; hoc eſt; poteſt induci vt conſcius, vel vt inuincibilitèr inſcius peccati: ſi primò modo, iam dictum eſt qua ratione fiat ipſi iniuria: ſi ſecundò modo, reſpondet Lugo diſp.9. ſeſſ.1. num.14. quæuis ſufficit ad peccatum inducere eum, qui inuincibilitèr ignorat malitiam peccati: non eſſet tamen communitèr peccatum contra iuſtitiam grauem, vel iniuriam grauem: quia malum, quod infertur materialis peccati, ſeù materialis violationis præcepti, non cenſetur eſſe malum adeò graue. Ideò autem addit: *ly communitèr*, quia aliquando poteſt eſſe iniuria grauis propter aliquod graue nocumētum, quod conſequitur: vt ſi virgini, ſiue fœminæ, ſiuè etiam maſculo perſuadeas copulam fornicationis non eſſe illicitam, ſaltem in talibus circumſtantijs: tunc magnum detrimentum infers in omiſſionem virginitatis, ſaltem corporalis: quia pretioſum ornamentum eſt. Item ſi propter actus illos periculum probabile incurrat faciendi poſtea alios actus ſimiles, etiam ſublata ignorantia, vel incurrendi aliquod aliud detrimentum ſpirituale, vel temporale, pro vt ſæpe contingere poteſt: vt, ſi in foro externo puniatur, vel incurrat infamiam aliquam, vel boni nominis iacturam vel quid ſimile. Omnia iſta ſunt deſumpta ex Patre Lugo.

Verum exiſtimo non tantum in prædictis, & ſimilibus caſibus, ſed etiam communitèr eſſe graue peccatum contra iuſtitiam generans obligationem reſtituendi, inducere aliquem per fraudem ad materialem etiam violationem præcepti, v.gr. ad edendum carnes in die ieiunij. Hoc probo primò: quia quamuis inductus tali fraude, non peccet formalitèr: quia, vt ſupponitur; habuit ignorantiam inuincibilem; tamen ipſa deceptio in materia tam graui, eſt grauis iniuria. & conſequentèr ad eam deceptionem tollendam, ex iuſtitia tenetur deceptor. Accedat ſecunda ratio. quia inducens fraude in errorem ſpeculatiuum aliquem, tenetur ad reſtitutionem ratione grauis iniuriæ quando error eſt grauis: ergò inducens fraude in errorem, ſeù peccatum in materia graui, & peccati mortalis, peccat grauitèr contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem ratione grauis iniuriæ illatæ. Conſequentia probatur: quia habet annexam error practicus duplicem malitiam, ſcilicèt

eſſe materialem, erroris in intellectu, & malum peccati ſaltem materialis in volũtate, quod ſaltem eſt imperfectio quædam voluntatis diuiſionis in re ipſa à recta ratione.

Oppones tertiò rationes Patris Hiquei: ſecundum communem ſententiam, ſi per fraudem, aut compulſionem, aut falſam doctrinã, quis ſeducat alium ad errorem, aut peccatum; tenetur ex iuſtitia amouere cauſam erroris, & peccati nè continuetur, & inferatur proximo damnum graue: ſed non eſt maior ratio vndè obligetur ad reparandum damnum ex fraude ſequutum, quam ex alia quacumque per ſe cauſa damni: quia priuat iniuſtè aliũ bono ſuo ad quod habet ius in re ipſa, nè ei tollatur iniuſtè; ergò damnum ſequutum ex ſimplici inductione ſine vi, & fraude, inducit obligationem reſtitutionis damni, quod ſequitur. Secundò probat Pater Hiqueus: quid eſt cauſa damni temporalis alterius in bonis corporis, aut fortunæ (cauſa inquam inductus precibus, aut cõſilio) ad ſimile damnum, tenetur ad reſtitutionem; ergò qui ſimili modo eſt cauſa damni ſpiritualis alterius, tenetur ad reſtitutionem; conſequentia patet à paritate, vel etiam potius à fortiori, ratione, & obligatione, quæ reperitur in damno illato in bonis ſpiritualibus, quæ ſunt altioris ordinis; quandoquidem damnum in his illatum, ſit capax obligationis reſtitutionis, ſicut damnum illatum in bonis temporalibus. Antecedens probatur: quia inducens alium conſilio, aut ſuaſione ad furtum, aut ad homicidium, tenetur ad reſtitutionem: ergò. Accedat altera ratio: non obſtat ratione iniuriæ in præſenti caſu, quod inductus peccet ſpontè; primò: quia quando quis vi, vel fraude inducitur ad peccatum, ſpontè tamen, & volens peccat; quo tamen non obſtante, manet in inducente obligatio ad reſtitutionem Secundò, qui ſuaſione, aut conſilio alterius, inductus, ſeipſum occidit, aut mutulauit, quamuis id volens fecerit, tamen inducens, tenetur ad reſtitutionem. Tertiò qui dat vſuram Vſurario pro mutuo; quamuis id ſpontè, & volens faciat; patitur tamen damnum inducens obligationem reſtituendi in Vſurario. Reſp. ad primam rationem negãdo minorem: quia dum vi, vel fraude quis inducitur in errorem, vel peccatum, cenſetur nolens, & inuitus pati damnum, & conſequentèr iniuriam; inductus autem ſine vi, aut fraude, quamuis inducatur ſimplici conſilio, aut prece, non cenſetur tamen inuitus, & nolens, ſed volens ſubire damnum; volenti aut non fit iniuria ex regulis iuris in 6. Dixi in ſimplici conſilio: quia vt alias notaui, ſi eſſet conſilium, aut ſuaſio vehemens æquiualens vi, fraudi, aut metui, tenetur ſuaſor ad reſtitutionem. Si hoc intendat Pater Hiqueus, cum ipſo conuenimus. Ad ſecundam rationem negatur conſequentia: quia in primo caſu, hoc eſt, in caſu antecedentis, fit iniuria, & dãnum nolenti, et inuito, hoc eſt tertiò ad cuius damnum ſecundus inducitur conſilio; in ſecundò verò, hoc eſt in caſu conſequentis, non fit damnum tertiò inuito, ſed ipſi ſecundo, qui inducitur, ipſo volenti, et conſentienti, ac pro indè non fit ipſi iniuria. Ad tertiam rationem negatur aſſumptum; ad eius primam probationem patet ex dictis in reſponſione ad ſecundam obiectionem. Ad primam probationem dico falſum eſſe fieri iniuriam ſe voluntariè occidenti, aut mutilanti, quamuis ad id ſimplici ſuaſione, aut conſilio inducatur: nullus enim propriè patitur iniuriam volens. Ad illud de dante vſuras Vſurario; dico talem cogi neceſſitate, quæ quamuis non tollat ſimplicitèr rationem voluntarij, tamen eam notabilitèr minuit; in noſtro autem caſu non interuenit illa neceſſitas cogens, ſed tantum conſilio, et ſuaſio alliciens.

DOCVMENTVM.

Diſputans de iniuria, & obligatione reſtituendi in eo, qui volentem ingredi Religionem, ab illa retrahit, vel ingreſſum extrahit.

Monemus poſſe eum, qui extrahitur à Religione eſſe, vel iam profeſſum, vel tantum in via. Ille autem qui non eſt profeſſus, tribus modis poteſt reuocari à Religione: primo quando ſiuè ſit iam nouitius, ſiue adhuc non ſit, ſine vi, dolo, aut fraude, vel animo nocendi, ſed

Digitized by Google

ſed ſolum ob vtilitatem illius, qui auocatur, vel quia auocātis, vel iudicatur ineptus ad Religionem, vel quia Religio eſt labefactatæ diſciplinæ, vel quia non iudicatur bonus pro illo ſecūdò ſine fraude, & vi, ſed cum animo nocendi, vel ei qui auocatur, vel Religioni cui iudicatur futurus vtilis. Tertiò cum vi, & fraude, & animo nocendi. His notatis, veritatem dabunt ſubſequentes propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Quando quis reuocatur à Religione, ſiue ſit iam nouitius, ſiue adhuc non ſit: ſi ſine dolo, aut fraude, vel animo nocendi, ſed ſolum ob vtilitatem illius, qui auocatur, vel auocantis, vel quia iudicatur ineptus ad Religionem, vel quia Religio eſt labefactatæ diſciplinæ: vel quia non iudicatur bona pro illo, ille, qui auocat aliquem à Religione, ad nihil tenetur.

RATIO eſt; quia nulli facit iniuriam: imò ſi ille erat ineptus ad Religionem, vel Religio illi non erat bona, potius meretur: prodeſt enim illi, & Religioni. Confirmatur; quia Religio non acquiſiuit adhuc ius in illum, ſed poterat nō ingredi, vel ſicut Nouitius egredi ſine iniuria Religionis, quæ dat illi annum probationis, quo experiatur Religionem, & è contra. Confirmatur ſecundò: quia qui vult ingredi Religionem, debet prius conſultare coram Deo an ſit expediens ſaluti ipſius ingreſſus in Religionem ſimpliciter, & deinde in Religionem talem; & ſi ipſe neſciat aliquid in hac re ſtatuere, poteſt alium conſulere, qui ſit vir prudens in Domino. Dices: quid ſi ille qui diſuadet Religionem, id faceret ſolum in ſuum commodum nulla habita ratione boni alterius, imò interdum contra bonum ipſius? Reſpondeo; ſi id faciat ſine animo nocendi. &c. vel iudicat ita expedire illi, cui egredi diſuadet Religionē; & tunc ad nihil tenetur, immò poſſet mereri; vel iudicat hoc eſſe cōtra ſalutem animæ illius ſiue implicitè, ſiue explicitè, eo quod teneatur hoc iudicare, & tunc idem videtur dicendum, quod dicitur de eo, qui trahit alterum ad peccandum; ſicut enim, ſi quis propter ſuum commodum ſuadeat alteri furtum, vel homicidium, vel aliud peccatum, licèt hoc non faciat animo nocendi, tenetur tamen ex iuſtitia reuocare illum à peccato, & reſtituere pro furto, & homicidio; ita idem dicendum videtur de hoc caſu. Dices; quid ſi iudicauit Religionem illi non expedire, in hoc tamen deceptus eſt. Reſpondeo, quamdiù non aduertit; non teneri; quando verò deprehendit ſe fuiſſe deceptum, tenetur ex charitate retractare, quod fecit.

PROPOSITIO II.

Qui Nouitium, aut alium volentem ingredi Religionem, retrahit abſque vi, & fraude, & animo nocendi: aut qui alium Profeſſum, tali modo ex Religione extrahit, non tenetur ex iuſtitia aliquid reſtituere ipſi, aut Religioni.

NOſtræ propoſitioni Votum dant Leſius cap. 8. dubio 3. Nauarrus, Sotus, & alij quos citant, & ſequeretur Sāces in Concilijs moralibus lib. 1. cap. 3. dubio 2. & Bonaccina de reſtitut. diſp. 2. qu. 1. num. 6. Mihi eſt opinio hanc ſententiam minimè eſſe contra mentem Scoti: nam quamuis in 4. d. 15. q. 3. nu. 10. Ad ſecundum dicat, in eo caſu, dum eſt animus nocendi Religioni, interuenire obligationem reſtituendi Religioni: hoc tamen intelligi poteſt quādo intercedit vis, aut fraus, vt infra notabimus; quamuis etiam dicat eſſe obligationem reſtituendi retracto, aut extracto à Religione etiam ſine vi, aut fraude; id intelligendum non eſt de obligatione iuſtitiæ, ſed de obligatione charitatis; nam in eo caſu, non nego intercedere obligationem charitatis, ex qua tenetur ille, qui alium à Religione auertit, vel extrahit, ipſi ſuadere bonum conſilium, & animum ad Religionem, vt docet Sances, & cum ipſo Leſius. Prima pars noſtra propoſitionis de No-

Nouitio; & ſecunda pars de volente ingredi Religionem, eſt communis apud citatos Doctores, & probatur, quod in eo caſu nõ ſit obligatio ex iuſtitia reſtituendi aliquod retracto, vel extracto à Religione: quia volenti non fit iniuria. Quod nec etiam ipſi Religioni, probatur, quia Religio ante profeſſionem, ſeu ante votorum acceptationem, non habet ius in Nouitium: vtpotè qui egredi poteſt, & non profiteri, ſi velit: citat Sances loco citato Scotum, D. Antoninum, Adrianum, Gabrielem, Paludanum, & alios tamquã oppoſitum docentes, & aſſerentes in eo caſu eum, qui nouitium; aut alium habentem animum ad Religionem, diſpoſitum, à Religione reuocat iniquo animo, ex iuſtitia teneri reſtituere Religioſo, ſuadendo ipſi, vt religionem ingrediatur; aut ſi nolit, debet perſuadere alteri, vt ingrediatur, etſi nullus reperiatur, qui velit ingredi, dicunt quod ipſemet intrare debet Religionem; in cuius ſententiæ confirmationem, afferunt exemplum S. Raymundi, qui ob eam cauſam dicitur intrare Ordinem Sancti Dominici. Verum (quidquid ſit de mente iſtorum Doctorum) de mente Scoti non eſt certum, & alitèr explicari poteſt, vt ſupra dixi; nec facit mẽtionem de obligatione iſta, quod nimirum ipſa perſona retrahens, intrare teneatur Religionem.

Maior difficultas eſt de tertia parte noſtræ propoſitionis, videlicèt de extrahente Profeſſum: nam oppoſitum docẽt multi Doctores, Molina, Vaſquez, Aſſorius, Turianus; & alij, quas citat Bonacina, dicentes eum, qui profeſſum, abſque vi, vel fraude, ſed conſilio tantùm, aut precibus ex Religione extraxit, teneri compenſare religioni emolumentum temporale, quod conſequutura erat Religio ex arte; aut opere Religioſi extracti per extimationem ſpei talis emolumenti. Tamen cum Doctoribus citatis pro noſtra propoſitione, probatur hæc 3. pars. Primò, quia vt benè docet Bannes qu. 62. artic. 2. dubio 6. Religioſus ipſe non habet obligationem iuſtitiæ, ſed tantùm obedientiæ, & religionis procurandi religioni emolumenta huiuſmodi temporalia; ergò qui ſuadet religioſo egreſſum, quo iſta emolumenta religioni, aut Monaſterio depereunt, non tenetur ad reſtitutionem. Antecedens videtur certum, & probatur conſequentia: quia non tenetur ad reſtitutionem plus quã principalis, & proximus auctor damni; ergò ſicut ille non peccaret contra iuſtitiam cum obligatione reſtitutionis, ſi ſuum opus, vel laborem ſubtraheret; ita nec ſuadens, aut cooperans hac ratione tenebitur. Fundamentum præſentis rationis conſiſtit in hoc: quod cooperans non tenetur ad reſtitutionem, quando principalis author, hoc eſt, ille, cui fit cooperatio; non peccat contra iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem. Probatur ſecunda, tertia pars non peccare contra iuſtitiã, nec incurrere obligationem reſtituendi quando non læditur ius iuſtitiæ alterius: ſed in caſu præſenti non læditur ius iuſtitiæ Religionis, ergo, &c. Minor probatur: quia non poteſt oſtendi ex quo cap. oriatur id ius iuſtitiæ: quia nec oritur ex vlla lege, nec ex voluntate Religioſi profitentis, qui tantùm obſtrinxit ſe debito obedientiæ, et religionis, et conſequentèr religio non habet aliud ius, niſi ius correſpondens huic debito (hoc eſt, ius obedientiæ, et religioni.) Item rationes probant non eſſe obligationem reſtituendi aliquid religioni. Quod etiam non ſit obligatio ex iuſtitia reſtituendi religioſo extracto, patet ex dictis: quia conſentienti, et volenti non fit iniuria.

PROPOSITIO III.

Qui vi, vel fraude profeſſum, aut volentem ingredi Religionem, à Religione abduxit, tenetur ex iuſtitia vim, & fraudem tollere, & Religioni reſtituere.

PRopoſitio hæc noſtra eſt communis; controuerſia tamen eſt de modo reſtituendi. Propoſitionem ergò docent Soto, Nauarrus, Aragon, Lædeſma, & alij plures, quos citant Sances, et Bonacina. Prima pars docens eſſe obligationem iuſtitiæ ad tollendam vim, et fraudem, facilè probatur: quia vis, et fraus eſt iniurioſa actio contra libertatem, et bonum ſpirituale alterius: ergò ex iuſtitia debet tolli. Secunda pars de reſtitutione

Digitized by Google

tione facienda Religioni, probatur: quia ſi perſona abducta, ſit profeſſa, Religio habet ius, vt non ſpolietur per vim, aut fraudem perſona ſibi vtili: hinc Parentes habent ius, vt vi, aut fraude non ſpolientur ſua prole; ſi autem perſona abducta non ſit profeſſa, ſed iam, vel in nouitiatu, vel extra ad Religionem diſpoſita; quamuis Religio non habeat ius in perſonam; habet tamen ius, vt non priuetur emolumentis, & donationibus perſonæ, ſicut, qui vi, vel fraude retrahit volentem legare Carolo centum aureos, facit Carolo iniuriam, & tenetur ad reſtitutionem; quamuis Carolus non habeat ius ad centum illos aureos; habet tamen ius, vt non fiat ipſi violentia, aut fraus.

Hæc Propoſitio quamuis probabilis videatur, Sances num. 20. poſtea tamen numero 22. oppoſitum, vt probabile tenet, docens probabile eſſe non teneri reſtituere Monaſterio extrahentem vi, vel dolo Nouitium, vel volentem ingredi; quia cum Religio non habeat ius ad id lucrum, niſi mediante profeſſione huius; & hic nondum profeſſus ſit, & eſt valdè contingens nolle profiteri; valdè remotum eſt, & nimis præter intentionem extrahentis videtur, quod ceſſet ad lucrum Monaſterio; quod non accidit in impediente legatum: quia immediatè, & poſt ſe ibi impeditur vtilitas legatoris, & confirmatur: quia interficiens debitorem nō tenetur ſoluere eius debita, licèt alia via creditores non poſſint debita recuperare. Fuit hæc ſententia cuiuſdam Magiſtri ſatis docti, qui dicebat ſe hoc tenere ſine ſcrupulo, hæc Sances. Verior tamen, & prior ſententia; ſi nimirum in actione retrahendi fuit intentio nocendi Religioni, vt docet Lugo diſp. 6. ſeſſ. 3. num. 35. imò & ipſe Sances inſinuat, dum dicit, quod nimis præter intentionem extrahentis videtur, quod ceſſet id lucrum Monaſterio; ergò loquitur de non habente intentionem explicitam nocendi.

Sed hic notandum eſt cum Lugo ibidē, emolumenta quæ Nouitius, aut ingrediēs Religionem adferret Religioni; vel eſſe connexa ipſi perſonæ ingredienti, vel non eſſe connexa: connexa ſunt, quæ conſequitur ex induſtria perſonæ, vtpotè ipſius arte, & induſtria, aut ex eius doctrina; vt ſi v. g. ſit Magiſter in Theologia, & cathedram teneat, cuius prouentus ſimul cum officio magiſterij ſuum vult ad Religionem deferre. Emolumenta non connexa perſonæ, ſunt diuitiæ, hæreditas, &c. quæ ſpectat, &c. Lugo itaque non improbabilitèr tenet pro his emolumentis poſterioris generis, extrahentem Nouitium ſine animo nocendi Religioni, non eſſe obligatum ad reſtituendum, in quo conuenit cum Sances; ſecus eſt de emolumentis prioris generis, ſine animo nocendi Religioni, ſiuè non arceatur à Religione per extractionem violentam, aut fraudulentam Nouitij, aut per retractionem ſimilem alterius ingredi volentis.

PROPOSITIO IV.

Qui Nouitium, aut Profeſſum vi, aut fraude à Religione abduxit, eo nolente intrare, non tenetur ipſe intrare Religionem; aut ex iuſtitia alium ſubſtituere; ſed tenetur reſtituere Religioni emolumenta temporalia, quæ Religio omiſit ratione abductionis, iuxtà æſtimationem ſpei acquirendi huiuſmodi emolumenta, & habita ratione expenſarum, quas Religio factura eſſet in alendo eo, qui abductus eſt.

ITà Aragonius, Ledeſma, Soto, Vuaſq. Nauarrus, & alij, quos citant, & ſequuntur Sances, & Bonaccina de reſtitut. diſp. 2. quæſt. 1. puncto 1. nu. 4. & 5. contra Doctores citatos, quatenus docent teneri ex iuſtitia ad intrandum Religionem, vel ad alium ſubſtituendum. Probatur concluſio, quoad primam partem, quod non teneatur ipſe intrare, aut alium ſubſtituere: quia aſſumptio ſtatus Religioſi debet eſſe libera, & voluntaria, & conſequentèr non debet prouenire ex neceſſitate talis obligationis. Accedat alia ratio: ad fidem, quæ eſt ſimplicitèr neceſſaria ad ſalutem, nullus eſt cogendus; ergò multominus ad Religionem, quæ eſt ſub conſilio. Item profeſſio eſt opus maximè liberum, vt habet Trid. ſeſſ. 25.

Digitized by Google

cap. 18. Adde eſſe poſſibilem caſum, vt ille, qui extraxit profeſſum, ſit ineptus ad Religionem. Item ſæpè poſſet contingere, vt extrahens ſit multò melioris conditionis, quàm extractus, ac proindè foret magna inæqualitas ſi ille teneretur ingredi loco alterius. Item probat Salon ad nihil teneri in ordine ad Religionem: quia Monacus quamuis ſit addictus Religioni, non eſt tamen addictus tamquàm ſeruus, ſed tamquàm filius, vt aduertit S. Baſilius in ſua Regula, & S. Auguſtinus, & Chriſtus Lucæ 22. Sed ſi quis ſuadet filio, qui eſt vtiliſſimus Patri, vt diſcedat ab illo, nihil tenetur reſtituere Patri, nec ratione perſonæ filij, nec ratione lucri ceſſantis: ergò idem erit de Religioſo etiam vtili Religioni. Præterea tale medium non eſt ordinatum ad faciendam reſtitutionem. Dixi non teneri ex iuſtitia ſubſtituere alium; quia Læſius q. 8. dub. 3. num. 14. & Bonaccina num. 7. tenent ex æquitate ſaltèm teneri ſeductorem ad inducendum alium, vt Religionẽ intret, deficiente eo, qui ſeductus eſt. Verum Sances, & alij, quos citat Bonaccina ibidem, talem obligationem non agnoſcunt.

Probatur Propoſitio quoad ſecundam partem; quia vt diximus in probatione præcedentis, per talem vim, & fraudem fit grauis iniuria Religioni inuitæ (nam quilibet habet ius, vt ab eo iniuſtè non auertatur commodum etiam alias indebitum, ſicut quilibet habet ius, vt nullus iniuſtè, vi, aut fraude ab eo auertat legatum beneficium, aut officium, etiam alias indebitum; ita vt auertens, ad reſtitutionem teneatur;) ſed iniuria, ſeù damnum ex ea ſequutum, non poteſt alitèr reſtaurari, niſi reſtituendo Religioni pro æſtimatione emolumentorum temporalium, quæ perſona abſtracta à Religione afferret Religioni, vt melius explicabitur in reſponſione ad ſecundam obiectionem: ergò, &c.

Opponės contra partem aſſerentem nõ teneri ad reſtitutionem eũ, qui Religioſũ profeſsũ, ſine vi, aut fraude, ſed precibus, aut conſilio extraxit (nam de Nouitio non eſt tanta difficultas: cum Religio in ipſum non habeat ius.) Sit ergò tale argumentum: Qui ſuaſione inducit Religioſum profeſſum ad egreſſum ex Religione, facit Regioni iniuriam: nam habet Religio ius, vt Religioſo profeſſo, ipſa inuita non priuatur: ergò tales tenentur Religioni reſtituere, ſicut ille, qui vi, aut fraude priuauit Religionem perſona profeſſa: nã omnis iniuria per reſtitutionem reſtaurari debet. Confirmatur: qui ſeruum precibus, aut conſilo abduxit à Domino, tenetur ad reſtitutionem: ergò, & qui Religioſum profeſſum tali modo abduxit à Religione. Confirmatur: quia Superior non habet dominium in ſubditũ Religioſũ, ſicut Dominus habet in ſeruũ. Ad argumentũ ergò negatur antecedens: quia ſicut ipſe, qui egreditur non facit iniuriam Religioni, nec peccat contra iuſtitiam, ſed contra virtutem Religionis; ita ſimilitèr ille, qui ipſum conſilio à Religione abduxit; vndè non placet reſponſio Bonnaccinæ, & Leſſij loco citato, qui dicunt, quamuis tunc fiat Religioni iniuria, non oriri tamen in abducente obligationem reſtitutionis. Non placet inquã hæc reſponſio: tùm quia omnis vera iniuria videtur recompenſanda reſtitutionem. Tùm quia iuxta ipſos, qui vi, vel fraude abduxit à Religione profeſſum, aut etiam nouitium, tenetur ad reſtitutionem ratione iniuriæ illatæ: ergò ſi in propoſito caſu ſit vera iniuria, oritur vera obligatio reſtitutionis.

Opponės ſecundò contra alias propoſitiones, qui vi, aut fraude extraxit aliquem à Religione, ſiuè profeſsum, ſiuè nouitium ad nil tenetur, niſi ad tollendã vim, aut fraudem; ergò. Probatur antecedens: quia in ipſa vi, aut fraude conſiſtit omnis ratio iniuriæ, quæ in prædicto actu reperitur: ergò ſublata vi, & fraude non cenſetur remanere vlla alia obligatio iuſtitiæ, tàm reſpectu Religionis, quàm reſpectu abducti à Religione; quia quidquid damni ſequitur ſublatione violentiæ, & fraudis, cenſetur non eſſe inuoluntarium, ſed voluntarium reſpectu illius, qui à Religione eſt abductus, ita vt abducens non cenſeatur amplius in id damnum influere.

Hoc argumentũ rectè ſupponit ea damna, quæ euenerant ante ſublatam vim, & fraudem eſſe reſtituenda; ſed de damnis, quæ poſtea eueniunt, eſt duplex ſententia; vna

vna dicens, pro iſtis damnis non eſſe obligationem reſtituendi, ita Sances ſupra num. 19. & Læſius num. 17. Altera ſententia eſt, quæ aſſerit eſſe obligationem reſtituendi ipſa damna, ita Lugo diſp. 9. ſeſſ. 3. num. 46. & ſequentibus, & videtur eſſe communior ſententia apud Bonaccinam num. 4. eſtq; probabilior; quia vix contingere poteſt quin ille, qui à Religione vi, aut fraude abduxit, quin inquam abducti animum ita inflexerit ad vanitates, & illecebras mundi, quibus irretitus omiſit feruorem, & intentionem perſeuerandi in Religione, aut ad eam redeundi, maximè ſi loquamur de eo, qui non fuerat profeſſus, vt abducens cenſeatur moralitèr eſſe cauſa damnorum, quæ ex eius egreſſu Religioni euenerunt: ſi tamẽ abducens, oblata vi, & fraude, non cenſeatur amplius moralis cauſa damnorum, & impedimenta omnia, quæ abducti regreſſus à Religione retardarunt, ablata ſunt; cenſeo primam ſententiam Læſij, & Sances eſſe omninò probabilem, & hinc patet ad argumentum principale.

Petes qualis reſtitutio facienda ſit ipſi Religioſo, aut nouitio, ſeu Religionem ingredi volenti, vi, aut fraude ſeducto? Reſpond. certum eſt apud omnes vim, & fraudem eſſe tollendã, & hominem in ſua libertate ſtatuendum, & hæc reſtitutio ſecundum obligationem iuſtitię ſufficeret in ſententia Sances. Petes ſecundò vtrum, & qualitèr peccent Parentes, & Amici, & alij quicumque, qui iuſta ex cauſa retrahunt iuuenes, & puellas à Religione ſuaſione, & conſilio? In hac re (vtpote periculoſa) cauendum eſt maxima parentibus, quorum ſuaſio ſe habet per modum violentiæ, & motus reſpectu filiorum, cauendum inquam eſt, ne in ſui, & filiorum damnationem eos à tam perfecto ſtatu auertant ſine iuſtiſſima cauſa, qualis v.g. eſt, vt ſubſtentent Parentes inopes; vel quia periculum eſt, ne perſeuerent in Religione, aut quia infirmi ſunt, & ad Religionem inepti; vel quia Religio ipſa eſt diſſoluta. Bonaccinas de reſtit. diſput. 2. quæſt. 1. puncto 1. num. 4. notat vt plurimum eſſe peccatum diſuadere ingreſſum Religionis ob mundanum finem, &c. v.g. ob ſpem diuitiarum, & bonorum temporalium; ob ſpem ornandi, & ditandi familiam, &c. Hoc cenſeo probabile, quãdo nulla vis, aut fraus; aut metus, aut malus animus intercedit, ſed ſimplex tantũ perſuaſio, & conſilium, relinquendo hominem in ſua libertate, & ratio eſt: quia ſicut ipſe, non peccat ſaltem mortalitèr, non obſtante Diuina inſpiratione ſi Religionem non ingrrediatur; ita nec ego pecco mortalitèr, ſi Religionis ingreſſum ipſi diſuadeo modo iam dicto.

DOCVMENTVM.

Diſputans de iniuria famæ, eiuſque debito reſtituendi.

Præmittuntur nonnulla de ſuſpitione, & de iuditio temerario;

MOnemus duplicem eſſe poſſe ſuſpitionem. Prima eſt leuis, & repentina, orta ex fragilitate humana, quæ eſt veluti quidam primus motus, & inuoluntarius præueniens rationem, qui tamen ab illa comprimitur, quando auertitur; & eſt veluti tentatio quædam quotidiana, qua Viri iuſti pulſantur videntes aliorum actionem. Secunda eſt grauis, deliberata, & voluntaria itaut, qui eam habet, aduertat ſe habere talem ſuſpitionem ex leuibus inditijs, ſicut proportionantèr in materia fidei contingit hic duplex modus dubitandi, vt primus non contrariatur propriæ fidei. Secundus vero facit hominem infidelem.

His ſtantibus: Accipe ſubſequentes propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Quando adeſt ſufficiens, & rationabilis cauſa ſuſpicandi, vel dubitandi; tunc ſuſpicari, vel dubitare nullum eſt peccatum.

RAtio huius propoſitionis eſt; quia rationabile videtur, vt quis ſecundum rectam ratione poſita tali propoſitione, valeat elicere actum ſuſpicandi, aut dubitandi: ergò tunc ſuſpicari, vel dubitare

Digitized by Google

tare eſt ſecundum rectam rationem, & prudentiam.

PROPOSITIO II.

Quando non adeſt ſufficiens, & rationabilis cauſa, ſi ſuſpicio ſit leuis, & repentina in quacumque materia, & de quacumque perſona, eſt tantùm peccatum veniale ſi eſt peccatum.

DIco: ſi eſt peccatum, quia ſi ſit omninò inuoluntarium, nullum eſt peccatum. Quod autem ſit peccatum veniale probatur: quia de hac loquitur ſanctus Thomas citans ſanctum Auguſtinum in principio articuli: huiuſmodi enim dubitationes, & ſuſpiciones, non tollunt amicitiam, & charitatem, & cadunt etiã in viros iuſtos, & prudentes, & in huiuſmodi ſuſpicionibus, aut nullum, aut certè leue damnum fit proximo interdum. Et ad hanc indicandam, ait S.Thomas, eſſe peccatum veniale, quando ex leuibus cauſis homo incipit dubitare; vbi non ponit hominem dubitare, ſed incipere dubitare, vt indicaret hãc dubitationem, vel ſuſpicionem inchoatam, & quę eſt veluti primus motus: quia ſimilis dubitatio de rebus fidei, non eſt peccatum mortale: ergò, &c.

PROPOSITIO III.

Suſpicio ex leuibus indicijs orta, ſi habeat in homine cauſam experimentalem, eſt peccatum veniale; ſi vero paruos, & modicos mores ſuſpicantis, vel odium, aut inuidiam, eſt peccatum mortale.

FAuet S.Thomas, qui ait ſuſpicionem poſſe oriri ex triplici cauſa ſupra explicata. Ratio eſt: quia ſi ſuſpicio oriatur prima cauſa; dum leuia ſunt indicia, eſt aliquod peccatum, & fit aliqua iniuria proximo: vnde qui ſunt valdè ſuſpicioſi, & de omnibus dubitant, ſunt intractabiles, & inepti ad humanam ſocietatem; eſt autem veniale; quia eſt iniuria modica, & non tollit amicitiam, niſi aliunde hoc peccatum aggrauetur ex experientia illa alio modo excuſet. Si verò oriatur ex alijs duobus capitibus, eſt peccatum mortale: quia habet cauſam mortalem, odium nimirum, vel malitiam propriam, niſi excuſentur ex leuitate materiæ: auferimus enim aliquid proximo ipſo inuito, quod nobis nullo modo fieri vellemus.

PROPOSITIO IV.

Suſpicio, aut dubitatio deliberato, & voluntaria ex leuibus iudicijs, eſt ex ſuo genere peccatum mortale; ideo ſi ſit in materia graui, præcipuè circa perſonas honeſtas, & habentes in pretio ſuam æſtimationem; eſt ſemper peccatum mortale.

PRrima pars probatur: quia illud vitium, quod intra limites ſuæ materiæ abſque eo, quod habetur à ſpecie alterius vitij, eſt peccatum mortale; eſt ex ſuo genere peccatum mortale, vt patet in mendacio, furto, &c. Sed ſuſpicio, etiam ex ſententia Soti, in materia grauiſſima eſt peccatum mortale; ergò & in hoc (vt benè auertit Bannes) Sotus non ſibi conſtat. Nec poteſt dici Sotum loqui ſuſpicione, vel dubitatione repentina: quia illa etiam in materia grauiſſima, ad ſummum eſt peccatum veniale.

Secunda pars, quæ etiam probabit primam. Probatur primò: quia illę perſonę habent ius ad bonam famam, & nomen, & illud magni faciunt, & pluris, quàm pecunias; interdum enim mallent amittere multam pecuniam, quàm illam bonam famam; hoc autem iure priuãtur ſine cauſa, & contra voluntatem: ergò eſt peccatum multo grauius, quàm furtum pecuniarum. Confirmatur: quia fit illi grauis iniuria, & talis dubitatio, vel ſuſpicio ſæpè ſufficit ne ſuperior conferat illi aliquod beneficiũ, quod alioquin eſſet collaturus. Secundò nullus vir prudens, & bonus vellet de ſe haberi talem ſuſpicionem, vel dubitationem ex leuibus indicijs: ergò qui habet talem ſuſpicionem, peccat contra id naturale præceptum: quod tibi

non

Digitized by Google

non vis, alteri ne feceris. Confirmatur: quia ſi quis ſciret alterum de ſe ita ſuſpicare haberet illum pro inimico: vnde ſanctus Auguſtinus lib. de Amicitia cap. 24. ait ſuſpicionem eſſe venenum amicitiæ. Tertiò ſi quis hanc ſuam ſuſpicionem exterius proferat, & interrogatus de moribus, & probitate viri honeſti, dicat ſe ſuſpicari illum eſſe talem; infamat illum, niſi aliunde excuſetur, & peccat mortalitèr; ergò etiam, qui interius ita ſuſpicatur. Confirmatur: quia huiuſmodi ſuſpiciones, aut dubitationes ſunt contra iuſtitiã, vt concedunt etiam Caietanus, & Sotus; peccata autem contra iuſtitiam, ſunt ex ſuo genere mortalia. Confirmatur: numquam id, quod eſt peccatum veniale ex ſuo genere, fit mortale, niſi mutando ſpeciem: ergò numquam ſuſpicio manens intra genus ſuſpicionis, erit peccatum mortale, in quacumque materia ſit. Denique viri boni, & timoratæ conſcientiæ non minus ſibi cauent ab huiuſmodi ſuſpicionibus, & dubitationibus in materia graui, quàm à iudicijs determinatis; quare regula, quam aſſignant Caietanus, & Sotus: quando nimirum non eſt iudicium certum, non eſſe peccatum mortale, non eſt vera; quia etiam ſuſpicio, vel dubitatio deliberata in materia graui ex leuibus indicijs, eſt peccatum mortale, & rationes omnes, quæ probant iudicium temerarium eſſe peccatum mortale ex ſuo genere, idem probant de hac ſuſpicione. Hinc patet non ſolum non debere, aut poſſe eum, qui habebat prius bonam opinionem de alio, ex leuibus indicijs mutare illam, quod docent Caietanus, & Sotus; ſed nec etiam poſſe, aut debere ex illis indicijs dubitare de illo.

Notantur nonnulla corrollaria.

SIT primum: parum refert ad hoc, vt ſuſpicio ſit peccatum mortale; vtrum breui, vel longo tempore duret, dummodo ſit deliberata: quia peccatum mortale non fit à longitudine, vel breuitate temporis; etiamſi, quæ longo tempore durant, ſoleant eſſe magis voluntaria, & deliberata.

Secundum patet: an liceat indicare alijs meram ſuſpicionem, vel iudicium, vel dubitationem; quando enim res eſt omnibus nota, & ex indicatione meræ ſuſpicionis, vel indicij non augebitur aliorũ ſuſpicio; tunc non eſt peccatum mortale indicare illud: quia nihil aufertur ibi, de quo eſt talis ſuſpicio; erit tamen veniale: quia erit male loqui de fratre, niſi habeat bonum aliquem finem; quando vero res eſt occulta, & ex indicatione meræ ſuſpicionis generabitur, vel augebitur ſuſpicio in alijs, ita vt fiat illi damnum notabile, erit peccatum mortale, niſi adſit rationabilis cauſa hoc faciendi.

De Iudicio temerario purè mentali.

CIrca hanc partem de ſubſequentes propoſitiones explicantes difficultates occurrentes. Sit ergò prima propoſitio.

PROPOSITIO PRIMA.

Iudicare aliquid mali de altero, quando adſunt cauſæ huius iudicij ſufficientes, nullum eſt peccatum, quodcumque malum ſit illud, quod iudicamus, & quæcumque perſona; de qua iudicamus.

CVnctorum Doctorum voto firmatur noſtra hæc propoſitio. Ratio hæc ſit pro rei veritate: huiuſmodi iudicium eſt conforme rectæ rationi, & prudentiæ; & hoc eſt, eſſe ſufficientem cauſam; eſſe ſcilicèt tale, vt ſecundum rectam rationem poſſimus ita ſuſpicare. Dixi autem iudicare aliquid mali: quia ſi iudicium fiat de bonitate alterius, nulla videtur eſſe quæſtio; quamuis enim nulla ad ſit rationabilis cauſa (cum nulli fiat iniuria) nullum eſt peccatum, niſi fortè per accidens ratione alicuius extrinſeci huiuſmodi iudicium vitetur; vt v. gr. ſi Princeps quicumque temerè iudicat aliquem eſſe probum, & ſanctum, & ideo conferat illi beneficium, quo eſt indignus omninò; in tali iudicio peccabit per accidens. Veritatem hanc ſupponunt Theologi, & poteſt confirmari ex illo Io. 12. Nolite iudicare ſecũdum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate;

Digitized by Google

dicate; vbi Chriſtus prohibens iudicium temerarium, commendat illud, quod eſt rectum, & legitimum. Solum verò eſſe poteſt difficultas, quæ ſit ſufficiens, & rationabilis cauſa, de qua poſtea dicemus.

PROPOSITIO II.

Iudicium temerarium ex leuibus indicijs & cauſis profectum in materia graui, eſt peccatum mortale ex ſuo genere; non ſolum ſi habeat certitudinem, quam requirit Caietanus, ſed etiamſi habet leuem aliquã dubietatem, quam ponit Sotus, quæ in moralibus nihil reputatur.

PRobatur primò: quia in iudicio particulari, & priuato indicia illa ſe habent ſicut in iudicio veridico ſe habent Teſtes: ſed Iudex, qui in foro externo iudicat ſine teſtibus ſufficientibus, & veridicis; etiamſi ex hoc iudicio nihil aliud ſequatur damni, quàm, quod ille iudicetur malus; peccat mortalitèr; ergò etiam iudicium priuatum, de quo loquimur, erit peccatum mortale. Accedat altera ratio: hoc iudicium, temerarium pugnat cum vera amicitia,& honore proximi: nemo enim iudicabit ſuum amicum illum, qui de ſe ipſo ita iudicat. Altera ratio: qui ita iudicat, priuat aliquem bona fama in re magni momenti, ad quam habet ius: ille enim ſicut habet ſuam famam depoſitam apud alios, ita apud illum, qui iudicat, & habet ius ſuæ famæ tàm apud alios, quàm apud illum qui iudicat. Item: quilibet homo honeſtus, & bonæ famæ mault priuari pecunia, quàm bono famæ, quam habet apud quemlibet. Item qui ſic iudicat de proximo, iudicat illum indignum beneficijs publicis, v. gr. etſi ad illum pertineret talia beneficia diſtribuere, priuaret eum illis; confirmatur quia ſe exponit periculo illum infamandi: conceptum enim ſermonem tenere quis poteſt Iob. 4. Confirmatur ſecundò: ſi aliquis reuelat peccatum ſecretum proximi vni tantùm peccat mortalitèr: quia priuat illum ſua bona opinione, & fama: ergo eodem modo, qui iudicat, peccabit: quia priuat illum ſua bona fama apud ſe. Tandem: iſte habet ius ad ſuam famam, & honorem apud omnes, etiam apud illum, qui iudicat, & inuitus priuatur hac fama: vnde Melchiades Papa in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ait iudicium temerarium eſſe contra illum præceptum naturale: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Adde: quia qui ita iudicat, vſurpat quod eſt proprium Dei, qui ſolum iudicat de occultis, vt patet Hieremiæ 13. hinc ſanctus Paulus primę Corinthiorum 4. Nolite ante tempus iudicare. Vide Auguſtinum in Sermone Domini in monte, & ex illo ad Roman. 14. & Chriſtus Matth. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini; & ſanctus Auguſtinus exponens illud primæ Corinthiorum 4. tract. 90. in Ioannem, ait debere non continere, & cohibere firmas, & diffinitiuas ſententias de proximo.

DIFFICVLTAS.

Quæ materia dicatur grauis ad hoc, vt iudicium ſit temerarium.

MOnemus quod materia circa quam iudicium temerarium verſari poteſt, in triplici differentia valeat aſſignari: poteſt enim eſſe leuis, grauis, grauiſſima. Et quidem de grauiſſima non eſt difficultas; ſunt enim peccata quædam valdè enormia, qualia v.g. ſunt peccata hæreſis, crimen læſæ Maieſtatis, & ſimilia. Difficultas ſolum eſt de materia graui, & leui; hac enim videtur dici talis in ordine ad alium, quia illa materia, quæ reſpectu vnius eſt grauis, reſpectu alterius eſt leuis: v.gr. iudicare de viro graui, & ſancto, qui apud omnes habetur de tali, ipſum eſſe leuem, vel indeuotũ, vel aliquid tale, videtur materia grauis; iudicare autem illud idem, immò etiam aliquid amplius de alio, non videtur materia grauis; in communi tamen poſſumus dicere materiam grauem eſſe quodcumq; per peccatum læditur fama, honor proximi; vnde fit, vt ipſe condemnatur, & iudicetur indignus officio aliquo, vel beneficio, quod poſſet illi conferre. Hęc regula ita ſim-

Digitized by Google

ſimplicitèr, & abſolutè prolata videtur clara: quia in hiuſmodi materia notabile damnum infertur proximo, & illi fit grauis iniuria; quando autem materia habeat has conditiones in caſibus particularibus, difficile eſt explicare; ad hoc tamen faciendum afferemus varios caſus in quibus hoc videtur contingere, vt ex illis vir prudens iudicare poſſit, quæ ſit materia grauis.

Accipe ergò hæc corrollaria.

PRimum ſit: per ſe loquendo inter Chriſtianos quodcumque peccatum mortale eſt materia grauis iudicare aliquē commiſiſſe peccatum mortale: quia qui committit peccatum mortale iudicatur inimicus Dei, infames apud Deum, & reus gehennæ, ignis ſocius, & filius Diaboli, & dignus, qui ab omnibus contemnatur, & ideo per ſe loquendo iudicium temerarium, quod aliquis comiſerit peccatum aliquod mortale, eſt peccatum mortale.

Dixi per ſe: quia ſunt aliqua peccata mortalia, quæ ex hominum iudicio non habentur pro infamibus; vnde illa committens, non erubeſcunt; v. gr. inter milites vindicare iniurias, occidere inimicū, procurare illum ad ſingulare certamen, & ſimilia, non videtur materia grauis.

Secundum corrollarium. Peccatum veniale per ſe loquendo, & ex ſuo genere non eſt materia grauis: quia per illa peccata fama proximi parum læditur. Dixi per ſe, & ex ſuo genere: quia ſunt aliqua peccata venialia per quæ eodem modo, & magis etiam infamantur aliquæ perſonę valdè honeſtæ, quàm alię per mortalia: v.g. inter perſonas Eccleſiaſticas, & Religioſas, interdum peccata venialia grauiora cenſentur, quàm mortalia inter ſæculares; vndè etiam priuantur officijs, & honoribus, vt ſunt mendacia frequentia, varia genera leuitatum, ludere quibuſdem generibus ludorum, noctu deambulare armatum, & ſimilia, quæ ſint peccata venialia; vndè huiuſmodi peccata ſunt etiam materia correctionis fraternæ.

Tertium corrollarium: ſequitur ex his, iudicare aliquem eſſe fatuum, vel ſtultum ex leuibus indicijs, eſſe materiam grauem etiamſi non iudicetur de illo aliquod malum culpæ: quia hoc cadit in detrimentum, & iniuriam illius, de quo fit hoc iudicium; ſicut enim nos iudicamus ſapientes, & prudentes veneramur; ita quos iudicamus fatuos contendimus; vnde Herodes iudicās Chriſtum ſtultum, contempſit illum, & ideò Chriſtus Dominus Matth. 5. ait: qui dixerit fratri ſuo fatuæ dignus eſt gehennæ ignis. Tandem ſequitur eſſe grauem materiam iudicare eum qui ex honeſtis parentibus creditur eſſe legitimū, prouenire ex Hebreis, vel Mauris; ita vt propter hos defectus illos contemnat, vel iudicet indignos honoribus, & muneribus, quibus communitèr digni iudicantur: quia in hoc iudicio fit illis grauis iniuria, quam ille magis ægrè fert, quam iacturam multarum pecuniarum, & auffertur illi honori, qui ſecundum leges, & iura ordinaria illi debetur.

Dices quod ſi aliquis hæc iudicaret, & tamen propter hoc, illum non contemneret, nec iudicaret indignum honoribus, & muneribus, imò propter virtutes ipſius iudicaret illum indignum quolibet honore? Salon ait ſecundum Thomiſtas recentiores non eſſe materiam grauem; quia parum læditur honor illius; quæ ſententia eſt probabilis; contraria, tamen videtur probabilior: quia etiamſi non iudicet indignum propter alias virtutes, verè tamen iudicare in illo eſſe tale defectum, eſt cōtemnere in hac re, ita vt, qui erat dignus duplici honore iudicetur tantùm dignus vno, et ex natura rei quilibet ægrè fert de ſe haberi tale iudicium.

Petes: quid ſi quis iudicaret aliquem eſſe indoctum, vel ignorantem, vel quod ſit male argumentatus, vel quod ſit prodigus, vel auarus, vel quid ſimile; erit ne materia grauis? Reſpondeo iuxtà qualitatem perſonæ eſſe materiam grauem, vel leuem; ita vt, qui, illi de quo fit tale iudicium, fiat grauis iniuria ex qua ſequitur contemptus, aut quid tale, ſit materia grauis. Dices: Viri Chriſtiani, et prudentes non debent curare huiuſmodi iudicia iuxta illud primæ Corinthiorū 4. Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicet, aut ab humano die etc. ergo illis nihil nocet, ſiue iudicentur nobiles, ſiue ignobiles, etc. Reſpondeo illud eſſe bonum

Digitized by Google

num conſilium, quod non ſeruatur à viris timoratis, qui volunt in via Dei egredi: ex hoc tamen nō pendere grauitatem materiæ, & peccati mortalis: alioquin nec furtum, neq; homicidium eſset peccatum mortale; quia viri valdè pij, nec curant pecunias, nec damna temporalia; grauitas autem materiæ attenditus ex natu ra rei, & ex eo, quod quis rationabilitèr poteſt nolle; hic autem à parte rei eſt graue damnum, vndè Sapiens ait: Curam habe de bono nomine; quia melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, & tamen alibi dicitur huiuſmodi non debere curari: quia nimirum non debet præponi Diuinæ voluntati, & quia poteſt interdum propter Deum ſperni.

DIFFICVLTAS.

Quæ indicia ſint ſufficientia, vt iudicium non ſit temerarium.

IN hac re illud certum eſt cum materia, de qua agimus, moralis ſit, non eſſe in ea quærenda indicia, & ſigna demonſtratiua: hoc enim eſt moralitèr impoſſibile, & vt dicebat Ariſtoteles, eſt neſcire diſtinguere moralia à mathematicis, & naturalibus; vna neque ad condemnandum aliquem in iudicio externo, neceſſaria ſunt indicia externa demonſtratiua, ſed vbi adſunt teſtes iuridici, credit illis Iudex, & condemnant reum, & tamen teſtes illi non demonſtrant euidentèr rem ſe habere. Certū etiam eſt quādo adſunt teſtes iuriditi, quibus poteſt homo in iudicio condemnari; tunc eſſe ſufficientia indicia, ne iudicium ſit priuatū temerarium, vt docet S. Thomas hic ad primū; ſi enim teſtes illi ſufficientes ſunt pro iudicio externo, & publico, multò magis ſufficientes ſunt pro interno, & priuato. Quamuis autem S. Thomas aſſerens ſigna, & indicia ſufficientia ponens teſtes, non vult tamen hos ſemper requiri; ſed ſolum oportet exemplum indiciorum ſufficientium; vndè videmus Salomonem 3. Regum cap. 3. ſine teſtibus feciſſe iudicium ſapientiſſimū de illis duabus mulieribus; ſolùm ex alijs indicijs, quæ ipſe inueſtigauit. His poſitis, vt explicemus aliquo modo, quæ ſint inditia ſufficientia; ſupponendum eſt difficile eſſe illa determinare in particulari, & maximè pendere ex iudicio prudentis, & boni viri, qui conſideratis omnibus circumſtantijs determinat an ſint indicia ſufficientia. Accipe ergò hęc documenta.

DOCVMENTVM PRIMVM.

PRimò ergò debet haberi ratio temporis: hoc enim interdum variat omninò circumſtantiam, & iudicium quod ſecundum illam fieri debet, v. g. ſi video hominem mihi ignotum medio die coram multis admouentem ſcalas alicui feneſtræ; non eſt ſufficiens indicium ipſum admouere ſcalas ad furandum; quod ſi viderem hoc facere noctu, & furtim, eſt valdè vehemens indcium ipſum hoc facere malo animo.

DOCVMENTVM II.

SEcundò debet haberi ratio perſonæ, tàm illius, de qua iudicamus, quàm illius, à qua audimus delictum alterius: hæc enim circumſtantia plurimum facit, ſi enim qui narrat aliquid eſt vir prudens, qui non ſolet ſpargere vanos rumores, nec malè loquitur de alijs, & alius, de quo nūnciat malum non eſt valdè bonæ famæ; indicium eſt valdè ſufficiens ad iudicandum de illo malum; præſertim quādo ſcimus enim, qui nunciat non eſſe inimicum alterius, & videmus narrare illud in bona occaſione ſignum videtur morale illum non narrare malo animo, vt alteri noceat, ſed ſolum, quia res ita ſe habet. Quod ſi ille, de quo fit iudicium, eſſet etiam ipſe vir granis, & honeſtus, aut qui narrat eſſet leuis, vel inimicus, &c. tunc dictum alterius non egreditur ſufficiens ad iudicandum. Dices: quid ſi nemo dicat in particulari, ſed ſit fama incerta nullo conſtans certo authore; erit ne ſufficiens indicium? Reſpondeo, ſi ille, de quo ſit fama illa, ſit alioquin malæ famæ in eo genere delicti, tunc liceret dubitare, vel ſuſpicari, vel etiam interdum iudicare. Quod ſi ille ſit bonæ famæ, non videtur hoc eſſe ſufficiens indicium, niſi

forte

Digitized by Google

fortè ad ſummum, vt poſſimus ratione illius dubitare. Dixi ad ſummum; quia interdum nec ſufficiet ad hoc, huiuſmodi enim rumores ſolent eſſe falſi, & ſparſi ab aliquo improbo, & maleuolo, qui non audet ipſe in ſe illud recipere, & ſua authoritate confirmare, ſed nititur quantùm poteſt hac fama ad infamandum aliquem virum bonũ, & bonum, & honeſtum. Conſiderandus eſt etiã locus, in quo aliquid fit: ille enim interdum multum facit; hæc tamen ſunt ſecundùm leges prudentiæ menſuranda, etſi fuerit vnum ex his tribus ſolùm oſtẽdens malum, alia verò indifferentia, vel excuſantia à malo conſiderandum erit, quod præualeat.

Hæc autem, quæ diximus de iudicio priuato, intelligenda etiam ſunt de publico, niſi tamen in illo iudicãdum ſit ſecundùm leges, & habeantur indicia illa, quæ à legibus præſcribuntur, ita vt plura requirantur ad condemnandũ, quàm ad abſoluendũ, ſicut fecit Rex Salamon, quãdo in iudicio illo dedit infantẽ matri, nõ tamẽ puniuit aliam, quæ ſuum interfecerat:

DIFFICVLTAS.

An, & quomodo debemus interpretari dubia in meliorem partem.

NOtandum eſt primò ex S. Auguſtino lib. 2. de ſerm. Domini in monte, actiones proximiorum, de quibus poſſumus ferre iudicium eſſe in triplici differentia: quædam videntur malæ, & reuera ſunt malæ, vt homicidium, &c. Quædam ex natura ſua ſunt bonæ, etiamſi ex malitia hominum poſſint malè fieri, vt oratio, ieiunium, &c. Quædam ſunt indifferentes, quia poſſunt benè, & malè fieri. Certum autem eſt iudicare eos, qui exercent opera primi generis, eſſe malos, & peccare exercendo huiuſmodi opera non eſſet peccatum, quia etiamſi poſſimus interdum illos excuſare, quod fuerint, v.g. victi à paſſione, certum tamen eſt, in illis actibus peccaſſe, & hoc modo Chriſtus Mat. 7. ait: A fructibus eorũ cognoſcetis eos; quod S. Auguſtinus ait, eſſe iudicium prudentiſſimum, & in huiuſmodi operibus habetur omnis euidentia, quæ haberi poteſt de illarum malitia, nec poſſunt excuſari à peccato ratione intentionis, quamuis interdum laudabile eſt, ſi ille, qui eſt priuatus homo ſuſpenderet iudicium in huiuſmodi operationibus, nec vellet de illis cogitare; imò ſi ipſi humiliaret, dicens illud S. Patris noſtri Franciſci: Si Deus permiſiſſet me tentari, ſicut iſte, multò peius feciſſem: & illud S. Pauli 1. Corinth. 10. Qui ſtat, videat ne cadat. Similitèr certum videtur in operationibus ſecundi generis, quando non conſtat certò de mala intentione agentis, eſſe peccatum grauiſſimum iudicare illas eſſe malas, & eſt peccatũ ſimile peccato Phariſæorum, qui dicebant de Chriſto: In Belzebu Principe Dæmoniorum, &c. Difficultas ergò eſt de operibus tertij generis: an debeamus illa ſemper interpretari in meliorem partem, & aliquo etiam modo de operibus primi generis, quando poſſunt excuſari à peccato.

Monemus ſecũdò, vt docet Caietanus hoc loco, regulã S. Thomę duobus modis intelligi poſſe; primò negatiuè; ſecundò poſitiuè. Si intelligatur negatiuè, ſenſus eſt: dubia non eſſe in deteriorem partem interpretanda, ita vt quãdo intelligimus, vel videmus factum proximi dubium, nihil iudicemus de illo, ſed perſiſtamus in eodem bono iudicio, quod anteà habebamus. Si verò intelligatur regula illa poſitiuè; ſenſus eſt teneri omnem facere poſitiuũ iudicium de bona intentione operantis, & de bona operatione illius, & hoc ſecundo modo, adhuc regulam illam duplicitèr intelligi poſſe. Primò, vt ſolum dicatur bonum eſſe, quando huiuſmodi operationes occurrunt elicere tamen bonum iudicium. Secũdò, vt ex ſuppoſitione, quod iudicandum ſit, & eliciẽdus ſit aliquis actus opinionis, debeamus elicere actu in bonæ opinionis.

Monemus tertiò, ex eodem Caietano intellectum practicum in moralibus duplicitèr concurrere, primò vt cognoſcentem, ſecundò vt dirigentem; & vtroque modo poſſe eſſe verum, vel falſum. Dicitur intellectus concurrere, vt cognoſcens, quando actus illius terminatur tantùm ad rem ipſam cognoſcendam; cõcurrit verò, vt dirigens, quatenus ad effectum ordinatur, ad voluntatẽ, & eſt prin-

Digitized by Google

cipium operationis; tūc autem intellectus, vt cognoſcens eſt verus, quando eſt conformis rei cognitæ, tunc autem eſt verus, vt dirigens, quando eſt conformis recto appetitui, vt docet Ariſtoteles 6. Eticorum cap. 2. & S. Thomas prima ſecundæ q. 57. artic. 5. ad tertium, ita vt ſit principium bonę operationis moralis; poteſt autem contingere, vt interdum intellectus ſit falſus in ratione cognoſcentis, quia nō conformatur rebus, & tamen ſit verus in ratione dirigentis v.g. intellectus iudicat aliquem eſse in extrema neceſſitate, qui tamen nō eſt, & ideò iudicat eſse illi ſubueniendum, & appetitus mouetur, & ſubuenit, tunc intellectus ille eſt falſus in ratione cognoſcentis, ſed eſt verus in ratione dirigentis, & hoc eſt, quod ab alijs explicatur alijs terminis; intellectum nimirum eſset falſum, vt eſt ſpeculatiuus, ſeu ſpeculatiuè, non autem practicæ, ſeu quatenus eſt practicus. His poſitis, Caietanus ait Regulam S. Thomæ eſse intelligendam negatiuè, quod idem docet Aragoa, Bannes, & Valentia. Sotus verò ait eſse intelligendam poſitiuè, quia alioquin neceſsariò elicitur actus poſitiuus contrarius. Monemus tandem ex S. Thoma aliud eſse iudicium de rebus, aliud de perſonis. Quamuis moraliter valdè difficilè ſit iudicare vnum ſine altero, vt docet Sanctus Thomas quol. 12. art. 3. His præmiſſis: difficultates circa hanc materiam reddentur ſolutæ ſubſequentibus propoſitionibus; quarum prima ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Ex ſuppoſitione, & ad cautelam, & remedium poſſumus dubia in peiorem partem interpretari.

V. g. video hominem, cuius habitus, & diſpoſitio indicant eum eſſe furem, vt ego abſolutè non iudico eſſe furem, ſed poſito, quod forſan poſſet eſſe, proſpicio domui meæ, ne ſi fortè eſſet fur, aliquid mihi furari poſſet; huiuſmodi autem actus, docet S. Thomas, & alij, bonus, & licitus eſt: quia non iudicamus in eo temerè de proximo ſed timemus iuſte & prudentèr occurrimus damno, quod poſſet accidere: omnis autem prudentia docet nos hoc eſſe faciendum. Cōfirmatur: quia ad huiuſmodi cautelas tenentur Principes, & Prælati erga ſuos ſubditos, & hac de cauſa præcipitur, vt vigilent ſupra gregem, & attendant falſis prophetis, nec omni ſpiritui credāt; & idē eſt de Patribus familias reſpectu filiorum & filiarum, & hoc nomine commendatur S. Iob. qui nihil mali iudicās de filijs ſuis, offerebat tamen pro eis ſacrificia ſingulis diebus, dicens: ne fortè peccauerint filij mei. Confirmatur: quia in huiuſmodi cautelis, nulla illis fit iniuria; ſed ſolùm occurritur malo, quod poſſet euenire, & ex hac regula ait Caietanus, Prælatos debere ſubditos ex factis dubijs non augere malitiæ, & punire; ſed bonam opinionem ſicut prius de illis habere, & tamen cautelas adhibere proindè, ac ſi mali eſſent; quā tamen in re cauendum eſt ne aliquid fiat, quod deroget famæ proximi, ſicut etiam cauendum eſt, ne in huiuſmodi cautelis nimij ſimus, ita vt vel ſubditos ad amaritudinem prouocemus, vel alijs præbeamus occaſionem malè iudicandi cum videant adhiberi remedia nimis ſeuera, & extraordinaria.

PROPOSITIO II.

Si feramus iudicium non de perſona, ſed de operatione iuſta ſecundùm ſe, quod ſe habeat modo quodam ſpeculatiuo, non debemus illam interpretari in meliorem partem, nec etiam in contrariū, ſed debemus iudicare, vt eſt in ſe.

ITA docet D.Thomas in artic. hoc ad ſecundū, quia nemo tenetur iudicare de rebus, niſi quatenus earū materia exigit. Secundò ius naturale tantùm requirit, vt non priuemus fratrem ſuo honore, nec cōtemnamus illū: hoc autē ſeruatur ſi fiat, quod diximus, ergò, &c. Præterea intellectus benè operatur, quando producit actū talē quale eſt obiectū, quod illi propoſitum eſt, & ideò nullus eſt quantumuis timoratæ conſcientiæ, qui ſe accuſet in confeſſione de hoc iudicio, quando nihil iudicauit de perſona; maximè quia hoc

hoc iudicium ſæpè non poteſt prohiberi. Denique nemo tenetur iudicare facta proximi; ergò ſi iſte nihil dicat de huiuſmodi operationibus, nec velit illas iudicare, non peccat: ergò nec tenetur interpretari illa in meliorem partem, ſed poteſt iudicium ſuſpendere.

PROPOSITIO III.

Oblata occaſione rei dubiæ, ſi iudicium feratur de perſona ipſa, tenemur illam interpretari in meliorem partem negatiuè eo modo, quò docet Caietanus.

S. Thomas ità inſinuauit in art. dicens fieri iniuriam proximo, ſi feramus ſententiam contra illum, quando non habemus cauſam, quæ nos ad hoc prouocat; quia nimirum auferimus illi honorem, & ius, quod habet ad illum; & hunc ſenſum optimè oſtendit ratio S. Thomæ in artic. & in hoc ſenſu ait Caietanus eſſe intelligendum illud Matt. 7. Nolite iudicare, et nō iudicabimini: Qui non manducat, manducantem non iudicet: ad Rom. 14. Confirmatur: quia ſi negatiuè nos habeamus, nullum eſt periculum falſi iudicij contra proximum, imò expedimus nos ab omni difficultate.

PROPOSITIO IV.

Ex ſuppoſitione dubia eſſet in meliorem partem interpretanda.

IDeſt: poſito, quod quis velit exire in actum poſitiuum iudicij, tenetur interpretari in meliorem partem habendo bonam æſtimationem de proximo; et hoc modo poteſt intelligi, quod dicit S. Thomas dubia eſse in meliorem partem interpretanda. Fauet ratio: quia alioquin aufertur bona fama, et honor proximi ſine ſufficienti cauſa: Idem probatur ex regula 11. de regulis iuris in 6. quæ ita habet: quando iura ſunt obſcura, rei faciendum eſt potius, quàm authori, et regula 65. in pari delicto, et cauſa, melior eſt conditio poſſidentis, quamuis iſtæ regulæ. Loquamur de iudicio externo, proportionabilitèr tamen accommodantur ad iudiciū de quo loquimur; cum vnuſquiſque habeat ius ad bonam formam, quamdiù nō probatur mala, vt & poſseſsor bonæ, et in hoc iudicio particulari habet ſe, vt reus: ergò, etc. Confirmatur: quia eſt regula: in cauſa dubia poſſidentem non eſse ſpoliandum re, quam poſſidet; hic autem ſpoliaretur bona opinione, quam ex iure naturæ poſset velle. Accedat altera ratio: quando elicimus actum iudicij, neceſsarium eſt nos declinare in alteram partem, ita vt ſi non iudicemus in partem meliorem: debeamus neceſsarium iudicare in peiorem; ſi autem hoc faciamus, facimus illi iniuriam, et contra præceptum naturæ: Quod tibi non vis alteri ne feceris. Confirmatur cap. vnico de ſcrutrinio habetur: quem non volo dignum, debeo habere pro indigno: ſed quādiù res eſt dubia, proximus non cognoſcitur malus; ergò debeo illum habere pro bono. Confirmatur ſtāte iudicio ſpeculatiuo dubio, quod proximo poteſt fieri iniuria, habendum eſt tanquàm certum, et rectum iudicium practicum, per quod non fit illi iniuria; v. g: dubitat mulier poſt matrimonium conſumatum, an ille, cui nupſit ſit ſuus vir; ſtante hoc iudicio ſpeculatiuo dubio, non poteſt illi petenti negare debitum, quia fecerit illi iniuriam; debet enim elicere hoc iudicium practicum; teneor reddere debitū, vt habetur cap. Dominus de ſecundis nuptijs ne ſcilicèt faciat iniuriam viro ſuo; ergò ſimilitèr quādo dubitatur de facto proximi, et eſt eliciendum iudicium, cum per illud niſi declinemus in meliorem partem fiat iniuria proximo: debemus in illam declinare, et in hoc ſenſu ſententia Caietani ab omnibus recipitur; quoniam tamen moralitèr loquendo vix ſcimus ſuſpendere actum, et habere nos negatiuè (omnes enim communitèr volumus iudicare de alijs) difficultas eſt; an teneamur ſemper elicere tale iudicium poſitiuè de bonitate proximi.

Digitized by Google

PROPOSITIO V.

Simplicitèr, & abſolutè loquendo non videtur neceſſarium elicere actum poſitiuum iudicij in meliorem partem de bonitate proximi, ſed ſufficit negatiuè ſe habere.

PRobatur: quia tunc nulla fit iniuria proximo. Dices cum Soto: impoſſibile eſt ſuſpendere actum, & non contemnere: quia hoc ipſum eſt dubitare de bonitate proximi, quam antea iudicabamus illi ineſſe. Confirmatur, quia hic ſuſpendens hoc modo iudicium, ſaltem ſe exponit morali periculo poſitiuè iudicandi ſine cauſa ſufficienti: Confirmatur: quia hoc ipſum ſuſpendere, eſt mutare opinionem, quam habebamus bonam, in peius. *Reſp.* negando antecedens: ſunt enim hic duo valdè diſtincta, quæ Sotus, & Salon ſumunt pro eodem: quia aliud eſt ſuſpendere iudicium nihil iudicando, quod vult Caietanus; aliud ſuſpendere bonam opinionem, quam prius habebamus de Viro. Primum eſt negatiuè ſe habere, & nihil mutare de eo, quod prius iudicamus. Secundum verò eſt mutare opinionem præcedentem, & cũ prius certo iudicaremus hominem illum eſſe bonum, incipere aliquo modo dubitare de bonitate illius. Primum fit ſine iniuria proximi, imò cum aliquo honore illius: ſi enim ex eo, quod prius benè iudicabamus de illo, etiamſi adueniat ratio aliqua probabilis dubitandi, nolumus dubitare, hoc ipſum cadit potius in honorem fratris, quàm in contemptum. Secundùm verò eſt cum iniuria: quia aufertur illi ius, quod habebat ad bonam opinionem; nos autem cum Caietano ſumimus primum modum; Sotus verò ſecundum: quare ad primum negatur antecedens. Ad confirmationem ſi verè moralitèr adſit illud periculum; tũc erit caſus, in quo tenebimur elicere actũ poſitiuum iudicij boni, vt notauimus in 4. propoſitione, Ad ſecundam confirmationem negatur antecedens. Accedat alia ratio pro noſtra propoſitione: nullo iure teneor hic, & nunc elicere iudicium illud poſitiuum de bonitate proximi, & præceptum de honorando proximo eſt potius negatiuum, quàm affirmatiuum, & in ſcriptura non habemus præceptum de benè iudicando de proximo, ſed ſolùm de non malè iudicando: Nolite iudicare, &c. Nec videtur conformæ rationi, quod ex ambiguo ſemper inducatur nobis neceſſitas benè iudicandi de proximo; ſicut ergò, & ſi teneamur diligere proximũ, nõ tenemur tamen elicere poſitiuum actũ, niſi tempore neceſſitatis; ita quamuis teneamur habere bonam æſtimationem de proximo; tenebimur tamen hoc facere tantum in neceſſitate. Dixi in propoſitione ſimplicitèr, & abſolutè loquendo: quia interdum per accidẽs ratione moralis periculi tenebimur elicere actum poſitiuũ bonũ.

Hac in re admitti poteſt diſtinctio Salon, quod nimirum frater ille, de quo debet iudicare, vel eſt mihi notus, & à me habitus tamquam vir bonus antè huiuſmodi iudicium, vel eſt ignotus: ſi eſt notus, maius eſt periculum in ſuſpenſione illius actus: quia cum ſit mihi notus, maior erit tentatio iudicãdi de illo, & magis videtur mutari bona opinio quam habebam de illo, quàm ſi eſſet ignotus omninò, & ratione huius periculi minus videbitur licere ſuſpenſio illa actus. Quod autem ait Salon, ſi ille ſit ignotus, licere mihi dubitare, quia non muto opinionem, quam de illo prius habebam, nec priuo illum vllo honore, nec contemno: non videtur verum, nec conſonare ijs, quæ docet idem in ſuis concluſionibus; Vide illum; nec dicit verum; quia, qui mihi eſt ignotus, habet ius ad propriam famam, & (vt ille ait) ille quem non noui indignum, debet à me iudicari dignus. Dices cum eodem: illud ius, quod quis habet ad bonam opinionem ſi ſit determinatum, & in particulare eſſe tale, vt fiat illi iniuria ſi dubitet in particulari; ſi autẽ ſit indeterminatum, & in communi non habere hanc eamdem conditionem, & ſic ſemper priuare hominẽ ſuo iure ſine cauſa eſt iniuſtum, ſiuè illud ius ſit certum, & determinatum, ſiue non. Illud autem, quod dicit Salon, poſſet quidem facere, vt ſit maius, vel minus peccatum, eo quod ſit maius, vel minus ius; non poterit tamen

men facere, vt nullum ſit peccatum.

Oppones primò: Verba quibus in ſcriptura præcipitur, vt habeamus bonam opinionem de alijs, ſolum prohibent ne iudicemus, ideſt ne certò aſſentiamur vni particulari. Secundò nemo tenetur extra caſum neceſſitatis exhibere honorem, vel beneficium aliquod proximo: hic autem non eſt caſus neceſſitatis. Confirmatur; quia nō tenemur extra neceſſitatem exhibere honorem cum noſtro damno: hic autem eſt damnum proprium, deceptio nimirum, & error intellectus. Tertiò quādo factum fratris bonum, poſſum ceſſare ab omni opinione: ergò licebit ſimilitèr quando video malam eius operationem, ſuſpendere omne iudicium. Quartò illud iudicium, quod poteſt haberi in confeſſione ſacramentali, poteſt haberi extra illam (cum vtrobique iudicium debeat eſſe rectum:) ſed poſſumus in confeſſione ſacramentali, dubia tàm noſtra, quàm aliena in peiorem partem interpretari; ergò idem licebit extra cōfeſſionem. Quintò, ſi in re dubia proximus habet ius ad propriam famam, & tenemur declinare in meliorem partem; ergò ſi quis maneat anceps, erit peccatum mortale, ſi ſit materia grauis: ſed ex ijs, quæ diximus ſupra poſſumus dubitare poſitis ſufficientibus indicijs; ergò, &c.

Denique, ſi vir valdè honeſtus, & fide dignus referat mihi aliquod graue malum de alio viro honeſto, & bonæ famæ; ſi ſi conſideremus honeſtatem referentis, nō poſſumus dubitare de veracitate illius; ſimilitèr conſiderando honeſtatem alterius non poſſumus dubitare de bonitate illius; ergò in hoc caſu, ſi credamus dicenti, facimus iniuriam illi, de quo agitur; ſi non credamus facimus iniuriam dicenti: ergò quidquid facimus ſemper eſt peccatum.

Ad primum reſpondeo eodem præcepto prohiberi grauiſſima peccata, & minus grauia, ſicut quando prohibetur homicidium, prohibetur etiam mutilatio. Ad ſecundum reſpondeo indè benè probari ſæpè ſufficere ſuſpenſionem actus. Ad cōfirmationem reſpondeo iuxtà ſupradicta cum Caietano in hoc caſu non eſſet periculum erroris practici, ſeù in intellectu practico, quatenus eſt practicus, & dirigens, ſed ſolùm quatenus eſt cognoſcens, & ſpeculatiuus; illud verò iudicium de bonitate proximi, quāuis ſecundùm quid ſit malum, intellectus, ſimplicitèr, & abſolutè eſt bonum illius morale, & teneor potius elicere bonum ſimplicitèr ad vitandum malum ſimplicitèr, quàm bonum ſecundùm quid ad vitandum malum ſecundùm quid, ſicut inquit Caietanus, videre, vel non videre columnas Herculis, nullum malum eſt, tamen videre malè columnas illas, ſi ex defectu organi, aut potentiæ procedat, malum eſt; quod ſi nō procedat ex hoc cap. ſed aliundè, nullum eſt malum potentiæ viſiuæ, quamuis ſit aliqua imperfectio in illo actu videndi, eadem ratione decipi, benè iudicando de fratre, quamuis ſit malum intellectus ſpeculatiui, non verò practici, ſed bonum, quo vitatur aliud maius malum, nimirum contemptus fratris.

Ad tertium Reſpondeo primò concedendo totum. Secundò nego paritatem, quando non viſo bono actu fratris ſuſpendo actum, nullam illi facio iniuriam; quādo verò viſo malo actu, ſuſpendo in eo caſu, in quo deberem elicere actum poſitiuum, facio iniuriam, vt ſupra dixi. Ad quartum reſpōdeo eſſe magnam differentiam inter hæc duo iudicia: quia ex confeſſione ſacramentali nulla ſit iniuria, ſi ad cautelam, vel ad remedium inclinem in partem peiorem, imò illi ſubuenio quantum poſſum, in alio verò iudicio ſit iniuria modo explicato. Ad quintum reſpondeo, poſitis ſufficientibus indicijs dubitandi non eſſet peccatum dubitare.

Vt reſpondeamus ad ſextum:

MOnemus primò in hoc caſu eſſe valdè conſiderandas illas circumſtantias, loci, temporis, & perſonarum, & præcipuè: an ille, qui narrat aliquid ſit vir fide dignus: an dicat ſe audiſſe, vel vidiſſe; an ſit malè affectus erga illùm, de quo loquitur; an dum narrat factū oſtendat ſe eſſe commotum, & deſiderare detrahere proximo, & ſimilia, quæ in iudicio externo conſiderari ſolent; vt ſi bis narret factum; an ſemper narret eodem modo; & cum ijſdem circumſtantijs; ſimilitèr conſiderandum qualis ſit ille, de quo narratur.

Mone-

Digitized by Google

Monemus ſecundò experientia conſtare virum honeſtum facilius caſurum in aliqua peccata, quàm ſeriò, & in re graui falſum dicturum de fratre, quia hoc ſecundum procedit ex malitia, primum verò ex fragilitate, quàm ex malitia. Præterea facilius eſt quando cætera ſunt paria, vt vir honeſtus, & grauis quando exiſtimat rem futuram occultam, indulgeat genio, aut aliquod peccatum committat, quam exponere ſe periculo oſtendendi ſe mendacem. His ſtantibus, accipe ſubſequentes propoſitiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Certum eſt, ſi ille; qui refert malum alterius ſit Vir honeſtus, & fide dignus, alius verò improbus, & qui ſoleat ſimilia perpetrare, non eſſe temerarium credere id, quod ille narrat.

PRobatur; quia in hoc caſu ille, qui refert hoc malum de altero, poſſidet apud me bonum nomen, quo alter caret, & in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. Confirmatur, quia ſi non iudicem, aut dubitem de malitia alterius, dubito de veracitate dicentis, hæc autem nulla eſt ſufficiens cauſa huius dubij. Similitèr certum eſt, ſi ille, qui narrat peccatum alterius non ſit dignus fide, ſed ſæpè ſoleat narrare falſa, & fingere illa, vt alijs detrahat; aut ſi ille, qui narrat ſit fide dignus, ſed ipſe non viderit, ſed audierit ab alio, qui non eſt fide dignus, & vndè ille cuius peccatum narratum, ſit vir honeſtus, & bonæ famæ, non eſſet adhibendam fidem narranti propter contrariã cauſam, ſolum quando vterque eſt vir honeſtus, & alteri illorum deroganda eſt fides, & bona opinio, maximè quando nullum eſt iudicium paſſionis, vel mali animi.

PROPOSITIO II.

In caſu aſſignato ſi poſſumus ſuſpendere iudicium nihil omninò iudicando, aut de veracitate dicentis, nec de probitate alterius, meliùs eſt hoc facere, quàm declinare in alteram partem. Quod ſi non poſſumus ſuſpendere iudicium, & omnia ſunt paria, poſſumus dubitare de probitate alterius.

PRima pars probatur: quia ſuſpendendo actum nulli facimus iniuriam; ergò, &c. Dices fieri illi, qui narrat iniuriã. Reſpondeo negando antecedens, quia non teneor elicere actum poſitiuũ in hac re, neque ille narrandum mihi tale factum, poteſt me obligare ad eliciendum actum. Dices: ipſum ſuſpendere, eſt non credere. Reſp. eſſe non credere negatiuè, non verò poſitiuè.

Secunda pars probatur; quia ſi ſint cætera paria, maior eſt iniuria iudicare aliquem peccare ex malitia, quàm ex fragilitate. Si autem incipiam dubitare iudicando illum, de quo narratur factum peccaſſe ex fragilitate, ſi eliciam actum contrarium iudicando eum, qui narrat peccare ex malitia: ergò melius eſt dubitare de bonitate alterius, quàm de veritate narrantis. Dixi ſi ſint cætera paria: quia vix moralitèr continget ita pares eſſe illos, de quibus hic eſt ſermo, vt vnus non pro pondere alteri, & in hoc debent eſſe valdè cauti viri graues, & fide digni, ne ſua authoritate noceant alijs narrãdo res incertas in detrimentum famæ fratris, & addendo illis ſua authoritate fidem, quã ſi ipſi illas non aſſererent, non haberent. Dices, quando partium iura obſcura ſunt, tunc reo potius, quàm actori fauendum eſt, vt dicitur de regulis iuris in 6. regula 11. ſed in hoc caſu, ijs, de quo narratur malum, habet locum rei, alius verò actoris: ergò in illius fauorem declinare debemus. Confirmatur, quia vt docet Abbas cap. quando de proſumptionibus, iura promptiora ſunt ad abſoluendũ, quã ad damnandum, & ita debet facere Iudex in foro externo, & ſubiungit, quod etiã

ſit

ſit maior probatio pro actore, quàm pro reo; ſi tamen exceſſus ſit valdè exiguus, iudicandum eſſe in fauorem potius rei, quàm actoris, quod probat ex gloſ. d. 81. cap. Clerici, ſed in caſu noſtro cætera omnia ſunt paria: ergò potius eſt fauendum reo, quàm ei, qui narrat. Confirmatur ſecundò; ſi ille vir prudens, & fide dignus coram duobus, vel tribus narraret peccatum alterius; teneor pro illo reſpondere, & defendere honorem eius, cuius crimen narratur; ergò ſimilitèr, ſi mihi ſolum narret, tenebor eodem modo idem facere.

Ex his concludit Aragon, potius debere nos iudicare illum, qui narrat mentiri, quàm malè iudicare de alio, quod ſi hoc credit in detrimentum famæ eius, qui narrat, ſibi (inquit) imputet, qui ſine ſufficiẽti cauſa diffamauit proximum; hæc ſententia videtur valdè probabilis, contraria verò probabilior, quàm hactenus explicauimus; illa enim, quæ affert Aragon, probant quidem in iudicio externo non deberi condemnari reum, niſi conſtet illum peccaſſe, & eadem ratione non debere iudicare illum eſſe reum, & culpabilem, ſi non adſunt argumenta, quæ nobis hoc demonſtrent; vndè, ſi licet argumentari à foro externo ad internum; ſicut in iudicio externo, ſi ſit vnus teſtis fide dignus, & omni exceptione maior, licet dubitare de illo, qui accuſatur, etiamſi ſit valdè bonus, & optimæ famæ, & ratione illius teſtis, licebit iudici inquirere; an ſint alij teſtes: ita in hoc iudicio interno licebit dubitare de veritate rei; neque in hoc ſit iniuria illi, de quo agitur, ſi ex motiuo adeò vehementi adducamur in dubitationem de bonitate illius, etſi non liceat determinatè iudicare rem ita ſe habere.

Ad primum reſpondeo ſatis declinare in fauorem illius, de quo agitur, ſi ex huiuſmodi teſtimonio non formamus iudicium determinatum. Ad primam confirmationem reſpoudeo eodem modo huiuſmodi indicium non eſſe ſufficiens ad condemnandum; etſi ferri debeat iudiciũ determinatum, melius eſse inclinare in partem fauorabilem, eſse tamen indiciũ ſufficientiſſimum ad dubitandum. Ad ſecundam confirmationem nego paritatem; quia quando ille narrat peccatum alterius coram alijs, illum infamat, etſi narrat ſine cauſa magis peccat.

DIFFICVLTAS.

Licet me negare ſuffragium poſtulanti aliquod officium, vel beneficium, quando de moribus, & de bonitate illius dubitamus?

RESpondeo; ſi inditia illa ſint leuia, non licere hoc facere, ſi ille alioquin habeat media ſufficientia; ſi verò non habet ſufficientia, licet negare ſuffragium; quod ſi indicia ſint ſufficientia, & ille ſimul habet merita, tunc, vel ille negante me ſuffragium, infamabitur, & præponetur illi alius impar in meritis, vel nulla ſequitur infamia, & alij adſunt ęque digni. Si primum non videtur licere negare illi ſuffragium; quia per hanc meam negationem ſuffragij infamabitur, & priuabitur ſuo iure. Si ſecundum, licet negare ſuffragium, quia nihil tale indè ſequitur. De hac re alibi.

De Detractione.

DIFFICVLTAS.

Quænam requirantur ad hoc, vt detractio ſit peccatum mortale.

APud Theologos duæ ſolent communitèr afferri conditiones. Prima eſt, vt ex hac detractione patiatur proximus graue damnum. Secunda vt hoc damnum inferatur malo animo, ſcilicèt animo nocendi, ſeu infamandi proximum. vt rem clariorem reddamus.

Monemus circa primum notandum eſſe ſi damnum eſset leue, peccatum etiam foret leue, ſicut idem contingit in furto, etiamſi ſit peccatũ mortale ex ſuo genere. Dicitur autem detractio cauſare graue damnum, quando infamatus ratione illius amittit aliquod magnum bonum, quodcumque illud ſit. Vel ſecundo licèt nihil tale amittat, fuit tamen poſitus in morale, & probabile periculum amittendi; vel tertiò, licèt non abſit graue periculum, ratione tamen eius infamiæ videtur indignus tali bono; nec in hoc poteſt detrahentem

hentem excuſare abundantia famæ illius, qui detrahitur, ſicut ſecũdum aliquos poteſt excuſari furtum; quia, vt docet Nauarrus, talis abundãtia auget potius peccatum, quia ille eſt minus dignus, cui detrahatur. Dices: ſi aliquis eſſet infamis de aliquo magno numero peccatorum, & ego adijcerem illi vnum, vel alterum in eodem genere; eſſetnè graue damnum? Reſp. non eſſe: quia parum nocet illi hac adiunctione; ſicut etiam parum nocerem ſi infamatur de grauibus peccatis adderẽ aliqua minus grauia. Petes: quid ſi adderem peccatum aliqua diuerſæ ſpeciei? Reſpondeo, quamuis Paludanus, & Silueſter negent eſſe graue damnum, eo quod ille iam ſit infamis, probabilius tamen videtur, quod aſſerunt Adrianus, & Nauarrus: eſſe damnum graue: quia etiãſi ſit infamis in vno genere peccatorum, non eſt tamen in alio, in quo habet ius ad ſuam famam.

Monemus præterea ad hoc, vt damnũ cenſeatur graue in detractione debere prodi per aliquod peccatum mortale regularitèr loquendo. Dico regularitèr: quia ſunt aliqua peccata mortalia apud aliquos, quæ non cenſeatur tollere famã: vt ſi Miles dicatur ſe vindicaſſe, vel ſecundo, ſi non produntur mortalia, produntur venialia, quæ ſunt odioſa illi, apud quem iſte ſperat aliquod magnum bonũ, & propter hæc venialia priuabitur illo magno bono, vel, qui infamatus v. g. eſt verus Religioſus, aut valdè bonæ famæ, qui propter huiuſmodi venialia multum perdit de bona opinione: vt ſi dicamus Religioſum grauem eſſe mendacem ordinariè in rebus non magni momenti, vel eſſe valdè leuem; vel tertiò: quando non produntur mala moralia, ſed naturalia; vt ſi dicamus aliquem, qui exiſtimatur nobilis, eſſe ignobilem, vel ſpurium, vel ducere originem ex Hebræis, vel quartò, quãdò vtor verbis indifferentibus ad mortalia, & venialia, vt ſi dicam de aliquo, quod frequentèr inſpiciat mulieres in via quamuis enim S. Antoninus, & Silueſter dicant non eſſe mortale, quia ſine indifferentia debent ab auditoribus accipi in meliorem partem, quando tamen moralitèr creditur, ſicut ordinarie fit ex malitia huiuſmodi audientes illos accepturos eſſe in malam partem, videtur eſſe mortale, quia vt benè ait Nauarrus, quantum eſt in me, expono famam proximi morali, & probabili periculo.

Monemus etiam detractionem, vt ſit formalitèr detractio debere fieri animo infamandi, quia tunc habet finem ſuũ proprium; quod ſi fieret ſine hoc animo, eſſet ſolum detractio materialis, quæ vt ſit peccatum mortale, requirit primo damnum graue, ſecundò aduertentiam, quod tale damnum ſit euenturum: ſi enim ego hoc non aduerterem, nec tenerer aduertere, excuſare ab ignorantia inuincibili; quando verò aduerto graue damnum ſequuturum, vel paſſum, & debeo aduertere, & tamen non abſtineo, tunc actus reddit in naturam ſuæ famæ, & perindè eſt, ac ſi intendiſſe formalitèr tale damnum. Tertiò requiritur, vt fiat ſine legitima cauſa.

DIFFICVLTAS.

Quænam poſſunt eſſe legitimæ cauſæ huius rei?

Reſpond. ad quatuor reduci omnes. Prima eſt vtilitas eius, cuius actuũ accumulatur, ſi nimirum hoc modo vero eius emendationem: vt ſi reuelem alicui, qui poteſt emendare, & hoc fine, vt ille emendet. Secunda cauſa eſt vtilitas detrahentis. Tertia vtilitas, vel neceſſitas ciuium priuatorum. Quarta bonum totius Reipublicæ; vndè aſſignantur variæ cauſæ, quibus licita eſt, & detractio, & interdum neceſſaria; primus eſt, quandò aliquis eſt hæreticus, & ego eum prodo, vt alij caueant ab huiuſmodi peſte. Secũdus modus eſt quando prodo proditorem ne perficiat proditionem, & his etiam teneor hoc facere, & mereor, quia bonum commune debet præponderare particulari cum præſertim alij, qui poſſunt quid pati ſint innocentes. Tertiò, quando prodo laborantem malo contagioſo, ne alios inficiat: quod intelligo quando alio meliori modo non poſſumus huic periculo occurrere. Quartò, quãdo video aliquem velle ingredi aliquam Religionem corruptam, quæ ipſi erit nocumento; poſſum ſine peccato, imò, & cum merito admonere

Digitized by Google

nere: quamuis enim hoc cadat in detrimentũ eius Religionis, debet tamen præponderare bonum innocentiæ. Quintò, quando detego ignorantiam: vel nequitiam Confeſſarij pœnitentibus, ne illis noceat. Sextò quando quis detegit vitia Concionatorum propter vtilitatem plebis; quod intelligendum eſt de illis indicijs, quibus poteſt nocere plebi. Septimò, quando Paſtor populi, & Eccleſiæ ſuo malo exemplo corrumpit populum; tunc licèt admonere populum ne illum imitetur. Octauò licet detegere excommunicatum obſtinatum, & nolentem quærere abſolutionem, vt deficiat, & ſic petat abſolutionem: hoc enim cadit in vtilitatem illius. Nonò, quandò quis indignus ambit dignitatem aliquam, & eam eſt impetraturus; licet prodere eius indignitatem, na illam obtineat. Decimò licet prodere occultum homicidium, vel furtum alterius, de quo alius eſt infamatus, & condemnatus, vel condemnatus ad mortem, vt liberetur innocens. Vndecimò licet prodere vitia ſeruorum, qui quærunt Dominos, ne illis noceant: vt ſi ſint fures: ſi reuelent, &c. Duodecimò ait Sotus licere detegere Impoſtores, ne noceant Reipublicæ, & eam decipiant.

Sunt iſti Impoſtores duplicis generis: qui nocent Reipublicæ, vt ſi ſit aliquis, qui profiteatur ſe eſſe bonum medicum, & ſit ignorans: hoc licet detegere propter bonum commune, cui poſſent nocere; quidam non nocent Reipublicæ, ſed ſibi ſolis, & non debent prodi, niſi hoc modo inducerent alios ad peccatum; vnde illi, qui in communitate fingunt ſanctitatem, vt quieti viuant non debent prodi; quod ſi fingant, vt obtineant gradus aliquos, quibus non ſunt digni, & in quibus alijs nocebunt: vel vt maior illis fides habeatur, quando dicunt quid mali de alijs, vel hoc modo inducũt alios ad oſtendendam non veram, ſed fictam ſanctitatem: tunc ſunt hypocritæ, qui ſunt prodendi, & contra quos ferè Chriſtus acritèr inſurrexit. Ex his duodecim capitibus poſſumus colligere alios ſimiles caſus, in quibus idem fere contingi.

DIFFICVLTAS.

An reuelare peccatum vni viro graui, qui tenebit illud ſecretum, ſit peccatũ mortale contra iuſtitiam.

CAietanus quæſt. 73. art. 2. ait non eſſe peccatum mortale, & dat exemplum colloquiorum, quæ fiunt inter virũ, & vxorem de peccatis filiorum, & de colloquijs, quæ fiunt inter pœnitentem, & Confeſſarium de peccato complicis: probat quia in hoc caſu non aufertur fama: fama enim eſt publica opinio, vndè non dicitur aliquis infamis, eo quod peccatum ipſius ſciatur ab vno, vel altero. Secundò quia etſi læderetur fama læſio illa eſt leuis. Sotus verò libro 5. quæſt. 10. art. 2. & eum ſequutus Bannes cum alijs dicunt ex natura ſua eſſe peccatum mortale. Accipe ſubſequentia dicta.

Dico primò ex genere ſuo reuelare crimen occultum alterius, etiam vni viro grauiſſimo, etiamſi nihil aliud indè ſequatur, eſt contra iuſtitiam, & peccatum mortale. Ita expreſsè docet S. Thomas q. 73. art. 1. ad ſecundum. Probatur: quia in hoc caſu læditur fama proximi reſpectu illius, cui peccatum illud reuelatum; ſicut eadem ratione iudicium temerarium eſt peccatum mortale, quia ſępè ille, qui infamatur mallet ſciri peccatum ſuum à decem alijs, v.g. quàm ab vno viro tali. Confirmatur; quia iſti viri graues, & ſunt valdè rari, & qui nunc ſunt tales, poſſunt mutari, & abuti tali ſcientia.

Dico ſecundò, hoc eſſe intelligendum niſi adſit iuſta cauſa excuſans hæc enim poteſt eſſe talis, vt non ſolum non ſit peccatum huiuſmodi reuelatio, ſed etiam ſit licita, & ſub conſilio, vel etiam ſub præcepto; hoc modo videtur exponendus Caietanus, alioquin auſertur illi fama, ſi non ex toto, ſaltem ex parte, & quamuis ille non fiat infamis apud omnes, vel multos, ſit tamen apud illum, cui crimen reuelatur; & quando dicitur hoc eſſe ex ſuo genere peccatum mortale non intelligitur omnem narrationem peccati alieni ex ſe eſſe peccatum mortale: hoc enim vt ſic abſtrahit ab hoc, quod bene, vel ma-

lè fiat: quia ſi fiat cum legitima cauſa, poteſt benè, & cum merito fieri; ſi verò fiat ſine cauſa, eſt ex ſuo genere peccatum mortale, vndè quandocumque fit ſine cauſa, numquam poteſt cohoneſtari, & excuſari.

DIFFICVLTAS,

Quænam conditiones requirantur, vt detractor teneatur ad reſtitutionem famæ.

SEx requiruntur communitèr ab auctoribus. Prima eſt, vt detractio fuerit peccatum mortale. Secunda, vt verè à parte rei per illam ſit ablata fama. Tertia, vt fama ſit ablata modis contrarijs iuſtitiæ. Quarta vt ille, qui fuit infamatus non recuperauerit ſuã famam. Quinta, vt peccatum, quod protulit, non fuerit poſtea per alios diffamatum. Sexta, vt ille, qui detraxit affirmauerit ſe ſcire illud ita ſe habere.

Prima conditio requiritur: quia ſi leuis ſit læſio famæ proximi, ſicut ſine peccato mortali fuit talis infamatio, ita ſine mortali poteſt relinqui illa, & multo magis ſi fuerit ſine vllo peccato.

Secunda conditio eſt etiam neceſſaria: quia ſi ego tentaui auferri famam, ſed non abſtuli; peccaui quidem, ſed nihil teneor reſtituere, quia nihil damni alter famæ paſſus eſt; ſicut ſi quis tentaret furari, & nihil furaretur. Poteſt tamen tribus præcipuè modis contingere, vt aliquis tenet auferre famam, & eam tamen non auferat. Primò, quando vnus detrahit, ſed alij non credunt, ſiue non credant factum ipſum, ſiue non credunt malum animum quem ipſe vult perſuadere. Secundò, quando fuit narratum peccatum viro, qui poterat prodeſſe, vt ſi vxor narret viro peccatum filij. Tertiò, quando peccatum illud non habetur vt infamia, vt ſi narretur peccatum carnale de eo, qui profitetur huiuſmodi peccata. Tertia conditio eſt etiam neceſſaria, quia hic agimus de obligatione ex iuſtitia; modi autem iuſtitiæ contrarij, poſſunt commodè reuocari ad ſex. Primus eſt, quando aliquis iuridicè interrogatus de vero crimine, negat illud, tunc enim imponit accuſatori peccatum calumniè modo iuſtitiæ contrario, & tũc ex cõmuni ſententia tenetur recãtare, & fateri crimen de quo eſt accuſatus, ſi tamen tria concurrant. Primũ eſt, vt non immineat illi, qui negauit periculum vitæ ſi fateatur crimen, quia ſi eſſet periculum vitæ, aliud fortè dicendum eſſet, vt videbimus poſtea. Secundum eſt ſi negauit contradictoria hoc eſt accuſator ex certa ſcientia illum detulerat ipſe verò ex certa ſcientia negat, quia ſi negaret non contradictoriæ poſſet contingere, vt non teneretur reſtituere ex hoc capite ſi nimirum non neget directè. Tertium eſt, vt negatio illa credatur à Iudicibus, quia ſi Iudices iudicarent illum mentiri, & aiium iuſtè, & verè accuſare etiamſi non poſſet probari tunc non teneretur reſtituere, quod ſæpæ ſolet contingere in huiuſmodi iudicijs.

Dices: quid ſi Reus non interogetur iuridicè de crimine tamen verò? Reſp. tamen cum communiori ſententia reum, qui iuridicè non interrogatus, ſi neget id, quod verum eſt, ſiue peccet, ſiue non ſit, negando non teneri reſtituere famam accuſatori, quia nulla ei fit iniuriã. Secundus modus eſt, quando peccatum quod refertur non eſt publicum, ſi enim ſit notorium tàm in ſe, quàm in ſua cauſa, ſcilicèt non ſolum ſit notum peccatum, ſed peccator reuelare crimen non ſicut modo iuſtitiæ contrarium, quia cum peccatum ſit hoc modo notorium, peccator non habet ius reſpectu illius. Dices: quid ſi peccatum ſit notum, ſed peccator occultus? Reſpondeo; ſi peccatum ſit ita notum, vt ſciatur à paucis quibuſdam videri non licere ſine iniuſtitia illud narrare, quia ille non ita peccauit, vt ſit indignus ſua fama. Quod ſi peccatum ſit notum, multis non videri contra iuſtitiam reuelare illud, & peccatorem, quia hoc ipſo, quod ille publicæ peccauit, videtur indignus fama publica, & ſi peccatum eſt ita publicum facilè eſt, vt eius ſuſpicio ad alios dimanet, ac proinde innocens aliquis condemnetur, & hoc pro opinione Sancti Antonini quamuis opinio Silueſtri non careat probabilitate, & ſaltem quando ex illo peccato nihil damni poſſet moralitèr innocẽti aduenire valdè propẽderem in hãc ſen-

ſententiam. Dices: quid ſi peccatum, & peccator ſit notorium in vna Ciuitate, diuulgeturque in alia vbi ignoratur?

Variè ſunt ſententiæ Authorum. Reſp. primò ſi in locis remotis, non licèt diuulgare peccatũ hic commiſſum, nec licere in locis vicinis. Ratio enim quarè multi dicunt licere in vicinis, eſt quia facilè illuc perueniet fama illius peccati, hæc autem non videtur hoc neceſſariò probare, quia ſiue in remotis, ſiue in vicinis, ille qui primo diuulgabit peccatum, peccabit, ſicut ſi in eadem Ciuitate diuulgetur crimen, quod nondum ſcitur, niſi à valdè paucis, quamuis facilè ſit paulòpoſt euulgãdum, qui primi euulgant, peccant, alij tamen deinde excuſabuntur; quare ſiue loca ſint vicina, ſiue remota, videtur eſſe eadem ratio. Confirmatur: in nullo genere peccatorum excuſatur aliquis ex hoc, quod aliqui ſint peccaturi ſi ipſe non peccat; ergò ex eo, quod aliqui ſint euulgaturi, non excuſabitur primus euulgans. Reſpondeo ſecundò, quomodocumque peccatum ſit publicum in vno loco, ideſt ſiue per ſententiam Iudicis, ſiue alio modo, quando peccator non eſt emendatus, & alijs prodeſt ſcire illud peccatum, vt caueant, vel adhibeant remedium, vel emendent, vel ob alium ſimilem finem poteſt quilibet vbicumque euulgare ſine peccato, imò & cum meritò, quia debet reponderaro bonnm innocentis, & propter hanc cauſam Iudices euulgant peccata aliena. Reſpondeo tertiò, quando peccatum eſt notorium per ſententiam Iudicis, licet illud narrare cuicumque etiam in locis remotis in quibus nihil de ea re auditum eſt: quia eo ipſo, quod aliquis in iudicio damnatus eſt de aliquo crimine, amiſit ius ad ſuam famam reſpectu eius peccati, & Princeps in huiuſmodi pœna imponenda hoc intendit, & propter hoc publicè facit ſententias publicare. Nec obſtat, quod & in loco, vbi narratur crimen illius, Iudex non habeat auctoritatem, quia adhoc nõ requiritur auctoritas cum infamatio illa ſit nota quædam perſonalis, ſicut ſi ſciatur ab omnibus ſolere nares præſcindi propter tale peccatum licet Iudici præſcindere nares, & dimittere ad talem Ciuitatem vbi videntes nares præciſas, ſciũt ipſum fuiſſe de tali crimine condemnatum. Reſpondeo quando peccatum eſt notorium non iuridicè, ſed ſolum notoreitatem facti, & nullus eſt bonus finis excuſans, eſt cõtra Charitatem illud narrare in loco alio vbi ignoratur, quia fit illi damnum ſine cauſa, & in loco vbi non amiſit ius ad ſuam famam, & peccatur cõtra illud principium naturale: quod tibi non vis, alteri nè feceris. Reſpon. quintò in hoc caſu videri etiam contra iuſtitiam narrare tale factum, & in loco, vt benè docet Sotus: quia ille eo in loco non amiſit adhuc famam, nec ius ad illam, nequè excuſatur ille ex eo, quod crimen ſit breui illuc perueturum per alios; quia vt iam dixi, in vno genere peccatorum excuſatur aliquis, ex eo quod alij ſint peccaturi ſi ipſe non peccet, quia qui primus eſt quoad peccatum fiat publicum peccatcõtra iuſtitiam.

Neque valet, quod aliqui dicunt, quod hac ratione eſſet etiam contra iuſtitiam narrare in eadẽ Ciuitate, quando vbi narratur non eſt adhuc publicum, quia ſi eſt eadem Ciuitas, quod eſt publicum in vna parte illius, moralitèr eſt publicum in alia etſi nondum illuc peruenit, eſt per accidenst qui enim ſunt in vna parte Ciuitatis, ſæpe verſantur cum ijs, qui ſunt in alia: quod non eſt ijs, qui ſunt in diuerſis locis, niſi fortè ità ſe haberent, vt frequentèr verſarentur ſimul, ita vt qui ſunt ex alio loco vbi crimen eſt occultum, multi ſint, qui poſſunt illud ſciré venientes ad locum vbi crimen eſt publicum, & in hac re admonendi eſſent iſti nouellarij, qui ſcribendo multos infamant, &c. Reſpondeo ſexto ille, qui narrat aliquid, quod fuit factum ante multos annos, & eius memoria perijt, & narrando hoc nocet famæ illorum, qui adhuc viuunt ſi nulla ſubſit iuſta cauſa excuſans, etiamſi peccatum tunc fuerit publicum, niſi tamen fuerit publicum iuridicè, videntur peccare mortalitèr contra charitatem, & contra iuſtitiam: v.g. Paſqualis habuit auum Iudæum, qui ſua ſpontè conuerſus eſt ad fidem, & hoc ab omnibus ignoratur, quia huius rei memoria pœnitus perijt, alius ſciens reuelat alijs; iſte qui narrat videtur peccare contra charitatem, & iuſtitiam quia priuat illum ſua bona fama ad quã habebat ius, & priuat illum ſine vllla ipſius

Digitized by Google

ſius culpa vel parentum illius. Dico autem niſi crimen illud fuerit publicum iuridicè: quia ſi aliquis v.gr. hæreticus, & de hæreſi publicè condemnatus, non videtur peccare contra iuſtitiam, qui id reuelat: quia cum peccatum eſt publicum iuridicè, non habet ille ius ad ſuam famã, & ob hãc cauſam Iudex eum publicè puniuit,&c. Quamuis autem non peccet cõtra iuſtitiam, qui huiuſmodi peccata reuelat, videtur tamen peccare contra charitatem ſi nulla ſubſit cauſa excuſans; quia hæc operatio eſt ex natura ſua alteriuscõtriſtatiua. Etſi alicui coram multis hoc obijciatur, continet grauiſſimam contumeliam, & lædit bonam opinionem quã alij de illo habebant. Dico ſi nulla ſubſit cauſa excuſans, quia ſi fieret v. gr. Inquiſitio de conditionibus neceſſarijs alicuius promouendi ad aliquem gradum,& inter alias eſſet neceſſaria conditio, vt non deſcenderet ab huiuſmodi parentibus, tunc liceret hoc reuelare: quia ita expedit bono publico.

Petes: quid requiritur vt peccatum ſit publicum,& notorium? Reſpondeo illud eſſe publicum, quod vel conſtat in publico iudicio, vel in præſentia multorum eſt perpetratum, vel ſcitur à multis propter locum, tempus, &c. Et quamuis Silueſter verbo notorium q.4.dicat ſufficere vt peccatum ſciatur à decem hominibus, vel etiam à ſex, quia ſex homines ſufficiunt facere plebem quę ſimplicitèr videtur vera in ordine ad effectus iuris, & ad probationem, vel inquiſitionem; in ordine tamen ad id,de quo modo loquimur,non videtur ſemper ſufficere, quia alioquin, quando viri alicuius inſignis peccatum aliquod ſcitur à ſex, vel vndecim viris, liceret illud omnibus publicare; vnde vt benè ait Corduba qu. 2. Concluſione 4. videtur neceſſarium ad hoc vt peccatum ſit publicũ, & notorium; vt, vel ſi damnatur iudicio, vel ita euidentia vt moralitèr excuſari, & occultari non poſſit. Vel ſcitur à tam multis habita ratione loci, vt moralitèr dici poſſit in eo loco publicum. Vndè fit, vt ſi aliquod peccatum commiſſum coram duobus, vel tribus teſtibus, quibus in iudicio probari poſſit, non ideo cenſeri debeat publicum, alioquin nullum ferè eſſet peccatum de quo non poſſent homines ſine iniuſtitia colloqui inter ſe. Quartus modus eſt in ſcribendis hiſtorijs, de quo Sotus ait aliquãdo eſſe in illo peccatum,quando nimirum malo animo vult hiſtoricus denigrare famam alterius; vel ex ea hiſtoria reddundat perpetua infamia in aliquam familiã; aliquando non eſſe peccatum,quando ſcilicèt peccata quæ narrantur, non ſunt indigna viris illuſtribus, vel ſcribuntur bona fide in exemplum vitæ aliorum. Maior verò, & Lædeſma dicunt hiſtoriam propriè narrare facta mortuorum; & hæc ſi redundet in infamiam viuentium,eſt peccatum mortale cum obligatione ad reſtituendum; ſi non redundet; & valdè noceat famæ mortuorum, qui alioquin iudicari poſſent viri boni, eſt peccatum mortale, ſed ſine obligatione reſtituendi,fortè quia reſtitutio videtur impoſſibilis, ſi verò nõ multum nocet, eſt peccatum veniale. hæc enim infamia nocet tã ijs degẽtibus in Paradiſo, quàm qui ſunt in Inferno, quia illos priuat gaudio accidentali, his affert nouam triſtitiam. Addunt deindè, ſi intentio fuit bona,ſcilicèt narrare factum illud in exemplum vitæ aliorum, poſſet excuſari à peccato ſaltẽ mortali, quod intelligitur quãdo peccata illa fuerunt publica ſuo tempore, & ſcribuntur, vt legentes terreantur ab illis. Si enim fuiſſent ſecreta, vel nihil quod prodeſſet alijs ſcire illa, vel ſcriberentur ex odio, vt vexaretur infamia aliqua familia alioquin, tunc non excuſaretur hiſtoricus à mortali; quoniam tamen vix continget caſus inquo non poſſet prodeſſe alijs ſcire huiuſmodi peccata ſi ipſi vellent elicere bonum,quod poſſunt; ideo poſſunt ſępè excuſare hiſtorici,& ex his multo magis tamen peccare illos, qui in gratiam aliquorum ſcribunt hiſtorias falſas imponẽtes peccata innocentib.& hęc ſententia hoc modo explicata,videtur vera. Quintus modus tollendi famam iuſtitiæ non contrarius eſt quando narratur peccatum alienum in tormentis. Sextus modus eſt quãdo aliquis & extollat aliquem ſupra modũ,deprimit notabilitèr alios qui videri poſſint obeſſe excellentiæ illius: ſicut enim eſt peccatũ velle creſcere ex depreſſione aliorum, & ſignũ eſt infirmi, & impotentis, qui nihil in ſe habet excellentiæ

tiæ, ita eodem modo, vt extollatur vnus deprimere alios eſt cōtra iuſtitiam Quarta conditio requiſita eſt vt ille, qui fuit infamatus, non recuperauerit famam; poteſt autem ille recuperaſſe famam præcipuè quatuor modis. Primò quando dum detractor infamabat, alius contradixit, & præualuit,& fecit quidem:notãt Adrianus, Nauarrus, & alij, illum, qui contradixit, dupliciter poſſe eſſe cauſam famæ recuperandi; ſcilicèt directè,quando ſeſe oppoſuit detrahens,& oſtendit detractionem eſſe falſam, & tunc nulla eſt obligatio reſtituendi; quia caro nihil oblatum eſt. Secundò indirectè, quando nihil dixit de eo crimine, quod detrahens offerebat;ſed laudabat illum cuius res agitur, quod poſſet facere etiam ipſe detractor; tunc non liberatur à reſtitutione.quia poteſt quis laudari in vna re, & amittere famam in alia. Nec obſtat quod detrahens fuerit cauſa huius laudis; quia ſi quis furatur, v.gr. alteri centum, non liberatur ab obligatione reſtituendi,eo quod fuerit occaſio,vt beneficium v.gr.Canonicatum obtineret: quia hæc non ſunt incompatibilia. Secundò poteſt recuperare ſuam famam, bonis ſuis operibus oſtendendo detractionem fuiſſe falſam; & tunc etiam docet Nauar. contra Adrianũ,detractorē non teneri reſtituere,quia ſi teneretur,teneretur oſtendere ſe falsè infamaſſe, in hoc autē caſu patet infamiã fuiſſe falſam; illud tamen ſciendum eſt, quod ſi tempore intermedio antequam recuperaret famam, aliquid damni paſſus eſt,tenetur detractor illud reſarcire. Tertiò poteſt recuperare famam per ipſum detractorem, quando eodem tempore, quo prodit peccatum alterius, narrat eſſe grauem illius pœnitentiam, & oſtendit illum eſſe mendacem, & reſtituit illi famam. Quartò, quãdo per longi temporis obliuionem recuperauit famam; in hoc tamen caſu poteſt ille, qui eſt infamatus, dupliciter ſe habere. Primùm, vt conſtet omninò ex memoria aliorum excediſſe peccatum illud. Secundò,vt hoc non conſtet: ſi non conſtet tenetur reſtituere, quia multorum videmur obliti, quorum tamen recordamur ſi non hodie,cras tamen, vel alio die; & quia quò longius eſt tempus, eò magis confirmatur infamia:cum videant homines illum ſæpius confiteri peccata ſua, & tamen numquam reſtituere, inde enim colligunt verã, & iuſtam fuiſſe infamiam. Si verò conſtet,ideſt, probabiliſſimum eſt oblitos eſſe illius rei, cum, vel detractio fuit per impoſitionem falſi criminis, vel per narrationem veri;ſi ſit hoc ſecundum, non teneor reſtituere: quia cum non poſſim ſimpliciter retractare id quod dixerant,eſſet periculum potius renouandi infamiam; ſi verò ſit primum, Caietanus ait teneri retractare; Nauarrus negat.

Dicerem ſi eſt aliqua, & leuis ſuſpicio nè aliquis recordetur, teneri retractare ſimpliciter, vel abire illos apud quos infamaui, & dicere: an recordentur ſe audiſſe vnquàm aliquid mali de illo ab ipſo? Etſi recordentur, recantare: ſi verò non recordetur aliquid in particulari, ſi aliquid inquam dixi non eſt verum,ſic nõ renouatur infamia, & ſufficienter reſtituitur fama. Quinta conditio nè peccatum quod protuli, poſtea factum ſit publicum & notorium: quia cũ non poſſim amplius reſtituere famã, aut illi aliquo modo prodeſſe in ordine ad tale peccatum, non obliger amplius ad reſtitutionem. Sexta,& vltima conditio eſt, vt qui detraxit affirmauerit, ſe ſcire illud ita ſe habere, & ſe non audiſſe ab alio. Sciendũ eſt nos poſſe narrare factum alterius dupliciter; primò affirmando illud etiamſi dicamus nos audiſſe ab alio,vt ſi quis dicat: audiui hoc à Petro, & credo eſſe verum. Secundò non affirmando, & hoc tribus modis. Primò quando dico: audiui hoc à Petro. Secundò quando dico: audiui à Petro, ſed dubito. Tertiò, quando dico: audiui,ſed non credo. Certum eſt apud omnes quando narro illud affirmando, me teneri reſtituere famam, quam abſtulit: quia etſi dicam me audiſſe ab alio, addo tamen meam affimationem, qua dictum alterius confirmo; quando autem narro non affirmando, variè ſunt opiniones Doctorum. Reſpondeo tamen ſimpliciter, & ex natura rei, ſuppoſitis rebus, vt communiter fiunt, tunc eſſe reum infamationis illius, & teneri reſtituere, vt docent Sotus, & Lædeſma,& aliqua ex parte Nauarrus.

DIF.

Digitized by Google

DIFFICVLTAS.

Vtrum ſit peccatum mortale audire detractionem, & ſeipſum infamare.

MOnemus nos duplici in ſenſu poſſe difficultatem præſentem vocare in dubium; quippe & poteſt difficultari de peccato mortali contra iuſtitiam, & contra charitatem. Monemus & etiam punctum difficultatis circa audientem detractorem, triplici in ſenſu poſſe proponi. Primus erit de audiente, mouente aliquo modo, aut ſigno ad detrahendum. Secundus ſenſus poteſt eſſe de audiente, nō quidem incitante detractorem, ſed complacente, & lætante de iniuria proximi, qui patitur detractionem. Tertius punctus difficultatis poteſt eſſe de audiente, qui ſolùm permiſſiuè ſe habet, & non corripit detractorem: nam ſi corripiat, clarum eſt, quod non ſolùm non peccet, quinimò exerceat virtutis actum, ſiuè iuſtitiæ, ſiuè charitatis: impedit quippe damnum proximi. Difficultati propoſitæ ſatisfacient ſubſequentes Propoſitiones. Quarum prima ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Peccat mortalitèr contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem audiens detractorem, & aliquo modo mouens eumdem, & incitans ad detrahendum proximo in materia graui lædente famam.

THeologorum concors eſt opinio in hac parte cum D. Thoma 2.2.q.73 art.4. Scoto in 4. d.15. q.3. cum alijs videndis apud Bonaccinam de reſtitut. diſp. 70. q.4. puncto 11. Fauet nobis ratio, & ea eſt, quia audiens detractionem, in eo caſu eſt cauſa moralis efficax damni ſequuti in infamia proximi (per cauſam efficacem intellectam volumus ſic eam, quæ habet effectum poſitium in eſſe: hinc quādo effectus minimè ſequeretur, quamuis interuenire peccatum mortale etiam contra iuſtitiam ex praua intentione, non teneretur tamen auditor detractionis ad reſtitutionem dixi peccare mortalitèr contra iuſtitiam, vt ſignificarem in eo ſolum caſu (niſi audiens ex officio tenetur impedire detractionem) interuenire peccatū iuſtitiæ obligans ad reſtitutionem quamuis non ſolùm in eo caſu, ſed etiam in alijs comittatur peccatum mortale contra charitatem. Primus caſus eſt, quando quis in corde delectatur detractione, & damno famæ proximi. Secundus caſus eſt, quando audiens detractorem, aduertit ſequuturum graue damnum famæ proximi, aut etiam aliud damnum graue in genere aliorum bonorum, & non reſiſtit detractori ſi commodè poteſt, & eſt ſpes correptionis. Moueor ad hoc: quia quilibet ex charitate tenetur impedire damnum graue proximi in quocumque genere bonorum, ſi comodè poteſt.

Dixi iam ſupra: niſi audiens, ex officio teneatur impedire; quia ex officio ad id tenetur, peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem defectu principalis detractoris nolentis, aut non potentis reſtituere. Dubitabis: quinam ſunt illi, qui ex officio ad id tenentur? Reſpondet Leſſius cap. 11. dubitatione 23. in fine: eſſe Parentes reſpectu filiorum: eſſe Dominos reſpectu ſeruorum: Superiores ordinum regularium reſpectu ſubditorū: magiſtratus reſpectu inferiorum, &c. hi enim vi officij tenentur ſuos ſubditos impedire, ne inferant damnum graue proximo, maximè ſi ſit etiam ſubditus. Ad confirmationem huius doctrinæ faciunt illa verba S. Bernardi lib. 2. de conſiderat. Detrahere (inquit) vel detrahentem audire vtrū horum deteſtabilius ſit, non facilè dixi, immò vt nō docet S. Thomas ſupra, maius peccatum eſt audire detractorem ſi audiēs ad detrahendum inducat, quàm detrahere. Ratio eſt, quia detractor ſuo detractionis peccato ſolum peccat: audiens autem, & ſuo peccato, hoc eſt effectu detractionis peccat, & etiam peccato detractoris in quod moralitèr influit.

Fatendum tamen eſt, ne detur locus ſcrupulis in hac materia, eum, qui nudè tantum audi detractorem ſine influxu morali in eius peccatum, & ſine malo affectu in eum, cui detrahitur, ſæpè excuſari à peccato mortali; imò Thomas, Sances lib. primo

Digitized by Google

primo Conciliorum moralium cap. 3. dubio 7. notat plerumque eſſe peccatum veniale audire detractionem, & non reſiſtere detrahendi ex verecundia, vel alia minus ſufficienti cauſa: quia leuis iniuria irrogatur proximo, quando non complacet audiens, nec eſt detractionis cauſa; pro hac doctrina citat D. Thomam, Nauarrum, Caietanum, Cordubam, & alios; id tamen intelligendum eſt iuxta Læſium, & alios, ac etiam iuxta ipſum Sances ibidem quando ex detractione non imminet graue damnum proximo, aut Reipublicę; tunc enim ex charitate tenetur audiens excuſſa verecundia, aut non obſtante ſimili cauſa reſiſtere detractori.

Lugo hic diſp. 14. ſeſſ. 8. optimè probat eum, qui detractionem audit eo modo, quò detractio ordinariè fit, non peccare peccato mortali; imò inquit, quod plerumque ille, qui audit, non ſcit: an id, quod detrahēs dicere incipit de proximo ſit publicum cum ſæpè contingat, id, quod & noſtram notitiam nondum venerat, iã apud alios ſit publicum, & in dubio, non eſt ratio cur condemnemus detrahentem; in hac doctrina ſæpè falluntur ſcrupuloſi, qui ſtatimac audiunt aliquid contra proximum, putant eſſe detractionem grauem. Deindè ſecundò, quia aliquando id, quod dicitur, facilè reparari poteſt poſtea ab ipſo audiente oſtendendo eius falſitatem. Tertiò, quia aliquando incepta ſemel detractione, melius conſulitur proximo permittendo detractionem progredi, quàm illam ſtatim in principio impediendo: remanent enim auditores cum illa notitia confuſa de grauitate rei, quæ dici cœperat, ſed fortaſſe concipient in genere aliquod grauius, quàm conciperent, ſi rem diſtinctè audirent. Quartò quia ſæpè non eſt nobis licitum ſe opponere detrahenti ſine graui eius offenſione: quia ægrefert corrigi in publico, & redargui quaſi iniuſtè famam proximi inuadere. Quintò, quia ſæpè non è multum grauè damnum proximi ex eo, quod tibi ſoli eius defectus manifeſtetur, ſi alioquin rem ſecreto ſeruaris; nec teneris id impedire cum illo tui, & detrahentis rubore. Sextò quia plerumque contingit detrahentem habere iuſtam cauſam rem manifeſtandi, quia id facit, vel vt conſilium petat, vel vt vtilitèr moneat, vel vt dolorem ſuum ex iniuria illata iuſtè leuiat.

PROPOSITIO II.

Qui ſeipſum infamat, non peccat mortalitèr per ſe loquendo contra iuſtitiam, aut etiam contra charitatem.

ITà Nauarrus, Soto, Bannes, Aragon, Læſius, & alij cõmunitèr, quos ſequitur Bonacc. de reſt. diſ. 2. qu. 4 punct. 10. Fauet Lugo hic diſ. 14. ſeſ. 10. cõtra Caiet. q. 73. ar. 2 & in ſũma verbo detractio, qui tenet eſſe peccatum mortale, & contra iuſtitiam infamare ſeipſum, quod vtique ſequitur ex alio Caietani principio, quo dicit hominem non eſſe Dominum ſuæ famæ. Nobis autem non probatur hæc doctrina, & conſequentèr negamus eius fundamentum. Cum ergò homo ſit Dominus ſuæ famæ ſequitur eum non peccare contra iuſtitiam ſi famam prodigat. Non peccare contra charitatem ſaltem grauitèr, patet etiam: tùm quia prodigalitas in bonis externis eſt plerumque peccatum veniale, ergò ſimilitèr prodigalitas in bonis famæ. Tùm quia non tenetur quis ex charitate ſub peccato mortali conſeruare bona externa, niſi quatenus ſũt media ad finem ſupernaturalem, & ad bonum ſpirituale; ergò ſimilitèr dicendũ eſt de fama.

Dixi non peccare mortalitèr per ſe loquendo: quia aſſignantur à Doctoribus, & clariùs ab Eminentiſſimo Lugo aliqui caſus, in quibus infamatio propria poſſit eſſe peccatum graue, tàm cõtra iuſtitiam, quàm contra charitatem. Primus caſus eſt: Si tibi cum periurio falſa crimina impones. Secundò, ſi tua crimina manifeſtas iactando te de ipſis; tunc enim ratione iactantiæ, aut complacentiæ in peccatis poteſt interuenire peccatum mortale. Tertius caſus eſt; ſi abſq; iuſta cauſa manifeſtas tua delicta exponendo te periculo mortis, aut mutilationis. Quartus caſus eſt; ſi tua crimina manifeſtas cum graui ſcandalo aliorum, quibus præbes occaſionem peccandi. Quintus ſi indè reſultet damnum notabile aliorum, vt infamia tui Ordinis, vel Conuentus. Sextus Caſus ſi tua fama neceſſaria erat alijs: vt ſi

Præ-

Digitized by Google

Prælatus ſe infamet cum magno detrimento ſubditorum, quibus non poteſt vtilitèr prodeſſe.

Examinantur nonnullæ difficultates.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Vtrum ex iuſtitia teneatur Prælatus euitare ſuam infamiam, propter quam redddituar ineptus ad regendum ſubditos, quibus ratione muneris obſtricta eſt fama Prælati.

SAnctus Auguſtinus inquit: nobis neceſſaria eſt vita noſtra, alijs fama noſtra,& præſertim ſubditis. Reſpondeo ergò ad difficultatem, Prælatum ſe infamantem, aut permittentem ſe eſſe infamem, ex quo redditur ineptus ad ſui muneris adminiſtrationem, quam ex iuſtitia debet ſubditis: peccare mortalitèr contra iuſtitiam, & obligari ad tollendam ſui infamiam, quando cum tali impedimento rectæ adminiſtrationis ſui muneris, officium retinet:ſi autem renunciet officium, aut bonis operibus, & virtutibus recuperet amiſſam famam, non peccat contra iuſtitiam,ita Sotus, Molina,& Læſius, quos citat, & ſequitur Cardinalis de Lugo diſput. 4.

ALIA DIFFICVLTAS.

An ille, cuius infamia redundat in alios, ſicut infamia Patris proditoris, & alios ſimili crimine infectos redundat in filios, quò redduntur inhabiles ad officia, & dignitates; præterea adulterium Vxoris redundat in infamiam mariti,& infamia Religioſi redundat in infamiam Religionis, aut Congregationis, cuius eſt membrum.

EST ergò difficultas: vtrum huiuſmodi perſonæ, quorum infamia redundat in alios propter quandam connexionem, quam inter ſe habent, peccent mortalitèr contra iuſtitiam, dum ſe ipſos infamant. In qua re, omiſſa reſolutione Molinæ, & Læſij: mihi placet reſolutio, quam affert Lugo diſp.14. ſeſſ.10. n.166. Itaque ſi ille, cuius infamia in alios redũdat. ſeipſum infamat, imponendo ſibi falſum crimen, aut confitendo verum occultum abſque cauſa, peccat contra iuſtitiam propter iniuriam famæ, quam vt ſuppono infert alijs ſibi coniunctis; ſi autem talis infamat ſe ipſum in effectu committendo aliquod crimen, ex quo ſequatur infamia alterius ſibi coniuncti, non peccat contra iuſtitiam, ſed contra charitatem,aut pietatem,aut aliam virtutem, prout materia ſubiecta exigit. Ratio primæ partis eſt: quia cum fama alterius ſit neceſſariò coniuncta cum mea fama: non poſſum ſine iniuria famæ alterius me ipſũ tali modo infamare, ex quo actu immediatè ſequitur infamia alterius.

Itaque actus ille, quo me voluntariè infamo, quamuis alias non eſſet culpa ſaltem grauis (cum poſſem meam famam prodigere;) iam tamen eſt culpa grauis, & contra iuſtitiam propter damnum famæ alterius ex eo ſequutum. Ratio autem ſecundæ partis eſt: quia qui committit crimen, quo ſe redit infamem realitèr in opere, non violat immediatè famam ſuam, aut aliorum, ſed potius fundamentum famæ, quod eſt propria virtus,& probitas, ad quam alter quauis Religione, aut alio modo coniunctus,non habet proprium ius: quia non apparet vnde id ius oriatur: quia non oritur ex contractu,neque ex alio titulo. Dices oriri, vel ſaltem oriri poſſe ex iuſtitia legali ratione cuius habet communitas ius, vt non fiat ipſi iniuria à membris. Contra primò: quia quamuis id eſſet verũ, adhuc tamen iuxtà probabilem ſententiam, id ius non eſt ſtrictum, fundans rationem veræ iuſtitiæ in veriori ſententia, quæ dicit iuſtitiam legalem non eſſe veram ſpeciem iuſtitiæ, & eſt opinio valde probabilis. Contra ſecundò, quia in Religioſo v. g. non eſt debitum iuſtitiæ legalis reſpectu conſeruationis famæ Religionis,aut Congregationis, ſed debitum virtutis Religionis;& quamuis poſſit habere, imò de facto habeat debitum iuſtitiæ commutatiuæ, quo obligatur ita conſeruare famam ſuæ Religionis

Digitized by Google

gionis, vt eam numquam immediatè violet, aut deſtruat; non habet tale iuſtitiæ debitum, vt remotè, & per accidens non permittat violari famam Religionis, vt contingit in propoſito. Dices igitur: hinc ſequitur vxorem per adulterium non peccare cōtra iuſtitiam ex eo, quod fuit cauſa infamiæ mariti. Reſp. negando ſequelam: quia vxor per adulterium facit iniuriam marito ex alio capite; ex eo nimirum, quod violat ius, quod habet maritus in corpus vxoris; quando autem lædit quis ius alterius, non ſolùm tenetur ad reparandum ius læſum, ſed etiam ad reparationem omniū donorū, quæ ex iſta læſione ſequuntur in quocumque opere bonorum; ſicut qui læſit alterius famam iniuſtè; non ſolum tenetur ad reſtitutionem famæ, ſed etiam ad reſtitutionem bonorum temporalium, quorum iactura ratione infamiæ alter incurrit, v.g. bonorum hæreditatis, etiamſi non haberet ius in iſta bona.

Oppones contra noſtra dicta: qui audit detractorem, quamuis nec conſilio, nec imperio, nec alio modo moueat ad detrahendum, eſt cauſa damni famæ proximi: nam vt ſuppono, alter non detraheret, niſi alter audiret; ergò tenetur ad reſtitutionem famæ. Reſp. negando conſequentiam: quia quamuis auditor ſit conditio quædam in eo caſu, ſine qua non fieret detractio; tamen non eſt cauſa influens in detractionem, & conſequentèr non peccat contra iuſtitiam; non autem teneatur ad reſtitutionem, qui conſuleret detractionem, quæ infallibilitèr ponenda eſſet ſine ipſius conſilio, dicemus dum erit nobis ſermo de conſulente in alijs damnis.

DIFFICVLTAS.

An liceat alicui cum ſui infamia imponere ſibi falſum crimen, aut crimen verum fateri ad euitanda tormenta.

NE in æquiuoco laboremus; ſunt præſcindenda certa ab incertis: eſt ergò certum hominem, qui ſe ipſum ſine præiudicio aliorum infamat per confeſſionem criminis, ſeu veri occulti ad euitandā mortem, vel alia tormenta, nō peccare contra iuſtitiam, nec contra charitatem: Huius rei, ea eſt ratio: quia cū nō ſit peccatū mortale per ſe loquēdo infamare ſe ipsum ſine cauſa multò maius id concedendum eſt, quando iuſta cauſa intercedit, vt in propoſito. Certum eſt ſecundò non eſſe peccatum mortale imponere ſibi crimen ad euitanda grauia tormenta aut mortem ſecluſo periurio, & damno aliorum; ita communis ſententia poſt Sotū, Petrum Nauarrum, & Couarruuiam, qui libro primo variarum reſolutionum cap. 2 num. 8. adducit in exemplum eum, qui de crimine hæreſis cōuictus in foro externo, mortem ſubire cogeretur niſi confiteatur crimen, de quo eſt conuictus, & cum petitione veniæ reconciliet ſe Eccleſiæ. Ratio eſt: quia cum quilibet ſit Dominus ſuæ famæ, poteſt eam prodigere præſertim interueniente tàm graui cauſa; verumtamen eſt, talem reum melius facturum, ſi formalitèr mortē ſubeat ne venialitèr peccet peccato mendacij. Duplex autem eſt hic difficultas. Prima: an liceat reo confiteri in iudicio crimen ſuum verum occultum, ex qua confeſſione ſequutura eſt ipſius mors. Secunda an ſine peccato mortali poſſet reus, qui accuſatur de crimine, quod non commiſit ad euitanda tormenta imponere ſibi crimen falſum, præuidens ex tali confeſſione falſi criminis, mortem ſibi inferendam. Hac in re, accipe ſubſequentes Propoſitiones, & earum prima ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Licitum eſt Reo coram Iudice fateri crimen ſuum verum occultum, propter quod morte, aut mutilatione ſit puniendus.

FAuet Gabriel in 4. d. 15. q. 2. dicens: homicidia auferens vitam proximi iniuſtè ſecurus agit ſi ſatisfaciendo, ſe ſpontè ſubmiſerit pœnæ legis conſtitutæ; ita enim Læſius, & Eminentiſſimus Lugo ſequentes, & citantes Scotum in 4. d. 15. q. 3. num. 6. cuius verba, ab Amico, & Læſio citata ſunt hæc: Expediret animæ homicidæ, quod ſolueret per paſſiones voluntarias, & patientèr ſuſceptas, vt ſi occide-

cideretur pro homicidio. Oppoſitam huius adſcribit Amicus, Nauarro in ſumma cap.18. num.28. & 29. Ratio propoſitionis eſt; quia reus per talem confeſſionem nullam legem violat, ſed potius ſpontè ſubdit ſe, & conformat legi iuſtè vindicanti, & damnanti tales reos.

PROPOSITIO II.

Non peccat mortaliter, qui ad euitanda praua tormenta imponit ſibi crimen falſum, ex quo praeuidit mortem ſibi certò inferendam.

NOnnullus eſt conſenſus Doctorum circa præſentem propoſitionem; nam Petrus Nauarrus, Sotus, Angelus, Silueſter, Toletus, & alij quos referunt, & ſequuntur Læſius lib.2. cap.12. dubitatione 3. & Bonaccina de reſtitut. dubio 2.qu.4. puncto ij; nobiſcum tenent hanc propoſitionem; ſed Molina, Reinaldus, Nauarrus apud Bonaccinam ibidem, & Lugus diſput.14.ſeſſ.10. num.174. oppoſitum tenent, dicentes eſſe peccatum mortale ſibi imponere falſum crimen ad euitanda tormenta, quando quis præuidet inde ſuam mortem ſequuturam. Probatur tamen noſtra propoſitio: quia quamuis id ſit intrinſecè malum venialitèr ob malitiam mendacij annexam; non poteſt tamen oſtendi ex quo cap. id eſſet mortalitèr malum, ſeu peccatum mortale per ſe loquendo; non ratione mendacij: quia mendacium in iudicio prolatum, non cenſetur mortalitèr perniciosum niſi inferat damnum graue alteri, quod in propoſito, vt ſuppono, non contingit; neque id eſt mortalitèr malum ex eo quod peruertat iudicium, inducendo videlicèt Iudicem in errorem, ex quò condemnet innocentem: nam propriè non peruertitur iudicium quando Iudici permittitur vt exequatur iudicium ſecundum probata, & allegata, vt ex officio tenetur; & quamuis occaſione falſi criminis, quod alter ſibi impoſuit, interueniat error aliquis moralis; illi tamen præponderat miſeri leuamen, quò à tormentis liberatur ſupplicio mortis, &c. Accedat altera ratio: non tenetur quis cum tanto vitæ incommodo, & cruciatu vitam ſuam tueri, quin permittat ſibi vitam auferri; ſicut non tenetur curare ſibi brachium, aut pedes abſcindi, & tantum ſubire cruciatum, vt vitam conſeruet; vnde poteſt quis, data ſibi aptione, mortem elicere potiùs, quàm grauiſſimis tormentis cruciari, ſicut poteſt quis in medios hoſtes proſilire, vbi certò eſt occidendus; nè ab hoſte captus, grauiſſima tormenta cogatur.

Oppones contra noſtra dicta. Primo: nullus poteſt licitè præbere cauſam ſuæ mortis: ſed ille, qui fatetur crimen ſuum occultum, præbet cauſam ſuæ mortis: nam, vt ſuppono, non occideretur niſi ſuũ crimen occultum fateretur; ergò, &c. Confirmatur: poteſt contingere, vt talis faciat præiudicium filijs, & hæreticus: ergò nõ poteſt licitè fateri ſuũ crimen occultum, ex quò ſequutura eſt eius mors. Reſp. diſtinguendo antecedens: non poteſt pullus dare cauſam per ſe, & directam ſuæ mortis; concedo; cauſam per accidens, & indirectam, nego: maximè quando interuenit honeſtus finis, vt quis conformet ſe legi iuſtæ; qui autem fatetur coram Iudice crimen ſuum occultum, indirectè tantum, & per accidens præbet cauſam ſuę mortis actionẽ licita, & lege permiſſa, & ex medio ordinato, ex quo mors ſequi poſſit. Ad confirmationem reſpondeo propoſitionem loqui de caſu quò non fieret præiudicium alteri.

Oppones contra ſecundam propoſitionem: numquàm licet cooperari ſuæ morti iniuſtæ per confeſſionem falſi criminis: ſed talis ita ſuæ morti iniuſtæ cooperaretur: ergò, &c. Hoc eſt fundamentum oppoſitę ſententiæ, vt fatetur Lugo ſupra; cum enim (inquit Lugo) homo non ſit Dominus vitæ ſuæ, non poteſt poſitiuè ad eius deſtructionem cooperari; aliud autem eſt de eo, qui non abſcindit membrum, vel non vtitur medijs exquiſitis ad conſeruãdam vitam; ille enim nullo modo ſe interficit, ſed permittit mortem ex morbo, vel alijs cauſis prouenientem non vtens medijs difficillimis ad conſeruandam vitam, ſeù ad mortem impediendam; in noſtro autem caſu; non ſolùm permittit, ſed poſitiuè cooperatur ſuæ morti, & falſa confeſſione inducit Iudicem, vt ipſum interficiat, alioquin non interfecturus; ita Eminentiſſimus Lugo.

Verum

Digitized by Google

Verum hæc reſponſio, ſeu ratio non concludit. Primò: quia ipſe Lugo admittit eum, qui verum crimen ſuum occultum Iudici manifeſtat, non peccaret, quamuis inde ſuã mortem ſequuturam præuideat; & tamen, tàm poſitiuè, & tàm immediatè ille ſuæ morti cooperatur ſine neceſſitate, ac hic, de quo loquimur cooperari ſuæ morti ex tam graui neceſſitate vitãdi tam acerba tormenta; nec refert quod iſtius mors, ad quam aliquo modo concurrit, ſit moralitèr illicita, illius autem non; quia ſufficit qua ſit formalitèr iuſta, & euitetur peccatum Iudicis interficientis, quamuis interueniat peccatum quaſi materiale, quod interficiendus impedire nõ tenetur cum tanto ſuo commodo. Secundò: ſupponit ratio iſta falſum, quia iſte non cooperatur poſitiuè ſaltem directè ad ſuam mortem; nec eſt cauſa moralis directa, & immediata ſuæ mortis, ſed tantùm remota, & indirecta quatenus tendit in id quò Iudex vtitur tamquam cauſa occiſionis & quamuis iſte qui ſe de falſo crimine accuſat intendat illam actione; hoc eſt, confeſſionem falſi criminis ex qua mors ſequitur; tamen ſequuta ei non imputatur: quia directè in eam non influit, nec directè cooperatur, ſed cooperatio iſta indirecta eſt.

Petes vtrum abſque peccato mortali poſſit quis falſum crimen ſibi imponere, ex quò morte eſt afficiendus, eo fine, vt parentem, aut amicum à morte, mutilatione, aut ſimili graui tormento liberet? Ad hoc Molina, & Lugo ſupra citati, vt conſequentèr loquantur, deberit negatiuè reſpondere. Verum dico cum Amico diſput. 37. ſeſſ. 6. id fieri poſſe ſine peccato mortali: quia mors, aut graue tormentum parentis, aut intimi amici æquiualet ferè propriæ morti, & tormento.

DIFFICVLTAS.

An teneamur aliquando reſtituere pecuniam cum damno famæ, vel famam cum damno vitæ.

MOnemus non conuenire Doctores hac in parte: hinc recentiores dicunt poſſe eſſe tantam quantitatem pecuniæ, vt teneatur quis pro ea reſtituenda facti iacturam famæ, Caietanus qu. 62. artic. 6. & opuſculo 17. qu. 14. dicit numquam teneri hominem reſtituere bona inferioris ordinis cum damno bonorum ſuperioris ordinis; Caietanus fauet Nauatrus in Manuali cap. 17. num. 89. & cap. 18. num. 47. Medina, & alij. Notant autem iſti duo auctores famam eſſe duplicem, alteram quæ naſcitur ex opinione virtutis; & huius iactura numquam eſt facienda pro reſtituenda pecunia: alteram quæ naſcitur ex opinione aliorum bonorum, v. gr. diuitiarum; & huius iactura debet fieri pro reſtitutione pecuniarum, quia hæc fama videtur eſſe eiuſdem ordinis, cuius eſt id vnde naſcitur. Nos ſolutionem dabimus per ſubſequentes propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Certum eſt regularitèr, & ordinariè bona ſuperioris ordinis non eſſe exponenda pro bonis inferioris.

PRobatur. quia bona ſuperioris ordinis ſunt ſaltẽ ordinariè meliora, & maiora etiam ſecundum, communem hominum exiſtimationem. Quam bona inferioris, & ideo non adæquantur bona illa inter ſe, & in hac re decipiuntur recentiores; qui impugnant Caietanum; dicentes rationem, quam ipſe affert, quare non ſunt exponẽda huiuſmodi bona, eo quod ſint ſuperioris ordinis; non eſſe bonam, & afferunt ipſi rationem: quia bona illa cõmunitèr ſunt maiora, quam alia, & ideo illis non adæquantur; hæc autem ratio coincidit cum ratione Caietani; Caietanus enim ſupponit bona ſuperioris ordinis eſſe maiora, & meliora bonis inferioris.

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Verum eſt, quod Doctores primæ opinionis docent: valorem alicuius boni non eſſe conſiderandum meta, ſcilicèt ſecundum naturas præciſas rerum, ſed moralitèr ſecundum id quod eſtimantur ab hominibus.

PRobatur: quia valor rerum pendet ex hominum eſtimatione; vnde eſt diuerſitas pro diuerſitate temporis, vel loci; etſi deberet conſiderari præcisè natura rei,eiuſque dignitas, numquam poſſet vna res cum alia diuersè ſpeciei commutari: quia ſpecies ſicut numeri ſunt;et ſi conſideretur ſola qualitas, & perfectio naturalis; et ſpecifica, nulla res animata poſſet adæquari à quacumque re inanimata.

PROPOSITIO III.

Certum eſt poſſe etiam nos ſi volimus exponere famam ad reſtituendam pecuniam,vel etiam vitam ad reſtituendam famam.

PRobatur: quia hoc eſt opus virtutis, et quamuis ſit melior noſtra vita, quàm fama aliena;poſſumus tamen exponere illam, ſicut poſſumus exponere noſtram pro aliena, et poſſumus exponere noſtram vitam pro tuenda re familiari: maximè cum fama ſimus Domini, et interdum poſſimus eam prodigere ſine vllo peccato.

PROPOSITIO IV.

Eſt valdè probabilis ſententia Caietani, nos numquàm teneri reſtituere pecuniam cum detrimento famæ, vel famam cum detrimento, & periculo vitæ.

PRimò: quia prouerbiorum 22. dicitur melius eſſe nomē bonum, quàm diuitias multas. Tum quia Ariſtoteles primò Ethicorum c.5. & lib.4. c.4. docet honorem, & famam eſſe finem aliorum bonorum externorum, quod etiam habet Gloſſa in cap. Scientia de pœnit. remiſſ. Tum quia reſtitutio eſt actus commutatiuè; hæc autem ſolum obligat ad æquale, ergò non ad aliquod maius.

PROPOSITIO V.

Videtur valdè probabilis, & fortè magis vera ſententia docens in aliquo caſu particulari teneri hominem reſtituere pecuniam cum periculo, & amiſſione aliqua famæ, & interdum, & famam cum periculo vitæ.

DICO in aliquo caſu, quia ordinariè hoc non eſt faciendum. Et quidem ſi loquamur de fama illa, quæ non oritur ex virtute, ſed ex diuitijs, vel alio ſimili, res videtur clara, & concedunt Nauarrus, & Medina: quia fama illa videtur eſſe eiuſdem rationis cum eo,ex quo oritur. Si autem ſit ſermo de alia fama quæ oritur ex virtute,quando v. gr. ille reſtituet iudicabitur fuiſſe fur,res non eſt adeo clara. Probatur tamen,quod diximus: quia poteſt eſſe tantus exceſſus valoris pecuniæ, & adeo exiguum detrimētum famæ, aut ille qui eſt infamandus, habere adeo modicam famam, vt debeat exponi fama pro pecunia, & idem intelligitur de vita pro fama,vel etiam pecunia,vt v. gr. aliquis debet reſtituere. Ingentem pecuniā alteri, qui eſt vir valdè inſignis,& neceſſarius Reipublicæ ita vt ſine pecunia illa, Reſpublica multum patiatur;vel etiam vir ille inſignis multum patiatur, alter verò qui ſit infamandus, ſit modicæ famæ, & Reipublicæ nihil interſit: vtrum ille habeat bonam famam, nec ipſe aliud damnum patiatur, quàm infamationem illam. Similitèr ſi quis infamauit virum aliquē valdè vtilem Reipublicæ de crimine grauiſſimo, poterit cum periculo vitæ reſtituere illi famam, quia vt benè docet Couaruuias,quamuis fama ex genere ſuo ſit maius bonum,quam pecunia,conſideratis tamen circumſtantijs particularibus, fieri poteſt, vt præponderet pecunia ſecundū ho-

Digitized by Google

hominum exiſtimationem; vnde videmus ſæpæ aliquos condonare famam pro pecunia; ſicut enim, quamuis aurum ex natura ſua ſit pretioſius argento, poteſt tamen argentum eſſe in tanta quantitate, vt pluris valeat quàm aurum. Ariſtoteles verò extollit famam, quia eſt melior alijs bonis, etſi ſint cœtera paria debet ſemper præponderare, & hoc ſolum fortè voluit Caietanus, alioquin non videtur, & vitam etiam pecunia compenſari, idque per veram iuſtitiam commutatiuam, quæ ponit æqualitatem inter res; & hac ratione, omnia, quæ afferuntur pro contraria ſententia videntur ſolum probare bona ſuperioris non eſſe exponenda pro bonis inferioris ordinis, quando ſunt cætera paria: & quamuis de vita, fortè poſſet dici eam nũquam eſſe neceſſariò exponendam, quia eſt maxima naturalis inclinatio ad eam conſeruandam. & naturalitèr videmus exponi omnia alia pro illa; ſi quis tamen vellet exponere, non peccaret: vndè non eſt eadem ratio horum bonorum, & aliorum verè ſpiritualium, qualis eſt charitas: hæc enim non poſſunt exponi, & amitti ſine peccato, ideò nec tenetur, nec poteſt homo vt reſtituat famam, vel pecuniam, vel aliud quodcumq; bonum externum, exponere vitam.

Quod autem poſſint, & debeant exponi alia bona, colligi videtur ex lege veteri, in qua præcipiebatur, vt ad ſoluendum onus alienum, homo ſubiret ſeruitutem, & tamẽ libertas eſt bonum ſuperioris ordinis, quàm pecunia; nunc autem hoc nõ poteſt fieri, non quod ex natura rei fieri poſſit, vel debeat, ſed quod ſit prohibitum ab Eccleſia, vel legibus Imperialibus; quod autem dicitur de adultera, intelligendum eſt ordinariè quando eſt periculum vitæ, & hæreditas non eſt tanta, vt præponderet famæ illius, quod ordinariè contingit.

DIFFICVLTAS.

In quem cadat obligatio reſtituendi famam.

SOlutionem dabunt ſubſequentes propoſitiones; quarum prima ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Non ſolum principalis infamator; ſed etiam qui vis alius in effectum concurrens iniuſtè formalitèr, aut materialitèr ad alterius infamiam tenetur ad famæ reſtitutionem, deficiente principali infamatore.

PRopoſitio hæc noſtra communis eſt apud omnes. Ratio veritatis illius eſt: quia cum fama ſit noſtrum excellens bonum (nam melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multę Prouerb. 22. in quod bonum habemus etiam ius dominij ſtrictum; inde fit, vt quicumque lædit iniuſtè hoc ius ſiue principalitèr, ſiue non principalitèr, ſiue formalitèr, ſiue materialitèr iniuſtè, obligetur vi iuſtitiæ commutatiuę ad hoc ius reparandum, & conſequentèr ad reſtitutionem famæ; nam, ſi hoc locum habet in reparandis damnis in bonis fortunæ, certè locum habet in reparando damno in bonis famæ, quæ eſt altioris ordinis: per principalem infamatorem hic intelligo ipſum detrahentem, & mandantem detractionem: iſti enim per ſe, & principalitèr obnoxij ſunt obligationi reſtituendi famã; per minus principale intelligo eum, qui conſilio, ſuaſione, precibus, blanditijs, metu, aut alio quouis modo, excepta fraude, inducit principalem detractorem ad detrahendum, quia hi omnes in ipſam detractionẽ moralitèr influunt, & quilibet talis in defectu principalis cauſæ, tenetur ad reſtitutionem famæ: dixi, excepta fraude: quia qui fraude inducit, videtur habere rationem principalis cauſæ.

Dixi in propoſitione, in effectum concurrens: quia, quamuis quis praua etiam voluntate intendat alterius famam auferre; ſi in effectu non aufert, vel quia res aliundè fuit audientibus nota, aut vndecumque id eueniat; ſicut, nec principalis, ita nec minus principalis concurrens ad detractionem (quamuis moralitèr malam contra charitatem, & etiam iuſtitiam) tenetur ad reſtitutionem. Dices peccatum mortale contra iuſtitiam obligat ad reſtitutionem. Reſp. quid eſſe verum quandò peccatum quod committitur contra iuſtitiam

Digitized by Google

tiam habet effectum damni; in propoſito autem non habet effectum, ſed affectum damni, & conſequentèr non obliget ad reſtitutionem. Dixi concurrens iniuſtè moralitèr, aut formalitèr, quia ſi ablata eſt fama iniuſtè, hoc eſt, ſine cauſa excuſante à peccato, ſiuè interueniat iniuſtitia formali, quæ eſt formalitèr peccatū iniuſtitiæ, ſiue materialis, quæ tantum eſt materialitèr peccatum iniuſtitiæ, vt quando quis inauertētèr, & inculpabilitèr eſt cauſa leſionis famæ, tenetur ad reſtitotionem. Monimus tamen, quod quando dicimus hanc obligationem reſtituendi famam oriri ex iniuſta læſione famæ, per iniuſtam læſionem intelligendam eſſe eam, qua læditur ipſa iuſtitia commutatiua; nam dato caſu, quo eſſet iniuſta læſio famæ, quia ſola læderetur charitas, et non iuſtitia, non ponere obligationem reſtitutionis.

PROPOSITIO II.

Hæredes infamatoris, quando ipſe non reſtituit, non contrahunt obligationem reſtituendæ famæ; contrahunt tamen obligationem reſtituendi pro damno ex infamia ſequuto.

SEcunda pars eſt communis, et cōſtat: nam ſicut hæredes obligationem cōtrahunt ſoluendi alia debita, ita, et obligationem ſoluendi hoc debitum. Probatur; quia ſicut hæres ſuccedit defuncto tantū in bonis fortunæ, aut in iure ad hęc bona; ita etiam ſuccedit ſolum in obligationem, aut debitum bonorum fortunæ, et conſequentèr non ſuccedit in bono famæ reſtituendæ.

PROPOSITIO III.

Reus accuſatus de crimine occulto prætermiſſo iuris ordine, non peccat contra iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem famæ faciendam accuſatori, cuius famam læſit per negationem criminis.

ITA communior ſententia, quam tenet Riccardus, et vterque Nauarrus cum recentioribus communitèr ſequentibus Scotum in 4.d.15. q.4. nu.5. & ratio eſt, quam aſſignat Scotus ibidem: quia ipſemet accuſator eſt ſibi perniciosus, quia, eo modo propoſuit, quo non debet proponere, imò deberet non proponere; & ideò, imputet ſibi, ſi aliqua infamia ſequitur: quia ipſe eſt cauſa, non autem ille negās, qui defendit innocentiam ſuam in publico, vbi non eſt habendus reus donec fuerit conuictus; ita Scotus. Ratio breuitèr conſiſtit in hoc, quod quilibet habeat ius ſe defendendi contra inuaſorem illegitimè procedentem in quocumque genere bonorum fiat inuaſiò; ille autem accuſator, illegitimè procedit, qui non ſeruat ordinem iuris, & conſequentèr cenſetur inuaſor famæ. Dixi in propoſitione de crimine occulto: nam ſi crimen eſt publicum, hoc eſt, ſi facilè probari poteſt per idoneos teſtes, aut ſufficientia indicia; aut ſi crimen habeat ſemiplenam probationē, tenetur reus iuridicè interrogatus veritatem fateri, eas ſaltem lege, vt non peruertat ordinem iudicij, aut Iudicis lædat auctoritatem. Dico, ea lege, &c. quia ſi nudè tantum crimen huiuſmodi neget, nulla alia crimina obijciendo accuſatori, probabilitèr dici poteſt cum Lugo hic diſput.15. ſeſſ.1. num. vltimo, non eſſet peccatum mortale contra iuſtitiam; quia non tenetur reus ex iuſtitia accuſatorem contra ſe iuuare, aut accuſationem tacendo facere meliorem. Prætereà raro fortè accuſatoris fama notabilitèr læditur per negationem rei, quia negat crimen, cum homines putent reum, quamuis in rei veritate ſit nocens; velle tamen ſe defendere, & crimen non admittere. Si tamen ex negatione criminis ita publici, reus iuridicè interrogatus, inferat grauem infamiam accuſatori; probabilius puto eum peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, vt tenet D. Thomas 2.2. qu.69. artic.1. et ea conformis Scoto loco iam citato, vbi ait: tenetur tamen reus per quædā verba ſobria reſtituere famam illi accuſanti, quem indirectè notauit de calumnia, dicendo: non habeatis eum pro calumniatore, quia credo, quod habuit bonam intentionem in proponendo, etc. ita Scotus: Dixi ſecundò: prætermiſſo iuris ordine; quia ſi iuris ordo ſeruetur ita, vt reus iuridicè interrogetur ſuppoſita ſal-

tem

tem ſemiplena criminis probatione, & ſuppoſitis indicijs, alijſq; ad id requiſitis, iam patet ex immediatè antecedentibus, quid in eo caſu dicendum ſit.

Oppones primò contra primam propoſitionem quatenus dicit eum, qui iniuſtè tantùm materialitèr læſit famam, teneri ad reſtitutionem. Si id eſſet verum, iſta obligatio oriretur ratione rei acceptæ: ſed hoc eſt falſum, ergò, &c. Maior videtur certa: quia non tenetur ratione iuſtę acceptionis: cum nulla talis interuenit, ergò tenetur ratione rei acceptæ. Probatur minor: nullus tenetur ad reſtitutionē ratione rei acceptæ, niſi qui aliquid accepit, aut tenet, vel in ſe, vel in ſuo fructu: ſed infamator nihil tenet de fama, quam læſit, nec eam accepit; ſed potius deſtruxit eam in mentibus eorum, qui benè de proximo ſentiebant. Confirmatur: qui ſine culpa, vtpotè ex inaduertentia, aut ignorantia ignem admouit alienæ ſegeti: non incurreret obligationem reſtitutionis ex re accepta, aut ex iniuſta acceptatione; ſed qui ſine culpa lædit alterius famam, proindè ſe habet, ac ſi ſegetes alienas inculpabilitèr ſuccendat, nam tantùm deſtruit famam, & hoc inculpabilitèr, vt ſupponitur, ergò, &c. Reſp. negando minorem; ad cuius probationē negatur etiam minor: nam morali quadam ratione detractor tenet famam ablatam in ſua poteſtate; vndè dicitur famam auferre, ſurripere, &c. tenet inquam famam tamquam clauſam in ſua poteſtate, impediendo ne in mentibus aliorum ſit recta opinio in proximi bonum. Ad confirmationem reſp: negando minorem: quia ſi quis ſegetes alienas ſine culpa incendit, nil prorſus rei deſtructę detinet reſtituendum; quia autem famam culpabilitèr abſtulit, in ſua poteſtate, vt dixi tenet famam proximi morali quoddam modo, tamquam rem alienam, & conſequentèr cognito errore ex quo famam lęſit inculpabilitèr; tenetur ad famæ reſtitutionem, quando id facere poteſt ſine graui ſuo incommodo; hoc ideò addo, quia talis non tàm ſtrictè, nec tanto onere ad reſtitutionem obligatur, quandò ille, qui culpabilitèr famam abſtulit. Dices: abſque culpa Theologica nullus contrahit obligationem reſtituendi in foro conſcientiæ: Reſp. id eſſe verum loquendo de obligatione, quæ contrahitur ratione iniuſtæ acceptionis, non de obligatione, quæ contrahitur ratione rei acceptæ, qualem hic eſſe dicimus. Hæc replica habere difficultatem, ſi ſequeremur ſententiam Eminentiſſimi de Lugo, qui diſp. 19. ſeſſ. 1. tenet obligationem reſtituendę famę oriri ex iniuſta acceptione, quia quis cenſetur inferre damnum famæ, dum aduertens famam eſſe oblatam, eam non reſtituit. Nobis magis placet prima reſponſio.

Oppones contra ſecundam propoſitionem: hæredes contrahunt obligationem debitorum defuncti, quia pecunia compenſari debent, ſed læſa fama debet pecunia compenſari, ergò, &c. Reſp. negando minorem: nam bona illata in bonis altioris ordinis, non debent reparari per compenſationem bonorum inferioris ordinis communitèr.

Petes vtrum ſuperior in defectu ſubditi obligetur ad reſtitutionem famæ. Reſpond. obligari quando potuit, ſed noluit impedire ſubditum detrahentem, ſiuè alteri ſuo ſubdito, ſiuè etiam ſubdito detrahat.

DIFFICVLTAS.

Quis modus ſit ſeruandus in reſtitutione famæ.

MOnemus peccatum, de quo quis infamatur, poſſe eſse duplex; interdum eſt verum, ſed occultum, interdū falſum. Quid nobis circa propoſitam difficultatem probabilius videatur, demonſtrabunt, quę ſubſequuntur propoſitiones. Sit ergò prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Quando aliquis falsò infamauit alterum, tenetur recantare, quod dixerat.

EST communis hæc doctrina; nec obſtat, quod iſte amittat omni modo ſuam famam: quia melior eſt conditio innocentis, & ſemper reſtitutio eſt facienda cum aliquo proprio damno; hoc autem

Digitized by Google

autem intelligendum eſt ordinariè : quia fieri poteſt, vt ille, qui infamatur, ſit vir maximæ vtilitatis, & infamatus nullius momenti,ita vt infamia illius viri inſignis ſuperet infamiam alterius; tunc enim poſſet eſse tantus exceſsus, vt ille non teneretur reſtituere cum ammiſſione ſuæ famæ, ſed fortè poſtea poſſet recompenſare pecunia, vel alio bono; ordinariè tamen tenetur retractare;imò ſi videat alios nō credere retractationem ipſius, tenetur adhibere teſtes, vel applicare alia remedia, quibus retractata fides fiat de bonitate infamati: quia hæc & ſimilia,ſunt licita, & ipſe tenetur quantum poteſt reſtituere.

PROPOSITIO II.

Dicimus ſecundò.

QVando aliquis infamauit alterum de vero crimine, eſse multò difficiliorem hanc reſtitutionem; Nam S. Thomas in hac quæſtione, & articulo ad ſecundum, & in 4. d. 15. q. 5. ad ſecundum,cum ferè omnibus antiquis,dicit debere fateri ſe malè, & iniquè fuiſse loquutum de fratre, & in ijs,quæ de illo retulit, nullam ſibi eſse fidem adhibendam, & fratrem illum eſse virum honeſtum.

Maior in 4. d. 15. q. 16. dicit ſatis eſſe dicere, quando tale delictum de fratre dixi, exiſtimabam eſse verum, ſed adhibita diligentia, inueni me prauè, & iniuſtè loquutum eſse. Hic modus non habet difficultatem:neſcio tamen quam vtilitatem importet. Alij dicunt eſse vtendum verbis æquiuocis, & ambiguis, ſed non explicant quibus. Caietanus hoc loco, Sotus lib.4. q.6.artic.3. ad 4. Nauarrus in manuali cap.18. nu. 45. dicunt debere omiſso illo crimine laudare fratrem, quem infamauit, & extollere virtutes illius, & cum eo familiaritèr conuerſare, quod ſi hoc poſset recompēſare pecunia. Melchior Canus, & Magiſter Mantius, quos refert Salon hic controuerſia 15.dicūt teneri illum dicere ſe falſum, & mendacium dixiſse; aliud enim inquiunt eſt dicere; ille nihil tale fecit aliud;ego narrando tale factum illius, falſum, & mendacium dixi: quia primo modo loquendo, homo ſignificat illum non commiſiſſe peccatum, quod verè commiſit, & hoc eſt mentiri. Secundo autem modo hoc non ſignificare, quod vt explicet; ſupponit duo: Primum eſt, quando aliquis iure poteſt, vel debet occultare veritatem aliquam, poſse etiam vti verbis æquiuocis, & ambiguis. Secundum eſt duplex eſse verum, & falſum; alterum ſpeculatiuum, quod nimirum adæquatur, vel nō adæquatur ſimpliciter rebus in ſe;alterum practicum, quod nimirum, ſi ſit contra rectam rationem, ſit falſum; ſi ſit conforme rectæ rationi ſit verum, quæ doctrina colligitur ex Ariſtotele 6. Ethicorum c.2. & S. Thoma q.58. artic. 4. ad primum,& prima parte q. 17. artic. 1. quia voluntas benè regulata à recta ratione, eſt regula actionum practicarum, & ab ea ſumitur veritas, & falſitas practica; quæ etiam modo ſæpiſſimè ſcriptura opera bona vocat vera, & mala falſa, quod multis probat Salon. His poſitis, qui reuelauit crimen occultum fratris, quamuis dixerit verum ſpeculatiuè, practicè tamen dixit falſum,quia dixit contra rectam rationem, ideò poteſt, & debet dicere ſe falſum; & mendacium dixiſſe, & hic modus valdè probatur Saloni dignè, & reprobatum ab Aragonio. Bannes verò, qui deſumpſit hæc ex Salon, ſequitur illum aliqua ex parte; quare in huiuſmodi caſu adeundus eſt ille, cum quo infamator loquutus eſt malè de alio, & ſiquidem ille non ſit valdè expertus in huiuſmodi rebus non eſſet difficile vti verbis æquiuocis, & reſtituere famam; ſi verò ille ſit valdè expertus, vel vtendum eſt modo Caietani, vel horum aliorum, qui videtur omnium optimus, vel ſi ille nouerit etiā hanc ſpeculationem, alio modo ſatisfaciendū erit.

PROPOSITIO III.

Quando nullo modo verbis poſſumus reſtituere famam propter peritiam, vel malitiam eorum, quibus cum agimus.

SIlueſter, Petractio q.4.docet numquā eſſe neceſſarium dare pecuniam loco famæ. Primò, quia non eſt in vſu hæc reſtitutio famæ per pecuniam, Secundò, quia ſi abſtulit pecuniam, & non poſſum illam

Digitized by Google

illam reſtituere, non teneor loco illius dare honorem, vel effundere preces apud Deum: ergò nec pro fama debeo dare pecuniam. Tertiò, quia alias omnis adulter teneretur reſtituere magnam pecuniam viro Vxoris. Quartò, quia nullum pretium poteſt dari huic famæ.

Dicerem ergò, quod ſicut quando quis non poteſt reſtituere pecuniam nunc, poterit tamen poſt aliquos dies, differre poteſt hanc reſtitutionem poſt illos dies, & non ſolùm ſi non poſſit ſimplicitèr hoc tempore, ſed etiam ſi non poteſt commodè ſine graui ſuo damno, dummodò ſimile damnum non incurrat alius, cuius pecunia eſt apud ipſum, poteſt differre ad tempus, quo tale damnum non patiatur, ita idem in reſtitutione famæ faciendum eſt proportionalitèr. Quod ſi non poſſit reſtituere famam, vt docet S. Thomas hic ad ſecundum debet reſtituere in alio genere bonorum, & S. Thomas apertè loquitur de reſtitutione facienda pro infamia ipſa, & quidem quod ſit danda pecunia pro fama, quando aliquis in iudicio fuit ad hoc condemnatus, vel ita conuenirent inter ſe infamator, & infamatus, res eſt euidens: quia ſententia Iudicis iuſta obligat in conſcientia, & eodem modo obligant conuenctiones, & pacta. Quod autem ſententia hæc ſit iuſta; patet, quia in pœnam peccati poteſt hoc illi imponere, & infamatus, ſicut poteſt remittere verè obligationem reſtituendi, ita poteſt illam hoc modo commutare. Quod autem abſtrahendo à iudicio, & conuenctione, quando non poteſt reſtitui fama, debeat recompenſari pecunia; probatur authoritate S. Thomæ, & aliorum; & quia, quamuis fama ſit bonum, multò pretioſius pecunia; eſt tamen bonum temporale: ergò poteſt ęſtimari pecunia iuxta viri prudentis arbitrium, & quia eodem modo quādo damnum eſt illatum in corpore, vel membris, & non poteſt refici in eodē genere reficiendum in pecunia, quæ facta eſt ad omnia compenſanda, & æſtimanda. Et quia quando ad reſtituendam famam in proprio genere ſunt faciendæ expenſæ, v. g. in adducendis teſtibus; expenſæ illæ ſunt faciendæ ab infamatore: ergò pecunia danda eſt pro fama.

Ad motiua Silueſtri Reſpondemus, ad primum, regulas, viuendi non eſſe ſumendas ab vſu mali populi: quia vt ait Gregorius: Plebes docendæ ſunt, nō ſequendæ. Ad ſecundum reſpondet honorem, & orationem eſſe maiora bona, quàm fama; non ſunt autem danda maiora pro maioribus, ſed minora pro maioribus. Ad tertiam concedo ſequelam: quia ſi quando quis abſtulit vitam, vel membrum tenetur dare pecuniam, tenebitur etiam, quando abſtulit vxorem ſi hoc ſciatur, & indè ſequitur inhonoratio viri, & vir velit hanc recompenſationem. Ad quartum reſpondeo indè benè probari non poſſe reſtitui omninò æquale, ſed eſſe faciendam recompenſationem ad iudicium boni viri, quare minimè tenetur propter hoc aliquis ſe ſpoliari omnibus bonis, ſicut non bene pro toto libertas venditur auro, tamen modica pecunia non emitur. Optimus autem modus cōpenſandi famam pecunia, eſt tantùm reſtituere, quantùm amici, & beneuoli poſſunt conuenire inter ſe infamator, & infamatus; quod ſi nolint inter ſe conuenire iudicio boni, & prudentis viri, qui conſiderauit conditiones perſonarum, gradus, &c. erit prouidendum.

DOCVMENTVM.

In quo diſputatur de iniuria in bonis corporis.

DIfficultates ad hanc partem ſpectantes ſoluemus per ſubſequentes propoſitiones, quarum prima ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Secluſa Diuina authoritate numquàm licitum eſt ſeipſum ex intentione directa occidere.

FAuent Theologi huic propoſitioni S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 64. ar. 5. Scotus in 4. d. 15. q. 3. & omnes Theologi apud quos videri poſſunt authoritates Patrum. Ratio pro noſtra propoſitiopoſitione deſumitur ex eo, quod per illud præceptum Diuinum, Non occides, vetatur non ſolum occiſio alterius, ſed etiam

 ſui

ſui ipſius. Altera ratio deſumitur ex Tract. de paritate, vbi docetur præceptum charitatis primo loco poſt Deum obligare quemlibet ad dilectionem ſui ipſius: tunc ratione perfectæ identitatis inter diligentem, & dilectum, quæ identitas eſt maxima ratio diligibilitatis: Tum quia vt dixit Sanctus Auguſtinus in enchiridion, Charitas incipit à ſe ipſo, quia inclinatio naturalis maximè trahit in conſeruationem propriæ vitæ, ſed hæc inclinatio eſt recta, & conformis rationi rectæ; ergò occiſio ſui eſt difformis rectæ rationi, & oppoſita charitati. Accedit, quod homo non eſt Dominus ſuę vitę, aut membrorum, vt conſtat ex illo ſapientiæ 16. Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem. Occurrit, quod non noſtra induſtria, ſed ex liberali Dei donatione acquiſiuimus vitam noſtram, & mēbra, & cōſequentèr de his diſponere poſſumus, niſi dependentèr à volūtate ipſius Dei donantis; cum autem Deus nuſquā nobis conceſſerit poteſtatem liberam diſponendi de vita, & membris corporis ſequitur nos talem poteſtatem non habere; habemus tamen ius cuſtodiendi, & conſeruandi noſtram vitam; ergò homo non poteſt ſeipſum, & ſua membra diſponere.

PROPOSITIO II.

Non licet homini propria authoritate ſe mutilare, niſi ſit pro conſeruatione totius.

PRopoſitio iſta facile probatur ex prima: quia homo nō eſt Dominus ſuę vitæ, & membrorum, nec lex charitatis permittit, vt homo ſe mutilet, ſicut non permittit, vt mutilet alterum iuxta id: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, in quo præcepto aſſignatur noſtri dilectio pro menſura dilectionis proximi.

PROPOSITIO III.

Mutilare, & occidere ſeipſum per ſe loquendo non eſt peccatum contra iuſtitiam, ſed contra charitatem.

ESSE contra Charitatem negabit nemo. Non eſſe contra iuſtitiam, docent multi; eſt tamen contra Leſſium c. 9. dubitatione 6. Bonaccinam, & alios quatenus dicunt id eſſe contra iuſtitiam legalem, & contra Lugum diſp. 8. num. 9. qui dicit eſſe contra iuſtitiam commutatiuam, & in rigore ſumptam, quia violatur ius, & dominium Dei, & idem videtur docere S. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 64. artic. 5.

Probatur contra Læſium, quod per ſe loquendo nō ſit contra iuſtitiam legalem: nam poteſt quis licitè tranſire de Republica ad Republicam ſine iniuria primæ Reipublicæ: ergò ſubtrahere ſe Reipublicæ, ſiue ſe occidendo, ſiue alio modo, non eſt peccatum contra iuſtitiam legalē. Præterea nec ipſa Reſpublica agnoſcit iniuriam ſibi fieri, quando Ciuis ſe ipſum occidit, nec Ciuis plerumque neceſſarius eſt Reipublicæ, imò ſæpè inutilis, & moleſtus. Dixi per ſe loquendo, &c. quia ſi cōtingat perſonam eſſe neceſſariam Reipublicæ, mihi eſt opinio peccare contra iuſtitiam legalem ſe occidendo, aut mutilando membrum, quod videret eſſe Reipublicæ neceſſarium.

Non eſſe contra iuſtitiam commutatiuam, quatenus læditur ius Dei, probatur primò in ſententia docente hominis ad Deum non poſſe eſſe iuſtitiam, ergò neque iniuſtitiam propriè dictā; conſequentia eſt euidens: nam iniuſtitia eſt violatio iuſtitiæ. Probatur antecedens: quia homo non eſt perſona moralitèr diſtincta à Deo capax diſtincti iuris, quod ad iuſtitiam rigoroſam requiri videtur. Iſta ratio eſt magis fundata in principijs Aduerſariorum. Accedat altera ratio: iuſtitia cōmutatiua exigit, vt ponatur aliqua æqualitas poſſibilis inter datum, & acceptum iuxta proportionem, &c. ſed in propoſito eſt abſolutè impoſſibilis talis æqualitas: nam impoſſibile eſt, vt homo occidens, aut muti-

Digitized by Google

mutilans ſe ipſum, reſtituat Deo aliquod æquiualens. Altera ratio: homo occidens ſeipsũ ſubtrahit ſe phyſicè poteſtati Dei, eiuſque dominio, non ſubtrahit, ſe tamen moralitèr quin ſit in poteſtate Dei quandocunq; ipſi placuerit ipſum recuperare, & reproducere, ergò nulla grauis iniuria fit Deo per talem occiſionem,ſicut non fieret iniuria grauis homini, ſi rem ipſius deſtrueret,quia poſſet ſine vlla moleſtia recuperare, quandò vellet. Item: ſi iniuſtitia eſt occidere ſe ipsũ: ergò,& permittere ſeipsũ occidi, eſt iniuſtitia. Cõſequẽs eſt contra ipſum Lugo,& cõmunem: nam admittuntur aliqui caſus, quibus licet homini permittere ſe occidi, & multò magis mutilari. Conſequentia probatur: quia ſicut eſt iniuſtitia deſtruere rem alienam, ita, & permittere rem alienam, quã in tuam cuſtodiam, & adminiſtrationem ſuſcepiſti, deſtrui, eſt iniuria. Item ſequeretur eum, qui alterum occidit,ex duplici capite peccare contra iuſtitiam, quia faceret iniuriam Deo, & faceret iniuriam proximo, hoc autem eſt falſum;ergò,&c. Item Deus habet perfectum ius,& dominium in quamlibet creaturam, non indè tamen ſequitur me peccare contra iuſtitiam, & facere Deo iniuriam ſpecialem, ſi creaturam irrationalem deſtruat. Dices, Deus ipſe conceſſit facultatem deſtruendi talem creaturam. Contra primò: numquam conceſſit Deus facultatem nobis infamam alterius; tamen non peccatur peccato iniuſtitiæ contra Deum, infamando alium. Contra ſecundò: numquam Deus conceſſit mihi facultatem,famam;aut honorẽ ipſius apud homines deſtruere, nec conceſſit facultatem deſtruendi imaginẽ, aut rem Deo dicatam; tamen non peccarem contra iuſtitiam, ſi huiuſmodi rem deſtruerem, ſed contra Religionem. Dices, ſaltem eſt contra Religionem occidere, aut mutilare ſe ipſum: nam violatur res, quæ ſpeciali titulo eſt Dei. Reſp. negando aſſumptum; quia tunc tantũ omittitur peccatum contra Religionem quando res ſpeciali modo Deo cõſecrata, violatur; homo autem non eſt ità Deo conſecratus, ſed conſtitus ſub Dei poteſtate, Dominio, ſicut alia res cæteris paribus.

PROPOSITIO IV.

Multi dantur caſus, in quibus ob iuſtam cauſam licitum eſt homini permittere ſe occidi, aut mutilari; imò, & aliquam actionem facere, ex qua certò præuidetur mors ſequutura.

PRobatur 1. quia quamuis habeat homo obligationem, vt directè ſe ipsũ & ex intentione non occidat; non tamen habet obligationem tantam, quin ob iuſtam cauſam ſe permittat occidi.

Monemus hominẽ duplici modo poſſe cooperari ſuæ morti; poſitiuè, & negatiuè; poſitiuè concurrit dum facit actionem inductiuam mortis, & hoc poteſt cõtingere duplicitèr; primò vt actio per ſe immediatè,& proximè ſit inductiua mortis, vt eſt actio, qua quis vulneret ſe gladio, aut proijcit ſe in ignem, aut bibit venenum, &c. Secundò, quod actio tantum per accidens, ac remotè, & indirectè ſit inductiua mortis, vt eſt illa, qua quis coram Tyranno perſequente Chriſtianos, fatetur ſe eſſe Chriſtianum, aut quia reus coram Iudice fatetur ſuũ crimen, ex quo præuidet ſuam mortẽ ſequuturam. Primo ergò modo poſitiuè concurrere ad propriam mortem,numquam eſt licitum ſine ſpeciali inſtinctu, & authoritate Dei; ſecundo verò modo concurrere poſitiuè ad ſuam mortem, non eſt de ſe malum, ſed ſæpè licitum ob iuſtam cauſam. Negatiuè quis concurrit ad ſuam mortem,quandò ſolùm permiſſiuè ſe habet non fugiendo mortis periculum, vt ſi quis non effugiat appropinquans incendium, aut iminentem inundationem, aut furioſam beſtiam, &c. cum facile poſſit; & hæc permiſſiua voluntas eſt contra obligationem communem conſeruandi vitam; poteſt tamen hæc obligatio ceſſare ob iuſtam cauſam, vt v.g ob conſeruationem amici, aut proximi; præterea plures alij caſus aſſignãtur à Doctoribus. Primus eſt: poteſt reus occidendus non fugere ex carcere, quamuis poſſit. Secundò poteſt reus, qui fame necandus eſt ex ſententia Iudicis denegare cibos clam oblatos, vt docent Enriqu. Sotus, & Lopez apud Læſium ſeſſ. 5. quod

Digitized by Google

tamen Lugo diſp.8. ſeſſ.1. num.30. limitat; ita vt id verum ſit, quando per cibos oblatos non poteſt conſeruare vitam, ſed aliquantulum protrahere; quia (inquit) ſi poſſet occultè ſe ſemper ſubſtentare, teneretur. Tertius caſus poteſt Religioſus, aut ſpiritualis perſona aſſumere ieiunia, & alias mortificationes, quamuis præuideatur probabilitèr aliqualis vitæ abbreuiatio; dummodò non timeatur notabilis vitæ abbreuiatio, & dummodò quis non intendat vitæ abbreuiationem. Quartus caſus, poteſt quis cum vitæ periculo miniſtrare laborantibus peſte. Quintus caſus frequens in nauali militia poſſunt milites inijcere puluerem in Nauem, & ſe mari committere cum vitæ periculo, ne nauis cum detrimento graui Reipublicæ deueniat in poteſtatem hoſtium, & vt ipſi effugiant deteriorem mortem, breui poſt ferendam; in hoc tamen caſu debent milites, & nauales ſocij eſſe cauti, ne ſine graui Reipublicæ detrimento, & certa ſcientia ſuę mortis ab hoſte inferenda, nauem incendant, & ſe in mare cum tanto vitæ perculo proijciant. Sextus caſus, quando quis incenſus deſiderio martyrij, ſe palam coram Tyranno manifeſtat, & profitetur ſe Chriſtianum, vt multi fecerunt Sancti, Seraphicus Pater noſter Sanctus Franciſcus coram Soldano, Beatus Daniel noſter cum ſocijs coram Saracenis. Simile fecerunt plurimi alij martyres, tàm viri, quàm fœminæ.

Oppones primò: præceptum charitatis obligat ad conſeruationem vitæ: ergò martyres non poterant ſe exponere manifeſto vitæ periculo ſecluſa obligatione alterius præcepti vrgentis. Confirmatur: contra obligationem conſeruandi vitam peccaret grauitèr ille, qui non fugeret flammam, aut incendium imminens: ergò magis videtur peccare ille, qui nō ſolùm negatiuè, ſed poſitiuè concurreret ad ſuā mortem ponendo actionem, v.g. profeſſionem fidei publicā, ex qua certò eſt occidendus. Reſpon. præceptum charitatis obligare ad conſeruationem vitæ, ita vt nunquam liceat directè, & immediatè ſe ipſum occidere ſine ſpeciali Dei inſtinctu; id tamen præceptum non obligat ad conſeruationem vitæ, ita vt nunquam indirectè, & remotè liceat homini ad ſuam mortem concurrere ob iuſtum, & honeſtum finem, vt patet in exemplis allatis; martyres autem indirectè, & remotè tantum concurrebant ad ſui necem, & hoc ob iuſtam cauſam. Ad confirmationem negamus conſequentiam: quia in primo caſu eſt cauſa naturalis neceſſariò cauſās ſuum effectum, ſcilicet mortem illius, qui ſe nō ſubtrahit, in ſecundo verò caſu, nō eſt cauſa naturalis, ſed libera, potens ponere, & nō ponere effectū, ſeù inferre, & nō inferre mortē, & conſequenter maior eſt obligatio euitandi cauſam neceſſariam mortis in primo caſu, quam cauſam liberam mortis in ſecundo caſu. Nec actio iſta profeſſionis fidei, aut alia ſimilis per ſe directè eſt cauſa mortis, ſed tātum per accidens, & indirectè. Dices ſecundò: Martyres intendebant non tantùm indirectè, ſed etiam directè martyrium, hoc eſt mortem pro Chriſto: ergò intendebāt non ſolùm ſui occiſionem, ſed etiam peccatum Tyranni, tamquam medium ad hunc finem: nam, qui vult finem, vult etiam medium ad finem neceſſarium; in propoſito autem nō poteſt acquiri martyrium, aut corona martyrio debita, ſine iniuſta occiſione innocentis. Reſp. martyres per ſe, & direſtè intendere palmam martyrij tamquam maximum bonum appetibile ad quem finem poterant etiā ipſum martyrium aptare ſub cōditione, ſaltem ſi Deo id placeret per mediū à Deo permiſſum, quale medium poteſt eſſe iniuſta occiſio, quia Deus permittere poteſt ad maius bonum ipſius occiſoris, vt in ea occaſione conuertatur, & ſaluetur; poteſt etiam martyr indeterminatè, & ſub disiunctione, dum ſe offert Tyranno intendere confeſſionem fidei ad gloriam Dei indè prouenientem, & ſi Deo ita placuerit permittere, conſequi palmam martyrij ex occaſione talis confeſſionis, & prædicationis fidei. Poteſt itaque Martyr ità apud ſe dicere: volo me publicè manifeſtare Tyranno, aut fidē illi prædicare, ex qua prædicatione, vel ipſe cōuertetur ad fidem, vel ſi induratus permanſerit, lucrabor palmam martyrij; in qua volūntate nō includitur intentio peccati Tyrāni, ſed intenditur bonum iſtius disiuncti, quod eſt appetibile. Poteſt poni exemplum de petente mutuum ab vſurario, & vt be-

Digitized by Google

vt benè ait Caietanus ſecunda ſecundæ, quamuis Martyres ſcirent Tyrannos accepturos occaſionem eos affligendi,& occidendi; non procedebant in publicum, vt eos ad id prouocarent, ſed vt fidem profiterentur, & prædicarent; & ideò non dabant Tyrãnis occaſionem iniuſtè agendi, ſed ipſi accipiebant talem occaſionem ex bonis actibus martyrium; Martyres enim iure ſuo vtebantur in prædicanda fide, & Chriſti gloriam ampliando. Hoc argumentum examinauimus in principio præſentis diſputationis probando volenti nullam fieri iniuriam.

Oppones ſecundò Sancta Apollonia ſe ipſam occidit, in ignem ſpontè ſe proijciens: Item S. Ambroſius lib. 3. de Virginibus, laudat quaſdam fœminas, quæ in flumen ſe præcipitarunt, ne pudicitiæ iacturam paterentur à Tyranno. Conſimiles narrationes paſſim leguntur apud Doctores. Reſpondetur primò has,& ſimiles perſonas ſanctas, quorum ſanctitas comprobata eſt; ſi directè ſe occiderunt, id ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti feciſſe, qua ratione S. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. cap. 20. excuſat Sampſonem; & cap. 26. excuſat prædictas fœminas. Dixi, ſi directè ſe occiderunt, vt fecit Appollonia, & iſtæ aliæ fœminæ, nam plures directè non ſe occiderunt, ſed mortis periculo ſe expoſuerunt, quod licitum fuit pro auertendo malo publico; quomodo, & Sampſon fortè excuſari poteſt. Pater Læſius, Sotus, & alij, reſpondent in huiuſmodi factis interuenire poſſe ignorantiam inuincibilem, quæ in fœminis præſertim cadere poterat.

Oppones iterum: poteſt reus ſeipſum occidere mandante Iudice: ergò poteſt homicidium ſui ipſius aliquando eſſe licitum ſecluſa authoritate Diuina. Probatur antecedens primò: quia ſicut poteſt quis ſe occidere tanquàm miniſter Dei authoritate à Deo conceſſa; quare ſimilitèr non poteſt reus ſe occidere non authoritate propria, ſed authoritate Iudicis tamquàm miniſter, & exequutor publicæ iuſtitiæ. Probatur antecedens ſecundò: quia poteſt quis ſumere venenum vt fugiat ignominiam, & atrociorem mortem. Reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem nego paritatem: nã Deus, eſt Dominus abſolutus vitæ noſtræ, ac proindè poteſt per ſe, vel per aliũ de illa diſponere, vt ipſi placuerit; Iudex verò non eſt Dominus abſolutus vitę malefactoris, quamuis in aliquo caſu poſſit authoritate à Deo conceſſa, malefactorem occidere per exequutorem tamen diſtinctum ab ipſo reo: nam nullus ex iuſtitia vindicatiua punit ſe ipſum: (eſt enim iuſtitia ad alterum) vndè S. Thomas ar. 5. in præſenti dicit, quod malefactor non poſſit interficere ſe ipſum, quia nullus eſt Iudex ſui ipſius; quamuis ergò Deus poſſet diſpenſare in obligatione, qua homo tenetur ſeipſum non occidere; non poteſt tamen Iudex, vel vllus homo diſpenſare in hac obligatione. Ad ſecundam probationem antecedentis, dico id non licere, ita Læſius, Lugo, & alij, quamuis Aragonius, & Corduba oppoſitum doceant.

Oppones contra ſecundam propoſitionem: poteſt quis ſe mutilare iubente Tyranno, qui alioquin interfecturus. Præterea poteſt quis ſe caſtrare ad vincendas tentationes, aut ad conſeruandam vocis ſuauitatem, vt poſſit voce lucrari, & gratiam Principis acquirere: ergò poteſt mutilatio eſſe licita. Reſpondetur ad primum caſum, id eſſe licitum: quia fit ob conſeruationem totius, ita Læſius, Toletus, Molina,& alij contra Sotum, Bannes,& alios. Ad ſecundum caſum dico id eſſe illicitum vnde reprehenditur Origines, qui ſe ipſum caſtraſſe dicitur ob ſeruandam facilius caſtitatem.

Oppones contra tertiam: Deus eſt Dominus abſolutè noſtræ vitæ; nec vmquam legitur dediſſe homini facultatem diſponendi de ſua vita, aut membris; ergò, qui de his diſponit ſeipſum occidendo, aut mutilando, facit iniuriam Deo, & conſequentèr peccat contra iuſtitiam. Negatur conſequentia loquendo de iniuria ſtrictè ſumpta; tantum ergò ſequitur fieri Deo iniuriam latè ſumptam. Maior difficultas eſt vtrum liceat malefactores occidere, aut etiam aliquando innocentem.

Videmus primam partem inuoluere duplicem difficultatem; vna eſt de auctoritate publica. Altera de authoritate priuata: an liceat interficere malefactorem.

Con.

Digitized by Google

Contra noſtrum Scotum acritèr agunt multi ex Thomiſtis propter hæc verba, quæ apud ſubtilem Doctorem leguntur in 4. d.15. qu.3. num. 7. *Lex* Diuina abſolutè prohibuit hominem occidi: & nulli licet inferiori diſpenſare in lege ſuperioris: ergò nulla lex poſitiua conſtituens hominem occidēdum iuſta eſt: & paulo poſt: ſi obijcias: ergò lex eſt iniuſta, quæ præcipit furem occidi, quia nō excepit Deus ab illo præcepto negatiuo: Non occides; imò manifeſtè oſtendit ſe nolle excipere furem, nec velle eum plecti morte, &c. Reſpondeo, quod Deus in lege Moyſi, vel Euangelica explicitè non excepit peccatum furti ab illo præcepto: non occides, vt ſcilicèt propter hoc peccatū liceat hominem occidere; & ideo niſi reuocauerit aliqua reuocatione ſpeciali: quod non habetur ſcriptura, nec de Bulla ſuper hoc deſcendente de Cælo audiuimus non video quod lex aliqua iuſta poſſit ſtatuere hominem occidi pro furto ſolo. Hæc Scotus.

Aduerſarij ergò voluntariè aſſumentes arma contra Scotum, deducent nonnulla corollaria.

Primum corollarium: ſolos malefactores auctoritate publica eſſe interficiendos, qui in veteri lege à præcepto Diuino: nō occides: excepti erant, vt erant blaſphemi, homicidæ, & alij, qui in Exodo, & Leuitico excipiuntur, ex quo ſub inferente: exceptiones legales adhuc manere in ſuo vigore.

Secundum furem diurnum non poſſe pœna mortis affici: quia in veteri lege nō excipiebantur à præcepto: Non occides; imò Exodi 22. prohibet lex furem diurnum occidi.

Tertium: omnes leges poſitiuas, humanas ſtatuentes pœnam mortis eſſe iniuſtas, niſi talis pœna conſtituatur ob ea delicta, quæ excepta ſunt in cæteri lege à præcepto, non occides: vnde fit, vt Reſpublica non poſſet indemnem ſe conſeruare contra malefactores morte puniendos, quod eſt contra rationem, & publicum bonum.

Quartum: non poſſe occidi inuaſorem iniuſtum ab innocente pro defenſione ſuę vitæ: nam lex vetus hunc caſum non excepit.

Quintum: in lege Euangelica non poſſe dari pœnā mortis adulteræ: quia quāuis lex vetus eam exceperit à præcepto Non occides; Chriſtus tamen Ioannis 8. abrogauit iſtam legem dum dixit adulteræ: Mulier nemo te condemnauit, nec ego te condemno.

Re tamen conſiderata dico omnia iſta corollaria falſo immitti principio: fundāturque in malè intellecta opinione Scoti. In primis, quod velit Scotus exceptiones legales adhuc perſeuerare, & vim habere, cōſtat eſſe falſum: quippe Scotus in 4. d. 3. q. 4. expreſſe docet legalia amplius non habere vim. Quando ergò Scotus dicit homicidium non licere niſi in caſibus, quos Deus ipſe excepit: per hanc exceptionem Scotus non intelligit eam ſolam, qua Deus lege poſitiua ſtatuit, quemadmodum ſtatuit Iudæis; aut qua ſpeciali voluntate indicat, vt indicauit Abrahæ de occidendo filio ſuo Iſaac; intelligit ergò per exceptionem etiam eam, quæ dicitur explicatio legis iuxta dictamen rectæ rationis: cum enim hoc præceptum (Non occides) ſit naturale, debet ita explicari ſicut alia præcepta naturalia; vt nimirum non cenſeatur obligare, niſi quatenus recta ratio interpretatur præceptū: recta autem ratio hoc præceptum ita interpretatur, vt liceat malefactores, & cōſequentèr furem interficere auctoritate publica, quando pax commodum commune Reipublicæ, id realitèr exigit; & hæc interpretatio legis poteſt rectè dici exceptio: quia à Deo ita tacitè volente excipitur omnis malefactor, cuius maleficium redundat in perniciem, & perturbationem Reipublicæ, aut in oppreſſionem, & iniuriam innocentium. Hanc eſſe mentem Scoti conſtat ex eo, quod ipſe loco citato num. 9. concedat eſſe licitum pro ſuæ vitæ defenſione cum moderamine inculpatæ tutelæ, iniuſtum inuaſorem occidere, quamuis hic caſus in lege veteri non ſit exceptus à præcepto negatiuo: nō occides. Nec noſtri Aduerſarij mirari debent nos hoc modo explicare Scotum: quippè ipſi eodem modo explicatus. Auguſtinum citatum à Scoto de Ciuitate lib. 1. cap. 21. & 22. & habetur cap. Si non licèt 23. qu. 5. his ergo exceptis (inquit S. Pater Auguſtinus) quos vel lex iuſta ge-

ne-

Digitized by Google

neralitèr, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialitèr occidi iubet: quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur,&c.Quæ verba indigent eadem explicatione, qua verba Doctoris iam explicauimus.

Quando ergo Doctor dixit non occidendum furem; intelligendus eſt de furis ſimplici, cuius furtum non habeat annexas alias malitias præter ſimplicem malitiam furti, vt expreſsè conſtat ex verbis Scoti allatis, & ſequentibus; vbi loquitur de ſolo furto, quod eſt furtum ſimplex, & non compoſitum ex circumſtantijs perturbationis Reipublicæ, & detrimenti boni communis, ac periculi plurium malorum,quæ ex furto ſequeretur; quibus circumſtantijs ſecluſis,conſiderando furtum in ſe nudè,& ſimplicitèr;dicit Scotus non videri pœnā mortis eſſe proportionatam furto. Hæc eadem doctrina eſt S.Thomæ ſecunda ſecundæ qu.66. art. 6. ad ſecundum inæquiualenti dum dicit cum Alenſi, Soto, & alijs, quos citat Illuſtriſſimus noſter P. Cauellus meus Magiſter in ſcholio ad locum Scoti citatum; idque ipſi Aduerſarij in re ferè admittunt,vt habetur in iure ciuili Cæſario, vt infra dicemus. Patet ergò friuolam, & inanem eſſe cenſuram Aduerſariorum contra Scotum, & inanem deductionem corollariorum. Rem melius declarabimus ſubſequentibus propoſitionibus, quorum prima ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Licitum eſt authoritate publica occidere malefactores etiam fures quando eorum furtum redundat in detrimentum boni communis.

ITA Doctores cum D.Thoma ſecunda ſecundæ quæſ.64. art.2. nec diſſentit Scotus, vt patebit ex dicendis. Probatur propoſitio ex lege veteri Exodi 22.& alijs locis, & ex nouo teſtamento ad Rom.13. vbi de ſæculari Principe dicitur: ſi malus fueris, time; non enim ſine cauſa gladiū portat, Dei enim miniſter eſt, &c. Accedat ratio: conſeruatio totius præferri debet conſeruationi partis: ergò quando conſeruatio, & pax, ac recta gubernatio Reipublicæ id exigit, licitum eſt abſcindere partem,hoc eſt nociuum Reipublicę membrum, vt ſunt homicidæ, latrones, fures, &c. Malorum enim punitione, & bonorum præmio conſeruatur Reſpublica; hic illud documentum Plutarchi: duo ſunt, quæ iuuentutem inſtruunt, & reformant, ſcilicèt bonorum præmiatio,& delinquentium caſtigatio; hac ratione ordinariè vtuntur noſtri Doctores ad oſtendendum tam fures, quàm alios delinquētes poſſe iuſte interfici authoritate publica; numquam enim Scotus negauit fures, & alios malefactores,poſſe iſte occidi publica authoritate, & ſeruato iuris ordine quando furtum, aut delictum cenſetur vrgere in detrimentum boni communis, ſi enim; id non præſumitur, nec periculū eſt, vt furtum vrgent in detrimentum pacis, aut boni communis, nec habet alias enormes malitias, ſed manet intra limites ſimplicis,& nudi furti; tunc dicit Doctor cum alijs Doctoribus pœnam mortis excedere culpam furti, & conſequentèr eſſe pœnam iniuſtam; quod probatur primo ex iure communi Cæſareo vbi dicitur: pro furto autem nolumus omninò quodlibet membrum abſcindi, aut mori, ſed alitèr eum caſtigari. Probatur idem ſecundo ex antiqua praxi qua alij,& ſæpe S. Thomas, vt fatetur Sotus lib. 5. de Iuſtitia q.3.art. 3.ſimplices fures non interficiebantur, ſed puniebantur alia pœna mitiora pro vt de facto in quibuſdam remis obſeruatur. Vndè idem Sotus refutat Baldum, ac reprehendit tamquam fuiſſet author interfectionis furum in vſum introductæ. Probatur idem tertia ratione: quia vita hominis incomparabilitèr pluris fieri debet quàm res aliqua temporalis furto ablata: ergò pro nuda rei oblatione ſeclufis alijs circumſtantijs grauibus,non debet fundi hominis vita: alioquin non ſaluaretur iuſtitia commutatiua, quæ exigit æqualitatem inter datum, & acceptum. Dices hinc ſequi quod lex ciuilis non poſſit furem in duplo, aut quadruplo punire. Reſp. negando hanc ſequelam, quia præter reſtitutionem quantitatis ablatæ ad quam tenetur fur in conſcientia etiam ante ſententiam Iudicis; iuſtè lex ſtatuit duplum reſtituendum in competationem actionis iniurioſè pœnæ dignæ, quia fur rem alie-

nam

nam inuito Domino vſurpauit. Oppones: ſequitur ſaltem ex doctrina prędicta iniuſtas eſſe leges ciuiles eorumdam locorum quibus pro ſimplici furto conſtituitur furi pœna mortis, & ſuſpendij. Negatur ſequela, ſeu potius ſuppoſitũ ſequelæ; quia leges ciuiles non reſpiciunt quantitatem, aut grauitatem furti nudæ ſumpti, ſed reſpiciunt furti grauitatem quatenus vrgit, aut vrgere præſumitur in damnum boni communis, &c:

PROPOSITIO II.

Non licet authoritate priuatà interficere delinquentes, niſi in caſu iuſtæ defenſionis.

FAuet Scotus loco ſupra cum D.Thoma qu.64.art.3.& cum ſancto Anguſtino lib.1. de Ciuit. cap. 26. vbi ait: qui ſine aliqua publica adminiſtratione maleficum occidit, velut homicida iudicabitur: quia ſibi poteſtatem à Deo non cõceſſam, vſurpat. Probatur: quia confunderetur ordo communitatis, & regiminis politici ſi cuilibet liceret ſuam cauſam iudicare, & punire contra ſe delinquentem; ad talem confuſionem tollendam, & ad euitanda alia incommoda, inſtituti ſunt Iudices, & Magiſtratus, qui tamquàm perſonæ publicæ, & indifferentes, ſecluſo particulari affectu, omnium cauſas iudicarent, & debitas delictis pœnas, perſoluerẽt; ſi autem cuilibet eſſet in ſua cauſa Iudex, priuato plerumque affectu duceretur, & conſequentèr non ſeruaret ordinem, & rectitudinem iudicij in puniendo.

Oppones primò: hoc præceptum, non occides, eſt lex Diuina generalis: ſed nulli inferiori licet diſpenſare in lege ſuperioris: ergo nulla poteſtas humana poteſt licitè occidere hominem niſi in caſibus ab ipſo Deo conceſſis. Reſpon. tranſeat maior, & minor; & negatur conſequentia ſi ſermo ſit de conceſſione legis poſitiuæ: quia poteſtas humana non diſpenſat in lege illa Diuina, Non occides; ſed iuſta rei æquitatem, & dictamen rationis rectę, explicat, & interpratatur legem illã non includere, aut prohibere intrinſecè actionem malefactoris, cuius delictum vrgeat in publicum detrimentum; ſicut iuxta rectam interpretationem non prohibet interfectionem iniuſti vaſoris, quando inuaſus non poteſt aliter vitam defendere.

Oppones ſecundò: poteſt contingere, vt malefactor ſi occidatur, æternalitèr dãnetur (quia, vt ſuppono non vult pœnitere); præterea Scotus ſupra dicit Chriſtum reuocaſſe legem de occidendo adultera; ergò falſum eſt dicere abſolutè malefactorem licitè occidi poſſe authoritate publica. Reſpon. primò non eſſe ſenſum propoſitionis vt velit quemlibet malefactorem licitè occidi in quolibet caſu auctoritate publica; ſed vult id eſſe verum, quando recta ratio, & grauitas delicti, talem pœnam exigit. Reſpon. ſecundo, ſi Reus ex ſua malitia nollet reſtitui in ſtatum gratiæ, id ipſi imputandum eſſe, nec propterea iuſtitiam publicam eſſe omittendam; nam Iudex non reſpicit per ſe bonum rei, ſed bonum communitatis, ita Sotus, Molina, & alij. Ad id, quod dictum eſt ex Scoto de adultera: Reſpondet Reuerendiſſimus Pater Hicqueus in cõmento ad prædictum locum Scoti nu.58. quamuis Chriſtus illam legem de occidenda adultera reuocauerit, id tamen intelligendum eſſe quãdo adulterium nudè ſumptum non redundat in detrimentum boni publici. Si placet, reſpondeas Chriſtum reuocaſſe prædictam legem quoad obligationem, quã habuit annexam cum lege veteri, non quoad licitum eius vsũ; ita vt quamuis de facto non obliget poteſtatem publicam ad occidendam adulteram; non tamen prohibetur quin poteſtas publica tale crimen morte punire licitè poſſit, & de eam legem ſtatuere.

Oppones tertiò; Moyſes Exodi 2. quãuis nõ eſſet perſona publica, aut exequutor iuſtitiæ, occidit Aegyptium percutiẽtem vnum ex fratribus ſuis Hebręis. Præterea 2. licet cuilibet priuato occidere banditos, ſeù præſcriptos ad aliquod delictum. Tertiò licitum eſt perſonæ priuatæ occidere Tyrãnum: ergò poteſt quis priuata authoritate occidere malefactorẽ ſecluſo caſu iuſtæ defenſionis. Negatur conſequentia. Ad id de Moyſe; Reſpon. Moyſem interfeciſſe Aegyptium pro defenſione innocentis, quod licitum eſt; immò hunc caſum excepimus in propoſitione

tione ipſa. Ad ſecundam reſpondeo, quãdo ob grauiſſimam cauſam (qualis intercedere debet) re examinata, & iudicata præſcribitur Reus, quem vocant banditum, cum facultate Principis, vt à quolibet occidi poſſit. Reſpondeo in tali caſu interfectorem banditi eſſe exequutorem, & miniſtrum publicæ iuſtitiæ, hac proinde non ſua, ſed auctoritate publica occidere Reum.

PROPOSITIO III.

Non licet interficere innocentes directè, & ex intentione, etiam pro conſeruatione Reipublicæ.

Communis eſt hæc doctrina. Et colligitur ex illo vniuerſali præcepto (quod eſt etiam legis naturæ) Exodi 23. Infantem, & iuſtum non occides, &c. Accedat ratio nullus homo in nullo caſu poteſt ſeipſum directè ſine Diuina auctoritate, & inſtinctu occidere, & hoc propter dominium ſpeciale, quod Deus ſibi reſeruauit in vitam hominis: nam ipſe ſolus eſt Dominus vitæ, & mortis: hinc fit, vt potiori ratione nullus alium innocentem directè occidere poſſit.

Oppones primò: non habet Reſpublica dominium in vitam Ciuium, & tamen vt iã ſupra diximus poteſt Ciuem delinquentem, in pœnam delicti vitam priuare, ergò quamuis Reſpublica non habet dominium in vitam ſubditi innocẽtis, poteſt tamen ob ſui ſalutem, & conſeruationem, innocentem vita priuare. Accedat altera ratio: cõſeruatio totius debet præferri conſeruationi partis: ergò in neceſſitate Reſpublica poteſt partes, ſcilicèt ſubditos Reipublicæ, etſi innocentes ſint, occidere pro defenſione Reipublicæ. Reſpondent ad hoc aliqui: membrum nociuum, & putridum præſcindendum pro conſeruatione Reipublicæ; non verò membrum innocens, & ſanum; ſicut in corpore naturali pro conſeruatione totius poteſt abſcindi putridũ, & morbidum membrum, non autem viuidum, & ſanum. Tamen (vt benè aduertit Eminentiſſimus Lugo hic diſput. 10. ſeſſ. 4.) hæc reſponſio non ſubſiſtit: quia non ſolum membrum morbidum, ſed etiam viuidum, & ſanum licitè poteſt pro conſeruatione totius corporis naturalis amputari: nam ſi quis manu v. gr. ligatus non poteſt incendium, aut aliud certum, & imminens vitæ periculũ euadere niſi manu abſciſſa, poteſt licitè eam abſcindere, ergò ſimilitèr dici poteſt de membro ſano politico reſpectu totius corporis politici.

Reſp. ergo aliter, & primo ad primam rationem quamuis Reſpublica ſimplicitèr, & abſolutè non habeat ius in vitam ſubditorum; habet tamen ius à Deo conceſſum, vt pro ſui defenſione occidat malefactores, quod ius, eſt quaſi indirectum, quatenus nimirum eſt neceſſarium ad ſui conſeruationem: ſicut enim quilibet habet à lege naturæ ius ſe defendendi contra iniuſtum inuaſorem; ita habet ius ſaltem indirectum ad media ad defenſionem neceſſaria; medium autem ad hunc finem neceſſariũ, eſt interfectio inuaſoris, vt ſuppono: ergò habet quilibet ius in vitam inuaſoris, vt eam tollat, quatenus id neceſſarium ad finem defenſionis, &c. Malefactores autem, ſunt inuaſores Reipublicæ, & conſequentèr habet Reſpublica ius eos interficiendi quatenus id neceſſariũ ad finem defenſionis; ius inquam à Deo, & natura conceſſum; quæ ratio non habet locum in vitam innocẽtium vt poſſit cum iniuria à Republica tolli. Ad ſecundum argumentum Reſp. diſtinguendo antecedens: conſeruatio totius debet præferri, &c. ſi id fiat licito modo; concedo; ſi non licito modo; nego.

DOCVMENTVM.

In quo agitur de iniuria, & obligatione reſtituendi ratione ſolius rei acceptæ.

Obligatio reſtituendi oritur ex alieno iure, & dominio, quod re ſua ſpoliatum eſt; propterea quis ſua re priuatus eſt, vel quia illam alius poſſidet bona fide credens eſſe ſuam; vel quia illam mala fide per iniuriam à verò Domino furatus eſt; vel quia illam ſine vtilitate propria cum damno Domini diſſipauit. Ex triplici hoc capite oritur obligatio reſtituendi;

Digitized by Google

tuendi; de ſingulis ergo nobis agendum eſt. Incipiamus ab obligatione ratione ſolius rei acceptæ; ſit ergò.

PROPOSITIO PRIMA.

Qui rem alienam poſſidet bona fide, exiſtimans eſſe ſuam; ſi poſtea à bona fide cadat, alienam eſſe comperiens, tenetur illam Domino reſtituere.

PRopoſitioni ſe ſubſcribũt cũcti Theologi. Accedat ratio: res illa non eſt poſſeſſoris, ſed aliena: nullus autem poteſt rem alienã inuito Domino retinere, ſicut nec auferre ergò tenetur illã reſtituere vero Domino. Sit altera ratio: homo ſciens rem eſſe alienam, ſtatim fit malæ fidei poſſeſſor, rem alienam verò Domino reſtituere tenetur, ergò, &c. Circa notitiam requiſitam, vt poſſeſſor à bona fide cadet. Eminentiſſimus de Lugo tom. 1. de iuſtitia diſput. 17. num. 8. fuit opinatus, duplicem notitiã neceſſariam eſſe. Prima eſt, vt poſſeſſor cognoſcat rem eſſe alienam, quæ notitia minimè erit ſatis, ſi tantum ſit probabilis, & ſimul poſſeſſor probabilitèr credat rem eſſe ſuam: etenim tũc poterit conformari notitiæ probabili, ſibi faueuti, nec ſufficit ſi notitia ſit dubitans vtrius ſit res poſſeſſoris, an alterius. Et idem erit ſi dubium ſit negatiuum; tunc enim in dubijs melior erit pôſſidentis cõditio. Hoc dubium obligat poſſeſſorem ad examinandum cuius ſit res: ſi verò poſt ſufficiens examen, in ſuo dubio, vel poſitiuo, nel negatiuo perſeueret, à bona fide non cadit, nec tenetur reſtituere, donec aliqua certudine ſciat rem eſſe alienam. Altera notitia eſt, quod poſſeſſor aduertat ſibi non licere vſum, & retentionem, quam competit eſſe alienam: nam bona fide vtitur, & retinet, qui non aduertit vſum illum, & retentionem ſibi nõ licere. Vndè infert Lugo, cum prima notitia ſine ſecunda non teneri poſſeſſorem reſtituere. Ratio eſt: quia dum non exiſtimat vſum eſſe ſibi illicitum, etiam non exiſtimat reſtitutionem eſſe ſibi ex debito, & obligatione neceſſario. Infert iterum, ſi poſſeſſori habenti primam notitiam ſine ſecunda, res omninò pereat, eum ad reſtitutionem rei non teneri: quia res durante bona fide, conſumpta eſt.

PROPOSITIO II.

Quando res aliena durante bona fide conſumpta fuit; ita vt res in ſeipſa non perſeueret, id ſolum reſtitui debet, in quo poſſeſſor ditior effectus eſt.

ITA omnes Theologi cum ſancto Thoma q. 62. art. 3. Fauet ratio: quia Dominus rem ius habet in illa, ſiue in ſe exiſtat, ſiue in æquiualente, in quod commutata ſit; qua propter poſſeſſor non eſt Dominus rei, neque illius in quò res perſeueret, quod loco rei poſſeſſori ſucceſſit: ſed in quò poſſeſſor factus eſt ditior, eſt ipſa res in æquiualenti, ſiue in quod commutata eſt, & quod poſſeſſori loco rei ſucceſſit; ergò id reſtitui Domino debet. Aliquid vltra non eſſe reſtituendum, probatur: quia poſſeſſor bonæ fidei ſolum tenetur reſtitutioni ratione rei acceptæ, quæ ſuo Domino ſemper debetur: at nihil extat rei acceptæ, niſi ipſa res, vel illud emolumétum quod poſſeſſori loco rei ſucceſſit; ergò nihil vltra reſtitui debet. Ex iſtis propoſitionibus, hæc accipe.

Primò ad reſtitutionem nõ teneri poſſeſſorem, cui bona fide durante, res ipſa perijt, neque illum, qui rem donauit. Ratiò eſt: quia ſimul cum re perijt obligatio reſtituendi, quæ ex ſola re accepta naſcebatur, aliunde res non perſeuerat in aliquo æquiualente, in quod fuerit commutata. Secus autem eſt in donatore, caſu quò rem aliam ex proprijs donaturus eſſet: tunc enim tenetur reddere pretium rei, quam alioquin etiam donaſſet, quia in illo factus eſt ditior.

Secundum; idem eſſe, ſi res ipſa poſſeſſoris culpa periret, aut prodiga largitione donaretur: quia eadem eſt ratio: nam tunc poſſeſſor ratione rei acceptæ nõ teneretur; nec ratione iniuſtæ acceptionis: cũ neutra detur; ſi tamen aliquid recepit à Donatario, id tenetur Domino reſtituere; quia in illo ditior effectus eſt. Idẽque eſt, ſi rem ſibi donatam vendidit, dum tamen pretium extet in ſe, vel in æquiualente; quod ſi pretium iterum bo-

Digitized by Google

ua fide donauerit, reſtituere non tenetur.

Tertium: eum, qui rem alienam emit bona fide, quam vendidit æquali, vel minori prætio, nihil reſtituere teneri; quia in nullo factus eſt locupletior; ſecus autem eſt, ſi rem pluris vendidit, quàm emerat; tunc enim tenetur exceſſum prætij reſtituere; etenim in illo ditior effectus eſt, niſi fortè exceſſus ille fuerit induſtria propriæ fructus.

Quartum eum, qui bona fide rem alienam dono accepit, illamque, vel eius pretium in ludos, aut pompam vanam conſumpſit, ad reſtitutionem non teneri; quia inde ditior factus non eſt; ſecus autem eſſet, ſi rem aliam ex proprijs, conſumpturus erat.

Quintum; eum, qui alieno equo, quem bona fide poſſidebat, iter egit, reſtituere non debere locationis pretium, niſi fortè ex eo ſumptibus proprijs pepercisset; talis eſt, quia alioquin pedibus, vel Equo alio proprio erat vſurus.

Sextum; eum, qui apud amicos inuitatus, furtiuas eſcas bona fide conſumpſit, ſolum teneri ad reſtituendum id, in quo familiari ſumptui pepercit, quia in illo ditatus eſt; quare, qui apud amicum in cæna, furtiuam rem conſumpſit, quæ decem nummis æſtimabatur; domi verò vnius nummi cænam abſumpturus erat, ad vnius tantum nummi reſtitutionem tenetur. Secus autem eſt, ſi domi cœnaturus erat triginta nummorum cibos; tūc enim ſolum tenetur reſtituere decem; hoc vltimum probatur primò; quia ſolum tenetur reparare damnum Domini Læſi; Dominus autem in decem tantum ab illo læſus eſt. Secundò quia iniquum fore Dominum ex re ſibi ablata commodum percipere. Tertiò; quia poſſeſſor bone fidei deterioris conditionis eſſe non debet, quàm malè fidei poſſeſſor; hic autem ſolum tenetur ad reparandum damnum, quod Domino intulit.

Septimum; qui veſtem alienam attriuit, bona fide exiſtimans eſſe ſuam, tenetur reſtituere veſtem, vt eſt attrita, ſi exiſtat, & præterea ſolum prætium illius ſumptus veſtis propriæ, cui peperſit, quāuis futura eſſet vilis; ſi tamen prætioſiori veſte vſurus erat, ſolum tenetur ad reparandum damnum illatum; quod ſi nulla veſte vſurus erat, ſolum tenetur reſtituere veſtem attritam; nihil autem, ſi veſtis fuit omninò conſumpta.

Octauum; Militem, qui in bello de ſe iniuſto dimicauit, bona tamen fide exiſtimans eſſe iuſtum, non teneri ad reparanda damna illata in rebus, qua pœnitus perierunt. Ratio eſt; quia nec res extat, nec miles illius incendio, vel ruina factus eſt locupletior.

Nonum; eum, qui contractum vſurarium, vel aliud iniuſtum celebrauit, bona fide credens eſſe iuſtum, ſolum teneri ad reſtitutionem rei extantis, vel illius valoris, in quò ditior inuenitur, quando bona fides ceſſat.

Decimum; eum, qui expenſas, ſumptuſquè proprios fecit in re aliena, v. gr. in hæreditate, quam bona fide poſſidebat; poſſe poſtmodum in reſtitutione hæreditatis, expenſas, ſumptuſq; detrahere; quia in illis minus ditior effectus eſt;

PROPOSITIO III.

Poſſeſſor bonæ fidei fructus induſtriæ ſuos facit, quamtumuis res aliena concurrat, eaque propter illos, ſiue extantes, ſiue conſumptos reſtituere non tenetur; imò idem quò ad hoc eſſe debet de male fidei poſſeſſore.

Probatur quia rei fructus, ad rei dominum ſpectant; at fructus induſtrię, induſtria vero, non eſt Domini illius rei, ſed poſſeſſoris ſuā induſtriam adhibentis, quod verò res aliquo modo in fructus concurrat, concurrit tantum vt inſtrumentum quò vtitur poſſeſſoris induſtria.

Ad pleniorem dictorum, & dicendorum intelligentiam monemus, nomine fructuum non venire ipſam rem, nec illud æquiualens, quod poſt ipſam conſumptam manet, tamquam id in quod res commutata fuit, ſed nomine fructuum intelligimus illud prætium, aut prætiò extimabile, quod ex re ipſa integra manente, percipi poteſt. Fructus autem ſunt omnia illa, quæ ſuperſunt deductis expenſis

 pro

Digitized by Google

pro fructibus colligentis, conſeruandis, & ſimilibus; idq; valet etiamſi ex re furtiua proueniant. Deindè fructus rei diuidunt Iuriſperiti, in fructum naturale, induſtriales, & mixtas. Fructus purè naturales ſunt, quos natura ipſa producit, nulla, aut modica hominum induſtria concurrente; v.gr. animalium fœtus, arborum poma, itèm arbores ſilueſtres, erba, gramina, ac plantæ, quas terra ex ſe producit. Fructus verò ſolius induſtriæ, ſunt quorum res ipſa ſuaptè natura ferax non eſt, ſed tantum concurrit vt inſtrumentũ hominis operantis, vel negotiantis; v.gr. lucrum ex rebus vſu conſumptibilibus, vt pecunia, vino, oleo, frumento, hominis negotiatione comparatum; imò etiam opus alieno inſtrumento elaboratum; non inſtrumenti, ſed induſtriæ artificis fructus eſt. Tertiò denique mixti fructus, illi ſunt, qui partim ex re, partim ex hominis induſtria gignuntur, eiuſmodi ſunt ſegetes, & ſimiles fructus qui ſeruntur, quibus accedunt caſeus, vinum, lana, oleum.

Theologi duas tantum fructuum claſſes agnoſcunt, nimirum naturales fructus, & induſtriæ, in quò ſolum nomine à Iuriſperitis diſſentire videntur; quia illos fructus, qui ex re proueniunt, quantumuis hominum induſtria laboret, naturales appellant, quos tamen Iuriſperiti mixtos vocant. Hoc cum alijs notat Laimanus; propterea Iuriſperiti fructus illos, qui maiori ex parte ex re ipſa proueniunt, ad naturales reuocant; illos verò, qui maiore ex parte ex induſtria ſunt, poſſeſſoris induſtriæ conceduñt. Hinc oritur opinionum diuerſitas: an fructus de quibus diſputatur, ad naturales, an verò ad induſtriales reuocandi ſint. Notandum autem cum Patre Rebello lib. 2. de reſtit. quæſt. 4. num. 3. quamuis pecudum fœtus ſint verè fructus, tamen in Iure nomine fructus non venire. Ratio autem illa eſt, quæ cõtinetur in §. pecudum inſtituta de rerum deciſione: quia abſurdum eſt hominem propter quem natura omnes effectus producit, vocare fructus; vndè fit ancillæ partus ad dominum proprietatis pertinere; quare ſi quis habeat dominium vtile alicuius ancillę, non ad ipſum, ſed ad proprietatum partus pertinebit. Iam ſit.

PROPOSITIO IV.

Poſſeſſor bonæ fidei, & à fortiori poſſeſſor malæ, tenetur reſtituere Domino cum re ipſa fructus rei naturales extantes.

De fructibus quidem pendentibus, & nondum perceptis, ratio eſt manifeſta: quia ſunt pars rei, vt habetur in lege fructus; ff. de rei vendicatione; de fructibus autem iam perceptis, probatur primo ex lege certum codice de rei venditione. Secundò; quia res Domino ſuo fructificat. Tertiò quia per iura datur bonæ fidei poſſeſſori tempus, vt vſu capiat fructus; quandoquidem inutilitèr daretur, ſi eos ſtatim faceret ſuos; de fructibus bona fide conſumptis, poſtmodum dicam.

Circa fructus mixtos, quidam dicunt deberi Domino; alij credunt eſſe poſſeſſoris, deberi tamen Domino reſtitui id, in quo poſſeſſor ditior effectus eſt. Mihi ſententia eſt; in fructibus mixtis attendendum eſſe, quænam pars primas ferat res, an induſtria. Si fructus mixti, maiori ex parte induſtriales ſunt, ad induſtriam poſſeſſoris pertinebunt, ita Rebellus prima parte, lib. 2. quæſ. 4. num. 11. cum innumeris, quos refert. Probatur primo ex §. *Si quis an non Domino inſtituta de rerum diuiſione*; & ex §. *Si quis in aliena tabula inſtituta eodem titulo*; ibi, *ſi quis in aliena tabula bona fide pinxerit, tabulam picturæ cedere; cum ridiculum ſit picturam Appellis, & Paraſi; in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere*. Probatur ſecunda ratione eiuſdem textus: quia quod minus eſt, maiori cedere debet, quando ſeparari non poſſunt: ergo fructus rei cedere debet induſtriæ quando maiori ex parte fructus eſt induſtriæ, & ſeparari non poſſunt. Præterea: poſſeſſor bonæ fidei tenetur Domino proprietatis reſtituere valorem fructuum correſpondentium rei, nimirum, quantum illi fructus mixti valebant, vt à re ipſa procedunt ante tempus induſtriæ, v.g. poſſeſſor vineæ ex vino tenetur reſtituere quantum vuæ valebant. Ratio eſt; quia in illò, poſſeſſor factus eſt ditior ex re aliena. Deinde ſi fructus magis ſint

rei,

rei, quàm induſtriæ, tunc poſſeſſor non facit fructus ſuos, eruntq; Domino reſtituendi, deducta tamen prius illa parte, vel pretio illius, quæ poſſeſſoris induſtriæ correſpondet.

Noſtra hæc vltima determinatio, quãquis videatur aliquantulum ſe alienare à communi reſolutione, qua authores ſtatuunt, fructus mixtos pertinere ad poſſeſſorem, & Domino reſtituendum eſſe valorem, quo æſtimabantur fructus naturales ante induſtriam; nihilominus mihi probatur primò ex textibus adductis in §. ſi quis à non Domino, & §. ſi quis in aliena tabula inſtituta de rerum diuiſionum. Fauet ratio textus: quia, quod minus eſt, maiori cedere debet: at præcipuas partes obtinet res in prædictis fructibus; rem ergò, & ipſius Dominum ſequentur, non autem poſſeſſoris induſtriam. Confirmatur, quoniam in fructibus mixtis, quando maiori ex parte induſtriæ ſunt, induſtriæ tribuuntur eo præcisè, quod minor pars cedere debeat maiori; ſed eadem ratio ſuadet tribuendos eſſe Domino rei quando maiori ex parte rei ſunt, ergò, &c. Tunc autem poſſeſſori deducendam eſſe partem, velut pretium partis, quæ debetur induſtriæ. Probatur primò: quia illa pars eſt fructus induſtriæ ipſius. Secundò: quia alioquin Dominus proprietatis ex re aliena; nimirum ex induſtria poſſeſſoris, locupletaretur; iniquum autem eſt, & contra ius, aliquem ditari ex re aliena. Accedat ratio à paritate; cum fructus maiori ex parte ſunt induſtriæ, ſua pars danda eſt Domino rei: ergò eodem modo, quando maiori ex parte ſunt fructus rei, ſua pars danda erit Domino induſtriæ nimirum poſſeſſori. Deniq; quando æquales partes in fructibus habent, vel habere creduntur, & res, & induſtria, poterit poſſeſſor bonæ fidei, fructus extantes ſibi retinere, reſtituta Domino parte, quæ rei correſpondet. Probatur, quia cæteris paribus poſſeſſori fauendum eſt: nam cũ cætera ſint paria, poſſeſſor ſuperat rei Dominium titulo poſſeſſionis, qua fructus poſſidet. Fauet illa regula in dubijs melior eſt conditio poſſidentis. Tum quia illa regula nititur principio, quod expendi, nimirum, quod cæteris paribus poſſeſſor ſuperat, &c. Tum etiam, quia in noſtro caſu dubium eſt, vel ſaltem non conſtat: an res, an induſtria potiores partes habeant in fructibus; ergò fauendum eſt induſtriæ poſſeſſoris.

Circa fructus bona fide conſumptos.

SVnt opinantes fructus bona fide conſumptos, præſertim induſtriales, reſtitui non deberi, etiam ſi ex illis poſſeſſor dicitur effectus ſit. Ita probabilitèr Sances libro 2. cap. 23. num 77. & Laſſius libro 2. cap. 14. dubio 2. n. 10. Huic ſententiæ conſonat alia idem affirmans de ipſa aliena; credit enim rem alienam vſu conſumptibilem, & bona fide conſumptã, etiamſi poſſeſſor ditior inde ſit factus reſtitui non deberi, quando fur potens eſt ad ſoluendum: ita Salon, Ledeſma dicens eſſe communem Thomiſtarum. Legatur Cardinalis de Lugo diſp. 17. ſeſſ. 1. num. 10. Putarant alij ex fructibus bona fide conſumptis, tàm naturalibus, quàm induſtrialibus, aut mixtis, reſtitui deberi Domino id, in quo poſſeſſor ditior effectus eſt; ita Laiman tomo. 1. ſeſſ. 5. tract. 2. cap. 3. num. 7.

Ego verò quoad fructus merè induſtriales iam conſumptus nihil reſtituere debere bonæ fidei poſſeſſorem puto probabilius: quandoquidem nec tenetur reſtituere fructus induſtriæ iam præceptos extantes. Deinde de fructibus mixtis nondum conſumptis, quod reſtitui non debeat, dixi; id autem à fortiori debet eſſe de mixtis iam conſumptis; quare ſola reſtat difficultas de fructibus merè naturalibus, vel de fructibus mixtis, qua parte naturales ſunt, quos hac in parte eodem iudicio comprehendo.

Mihi ergò eſt ſententia, quod poſſeſſor bonæ fidei ex fructibus naturalibus iã conſumptis reſtituere teneatur id, in quo locupletior affectus eſt. Eſt communior Theologorum, & continetur in lege Item veniunt §. præter, lege ſi, & rem, lege verũ, lege ſed, etſi cum §. primo ff. de petitione hæreditatis, vbi inter alia apertè declaratur eum, qui hæreditatem alienam poſſidens, aliquid ex ea, bona fide conſumpſit, reſtituere teneri id, in quo ditior effectus fuerit: Vrgetur: quia verus hæres

res non habet ius in re,ſed tantùm ad rem reſpectu hæreditatis nondum habitæ, & tamen verò hæredi reſtitui debet ex hæreditate conſumpta, id, in quo bonæ fidei poſſeſſor ditior effectus eſt: ergò multò magis verò Domino.

Accedat altera ratio; fructus naturales rei correſpondentes, eiuſdem Domini ſunt, cui res fructificat: quapropter ſi extarent, Domino reſtitui deberent: ergò quando bona fide conſumpti ſunt, reſtituendum, & Domino id, in quo poſſeſſor ex re aliena ditior effectus eſt. Conſequentia probatur ex lege 14. de conditione indebiti illis verbis: nam hoc natura equum eſt neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem. Et confirmatur: quia ex re aliena bona fide conſumpta, teneatur poſſeſſor reſtituere id,in quo dicitur effectus eſt; ergò etiam ex fructibus rei correſpondentibus, quia tales fructus alieni ſunt, & eiuſdem Domini cum re illos ferrente.

Oppones primò ex iure ciuili, in quo oppoſita iura continentur in primis enim reperiuntur textus. qui decernunt bonæ fidei poſſeſſionem, omnes fructus rei alienæ facere ſuos, ita in lege bonæ fidei 48. ff. de acquirendo rerum dominio, ibi: bonæ fidei emptor, non dubiè percipiendo fructus etiam ex aliena re ſuos interim facit, non tantum eos,qui diligentia, & opera eius proueniunt, ſed etiam omnes, quia quod ad fructus attinet,loco Domini penè eſt. Iterum in fine, & omnium fœtus ſunt in fructu, & ideò ad bonæ fidei emptorem pertinent, & etiamſi prægnantes venerint, vel ſurreptæ ſint. Idem habetur in lege ſequitur 4. §. lana ff. de vſucapionibus illis verbis: lana omnium furtiuarum, ſiquidem apud furem detonſa eſt, vſu capi non poteſt; ſi verò apud bonæ fidei emptorem,è contra,quoniam in fructu eſt,nec vſu capi dicendum, ſed ſtatim emptoris ſit. Idem in Agnis dicendum eſt, ſi conſumpti ſunt. Item in §. ſi quis an non Domino inſtituta de rerum diuiſione: naturali ratione placuit fructus, quos perceperit eius eſſe cultura, & vera.

Sunt verò alij textus non faciliores ex aduerſo decidentes fructus ex re aliena perceptos, non bonæ fidei poſſeſſori, ſed Domino adæquari; ita in lege fructus ff. de vſuris: fructus percipiendo vxor, vel vir ex re ſibi donata ſuos facit illos tantum, quos ſuis operibus acquiſiuit, veluti ſerendo: nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſilua ceciderit, non fit eius, ſicut nec cuiuſlibet bonæ fidei poſſeſſoris, quia non ex facto eius, is fructus naſcitur, &c. His in teſtibus fructus merè naturalis poſſeſſori bonæ fidei non adæquari declaratur.

Iuris ciuilis Interpretes in his iuribus conciliandis multum laborant. Mihi tamen non eſt copia temporis;vndè,ad quos pertinet relinquo. Dicerem tamen veteres iuriſconſultos in re adeò perplexa, & difficili oppoſitas habuiſſe ſententias, quod ſine authore non auderet. Legatur Cardinalis de Lugo diſput. 17. ſeſſione 3. num.47.

DIFFICVLTAS.

An emptor bonæ fidei poſſit rem emptam reddere furi, vt pretium recuperet.

NOſtræ difficultatis, iſte eſſe ſenſus: Rem furtam Iacobus Giſonenſis emit à Paſquali de Lauro fure bona fide poſtmodum comperit rem alienam eſſe; ſcit autem ſe non recepturum à Paſquali fure pretium, niſi rem ipſe reddat; aliundè timetur rem à Paſquali fure, Domino reſtituendam non eſſe; quia forſan aufuget. In dubio ergò vocamus: an teneatur Iacobus Geſonenſis emptor rem ſtatim vero Domino reddere: an verò poſſit reſcindere contractum, remq; Paſquali fure reddere, vt pretium, quo rem illam emerat recuperet.

Diſcrepant hac in re inter ſe Theologi quibuſdam docentibus nõ poſſe rem reddi furi, ſed eam ſtatim Domino tradendam eſſe;etiamſi pretium ſit amittendum: ita Caietanus, vterque Medina, Babiena, Armilla Sotus, Couarruuias, & Ledeſma quos refert & ſequitur Molina tomo 3. de iuſtitia tractatu 2. diſp. 722. Alijs placet opinio aſſerens contractum reſcindi poſſe, remque tradi furi, vt emptor pretium recuperet, alioquin perdendum; ita Nauarrus, Siluęſter, Angelus, Gabriel, Alexan-

Alexander Læſius Turianus, &c. Legatur Diana primo Tomo tractatu de contractibus reſolutione 69. Fauet Lugo diſp. 17. ſeſſione 2. num. 29. Vaſquez diſp. prima de reſtitutione q. 5. dubio 2. Toletus in ſumma lib. 5. cap. 23. aſſerens id poſſe emptorem ſine iniuſtitia, etiamſi pretium non periclitetur, quamuis ſit contra charitatem. Nos rem declarabimus ſubſequentibus propoſitionibus. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Poteſt emptor bonæ fidei reddere rem furi, vt pretium recuperet, alioquin non recuperandum.

MOueor ad hoc primò: quia emptor non tenetur reddere Domino rē, vt extractam de manu furis: nam illa extractio rei de manu furis; fructus fuit pecuniæ emptoris, vel fuit fructus iacturæ talis pecuniæ, quoniam res, vt extracta de manu furis, ad Dominum redire non poterat, niſi illa extractio iactura pecunię compararetur, fructus verò propriæ pecuniæ, vel fructus iacturæ talis pecuniæ, ad emptorem pertinet, cuius eſt pecunia, nec tenetur tales fructus Domino reddere, ſed rem ſolam. Accedat alia ratio: illa extractio rei de manu furis, eſt melioramentum talis rei: nam res quoad Dominum meliorata eſt, & in meliori ſtatu poſita extra manum furis, & intra poſſeſſoris manum; melioramentum verò, quamuis ad re Dominum pertineat, tenetur autem ſoluere illius expenſas, tàm vtiles, quàm neceſſarias; ergò dum Dominus expenſas ſoluturus non eſt; quas fur debet, poterit poſſeſſor rem furi reddere, vt expenſas ſoluat; expenſæ verò, quibus rei melioramentum comparatum eſt, ſunt illud pretium, quò res fuit empta: quia illo pretio emptum fuit melioramentum extractionis rei de manu furis. Occurrit tertiò, quod poſſeſſor non tenetur rem alienam cum proprio damno ſeruare, præcipue ſi damnum ſit rei æquale, quale eſt pretium rei venditæ; ſed rem illam reddere Domino, eſt illam ſeruare de manu furis cum damno proprio ammiſſionis pretij, quod damnum eſt rei æquale. Confirmatur: quia non poteſt rationabilitèr Dominus rei ægrè ferre, quod rem ipſius in illo loco, vel ſtatu reponam, in quò illam inueni: quippe in hoc nullum damnum intuli ipſi; præſertim, cum ea repoſitio mihi ſit ad recuperandum pretium neceſſaria. Rē declaro exemplis.

Si deperditum Iacobi equum, vel bouem ad ſuum ſtabulum reducat Paſqualis vt illum Iacobo reddat, ſi poſtmodum comperiat furente hoſpite ſua armenta perturbari, vel ſi illius cura grauetur; poteſt ſine iniuria Iacobi bouem ipſum, vel equum ad locum priſtinum reducere, in quo illum inuenerat; nec tenetur illud equi melioramentum, & induſtriæ proprię fructum Iacobo cum ſuo damno aſſeruare. Iterum ſi auferam à fure librum Petri, vt illum Petro reddam; fur autem meū auferat librum, nec illum mihi reddere, velit, niſi dato ipſi libro Petri; poſſum ſine iniuria Petri, ipſius librum reddere furi, vt meum à fure redimam.

Contra noſtra dicta oppones. Primò: fructus rei alienæ, etiamſi caſu accidant, ad rei Dominum pertinent: ſed melior ille ſtatus rei, nimirum quod de manu furis elapſa fuerit, eſt fructus ipſius rei: ergò ad rei Dominum pertinere debet; ergò poſſeſſor ſine Domini iniuria, non poſſet rem ab illo meliori ſtatu in deteriorem deijcere, illam furi reddendo. Cōfirmatur, quià etiam melioramenta rei ad ipſius Dominum ſpectant: at melior illius rei ſtatus, eſt melioramentum rei; ergò pertinebit ad Dominum.

Eminentiſſimus de Lugo reſpōdet poſſeſſorem non poſſe rem alienam à bono ſtatu poſitiuè deijcere, ſecus verò permiſſiuè ad proprium damnum euitandum; ſicque in præſenti contingere; nam quando rem alienam reddo furi, vt pretium recuperem, illam poſitiuè non diſtraho, ſed potius meum peto à fure: quia verò ipſe concedere recuſat, niſi tradam rem alienam, permitto ipſi rem alienam iniuſtè accipere, ſolamq; intendo pretij recuperationem. Dicerem tamen diſcurſum iſtum non ſoluere difficultatem; imò potius videtur in prædicto caſu rem poſitiuè & cauſalitate propria tradi manibus latronis. Primò, quia ſuadeo, probo, & fortè vr-

Digitized by Google

tè vrgeo furem, vt re accepta, reddat mihi pretium. Accedit, quod in iſtius Doctoris ſententia ego ipſe præſcindo contractũ emptionis, & venditionis prius celebratum: contractum enim non reſcindunt, niſi illi, qui celebrauerant; tales autem reſcindere contractũ, eſt recuperare pretium, & rem tradere venditori, vel ſaltem eſt id paciſci; ergò ego ipſe rem trado propria cauſalitate. Confirmatur, quia in authoris ſententia ego pretium recupero; at verò niſi rem tradam, vel tradere ſim paratus pretium recuperare iuſtè non poſſum. Illud verum eſt, me nullum damnum moralitèr inferre Domino, ſed phyſicè tantùm, quia damum id moralitèr infert latro paratus pretium mihi nõ reddere, niſi prius ſibi rem tradidero; ego verò rem illi trado coactus vi amiſſionis pretij: quia cum tanto damno rem Domino aſseruare non debeo. Addo, quod niſi ex vi amiſſionis pretij excuſaret, illa traditio rei in manus furis eſset illicita, non eſt ergò pura permiſſio, ſed poſitiua traditio, quæ aliundè excuſatur: ſicut carnifex poſitiuè, & actione morali furem occidit morte damnatum, tamen excuſatur; non quia permittit, ſed quia licet poſitiuè occidat, id præſtat iuſſu Principis, & authoritate legitima compulſus.

Dicerem ergò meliorem illum ſtatum rei non eſſe fructum rei, ſed ſolius pecuniæ emptoris, quia extractio rei de manu furis pecunia poſſeſſoris empta eſt; peribit enim emptoris pecunia, niſi res furi tradatur. Præterea non debet fructum illum Domino deferre. Ad confirmationem reſpondeo melioramenta rei ad ipſius Dominum pertinere; deductis expẽſis, quæ poſſeſſori expendenti debentur, quia verò illius melioramenti expenſas rei Dominus non debet, ſed fur illas iniuſtè cauſãs; poteſt poſſeſſor furem reſciſſo contractu conuenire, vt pretium ſoluat. Dices: ergò poſſeſſor numquam tenebitur rem Domino etiam petenti reddere cum illo meliori ſtatu: quia melior ille ſtatus fructus pecuniæ poſseſsoris. Secundò poterit poſseſsor rem furi reddere, etiamſi fur pretium non ſoluat. Tertiò etiamſi fur pretium ſoluere paratus eſset, quamuis rem à poſseſsore non recipiat. Quartò poterit poſseſsor rem alteri vendere, vt ab ipſo recuperet æquiualens pretium. Quintò dono poterit cuiuis rem dare. Sextò retinere rem poterit, donec fur compareat. Septimò non tenebitur rem Domino reddere, etiamſi illam à fure dono acceperit. Octauò deniq; nec Domino rem dare tenebitur, donec Dominus poſseſsori pretium emptionis ſoluat, vel potius pretium liberationis rei de manu furis, quod pretium poſseſsori debetur tamquàm propriæ pecuniæ fructus, vel ratione expenſarum, quas in rei melioramento fecit, & confirmatur, quia ſi ſciens rem eſse furtiuam, medico pretio à fure redemit, vt eam Domino traderet, non tenetur Domino reddere, donec redemptionis pretium ſoluat emptori: imò etiamſi rem æquali pretio redemerit ſciẽs Domino neceſsariam, vel valdè iucundam eſse, non tenebitur rem Domino reddere, donec pretium ſoluat, vel ſaltem partem pretij, quam Redemptor meretur, eo quod vtilitèr rem Domini proprio ſumptu geſſit, vt ex Leſſio habet Cardinalis de *Lugo* diſp. 17. ſeſs. 1. ſed bonæ fidei emptor proprio etiam ſumptu rem Domini vtilitèr geſſit, illam à fure liberando ergò, &c.

Vt argumentis reſpondeamus; doctrina illa Theologis frequentiſſima de obiecto directè, & indirectè volito, prænotanda eſt: quæ locum habet, quando datur duplex obiectum, alterum alteri inſeparabilitèr connexum, v.g. hoſtilium murorum ruinam connexa cum innocentis occiſione; tunc autem, qui muros oppugnat, ipſorum ruinam directè intendit, indirectè verò innocentis occiſionem indè ſequutam; quã quidem occiſionem directè intendere, intrinſecè malum eſset; idẽ autem eſt, ſi in eodem indiuiſibili obiecto duplex detur ratio boni, vt in ipſa bellici tormenti exploſione; eſt enim illa tormẽti exploſio vtilis ad murorum ruinam, & etiam eſt vtilis ad occiſionem innocentis: poteſt autem cõmiſsor explicitè, ac proindè directè velle ſolã vtilitatem ad murorum ruinam. Tunc autem tantum indirectè vult innocente perire; quia non vult eius mortem, ſed aliquid cum morte connexum. Præterea quando ex duplici illa ratione, vel obiecto, alterum eſt bonum, alterum autem malum; vt alicui

licèat

Digitized by Google

liceat obiectũ bonũ directè velle, requiritur ratio ſufficientèr excuſans operantem à malitia indirectè volita, quod contingit in exploſione tormenti; habet enim emiſsor ius ad murorum ruinam tentandã etiamſi indè innocentis nocumentum, vel occiſio ſequatur. Item habet ius, vt velit vtilitatem emiſsionis tormenti ad ruinam murorum, quamuis illi emiſsioni annexa, & identificata ſit vtilitas infallibilis ad innocentis necem, excuſatur enim emiſsor illo iure, quo fungitur ad Ciuitatem debellandam; ſi verò non detur ratio illum à damno indirectè volito ſufficientèr excuſans, iniuſtus erit, etiamſi indirectè tantum damnum illud velit, vt cõtingeret ſi pro ſola ſua voluntate ſine ſufficienti cauſa, tormentum, vel ſaggittam eo dirigere, vbi ſcit innocentem periturum.

Ex data doctrina paratur nobis via ad ſoluenda argumenta, pugnantia contra noſtra aſserta.

Ad primum reſpondeo, quando Dominus petit rem ſibi reddi, tunc ſolum agitur, vt res ſuo Domino reſtituatur, in qua controuerſia Dominus ſuperior eſt; quare bonæ fidei emptor, non poteſt rem Domino petenti negare: quia Dominus habet ius, vt res ſibi petenti detur: poſſeſsor autem non habet ius ad oppoſitũ: alioquin daretur bellum iuſtum ex vtraque parte poſseſsor autem, tantum habet ius, vt ſuum prætium recuperet, de quò tunc non agitur; prætereà tenetur rem Domino petenti tradere etiam cum illo meliori ſtatu; nam tradenda eſt à poſseſsore, à quo ſine illo meliori ſtatu tradi non poteſt.

Ad ſecundum reſpondeo: non poteſt poſseſsor rem furi reddere quando prætium non ſoluit: quia poſseſsor ſolum poteſt rem furi reddere, quando habet rationem ſufficientèr ipſum excuſantem à damno Domini indirectè volito; ea autem ratio eſt aliud damnum eiuſdem poſseſsoris, nimirum amiſsio prætij. Cæterum damnum amiſsionis prętij non vitatur traditione rei emptæ quando fur prętium nõ reddit, vt per ſe patet, qua propter talis traditio ad proprium damnum vitandum vtilis emptori non eſt. Ratio à priori; quia fure prætium non reddente, nullum datur obiectum honeſtum, quod poſseſsor rem furi tradens directè velit, cum non detur ipſa prætij recuperatio; quapropter directè amabili ipſum Domini damnum; cum in ea actione nõ ſit aliud obiectum, quod amet, vel ſi fortè aliud reponatur, id poſseſsorem non excuſat à damno Domini indirectè volito.

Ad tertium reſpondeo, idem omninò eſset quando fur prætium ſoluere paratus eſt, etiamſi ipſi res à poſseſsore non reddatur: quia tunc traditio rei alienæ ad recuperandum prætium neceſsaria non eſt; nam prætium emptori reddetur etiamſi furi rem alienam non tradat; qua propter tunc in ordine ad recuperãdum prætium, nõ poteſt emptor prudentèr velle rei traditionem, cum ad talem finem ea traditio neceſsaria non ſit, ſicut proximè dicebamus, non poſse prudentèr amari traditionem in ordine ad eundem finem, quando ad illum obtinendum inutilis eſt.

Ad quartum reſpondeo, dempto fure, poſseſsor non poteſt rem alteri vendere, vt ab ipſo recuperet prætium. Primò; quia tunc iniuſtitiam infert nouo emptori, vendendo ipſi rem alienam, cuius dominium transferre non poteſt. Secundò probabilitèr etiam exiſtimo inferre iniuriam vero Domino: quia primus bonæ fidei emptor, non poteſt rem alienam à bono ſtatu deijcere, niſi excuſetur cauſa alicuius damni proprij vitandi, ad quod ius habeat; nullum autem ius habet poſseſsor, niſi ad recuperandum prætium à fure primo debitore, vt reparet damnum amiſsionis prætij ſibi à fure illatum; nec habet ius vt illud damnum reparet niſi mediante furis ſolutione.

Ad quintum reſpondeo; non poteſt bonæ fidei emptor rem alienam alteri Domino dare. Primò; quia non poteſt illam à ſtatu in quò tunc eſt, deturbare, niſi excuſetur ratione alicuius damni proprij vitandi; rem autem alteri donando, nullum damnum proprium vita. Secundò, quia damnum illud excuſans debet eſse prætium, quo emptus fuit melior ille ſtatus, à quò res deturbatur, vt nõ teneatur poſſeſsor rem in illo ſtatu, quem tanto ſuo damno comparat, conſeruare.

Ad ſextum; poterit quidem retinere rem, ſaltem ea temporis mora, quæ Do-

Digitized by Google

mino graui damno non ſit, vt cenſet Cardinalis de Lugo; at verò diutius, aut ſemper, donec fur compareat, rem non poterit retinere; quia diuturna retentio nouū eſt damnum Domino à poſseſsore illatum præter primum damnum prima ablatione illatum à fure.

Ad ſeptimum: rem à fure dono acceptam, tenetur poſseſsor Domino ſtatim reddere: quia non eſt vndè excuſetur à damno, quod Domino infertur: cum nullum ipſius poſseſsoris damnum illa non redditione vitandum, occurrat; quia rem gratis accepit.

Ad octauum reſpōdeo: non poteſt poſſeſſor expectare donec Dominus ſoluat fructus, aut expenſas illius melioris ſtatus rei ſua ipſius poſſeſſoris pecunia emptas: quia Dominus eos fructus, vel expenſas nō debet, ſed fur illas iniuſtè cauſans, rem ad illum ſtatum reducens, à quò vt redimatur illis ſumptibus, age. Ad confirmationem reſpondeo admittendo Dominum emptori debere ſumptus, quos modicos fecit, rem alitèr perituram exiguo prætio à fure redimendo, vt illam Domino reddat; vel etiam quando ęquali prætio redimet rem Domino neceſſariam aut iucundiſſimam, poterit petere ſaltem partem prætij, quam illo officio meretur emptor. Ratio eſt: quia emptor tunc proprio ſumptu rem Domini vtilitèr geſſit; aliundè autem eſt in noſtro caſu; quia bonæ fidei emptor non rem dominio, ſed ſuā geſſit: rem ſibi retinendā emendo, non autem eo animo, vt illam Domino reſtituat.

Soluuntur argumenta impugnantia noſtras propoſitiones.

IVdex in foro externo cogi bonæ fidei emptorem, rem Domino tradere, prohibetque rem furi reddi. ſed Iudex non poſſet illum iuſtè cogere ad id, ad quod non tenetur; ergò ad id tenetur. Reſpondeo: petenti Domino debetur res tradi, & non furi; Iudex autem ad id obligat poſſeſſore, quod mirum non eſt: cum ad idem præſtandum poſſeſſor ipſe, etiam Iudice non cogente teneatur. Ratio autem huius debiti eſt: quia Dominus habet ius, vt re ſua pro libito vtatur, ac proinde, vt illam recuperet vbicumque reperiatur. Quapropter petente Domino, de ipſius iure aliquid, quod à nullo impediri poteſt; nec poſſeſſor habet ius, vt directè impediat Dominum re ſua vti volentem; cæterum non petenti Domino, non tenetur poſſeſſor rem deferre, ſed poteſt ſuum prætium recuperare, rem furi reddendo, quia ad id ius habet. Imò poſſeſsore petente prætium à fure, Iudex furem cogeret ad reddendum prætium, cui tamen rem non traderet; quia Iudex rem adiudicare, tradereque illi non poteſt: quia nullum ius habet ad ipſam recuperandam ſed rem Domino aſſeruaret.

DOCVMENTVM.

Diſputans de iniuria, & obligatione reſtituendi ratione iniuſtæ acceptionis.

MOnemus malæ fidei poſſeſsorem eſse illum, qui ſciens rem alienam eſset, ſeque illam auferendo, aut retinēdo, eſse alteri iniurium, adhuc tamen rem aufert, vel retinet. Quæ nobis circa hunc punctum occurrunt dicenda, docebunt quæ ſubſequuntur propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Ratione iniuſtæ acceptionis tenetur malæ fidei poſſeſſor reſtituere rem ipſam, & reparare damna ex ablatione iniuſta, Domino illata, lucrumque ipſi Domino ex re percipiendum, ipſique propter iniuſtam rei ablationem ceſſans: ſi autem res, iſtaque omnia perierunt, illorum prætium reſtituere tenetur.

VT propoſitionem explicemus: in hoc nomine poſseſsoris malę fidei, illum intelligo, qui propriè, & ſtrictè mala fide poſſidet; quia ſcit, vel culpabilitèr ignorat ſe alteri iniurium eſse; vt cum excludamus, qui inpropriè malæ fidei poſſeſsor dici ſolet, poſtquam cauſa ad iudicium deducta, & lix conteſtata eſt. Iam pro-

Digitized by Google

probemus noſtram propoſitionem: iniuſtum eſt aliquem in ſuis bonis mea culpa damnum pati; quod, ſi patiatur, teneor reparare damnum, quod iniuſtè intulit; vt ipſius ius à me non lædetur, neque æqualitas bonorum cum ipſius iure mea culpa violetur; nam teneor ius illud, æqualitatemq; bonorum cum ipſo illæſam ſeruare, eadem ratione probatur me teneri illam æqualitatem ſemel læſam reparare; vndè tamquam firmum principium infertur teneri ſemper malæ fidei poſſeſſorem ad reparanda omnia damna quæcũque iniuſtè vero Domino iutulerit; ſi verò res aliena perijt, pretio compenſando eſt: alioquin Domini damnum non reparatur.

DIFFICVLTAS.

Si res aliena apud malæ fidei poſſeſſorem perijt, ſimilitèr apud Dominum peritura: vtrum nihilominus reſtitutio facienda ſit Domino?

APud Patrem Laimanum variæ ſunt Authorum ſententiæ. Dico; quando res aliena caſu fortuito, & ſine culpa furis perijt apud furem, vel alium malæ fidei poſſeſſorem, eodem modo apud Dominum peritura; tunc res, aut illius pretium Domino reſtitui non debet Ratio eſt: quia in hoc euentu nulla eſt obligatio ratione rei acceptæ, quæ non extat, neque in ſe, neque in æquiualente: neq; eſt obligatio ratione iniuriæ: quia nulla eſt vbi ſine culpa furis perijt res. Addo nullum damnũ à fure inferri: quia illud damnum eſt quaſi neceſſarium, eodem modo, etiam non interueniente fure, Domino ſucceſſurum. Ex hac doctrina erit tibi clarum, quod hoſtes vrbem aliquam vi armata expugnantes intrant, ibique apud furem rem alienam abripiant, quam eodem modo apud Dominum abripuiſſent; tũc fur, aut malæ fidei poſſeſſor ad reſtitionem in foro conſcientiæ non tenetur: quia res illa non perijt culpa furis, ſed caſu ipſi Domino ineuitabili. Colligitur ſecundò; ſi Domus mea ſimul cum vicina ardeat, ibique res aliena, quam mala fide retinebam, cumburatur, eodem modo in Domo vicina Domini comburenda, ad rei reſtitutionem in foro conſcientiæ non teneor: quia non mea culpa, ſed caſu perijt, & quaſi neceſſariò cõburẽda eo incẽdio, fuit. Infero tertiò aliter dicendum, quando res à Domino deferẽda vbi non periret, quamuis peritura foret eo in loco vndè fur illam abripuit; v. gr. fur rem alienam abſtulit, vel retinuit in illa Vrbe, quam hoſtis deuaſtabat; vel in illa Domo, quæ ſimul cum Domo furis incendio perijt: quare ſi res in illa Domo, vel Vrbe à Domino retineretur, eodem modo ac in furis poteſtate periret; tamẽ ſi Dominus rem habere in ſua poteſtate, illam ad ſecuriorem locum aſportaſſet, vbi ſeruaretur; tunc fur eſt reus reſtitutionis ſaltem pro qualitate ſpei de re aſſeruanda. Probatur primo: quia tunc res non erat in Domini poteſtate abſumenda, ſed ſolum in poteſtate furis. Secundò: quia tunc furis culpa res perijt; ſi enim rem non abripuiſſet, ſecura, & illæſa permaneret.

PROPOSITIO II.

Si res aliena perijt in poteſtate furis dolo ipſius, & iniuria, tenetur ad reſtitutionem, quamuis res foret etiam in poteſtate Domini peritura, ſi ablata non fuiſſet.

PRobatur; quia tunc malæ fidei poſſeſſor, eſt cauſa interitus rei, vel damni Domino illati: omnis autem tenetur ad reparanda damna illata Domino ipſius culpa. Hæc autem ratio in præcedente propoſitione non vrgebat: quia tunc latro ſua culpa, & iniuria rei interitum, non cauſat, neque damna illo interitu Domino illata, ſed ſolam primam rei ablatione: quapropter non tenetur de damno talis interitus. Ex his collige: quoties ipſe rei interitus, & conſumatio culpa furis contingit, reſtituendum eſſe pretium, quamuis aliquando eſſet res apud Dominum peritura: v.gr. ouem ego ex Caroli Grege latri accepi, & conſumpſi; hodie verè Grex totus, fulmine percuſſus, vel alia ruina, perijt, debeo Petro ouis pretium reddere, quia de facto mea

Digitized by Google

culpa, & iniuria damnum ouis paſſus eſt. Hæc illatio eſt contra Vaſquez, & alios apud Petrum Nauarrum. Contra eoſdem infero ſecundò cũ Patre Laimano; ſi quis proſpiciens incendium ortum in Domo Petri, ſciat vaſa vini comburendi; præueniat autem incendij damnum, & vinum cum ſocijs abſumat tenetur ad reſtitutionem, quia illud damnum ipſe de facto cauſauit. Nec refert, quod Aduerſarij dicunt, nimirum illud damnum nullius momenti eſſe, quia iam neceſſariò erat ab igne cauſandum; id non refert.: quia non excuſor à damno à me illato, eo quod alius damnum illud illaturus eſſet: quia ego malum facere, nec debeo, nec poſſum eo, quod ab alio cauſandum ſit. Cõfirmatur, quia poſſet idem abſumptor rem illam tunc emere, aut mutuo accipere, in quo caſu teneretur ad reddendum pretium, etiamſi res ab igne foret abſumenda: ergò alicuius pretij eſt, poteſtq; eſſe Dominus rationabilitèr inuitus in eo, quod vinum ipſius à malis adiutoribus conſumatur. Addit autem *Laiman*, ſi publicè ſciatur periculum incendij, nec res ab illo liberari poſſet, rei pretium valdè minui, conſumptoremq; ad minorem reſtitutionem teneri; & videtur probabile: quia res, aut vinum illud non multis vſibus inſeruire poteſt; propterea minoris eſt valoris, quàm ſi frequentibus vſibus experitum, tamen eſt alicuius valoris; quia ſaltem vſui potantium deſeruire tunc potuit. Cæterum ſi res illa eripi potuiſset ab incendio, vt potuit potari, tunc pluris eſtimari debuit, conſumptorq; ad pleniorem reſtitutionem obligandus eſset.

Tertiò infertur: ſi quis in Naui rem alienam conſumat, quam furatus eſt, poſtmodumque improuiſa tempeſtas Nauem cum toto ſuppellectili ſubmergat: an fur teneatur ad reſtitutionem. Conſequentèr negarunt Vaſquez, & Læſius, nec ſine probabilitate, fatetur Laiman. Mihi verius eſt ad reſtitutionem teneri: quia ipſe de facto intulit damnum; nec refert, quod aliundè inferendum eſset, & confirmatur, quia ex iniuſta acceptione orta eſt obligatio reſtituendi; & illa obligatio non perijt ſimul cum Naui, vt non periret obligatio orta ex contractu emptionis, vel ex mutuo; quia tempeſtas tantummodò ſubmerſit merces ipſas, quæ ſolum in ſeipſis tunc perſeuerant; non autem ſubmerſit obligationem in ipſis hominibus, ipſorum bonis permanentem.

DIFFICVLTAS.

Vtrum ex acceptione ob turpem cauſam oriatur obligatio reſtituendi.

MOnemus, quod acceptio quamuis non ſit iniuſta aduerſus eum, qui dat; poteſt autem alijs ex capitibus eſſe mala. De omni autem ſimili acceptione illicita quæri ſolet: an ſit obnoxia reſtitutioni. In præſenti de ſpeciali materia diſputabimus: indè enim facilior de rebus alijs erit conſequentia, ſolet autem ſingulari de meretricibus inſtitui quæſtio: an reſtituere debeant pretium, quod ob peccata turpia recipiunt. Diſcrepant inter ſe Doctores, quibuſdam affirmantibus: aſſerunt enim turpem corporis vſum vendibilem non eſſe, nec pro eo pretium deberi, quia eſt aliquod intrinſecè malum, pro quo pretium deberi non poteſt, cum nullius pretij ſcit. Alijs placet pars negatiua, & negat pretium turpitudinis à meretricibus reſtitui deberi. ita Cardinalis de Lugo diſp. 18. ſeſs. 3. num. 45. plurimos referens authores. Explicatur: quia licèt contractus ſit malus, & ante traditionem corporis debeat non perfici; tamen poſt corporis traditionem, turpitudinis pretium licitè retinetur, imò, & exigitur. Aduertendum autem eſt, pretium reſtitui deberi, quando mendacijs, & dolis ab Amaſio extorquetur: v. g. ſi meretrix ſe virginem, aut ſaltem honeſtã fœminam mentiatur, aut viro imponat ſe maiori pretio vendi ſolitam; quia tunc contractus, ſaltem qua parte pretium excedit valorem rei venditæ, inuoluntarius eſt; & illius exceſsus reſtitutio fieri debet; an verò eadem obligatio reſtitutionis ſit quando blanditijs; alijſq; artibus meretrix demulcens pretium aſſequitur? Affirmat Medina, ſed verius negat cum Soto, & Vaſquez idem Lugo: quia blanditiæ illæ non cauſant inuoluntarium.

Hæc ſententia mihi probatur: quia licet actus ille, ſeù illicitus corporis vſus non

Digitized by Google

non ſit licitè vendibilis, cum non poſſit licitè exerceri: eſt autem abſolutè vendibilis, nec eius venditio eſt contra iuſtitiam reſpectu emptoris, qua enim parte vtilis, & delectabilis eſt, eſt etiam pretio, & æſtimatione dignus. Eadem eſt ratio de aſſaſſino, qui pretio allectus promiſit Petro ipſius inimicum occidere; debetur enim ipſi homicidij pretium. Item fœmina ſimilitèr præmittens Petro, dato ſibi pretio, alicuius virginis, aut honeſtæ matronæ pudicitiam expugnare, Petriq; cupiditati ſubijcere: poſtquam præmiſſam operam præſtitit, iuſtè pretium recipit, aut retinet. Pater Vaſq. probat pretium à meretrice reſtituendum non eſſe: quia liberalitèr ipſi donatum eſt. Non placet ratio iſta. Primo: quia illa non eſt liberalis donatio, ſed emptio: alioquin poſſet omnis emptio rei ſpiritualis excuſari ſemper à ſimonia, aſſerendo pretium donari liberalitèr, quamuis non daretur, niſi tradita re ſpirituali. Sécundò, quia ſi eſſet mera donatio poſt copulam, pretium illius turpitudinis conſuetum meretrici non deberetur, quia liberalis donator non debet ex iuſtitia donare.

Sécundò probatur exemplis: nam quãuis alicuius rei venditio ſit illicita, tamen ſi res æquiualet pretio, & eſt vtilis emendi, vendi poteſt, & illius pretium retineri; huius rei plurima ſunt exempla: ſi enim quis rem ſuam non vendere vouit, aut iurauit: illam quidem illicitè vendit; & tamen prætium reddere non debet. Item qui rem vendidit in templo contra Religionem, aut etiam contra obedientiam, quando venditio in templo etiam ſub excommunicationis pœna prohibetur, aut ſi rem vendidit cum aliorum ſcandalo, aut cum periculo proprij peccati; in his caſibus abſurdè negaretur venditori poteſtas retinendi pretium: cum illius pretij retentio emptori damnoſa, iniuſtaque nõ ſit: at vbi nullum eſt damnum iniuſtum, nulla eſt obligatio reſtitutionis. Confirmatur: quia Virginis deflorator, qui ipſius deflorationem promiſſo cõiugio emit, tenetur ipſi reddere pretium præmiſſi coniugij: at non teneretur, niſi ex vi contractus debere ex iuſtitia pretium promiſsũ, quamuis pretium ſit actus illiciti.

Vndè conſtat ſolutio ad argumenta cõtra noſtram rationem. Vaſquez obijcit. Primò; vix poſſe taxari meretricibus pretium, vltra quod reſtituere teneantur. Reſpondeo reſtituendum eſſe exceſſum pretij ipſi fœminæ conſueti, vel exceſsũ illius pretij, quod eiuſdem artis, & æſtimationis fœminæ præcipere ſolent. Aliud autem eſt de Virgine, vel de honeſta cõditionis fœmina, quæ poteſt quodlibet pretium exigere pro æſtimatione, quam de ſe habet; propterea ſi matrimonium exigat à viro nobiliori, totum hoc ipſi ex iuſtitia debetur, ſi non fictè fuit promiſſum.

Oppones ſecundò; nemo poteſt validè vendere id, cuius dominium liberum non habet, nam, qui dominium liberum non habet quoad aliquem vſum, quoad illum Dominus non eſt: at fœmina extra matrimonium non habet liberum ſui corporis dominium: cum non poſſit de illo quoad vſus illicitos diſponere: ergò non poteſt validè illud vendere, ac proindè nec pretium retinere, vel exigere. Reſp. in primis hoc argumentum innumeras habet inſtantias in exemplis proximæ adductis.

Deindè reſpondet Lugo ad valorem venditionis ſufficere, ſi res talis ſit, quam venditor iuſtè retinere poteſt, & ſine emptoris iniuria. Tunc enim eam non retinendo, aliquod das emptori pretio dignũ. Tamen non conuincit: etenim vt iuſtè vendam non ſufficit, quod ego rem iuſtè retinere poſſim: ſed præterea requiritur, quod rem iuſtè tradere poſſim ementi, hoc eſt, quin ipſum emptorem lædam; poteſt autem contingere, quod rem iuſtè retinere poſſim, nec tamen poſſim iuſtè ementi tradere; nam iuſtè rem retineo, tamen non poſſum iuſtè rem tradere danti mihi pretium excedens. Item proximi vitam poſſum iuſtè retinere, & conſeruare, imò, & propriam; ſimilitèr alia proximi boni, & talem non poſſum iuſtè tradere ementi; idem eſt in ementi, idem eſt in emptione rei ſpiritualis. Reſpondeo talem; tunc poteſt mihi res validè vendi, quando id fit ſine iniuria emptoris, vt quãdo ſeruatur æqualitas inter pretium, & rem venditam, ad quod ſufficit ſi venditor habeat dominium retinendi, vel vendendi rem pro libito citra iniuriam emptoris.

Digitized by Google

ptoris. Nihil autem obeſt, quod ex alijs capitibus ſit illicita venditio; imò nec obeſt, quod reſpectu alterius perſonæ actio ſit iniuſta; nam vxor adultera iniuriam marito infert, tamen quia nullam infert adultero iniuriam, poteſt turpitudinis pretium retinere, & exigere.

Sequuntur nonnulla Corrollaria.

PRimum retineri iuſtè pretium æquale, & accipi, & peti poſt ſecutam actionem turpem: quia tale pretium præcipienti ex iuſtitia debetur, vt Meretrici, nec ſoluenti fit iniuria, imò infertur id, non ſolum iuſtè, ſed etiam licitè fieri, niſi de noua turpitudine cogitetur, & agatur. Ratio eſt, quia nullum obiectum malum continetur in pretij acceptione poſt culpam, nec ipſa acceptio ordinatur ad peccatum ratione pretij obtinendum, ſed potius peccatum conſumatum ſupponitur ad pretij acceptionem. Petes quid dicendum ſit de acceptione pretij an de opus illicitum? Reſpondeo, quando pretium datum eſt cum pacto peccati cõmittenti; tunc pretium, nec accipi, nec iam acceptum retineri poteſt, cum hac tamen differẽtia quo ad ſpeciem peccati; ſi enim recipiens, vt fœmina habeat animum ſe tradendi; tunc idem pretium ſine emptoris iniuria retinet an accipit, quia animum habet tradendi rem venditam; peccat autem contra temperantiam caſtitatis, quia pretium accipi volens ſuæ caſtitatis iacturam. Si verò eam voluntatem non habuerit, tenetur ex iuſtitia pretium non accipere, vel acceptum reſtituere; quia iniuſtè pretium accipit, vel retinet ſine voluntate rem venditam tradendi. Quando autem pretium ſine tali pacto datur, ſed potius liberalitèr ab Amaſio conceditur, vt alienam caſtitatem donis expugnet: tunc pretium iam acceptum retineri non poſſet affirmat Ludouicus Lopez. Verius autẽ negat Lugo diſp. 18. num. 49. cum Molina, Rebello, & Diana. Ratio eſt: quia retinendo pretium, nullã iniuriam infert donatori; nam donatum eſt ſine conditione onerosa ſui tradendi: donum autem illum abſolutè collatum tranſit ſub dominium acceptantis: qua propter retinendo quod iam ſuum eſt, nullam infert iniuriã donatori; deindè nec iniuriam infert ſe illi denegando; quia id non vendidit, neque permiſit: Præterea retinendo pretiũ non peccat contra caſtitatem: quia ea retentione non cooperatur turpi donatoris animo, quoniam nec donationem continuat ad eum finem prius ordinatam cum donatio oblatione ipſa, & prima acceptione conſumata fuerit, nec poſtmodum retentio donationem illam complet, ſed potius eſt actus proprij dominij. Nec item fœmina cõcurrit ad turpem animum donatoris, & ſpem ipſam expugnantis: quia potius ſpem illam imitant reddi, liberè, & conſtantèr rem ſperatam negando: Pater Lugo dicit ſe aliquando conſuluiſſe retinere poſſe torquem aureum, quo vir ſine vllo pacto etiam implicito, ſed liberalitèr nobiliſſimam fœminam donauerat: poſtmodum verò animum illam, & manifeſtabat; ſeruato tamen ex parte fœminæ animo pudicitiæ, & manifeſtato donatori. Infert ſecundò poſſe retineri prætium omninò liberalitèr oblatum cum ſola ſpe beneficium Eccleſiaſticum emungendi, etiamſi donator ſpe ſua fraudetur. Difficilius autem eſt: aut ipſa prima muneris acceptio ſit illicita, quando fœminæ ſcit turpem animum donatoris. Reſpondet Lugo, in primis id ab honeſtarum fœminarum conditione, & moribus abhorrere. Deindè acceptionem non eſſe contra iuſtitiam, licèt fœmina animum habeat ſuã honeſtatem illæſam ſeruãdi; quia acceptio muneris ita donati non includit promiſſionem etiam tacitam cõſentienti prauæ donantis intentioni, ſed ſolam inducit moralem obligationem gratitudinis in licitis, & honeſtis. Tertiò dicit vix poſſe id ſaluari à peccato ſcãdali, quia ſolet præmitti promiſſio, vt exploretur animus fœminæ an recipere velit; & tunc munus datur in quo caſu fœmina ſua acceptatione, ad ipſam dationem, & nouã voluntatem damni concurrit. Præterea ipſa acceptio fauet in poſterum ſpem turpem, generatque confidentia, vt donator audacius inſtet.

Dices, ita poſſe munus ſimul offerri, & dari, vt ſola acceptatione compleatur donatio; & tunc fœmina ſua acceptatione nullam volũtatem malam donatoris cauſat;

Digitized by Google

ſat; quia voluntas damni iam ſupponitur: malæ verò voluntatis, ſi quæ poſtmodum ſequuntur, ſola culpa donatoris habentur. Verũ talis caſus videtur Lugo valdè metaphyſicus; ſi tamen daretur, excuſaretur acceptio; ipſe autem excuſat acceptionem etiamſi fœmina aliundè ſciat malum donantis animum, quando ipſis donis, & eorum circumſtantijs non ſignificatur, ſed potius in illis circumſtantijs honeſtas ob cauſas donari ſolet, quia tunc vrbanè, & ſine nota donantis reſpici munera nõ poſſunt, notatur enim malus illius animus, qui in donis non patebat. Infertur ſecundò non ſolùm meretrices, ſed etiam alias fœminas eodem modo poſſe retinere turpitudinis pretium, de quibus nonnulli authores alitèr ſentiunt; quia meretrici puplicæ ea retentio per leges conceditur; aliæ verò fœminæ contra legis prohibitionem accipiunt; ſed quidquid ſit de foro externo, tamen in foro interno idem de omnibus fœmininis ſentit communis ſententia propter eandem rationem, vt refert Lugo diſp. 18. num. 52. Indè etiam probabile ſit virum retinere poſſe pretium ſibi oblatum à fœmina habente bona, de quibus diſponere poteſt. Infertur tertiò pretium exceptum propter alia peccata, patrato iam peccato, reſtituendum non eſſet, v.g. propter homicidium, ſacrilegium, maleficium, ſeu incantationem, ſcandalum, peccata contra naturam, &c. Ratio autem eſt eadem.

Variæ ſententiæ opponuntur nobis. Prima eſt Medinæ, aſſerentis omnia reſtituenda eſſent, quia dantur pro peccato, quod nullius eſt æſtimationis. Non cõuincit: quia dantur pro vtilitate, vel delectatione peccati, quæ vtilis eſt ementi. Secunda ſententia aſſerit pretium retineri poſſe, quando peccatum fuit materia laborioſa, vt operari in die feſto, quia eſt pretio æſtimabilis, ſecus verò in alijs materijs. Reſp. tamen ſufficere, quod materia ſit ementi vtilis, aut iucunda; deindè non exiguus labor vendentis eſt ipsũ peccatum. Tertia ſententia aſſerit tunc pretium retineri non poſſe, quando eſt turpitudo ex parte dantis, & accipientis; retineri autem poſſe, quando turpitudo ſolum eſt ex parte dantis, ita Paludanus. Ratio autem eſſe poteſt, quia quod turpiter accipitur, turpitèr retinetur. Reſp. in hoc retentionem non eſſe turpem, imò nec acceptionem, ſi fiat poſt peccatum patratum. Imò quamuis acceptio fuerit turpis, non propterea retentio erit iniuſta, ſicut nec acceptio, deinde ceſſat in retentione turpitudo, quando iam præceſſit peccatum; quapropter, quod turpitèr accipitur, turpitèr retinetur durare eadem turpitudinis cauſa: ſecus verò, ſi non duret. Alij alias diſtinctiones addunt de peccatis cõtra iuſtitiam, quæ ſuo loco examinabuntur.

Iam dixi pretium pro alijs peccatis promiſſum, vel datum poſt peccatum commiſſum retineri, aut etiã peti poſſe, quia eſt eadem ratio; id autem intelligendum eſt, quando leges poſitiuæ pacta, & contractus illos non irritant, quia attento iure naturæ tale pretium debetur, & fit eius, qui patrauit peccatum pretio illo emptum; ſecus autem dicendum eſt quãdo poſitiuæ leges tales contractus irritos reddunt, & illum, qui peccauit, reddunt incapacem recipienti pretium pro peccato: quia tunc ille non poteſt pretium facere ſuum, nec ius ad tale pretium acquiri, ſine quo iure, nec pretium petere, nec retinere poteſt. Videatur Lugo diſ. 51.

Quartò infero eum, qui aliquid promiſit pro crimine patrando poſt peccatum patratum, teneri ſoluere pretium promiſſum. Eſt communis ſententia, quam tenet Lugo num. 58. cum Vaſquez, Molina, & alijs. Tamen oppoſita ſententia eſt Nauarri cap. 17. num. 41: & pro illa refert Diana, Durandum, Medìnam, & alios. Tamen oppoſitum mihi probatur; quia pretium promittitur pro aliquo ſufficientèr æquali data ex parte vẽdentis re empta, pretium ex iuſtitia debetur. Item quod promittitur ſub aliqua conditione onoroſa, ea conditione poſita, debetur etiam ex iuſtitia. Secundò quia alioquin virginis deflorator nõ teneretur ipſi ſoluere cõiugium, nec dotem promiſſam. Item, qui Aſſaſſino promittit pretium, vel alimenta; caſu quo propter homicidium exulare cogeretur, ſoluere non deberet, quæ ſanè abſurda ſunt.

Subſe-

Digitized by Google

Subſequuntur alia Corrollaria.

QVI prodigè promiſit ob peccatum patrandum, non tenetur poſt peccatum ſoluere totam ſummam promiſſam, ſed ſolam illam partem, quæ prodigalitatem non attingit; poteſtque,& debet retinere exceſſum illum, in quo eſt prodigalitas, & malitia, ita Rodriquez,& cum ipſo alij, quos refert Sances lib.*3*.in Decalogo cap.*9*. num.*27*. aſſerens id eſſe probabile,etiamſi cum iuramento promiſſio fiat; idem tenet Suarez lib.2.de iuramento cap.28. & Diana tomo *3*. tract. 4. miſcellaneo reſol.2. cenſetq; probabile: Lugo diſp.18. num.60. Mihi probatur; quia promiſſio rei de ſe malæ etiam iurata, non obligat, vt ſi iuraſſem homicidiũ, vt habetur de regulis iuris in *6*. non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum: ſed promiſſio eſt iurata donationis prodigæ, eſt promiſſio rei de ſe malæ, quia prodiga donatio mala eſt, cũ ſit culpa ſaltem venialis. Vnde infero vlterius idem etiam eſſe, quamuis promiſſio non propter peccatum, ſed propter actionem indifferentem,vel honeſtam fiat, ſi tamen res promiſſa mala eſt.

Opponitur nobis Cardinalis de Lugo Ita dicens, Vir nobilis, & diues, qui cum iuramento, promiſſo coniugio virginem ignobiliorem,& inopem defflorauit, tenetur reddere promiſſum coniugium, & tamen prodigè promiſit, quia potuit minori pretio rem emere, aut vi arreptam ſoluere, ergò, &c. Reſpondetur concedendo maiorem, quia coniugium cum illa virgine non eſt de ſe malum, quia licitè poteſt dari, & promitti, ſicut poteſt etiam non præcedente promiſſione licitè celebrari, qua in parte in ſtatu argumentum, quia contendit doctor iſta ex promiſſione ſimplici,vel iurata licitam reddi rationem promiſſam, alioquin turpem. Præterea nego illius coniugij promiſſionem, aut donationem eſſe prodigam. Primò; quia aut fatetur author coniugium illud etiam ſine promiſſione licitè celebrauit. Secundò quia ipſe Lugo nu. 47. docuerat poſſe non ſolum virginem, ſed honeſtæ conditionis fœminam quodlibet ſui pretium etiam coniugium à nobiliori viro poſtulare, quia poſſet ipſa pretium taxare pro æſtimatione, qua rem venditam habet; quia plura ſunt quorum pretium creſcit pro æſtimatione, qua Dominus rem ſuã habere vult, vel quia ipſi iucunda eſt,vel alios ob cauſas: vt entis, equus, pictura, & ſimilia; non ergò erit prodigalitas in reddendo coniugio, cum ipſa virgo tanti potuerit rem venditã ſine iniuria ementis æſtimare: quia ſupponimus cum ipſo Lugo pretium non eſſe iniuſtum:

Oppones ſecundò: etiamſi non præcedere violatio, nec promiſſio, ſed illa conditione turpi, ſed ſola mutua promiſſio, qua nobilis, & diues virgo plebeio, & pauperi viro promitteret coniugium, adhuc ſponſalia valerent, & Eccleſia cogeret virginem ſtare promiſſis, & tamen promiſſio foret valdè prodiga, ergò. Reſpondeo ſi conſtans eſſet prodigalitas, & malitia exequutionis non teneretur Virgo ſtare promiſſis, nec ab Eccleſia cogeretur; quia Eccleſia obligare non poteſt ad intrinſecè malum; alioquin darentur duæ obligationes oppoſitæ, & eſſet quis neceſſitatus ad peccandum;nimirum peccato iniuſtitiæ, aut inobedientiæ ſi non reddat,& peccato prodigalitatis ſi reddat promiſſum. Præterea non obligat Eccleſia, vt ſponſalia per matrimonium ſubſequens compleantur, quando nimius eſt exceſſus perſonæ renuentis, vel ſaltem non obligatur in conſcientia. Quando verò exceſſus non eſt adeò notabilis,tunc obligat Eccleſia. Cæterum in hoc caſu nulla eſt prodigalitas. Primò: quia exceſſus ille intra ſpheram iuſti contractus, & ſoliti continetur. Secundò: quia quamuis aliqua gratis donentur, & ſine pretio, tamen non eſt prodigalitas, cum illa donatio frequens ſit eiuſdem conditionis perſonis danti, & accipienti. Preterea precedente promiſſione acceptata cogetur quis rem promiſſam reddere eodem modò, quamuis illa virgo melioris ſuæ conditionis exceſſum liberalitèr promiſerit, tenebitur viro acceptanti dare, in quo nulla eſt prodigalitas, cum ſit illa quaſi donatio eiuſdem conditionis perſonis frequentiſſima, nec enim ſemper inter contrahentes matrimonium omnimodam æqualitatem metimur, ſed aliqua inæqualitas frequentiſſimè neceſſaria eſt Addo in re matrimoniali multum deferendum

Digitized by Google

rendum eſſe contrahenti electione, & iucunditati, qua ferre poſſit diuturnũ matrimonij iugum; quapropter aliqua inæqualitas pręcontrahentis electione paruipendenda eſt, & ipſa electionis iucunditate compenſatur.

Oppones tertiò, promiſſio impleri debet præſertim iurata quoties res promiſſa poteſt ſine peccato poni: ſed in hoc res promiſſa poteſt ſine peccato poni poſt promiſſionem, quamuis ante promiſſionem non poſſit; quia illa promiſſio aufert à re promiſſa malitiam, quam ante promiſſionem habebat, erat enim donatio prodiga quia ſine cauſa ſufficiente dabatur; poſita verò promiſſione non datur ſine cauſa, ſed potius ex debito, & vt ſatisfiat iuri, quod promiſſarius adquiſiuit. Reſpondeo; quãuis ea doctrina admittatur reſpectu actionum, quæ non ſunt intrinſecæ malæ, quia poſſunt per leges poſitiuas prohiberi caſu, quo fiant non præcedente iuramento, aut promiſſione, & poſſunt non prohiberi ſi præcedente iuramento, aut prmiſſione fiunt. Cæterum ea doctrina vera eſſet non poteſt in illis actionibus, quæ intrinſecè malæ ſunt, & naturali iure prohibentur qualis eſt prodigalitas, quia tales actiones nulla promiſſione, aut iuramento præcedente, poſſunt ab intrinſeca ſua malitia denudari; alioquin poſſet quis rem intrinſecè malam, quam cum iuramento promiſit licitè ponere, quia res de ſe mala ante iuramentum præcedente iuramento promiſſorio redderetur bona: proindè poſſit exequi homicidium, mendacium, & ſimilia, quæ cùm iuramento promiſit. Id autem contingere in re noſtra, mihi certum eſt: quia ſupponit Lugo rem promiſſam eſſe donationem prodigam, & malam, qua promittitur prodiga donatio: vnde infert ipſam promiſſionem prodigã eſſe; Ego verò prætereà infero illicitum eſſe ponere actionem promiſſam: quod ſi contemnat actionem illam non eſſe moralitèr eandem cum promiſſa; indè ſequitur promiſſario non dari, quod promiſsũ eſt: quia ipſi promiſſa fuit prodiga donatio, quæ ſanè non datur. Deindè ſequitur promiſſionem non eſse malam, quia promiſit dare cum obligatione promiſſionis iuratæ: nam credit Lugo eſse chimeram, quod quis ſe obliget ad donandum: eſset enim idem, ac ſe obligare ad dãdum ſine obligatione, quod repugnans: vndè arguit promiſſorem, eum eſſe obligare ad ſoluendũ, nõ ad dãdũ; vndè ita arguo: per te promiſsor ſe obligat ad ſoluendum, & promittit ſoluere: ſed promiſſio ſoluendi, non eſt ex obiecto mala, quia ſolutio non eſt obiectum malum, ergò, &c.

DIFFICVLTAS.

Vtrum ex acceptione propter cauſam debitam ex iuſtitia oriatur obligatio reſtituendi,

ACtio, vel omiſſio poteſt eſse debita ex iuſtitia, vel ex alijs capitibus. Ex iuſtitia debet quiſquam non furari, non occidere, alterius famam teſtificatione falſa non lædere, & ſimilia. Alijs ex capitibus alia debentur: vt debeo ſaltem ex obedientia diebus feſtis audire miſsã, horas canonicas quotidiè recitare, & huiuſmodi alia.

Difficultas ergò præſens eſt: ſi mihi pretium detur, vt aliquod omiſsum, vel faciam, quod aliqua obligatione antecedente, omittere, vel facere debeo: an pretium retinere iure poſſim; an verò illud reſtituere ex iuſtitia debeam? Hunc autem de actionibns, vel omiſſionibus ex iuſtitia debitis decernendum eſt; qua in parte authores conueniunt publicos Miniſtros, & Iudices non poſse pretium accipere pro iuſta ſententia ferenda, vel pro non ferenda iniuſta, & ſimilibus, vt latè refert Lugo diſp. 18. num. 62. & Fugius tomo 3. diſp. 37. ſeſs. 11. quare in præſenti de reliquis iuſtitiæ obligationibus ſermo erit. Dicunt aliqui non eſse obligationem reſtituendi pretium, quod datur, ne fiat peccatum aliquod contra iuſtitiam, ita Nauarrus in ſumma cap. 17. à num. 33. & Sotus de iuſtitia quæſt. 7. articulo primo. Alia ſententia communiſſima docet reſtituendum eſse pretium, quod offertur actione, vel omiſſione, quã ex iuſtitia debeo: ita Lugo in diſput. 18. num. 67. referens Cordubam, Medinam, & alios, illis adde Bonaccinam tomo 2. tract. de reſtitutione diſp. prima, quæſt. 3. puncto 2. vbi refert Rebellum Lopez. Poſterior ſentẽtia mihi probatur. Primò, quia

Digitized by Google

quando pretium accipio pro eo, quod ex iuſtitia Petro debeo; Petro vendo rem ipſius Petri: quæ quidem iniuſtitia eſt, nõ minus, quàm ſi Petro pallium ipſius accepto pretio vendam: nam res, quæ Petro debetur ex iuſtitia; eſt ipſius Petri. Accedit: quia ſi pretium accipis à Petro pro re, vel actione, quam ipſi ex iuſtitia debes, non integrè reddis Petro rem venditam, ſed rem dempto pretio, quod pro illa reddenda recepiſti. Probatur ſecundò: quia illud pretium inuoluntariè datur à Petro, vt redimat vexationem, quam infers nolendo ipſi rem ſuam reddere, niſi accepto pretio.

Indè infertur peccare contra iuſtitiam, & eſſe reſtitutionis reum, qui pretium accipit, vt depoſitum reddat, vt mutuum ſoluat: vt rem inuentam Domino tradat: vt ſententiam proferat, quando ex iuſtitia proferre tenetur; vel vt proferat ſententiam iuſtam, quando ex officio, aut vltro ad ſententiam ferendam exponit, vel in iudicio veritatem teſtetur, quando ex iuſtitia tenetur teſtificari, poteſt autem pretium recipere, quando aliquid addit induſtriæ, laboris, &c. quod ex iuſtitia non debebat; quia id æſtimabile eſt parti percipienti vtilitatem, & offerenti pretium; & tamen non eſt ipſius partis, cum ipſi ex iuſtitia non debeatur, ſed potius poſſem ego id ſine illius iniuria negare. Infert præterea Lugo; quando aliquis ex teſtamento tenetur dare in dotem alicui virgini centum; non huic virgini determinatæ, ſed huic, vel illi pro dantis obtione; non poſſet aliquid accipere, eo quod hanc potius, quàm illam eligat, quod probat: quia ille tenetur dare alicui centum, nulli autem dare centum, ſi ab hac recipit. Secundò, quia centum, viginti minus dat. Tamen hoc mihi probatur ſolum in eo caſu, quo Mariæ determinatè ſumptæ dare centum ex iuſtitia tenetur. Tum quia cum vendit Mariæ, quod ſuum ipſius eſt. Tum etiam quia Mariæ non dare centum ipſi debita, ſed tantum octoginta, nec Mariæ gratiam vllam confert, quæ illorum viginti ſubtractione æſtimetur.

Cæterum alitèr cenſeo quando ex iuſtitia tenetur dare centum, non autem Mariæ potius, quàm alteri virgini, quia tunc ille quaſi fidei commiſſarius centum illa legata nõ tenetur ex iuſtitia dare Mariæ, donec illam eligat; poteſtque ſine iniuria virginem aliam eligere, quapropter poteſt eſſe pro electione gratioſa Mariæ aliquod pretium recipere, quod poſtmodum de illis centum deducatur. Ad rationem authoris reſpondeo: quamuis teneatur homo ille ex iuſtitia dare centũ at non tenetur ex iuſtitia eligere Mariam cui centum illa dentur; ea propter poteſt pro electione determinata Mariç pretium aliquod ſine iniuſtitia recipere, quod poſtmodum de cẽtum illis deducitur, ſi prius, non fuerat acceptum, & quidem ius eligendi alicuius ęſtimationis eſt, in quo fundatur æſtimatio, & pretium electionis.

Oppones: quamuis rem debitam ex iuſtitia debeam dare; tamen non debeo ex iuſtitia illam dare in gratiam recipientis; ergò ratione illius beneuolentiæ poſſum ab illo pretium exigere. Reſpondeo: quando res, vel actio debetur ex *iuſtitia*, debetur etiam effectus illam tradendi, nã debetur quidquid neceſſarium eſt, vt tradatur talis autem eſt voluntas rem tradẽdi, alioquin poſſet vſura iuſtè recipi, non pro mutuo, ſed pro affectu, quò mutuum datur in gratiam recipientis. Deindè poſſet etiam excuſari pretium receptum ex contractu ſimonię, quia non pro re ſpirituali, & ſacra, ſed pro beneuolentia dantis reciperetur. Præterea pretium non pro affectu datur, ſed pro vtilitate, quæ ex re actione præcipitur; nec effectus valorem compenſandum habet, niſi prout vtilitatem affert recipienti rem, vel actionem. Hæc dicta ſunt pro pretio, quod ab ipſo Petro recipio pro re, vel actione, quam eidem ex iuſtitia præſtare debeo. Quid autem dicendum eſt quando pretium recipio ab alia perſona pro re, vel actione Petro ex iuſtitia debita: nimirum quando Paulus mihi pretium offert, vt rem Petro ex iuſtitia debitam, exhibeam. Sotus reddit pretium tunc accipi poſſet: quia non debetur ex iuſtitia res illa, vel actio Paulo, à quo pretium accipitur.

Hæc ſententia vniuerſim prolata diſplicet mihi cum Patre Leſſio. Primò: quia debetur ex iuſtitia affectus aliquis ex illis ſine quorum aliquo, res iuſtitia debita dari non poteſt; quod autem hic affectus

Digitized by Google

fectus præ alio determinetur, ſpecialem vtilitatem non affert Petro recipienti. Secundò quia eodem modo ſaluari poſſet vſura, & ſimonia ſi ab alio quam à recipiente mutuum, aut rem ſacram, pretium afferatur. Tertiò, quia Paulus offerens pretium, negotium Petri gerit, & ſicut à Petro pretium recipi non poteſt pro re ipſi ex iuſtitia debita, ita, nec à Paulo Petri rem gerente. Melior eſt diſtinctio Cardinalis de Lugo diſp. 18. ſeſſ. 3. nu. 64. quia poteſt, qui pretium offert, intendere vtilitatem Petri, cui res ex iuſtitia debetur, vel vtilitatem Petri, qui rem ex iuſtitia Petro debeo. Si intendat vtilitatem Petri, non poſſum ego ſoluens accipere pretiũ pro vtilitate recipientis. Moueor ad hoc; quia eam vtilitatem intentam eidem Petro ex iuſtitia debet, ac proindè etiam offerenti pretium, quia tunc Petri negotium gerit. Si vero intendat meam vtilitatem, nimirum, nec ego peccem, aut notam aliquam incurram; tunc pretium recipere iuſtè poſſum, quia ego mihi vtilitatem propriam ex iuſtitia non debeo; ac proindè nec offerenti pretium, qui rem meã gerit: etenim nemò ſibi ipſi iniurius eſt (cum iuſtitia ſit virtus ad alterum. De hac re melius in ſubſequentibus.

Diſcurritur pro re alijs ex virtutibus debita.

PRimò: an quis recipere poſſit pretium oblatum pro re, vel actione, quàm non ex iuſtitia, ſed ex alijs virtutibus, aut præceptis debet.

Aſſerunt aliqui pretium reſtituendum eſſe, receptum pro quocumq; opere quod ex aliquo præcepto debetur. Ita cum alijs Silueſter verbo reſtitutio ſecũdo §. 2. Alij dicunt reſtituendum eſſe quod accipitur pro debitis ex religione erga Deum: Alij pro debitis in propriam vtilitatem operãtis. Alij pro debitis ex charitate, ita Corduba, & Medina, quas ex Patre Vaſquez refert Lugo diſput. 18. num. 66. Alij dicunt reſtituendum eſſe, quod accipitur pro opere, quod ex charitate erga proximum debebatur; Authores pro hac ſententia refert Diana tom. 2. tract. 5. Miſcellario reſolut. 55. quibus partim conſenſit Pater Leſſius cap. 14. num. 69. Quintò reſtituendum eſſe quando opus ex charitate proximi debitum, laborioſum, aut ſumptuoſum non erat.

Propria ſententia.

VErior eſt ſententia affirmans pretium acceptum pro opere debito non ex iuſtitia, ſed ex alijs præceptis, attento iure naturæ ex iuſtitia reſtitui non deberi. Ita Lugo diſput. 18. num. 67. referens Valentiam, cum Diana. Vide Bonaccinam tom. 2. tract. de reſtitutione diſput. 1. quæſ. 3. puncto ſecundo num. 1. vbi refert Sotum, Vaſquez, & Bannes. Eſt autem hæc ſententia contra Medinam, Silueſtrum, Nauarrum, Reginaldum, & alios relatos à Bonaccina. Hæc ſententia mihi probatur: quia quod datum propter opus debitum ex alia virtute quàm ex iuſtitia, accipitur ſine dantis iniuria; quod autem ſic accipitur, non debet ex iuſtitia reſtitui. Primò: quia nullum ſupponitur damnum iniuſtum, quod reſtitutione reparetur. Secundò, quia quando ſine iniuſtitia pretium recipitur, transfertur dominium in recipientem, idque iuſtè: at vbi iuſte mihi rei dominium transfertur, rem illam reſtituere ex iuſtitia nõ debeo: quia tamquam Dominus poſſum de re illa ſine alterius iniuria pro libito diſponere.

Reſpondent aliqui objicientes, propriũ illud voluntariè non dari, ſed ab inuito, quia alioquin quod ſibi & aliqua virtute debetur obtinere non poterat. Non placet hæc reſponſio: nam prætium non datur omninò inuoluntariè, quia licet metu aliquo extorqueatur, tamen non extorquetur metu iniuſtò, qui ſit contra iuſtitiam; quoniam vt ſupponimus, poteram ego ſine iniuria rem illi negare, cui eam non ex iuſtitia, ſed ex alia virtute debeo. Cæterum quando metus non eſt iniuſtus, & aliundè non licet inferenti, non reddit donationem omninò inuoluntariam, vel Iudex exigẽs pœnas pecunialias, quibus mortis reus vitam redimat, non reddit ille metu ſolutionem pœnæ omninò inuoluntariam; quia iuſte poterat illius vitam Iudex auferre; niſi prætio illo magno redimeretur. Confirmatur: quia voluntarium mixtum ſufficit ad transferendum

dum dominium, & validum contractum celebrandum: voluntarium autem mixtum eſt quod vi aliqua non iniuſta extorquetur, quale eſt voluntarium de quo diſputamus.

Alij ſecundò dicunt acceptionem eſſe iniuſtam, quando accipitur pro re, quæ ſoli accipienti vtilis erat, v.g. quando ibi prætium offertur, nè pecces, nè alicuius vitij nota caderis, quia tūc venditur quod emptori vtile non eſt. Non placet hæc doctrina: quia eſt vtile emptori quando eſt vtile ad finem, quem emptor intendit: vt quādo emitur aliquod ad publicos ludos, quibus emptor non adeſt; vel quando Petrus rem aliquam emit tradēdam Paulo; tunc Petro iuſtè venditur, & tamen ipſi Petro res empta vtilis non eſt, ſed ſoli amico cujus vtilitas intenditur. Indè infero, quando alicui prætium à Superiore, à Patre, vel ab alio confertur, vt obediat: vt Miſſam audiat: vt peccata cōfiteatur: vt communicet, quando id alio præcepto, & non ex iuſtitia debet. Item quando herus ſeruo libertatem offert, vel alteri aliud prætium, vt baptiſmum ſuſcipiat, prætium iuſtè recipi poſſe, nec reſtitui ex iuſtitia debere; quod rationibus adductis conſtans eſt. Fortè dices, venditionem illam eſſe ſymoniacam, quia affertur prætium pro re ſacra, nimirum pro receptione Sacramentorum. Reſpon. primò hoc argumento probari etiam non licere prętij acceptionem pro eodem opere, quando ex nullo præcepto debetur opus. Reſpondent ſecundò Vaſquez, & Lugo tranſeat accepto illa ſit ſymoniaca, ea ratione probatur venditionem eſſe inualidam, & prætij acceptionem naturali iure iniuſtam, quia venditur res pro prætio, quod rei valorem non excedit. Erit autem venditio mala contra Religionem, eo quod res ſacra temporali prætio æſtimetur: tamen prætium ſymoniacè acceptum niſi aliundè ſit iniuſtum, non debet attento naturæ iure reſtitui, de iure autem poſitiuo non ſemper reſtitui debet, ſed tantum in materia beneficiorum, ingreſſu Religionis, & Ordinis, vt tenet Lugo diſput. 18. num. 69. cum Vaſquez, & alijs.

Dixi prætium acceptum pro re ex alijs virtutibus quàm ex iuſtitia, debita reſtitui ex eadem iuſtitia nō debere, quia poteſt contingere, vt pretium reddi debeat ex eadem virtute, quæ rem dari præcipiebat: id autem euenit, quando prætium acceptum deſumitur ex ipſa ſubſtātia rei, quæ ex aliqua virtute debebatur; ſecus verò ſi ex rei ſubſtantia prætium non deducatur: v.g. voueo ego, vel ſuperior præcepit vt centum aureos dem Eccleſiæ, ſi Eccleſia ipſa mihi viginti aureos operā, dummodo centum ex Religione, vel obedientia debitos ſoluam; viginti illos reddere ex Religione, aut obedientia debeo: alioquin viginti illi ex rei ſubſtantia deducuntur, ita vt ex Religione, vel obedientia debita ſecundum ſubſtantiam non ſoluatur, quia centum ex obedientia, vel Religione debeo, quæ integrè non ſoluo. Secus autem eſt, ſi pretium quod ego accipio non minuit ſubſtantiam rei quam ex Religione, vel obedientia, vel alia virtute præter iuſtitiam debeo v.g. ſi voui Equum, Bouem, aut Calicem, & aliquid aliud mihi offertur, vt Equum ſoluam; tunc quidem, eo quod pecuniam accipiam, non minuitur ſubſtantiam rei, quam voui; quia Equum voui, & Equum ſoluo; id autem ſpecialius vrge quando aliquo tertio pretium mihi offertur, vt Eccleſiæ Calicem, aut Equum reddam, quē voui; quia tunc eo pretio non minuitur ſubſtantia rei, nimirum Equus Eccleſiæ promiſſus; cum nec illius vtilitas Eccleſiæ aduentura diminuatur. Ratio vtriuſq; eſt, quia votum, aut obedientia me obliget ad reddendam rem debitam; at verò quando aliquod deducitur ex ſubſtantia ipſius rei promiſſæ, vel præceptæ, iam non reddo rem promiſſam, aut præceptā ac ſi centum promiſiſſem, & quinquaginta redderem. Tamen quando pretium ex rei ſubſtantia non deducitur, tunc rem ipſam promiſſam reddo, nec illa promiſſione obligatus fui iuribus alijs cedere, quæ aliundè habeo, ſed tantum obligatus fui reddere rei promiſſæ ſubſtantiam, quā iam reddo. Dixi prætereà pretium acceptum pro opere ex alia virtute præter iuſtitiam debito, attento iure naturæ reſtitui ex iuſtitia non deberet: quia eſt difficultas an reſtitui debeat ex iure poſitiuo. Reſtitui aliquando debere, affirmat Vaſquez cap. 7. de reſtitut. num. 37. cum Nauarro.

Digitized by Google

uarro. Cæterum Cardinalis de Lugo cum alijs diſp. 18. nu. 74. verius negat ex iure poſitiuo pretium illud in conſcientia reſtitui debere; quia nullius iuris diſpoſitione redditur quis incapax talis pretij recipiendi, quoniam nonnulli Textus loquũtur de acceptis ob rem ex iuſtitia debitam: cæteri verò loquuntur de foro externo, in quò aliquando datur donanti actio repetendi pretium, aliquando vero donatario actio petendi negatur.

DOCVMENTVM.

Diſputatur de iniuria, & de obligatione reſtituendi orta ex ſola iniuſta acceptione rei alienæ.

POteſt contingere vt quis alterum lędat in bonis, quæ tamen ſibi non vſurpat: vt ſi ſegetes comburat, Domum diruat, Equum occidat, vel mutilet; & quidem tunc nullam vtilitatem percipit ex re aliena, Dominum tamen lædit; nunc autem de hoc ſolum læſionis genere diſputabimus. Quæ nobis occurrunt dicenda circa hunc punctum, docebunt, quæ ſubſequuntur propoſitiones; quarum prima ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Iniuſtus damnificator totum damnum iniuſtè illatum reparare tenetur.

RAtio eſt, quia iniquum eſt aliquem in ſuis bonis mea culpa detrimentum pati; quapropter teneor ſeruare æqualitate inter cuiuſuis bona, & ius quod in illis bonis habet; quod ſi eã ęqualitatẽ mea culpa violaui, teneor eadẽ ęqualitatem reparare; at ea æqualitas vnico medio reparari poteſt, ſcilicèt reparandò illius Domini bona in ſe ipſis, vel in pretio æquiualente, donec ius Domini, & ipſius exigentiam bona adæquent; indè fit damnificatorem teneri ad reparandum rei valorem, quæ ſua damnificatoris culpa Domino perijt; quia in illa re Dominus aliena culpa damnificatus eſt; quid autem ſio faciendum, quando res erat ſimilitèr in Domini poteſtate peritura iam, diximus.

Petes: *An Reges deſtructo reſtituere teneatur, quod res valebat tempore deſtructionis, an verò quod erat poſtmodum valitura: v. gr. combuſſi incipientes ſegetes, Vitulos, aut Agnos, reſtituere nè debeo, quod tempore combuſtionis valebant; an vero, quod poſtmodum maturo tempore creſcentes valerent?*

PRima ſententia aſſerit, ſi res ſine culpa perijt reſtituendum eſſe ſolum, quod tunc valebat: ſi verò de induſtria culpa mea interijt, reſtituere debeo, quod erat poſtmodum valitura; ita Sotus lib. 4. de iuſtitia quæſ. 6. artic. 5. Salonius qu. 62. artic. 4. cum multis quos refert, & aliqua ex parte ſequitur Bonaccina tract. de reſtitut. diſp. 1. quæſt. 3. puncto primo, n. 10. Secundò ſententia dicit reſtituendum eſſe incrementum poſtmodum adquirendum, quod ea in diſpoſitione proxima tempore deſtructionis rei; ſecus autem incremetum, quod erat in diſpoſitione tantum remota, ita Suarius in claue Regia lib. 10. tract. 4. cap. 2. nu. 6. Tertia ſententia communior ſentit ſolum reſtituendum eſſe valorem, quos res æſtimabatur tempore deſtructionis; ita ſanctus Thomas ſecunda ſecundæ quæſ. 62. artic. 4. ad ſecundum, Molina, Leſſius, & Diana, quos refert Lugo diſp. 18. n. 79.

Ego vero omnes has ſententias vnico dicto Concilio; exiſtimo enim eum, qui rem alienam perire iniuſtè fecit, teneri ad reſtitutionem rei ſecundum valorem, quẽ tunc habebat, & præterea ſecundum valorem quem tunc ipſi rei accreſcebat propter ſpem maioris valoris futuri tempore ſequente. Nimirum quantum prudenti iudicio, tempore deſtructionis æſtimabatur res, tum ratione ſui, tum etiam ratione incrementi, quod ſperabatur, attenta conditione Domini læſi, qui negotiari, aut ſperare poterat, vel decreuerat; item conditione periculi, aliaque cuiuſmodi, in qua concluſione æxiſtimo prædictas ſententias conuenire, per illamque con-

Digitized by Google

conciliari, & quamuis quælibet ſuis rationibus vtatur, nobiſcum tamen concluſionis ſubſtantiam ſtatuunt Lugo, & Bonaccina. Tres partes continet noſtrum dictum. Prima eſt, reſtituendum eſſe valorem rei deſtructè. Probatur: quia in illo valore Dominus rei iniuſtæ damnificatus eſt: at ex iuſtitia reparari debet damnum iniuſtè illatum. Secunda pars eſt, in illo valore includi etiam valorem totum, quem res habebat propter ſpem incrementi, lucrique futuri. Probatur: quia eadem res cum ſpe incremēti futuri, maioris eſt valoris, quam eadem res ſine tali ſpecie, vt de fructibus dicitur. Confirmatur à contrario: quia eadem res in periculo naufragij, vel incendij conſtituta, minoris eſt valoris, quam eadem extra tale periculum, eo quod timor interitus imminentis rei valorem minuat. Tertia pars eſt, reſtitui non debere totum quod res erat poſtmodum valitura. Ratio eſt; quia æqualitas iuſtitiæ ſolum poſtulat reddi quantum iniuſtè ablatum eſt; at ſolum ablatus eſt iniuſtè valor præſens, quandoquidem omnibus penſatis deſtructæ rei vndique proueniebat, non autem valor ille futurus, qui tempore ablationis præſens non erat, & ex mille alijs ſucceſſibus pendebat. Explicatur exemplo Aduerſariorum, quia ſi occiſus fuiſſet pullus æquinus, & reſtituere valorem occiſor, quem habiturus eſſet equus iam factus, tunc poſſet Dominus emere pullum aliū minori pretio, & poſtmodum equum factum vendere maiori. Vndè eximium illud pretium ex ſuo pullo, bis reciperet; iniquum autem eſt aliquem cum alterius diſpendio ditiorem fieri; ſecus autem eſt, ſi ſpes adeo certa eſſet, vt nihil de futuro incremento timeretur: quia tunc ſpes ſola eiuſdem eſt valoris, ac incrementi poſſeſſio.

Oppones, non ſolū rei deſtructæ valorem præſentem reſtituendum eſſe, ſed etiam futurum. Primò: quia reſtitui debet fructus futuri rei deſtructæ. Secundò quia reſtitui debet lucrum Domino aduenturum, ipſique ceſſans propter rei duſtructionem; at verò incrementum rei futurum, eſt fructus ipſius rei, item eſt lucrū Domino ceſſans, ipſique aduenturum; niſi res iniuſtè periret ergò, &c. Reſpondeo, Domino reſtituēdum eſſe lucrum ceſſās, & fructus etiam pereuntes propter rei deſtructionem: at verò lucrum Domino ceſſans, & ſolus ille valor, qui addebatur propter ſpem lucri aduenturi, in quo ſolo læditur à rei deſtructore; idemque eſt de fructibus, & confirmatur, quia lucrum aut fructus futuri, minores valoris ſunt in ſpe tantùm conſtituti, quàm poſtmodum in re aduenientes; nam ex multis capitibus pendent; propterea tunc res minori pretio iuſtè emeretur, quàm poſtmodum maturo tempore.

Deducuntur nonnulla corrollaria.

INfero primo eum, qui pullum equinum iniuſtè occidit, qui poſtmodum creſcens lucro plus valuiſſet, præter pulli occiſi tunc vendendi pretium, reſtituere debere valorem ſpei, quam Dominus tūc habebat de lucro percipiendo, ſi pullus vixiſſet, quaproter ſi Dominus ſolitus erat pullus tunc vendere, ſolum tenetur deſtructor ad valorem, quem pullus tunc venditus habuiſſe; ſi verò ſolitus erat pullos opportuniori tempore carius vendere, reſtituere debet deſtructor valorem ſpei, vt explicuimus. Cæterum non tenetur reſtituere valorem, quem pullus iā equus foret habiturus. Aduertit autem Lugo in hoc caſu ſpecialem eſſe rationē, qua iam vſi ſumus: quia ſi deſtructor tūc, quam primū pulli occiſi valorem reſtitueret, poſſet Dominus alium eiuſdem valoris præſentis, & futuræ vtilitatis emere, quò pretium pulli etiam equi facti ferè duplicare. Vndè noſtra ratio confirmatur: quia ſolo illo pretio reparatur totum damnum rei occiſæ, & ſpei amiſſæ. Confirmatur ſecundò, quia authores credentes reſtitui debere pretium valoris, quem pullus poſtmodum creſcens habiturus eſſet, indè detrahunt expenſas; & æſtimationem periculi eius vitæ imminentis, vt habet Bonaccina diſp. 1. quæſt. 3. puncto 2. num. 9. & num. 14. id autem eſt non reſtitui valorem totum poſtmodum futurum, ſed ſolum valorem præſentis ſpei de futuro incremento; quia pullus ſimul cum illa ſpe, eiuſdem pretij eſt, ac pullus poſtmodum creſcens, deducta tamen æſtimatione ſumptus, & periculi.

Infero

Digitized by Google

Infero ſecundò eum, qui ratione moræ iniuſtæ in ſoluenda pecunia ex iuſtitia debita cauſa eſt, vt creditori lucrum ex illa pecunia percipiēdum ceſſet, teneri ad reſtitutionem lucri ceſſantis, vt dicimus; cū hac tamen reſtrictione, quod ſolum tenetur reſtituere ęſtimationem lucri iuxta valorem ſpei, & periculi, deductis expenſis, & alijs illius lucri valorem imminuentibus; quia in hoc ſolum valore creditor læſus eſt.

Infert inde Pater Molina tom.3.diſput. 626.num.6. nobiles, qui merces pretio emunt præfixis temporibus numerando, qui tamen præfinito tempore non ſoluūt, non teneri ſoluere lucrum mercatoribus ceſſans ex defectu pecuniæ, quæ negotiari potuiſſet, debito tempore non ſolutæ; quod probat primo; quia præſumitur aliam pecuniam mercatoribus non deeſſe, qua negotiari poſſint. Secundo, quia mercatores credito vendentes nobilius, carius merces ſuas vendere ſolent, quam ſi numerata pecunia venderent. Ego verò hãc Molinæ ſententiam veram puto, quando aliqua ex ipſius rationibus in contractu reperitur. Prima quidem, quia dum creditor aliam pecuniam otioſam habet, qua negotiari potuiſſet, ex ſolutionis mora non amittit lucrum, quod aliundè percipere potuiſſet; quare mora quam facit, non lædit creditorem in lucri ceſſatione, ſed ſolum in illius pecuniæ carentia. Secunda verò ratio excuſat: quia dum mercator carius nobilibus credito vendit, ideo venditionem honeſtam, & æqualem reddit, quia ſupponitur nobiles viros tardius ſoluere conſueuiſſe; quapropter illa nobilium mora, iam cariori emptione compēſata eſt. Cæterum dum iſtę rationes deficiunt, & conſtat debitoris moram fuiſſe cauſam, vt lucrum mercatori eſſet, teneri debitorem ad lucri reſtitutionem iuxta ęſtimationem ſpei talis lucri pro tempore quo iniuſta cauſa ceſſationis data fuit: quia debitor ſua mora fuit cauſa, vt damnum iniuſtè inferretur mercatori.

DIFFICVLTAS.

An qui dat operam rei illicitæ teneatur reſtituere damnum indè ſecutum.

CVM quis dat operam rei illicitę, poteſt indè ſequi proximi damnum: vt cum ſacerdos illicitè venationi vacat, aut quis in aliena ſylua ligna cædit, aut venatur; poteſt inde ſequi armenti alieni, aut hominis occiſio, vel percuſſio; quæritur ergo: an illius percuſſionis damnum reparare teneatur, qui dans operam rei illicitæ, damnum cauſauit. Deciſionem dabunt ſubſequentes propoſitiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Qui rem illicitam exercens præuidit proximi damnum indè ſecuturum, tenetur ex iuſtitia ad ſecuti damni reſtitutionem.

ITA Molina tom.2. diſp.728. & Lugo diſp.18.num.36. Probatur: nam qui vacat rei illicitę præuidens damnum proximo ex illa inferendum, nouam commiſit culpam iniuſtitiæ aduerſus proximum, cui iniuſtè damnum infert, idque præter culpam rei illicitæ, cui operam dabat: at ratione illius iniuſtæ damnificationis tenetur proximi damnum reparare. Confirmatur primo: quia dū quis præuidit damnum proximo ex ſua operatione inferendum, peccat contra iuſtitiam, & eſt reſtitutionis reus, etiamſi indirectè tantum damnum illud velit, niſi aliqua iuſta cauſa alterius damni proprij, vel forſitan alieni vitandi excuſetur. Cæterum, dum vacat rei illicitæ, talis ratio excuſans interuenire poſſe non videtur: cum illum non excuſet à culpa rei illicitæ. Confirmatur ſecundo, quia etiamſi rei illicitæ vacaret præuidens proximi damnum, teneretur ab ipſa rei alioquin abſtinere, ſin minus, foret reſtitutioni obnoxius, niſi ſimili cauſa iuſta à proximi damno indirectè volito excuſaretur. Hinc infero adulteram, & ſimilitèr adulterum, ſecuta adulterina prole, quam adulteræ maritus alit,

Digitized by Google

aſit, & ad hæreditatem vocat, teneri ad reſtituendam cæteris filijs, aut hæredibus hæreditatis partem, & alimentorum ſũmam, quam adulterinus filius accepit. Item ſequitur vtrumque adulterum ratione huius damni ſpecialitèr peccare contra iuſtitiam. Cæterum Pater Molina credit hanc circumſtantiam in confeſſione aperiendam neceſſario non eſſe: quia ſufficientèr in ſolo peccato adulterij, cui per ſe iniungitur, declaratur; aduerto tamen non propterea confeſſarios illicò impoſituros pœnitentibus reſtituendi onus, quia in hoc caſu poſſunt plures eſſe legitimæ cauſæ excuſantes à reſtitutione. Infero ſecundò eum, qui ſe inebriat expertus in ebrietate ſe multa damna inferre, teneri ad reſtitutionem illorum ratione iniuſtæ læſionis, quam præuidit in ebrietate tamquam in cauſa.

PROPOSITIO II.

Quando quis dat operam rei illicitæ non præuidens damnum indè proximo inferendum, etiamſi poſtea damnum per accidens ex illo opere ſequatur non tenetur ad damni reſtitutionem.

VErbi gratia cum quis vexatur illicitè, aut prohibitis vtitur armis, & improuiſus equus Petri ſubitus occurrit, ſagittaſq; excipit; tunc venator non tenetur ad equi damnum reſtituendum. Ita Molina, & Lugo. Probatur: quia non tenetur ratione rei acceptæ, vt per ſe patet; nec ratione iniuſtæ læſionis: quia hic non datur iniuſtitia aduerſus eum, qui læditur, cum non præuideatur damnum inferendum.

Inferuntur nonnulla Corrollaria.

PRimò: quamuis res illicita, cui damnificator vacabat, eſſet contra iuſtitiam aduerſus Petrum, & indè ſequeretur alterius hominis diſtincti damnum non præuiſum; v.g. cum quis in ſylua Petri ligna cædens, adhibita verè ſufficienti diligentia, ne cui noceret, interficit tamen equum, vel bouem Pauli, non tenetur reparare Paulo damnũ ipſi per accidens illatum: quia illud damnum Pauli iniuria non fuit, quamuis interceſſerit alia iniuria Petri in damno ceſſionis lignorũ. Item ſi quis intrans Petri Domum, vt furetur, incendium ſubitum, & ſibi improuiſum excitat, quo vicina Pauli domus comburitur; non tenetur Pauli damnum reparare, quia illud ſine iniuria Pauli cauſauit.

Inferò ſecundò, idem eſſe, etiamſi actio illicita, ſit iniuſta reſpectu Petri, & ex illa nouum aliud damnũ eiuſdem Petri improuiſum, inferenti ſequatur, vt tenet Molina: v.g. ſi quis ingrediens domum Petri, vt furetur, improuiſo ſibi incendio Domum Petri comburat, non tenetur reparare damnum combuſtę domus. Probat Molina: quia non tenetur ratione alicuius contractus: quia nullus datur, nec tenetur rei acceptæ, Domum enim furto non accepit; nec tenetur ratione iniuſtæ læſionis, quia damnum non præuidit: nec tenetur ratione alicuius legis ad eam reſtitutionem obligantis furem in pœnam prioris iniuſtitiæ; quam commiſit alienam Domum intrans, animo furandi: quia talis lex non datur; quod ſi daretur, eſſet lex pœnalis, & in conſcientiæ foro non obligaret ad reſtituendum, niſi poſt Iudicis ſententiam. Sententiam Molinę probat Lugo credens ſe addere intelligẽtiam, quam ipſe Molina expreſſis verbis tradidit: nimirum etiamſi damnum Petri oriatur ex aliqua actione iniuſta contra eumdem Petrum; ſi tamen prior actio iniuſta, non erat prohibita ex iuſtitia ratione damni per accidens ſecuti, non eſſe obligationem reſtituendi poſtremũ illud damnum, quia prior actio non erat in periculo proximo, ſed tantum remoto reſpectu alterius damni inde inferendi; huiuſmodi eſt actio intrantis cum facibus domum alienam, vt furetur, quod enim indè ſequatur incendium, per accidens eſt: cum fax accenſa, non ſit in proximo periculo ſuccendendi Domum. Bona ratio eſt iſta. Tamen vniuerſaliori principio rem explico: tunc aliquis non tenetur ad reparandum damnum ex actione ſua iniuſta ſequutum, quando tale damnum non eſt ab ipſo directè, nec indirectè volitum, vt in exemplo adducto: non tene-tur

tur reparare damnum incendij, ſua face cauſati: quia illud damnum nec directè, nec indirectè fuit volitum; nec directè, vt patet; nec item indirectè: quia vt damnum ſit indirectè volitum, requiritur, quod directè ſit volitum aliud obiectum connexum cum tali damno: at ingreſſio Domus cum ardente face, quæ ſola fuit volita, non eſt connexa cum domus incendio, nec eſt periculum proximum incendij, ſed valdè remotum. Secundo, quia non eſt indirectè volitum, quod cognitum non eſt: ſed illud tamen non fuit cognitum à fure, neque præuiſum ergò.

Infero tertiò: ſi quis alienæ Domus ianuam iniuſtè infringat, aut per vim aperiat, apertumq; relinquere cum periculo, vt alij tranſeuntes, domum intrent, ſuppellectilique illam ſpolient, tunc ille tenetur de damno ſpoliationis ſecutæ: quia ſpoliationem illam ſufficientèr voluit ſaltèm indirectè, quando voluit periculũ proximum illius, quale periculum erat Ianuam apertam relinquere. Secus autem eſt, quando tota actio præcedens non erat in periculo proximo ſpoliationis: tunc enim non voluit indirectè ſpoliationem; vt ſi apertam relinquerat feneſtram aſcenſu non facilem, aut apertam ianuam, quando Domi plures inuigilant.

DIFFICVLTAS.

Quid dicendum, quando prior actio erat iniuſta, non ſolum circa eamdem perſonam, ſed etiam circa eamdem materiam, quæ poſtmodum damnificata eſt.

VErbi gratia, Domum alienam intras animo furandi veſtes, & ſua lucerna Domum cum veſtibus ſuccendis: an tenearis damnum combuſtarum veſtium reparare? Diſtinguit Lugo, quando furtum conſumatum eſt, tunc furem ad reſtitutionem combuſtarum veſtium teneri: quia eius actio furtiua, fuit cauſa, vt perirent, & quidem extra Domini poteſtatem, niſi fortè ſimilitèr eſſent in Domini poteſtatẽ perituræ; quando verò furtum nondum conſumatum eſt, tunc furem ad reſtitutionem veſtium non teneri, quia ſolus affectus furandi, qui in præſenti datur, obligationem reſtituendi non minuit.

Ego doctrinam eſſe veram credo; tamen in caſu præſenti locum illi non reperio, quia in prædicto caſu, nimirum, quo domus ſimul cum veſtibus ſubreptis, iam vel ſubripiendis ardeat incẽdio, quod ipſi latroni imputari non debet, quia vel veſtes nondum raptæ ſunt, & tunc non eſt obligatio reſtituendi, quia eam obligationem ſola voluntas furandi, nõ inducit; vel ſi veſtes iam raptæ ſunt, perierunt quidem in poteſtate furis, tamen ſimilitèr erant in Domini poteſtate periturę in quo caſu diximus cum eodem Lugo non eſt maior obligatio reſtituendi, quàm ſi veſtes in Domini poteſtate perijſſent. Verum autem eſt, ſi in ſola furis poteſtate perirent, ita vt ſimilitèr non eſſent in poteſtate Domini comburendæ eas reſtitui à fure debere: cæterum tunc eodem incendio non perirent, ſed alias ob cauſas, nimirum ſi alius homo ab eodem fure veſtes ſubripere, aut ſubreptas comburere.

DOCVMENTVM.

Agens de iniuria, & de obligatione reſtituendi orta ex impedimento iniuſto lucri alieni.

MOnemus poſſe contingere, vt quis alteri damnum inferat; vt nullam ſibi vtilitatem indè percipiens, nec alterius bona deſtruens, ſed ſolum illius lucrum, aut bonum impediens; quæ pars, quia lata eſt, varijs propoſitionibus declarabitur. Monemus ſecundò: dupliciter poteſt quis habere ius ad alicuius bonum conſecutionem. Primò poteſt habere ius in re, eo quod iam habeat ſaltem dominium proprietatis in illa re, vt habet quis reſpectu fructuum ex ſuo fundo tendentium, & reſpectu redituum, qui iam ex beneficio ſuo, maiorato, domo, vel ſimilibus ceſſerunt. Secundò poteſt habere ius ad rem, eo quod ſibi iam dominiũ proprietatis, & poſſeſſio ex iuſtitia debebatur, vt legitimo hæredi debetur dominium cum poſſeſſione hæreditatis, & Petro iam præſentato, vel in examine præ cæteris approbato, ſaltem, vt dignior præ-

Digitized by Google

ferri debet, vel poſtquàm ipſi beneficium collatum eſt, debetur beneficij cum fructibus proprietas, & poſſeſſio. Deſcendamus ad propoſitiones: illarum prima ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Quando aliquis habet dominium, & ius perfectum in re, vel ad rem cum fructibus; tunc qui illum ab aſſecutione boni talis impediuit, tenetur ad damni reſtitutionem.

ITa docent Laiman tomo primo de reſtitutione ſeſſ.5. tract.2 cap.7.num.1. innumeros alios referens, & Cardinalis Lugo diſp. 18. num. 90. referens Molinam diſp. 627. & Leſſium cap. 12. dubio 8. Ratio eſt, quia Petro tunc ex iuſtitia commutatiua talis res cum fructibus debebatur, quapropter ipſius erat, nec poterat iuſtè à perceptione illius impediri: nam quod mihi debetur ex iuſtitia, proindè eſt, ac ſi ſub dominio, meo, & poteſtate haberetur, v. g. ſi Petrus ſoluat centum, quæ Paulo debet: ego verò iniuſtè debiti recuperationem impediam, ita vt propter meum impedimentum Paulus ſolutionem amittat, proindè eſt, ac ſi ab ipſo Paulo ſolutionis valorem ſurripuiſſem. Addo tamen reſtituendum neceſſariò eſſe boni impediti valorem iuſta æſtimationem, quam tempore illo habebat attenta certitudine, vel ſpe maiori; vel minori tale bonum aſſequendi. Ratio eſt quia ſolum in illius ſpei valore damnificauit impediens. Vndè infertur eum, qui alium impediuit ab aſſecutione beneficij, quamuis impeditus eſset dignior; ſi tamen de illo non cogitabatur, nec habebatur ſpes, tunc ad nullam reſtitutionem teneri; ita Vaſquez de beneficijs cap.2.& Sances libro 2. Conciliorum dubio 50. nu.1. Ratio eſt: quia illud bonum, de cuius aſsecutione ſpes nulla Petro reſtabat nullius ipſi æſtimationis erat, propterea nullum vanum iniuſtum ab impediente paſsus eſt.

Ex ipſa propoſitione infero primò: quãdo alicui ius perfectum commutatiuæ iuſtitiæ acquiſitum erat, qui illum impedit à conſecutione talis boni, damnum reparare tenetur; vt qui iniuſtè impedit alicui collectionem fructuum ex fundo ſuo pendentium, vel reddituum, qui ex proprijs ipſius verbis ceſserunt. Item qui impedit conſecutionem beneficij, quod ſibi legitimè collatum, vel confirmatum fuerat. Infero ſecundò, eum, qui alicui impedit conſecutionem boni, ad quod habebat ius quidem ad rem, ius tamen cõmutatiuæ iuſtitię, ad damni reſtitutionem teneri: vt ſi impediat conſecutionem beneficij, ad quod legitimè electus fuerat, vel præſentatus, vt cum multis alijs tenet Laiman ſupra num.1. Infero tertiò quando impedis Petro conſecutionem boni, ad quod prædictum ius habet commutatiuæ iuſtitiæ, ſi impedias per vim, & minas, fraudes, & dolos, tunc ad damni reſtitutionem teneris. Ratio eſt, quia iniuſtè ponis inæqualitatem inter ius Petri, & bona, quæ habere debet: quapropter teneris æqualitatem tua culpa violatam reparare: quoad hoc enim idem eſt tua culpa auferre, quod iure tenet, ſeù impedire, quod iure ſuo tenere debuiſset. Infero quartò, eum, qui blanditijs conſilio, vel dolo ſuadet Petro nè Paulo conferat, quod ipſi ex prædictæ iuſtitiæ iure debet, & ita impedit Paulo, boni ex iuſtitia ſibi debiti conſecutionem, tunc impeditor tenetur damnum illatum Paulo reparare: quia culpa ipſius habuit Paulus minus in bonis, qua iure ſuo habere debuiſſet; cum ipſe Petrus nõ poſſet iuſtè illud bonum Paulo negari: ergò nec poſſum ego iuſtè ſuadere, aut conſulere Petro, vt illum bonum Paulo neget. Ratio à priori eſt, quia damnificatio, quam infert Petrus, & à me conſulente moralitèr cauſatur: neq; aliam ego meo conſilio moralitèr cauſo, ſed omninò eamdem, quam Petrus infert: quapropter in quãlibet cauſam moralem ſui obligationem reſtitutionis inducit: ſecus autem eſſet, ſi ipſi Paulo blanditijs; & cõſilio ſuadeam, tamen ſine vi, & dolo, vt iure ſuo cedat: quia illa ceſſio Pauli non eſt iniuſta. Confirmatur, quia idem eſt, quando alteri ſine vi, & fraude, ſed conſilio tantum, aut blanditijs ſuadeo, ne conferat Petro bonum, quod ipſi ex iuſtitia non debet, vt infra oſtendam.

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Quando bonum Petro non debetur ex iuſtitia, tunc qui Petro impedit aſſecutionem boni ſolis blanditijs, & conſilio, ſine vi, & dolo, non tenetur ad damni reſtitutionem.

VErbi gratia teſtator, donator, aut elector paratus eſt Petrum ad tale bonum eligere, ego verò electori blãditijs, & conſilio impono, vt me potius, aut alium eligat; Item damnum illud Petro illatum, reparare ex iuſtitia non debeo. Ita Laiman tomo 1. ſeſſ. 5. tract. 2. cap. 7. aſſertione ſecunda, referens pro hac ſententia Caietanum, Paludanum, Silueſtrũ, Sotum, Molinam, & Leſſium, quibus adde Cardinalem de Lugo diſp. 18. nu. 93. Probatur iſta veritas: quia meis blãditijs, & ſuaſione nullam iniuriam infero Petro, cum nihil ab ipſo auferens, quod ſibi ex iuſtitia debeatur. Confirmatur, quia ego moralitèr cauſo ſolam voluntatem electoris Petrum contemnentis: at illa voluntas iniuſtè non eſt ab electore, à quo phyſicè, & moralitèr cauſatur: ergò nec erit iniuſtè in me, quamuis à me moralitèr cauſetur; ego enim iniuſtus eſſe non poſſum, niſi cauſem aliquam iniuriam Petri. Aduertit autem Laiman aliquando in externo foro dari actionem aduerſus eum, qui aliquid ex æmulatione agit, cũ ſibi nihil prodeſt, alteri autem non, quamuis alioquin iuſtè id efficere poſſet, vt habetur in lege prima §. idem aiunt, ff de aqua, & aquæ pluuiæ arcendæ, vbi datur actio aduerſus illum, qui in fundo ſuo fodiens, vicini fontem auertit, animo nocendi, ſuum tamen fundum meliorem non efficit. Reſpondet ibidem Laiman, & Molina tomo 3. diſp. 69. & 72. hinc actionem ad forum eſternum pertineri, nec obbligare in foro cõſcientiæ ante ſententiam Iudicis ea pœna malignum nocendi animum punientis. Ego verò id confirmo: quia ſaltem quando mihi vtile eſt, vel animus nocendi non probatur, tunc aduerſus me non datur actio: ergò illud damnum iniuſtè non fit, alioquin ipſo naturæ iure daretur ſemper actio aduerſus nocentem.

Indè infero primò: ſi teſtatori volenti Petrum ſibi hæredem relinquere, conſilio meo, aut blanditijs, ſine vi tamen, & dolo ſuadeam, vt me, vel alium hæredem inſtituat, tunc ad damnum Petro reſtituendum, non teneor. Idem eſt ſi aliquis donationem Petro deſtinatam, ſimili modo mihi, vel amico quæram. Infero ſecundo idem eſſe, ſi electorem iam paratum eligere Petrum, cui ſuffragium, vel beneficium conferat, ego conſilio, & blãditijs inducam, vt eligat alium æquè dignum, vel digniorem. Ratio omnium eſt: quia illud damnum iniuſtum non eſt: cum Petrus nullum ius habeat dominij reſpectu illius boni, cuius ipſi conſecutio impeditur, & confirmatur, quia elector iuſtè potuit damnum illud Petro inferre alium eligendo: ergò & ego iuſtè potui electori eandem voluntatem ſuadere: nec iniuſtè à me cauſabitur, potius, quàm ab electore. Infero tertiò probabile eſſe nõ peccare contra iuſtitiam, nec ad reſtitutionem teneri eum, qui Eccleſiaſtici beneficij collatorem decernentem cõferre Petro beneficium, precibus tamen, & ſuaſione inducit, vt ſibi, vel alteri digno, minus autem digno beneficium conferat. Ita Laiman num. 2. referens Adrianum, Nauarrum, Toletum, & Leſſium. Eſt autem hæc ſententia contra Paludanum, Silueſtrum, Caietanum, Nauarrum, Vaſquez, & alijs. Pendet autem hæc doctrina à probabiliſſima ſententia aſſerente Eccleſiaſtici beneficij collatorem nullam iniuriam inferre digniori prætermiſſo, ſi beneficium conferat digno; cuius opinionis examen, alterius loci eſt; illa verò ſuppoſita, clareſcit ſuaſorem ad reſtitutionem non teneri, quia ſuaſoris actio iniuſta non eſt.

Digitized by Google

PROPOSITIO.

Quando impedis Petro conſecutionem boni reſpectu cuius prædictum ius commutatiuæ iuſtitiæ non habet, tamen boni conſecutionem impedis vi, aut minis, fraudibus, & mendacijs tunc damnum Petro illatũ reſtituere teneris.

PRobatur: quia licèt Petrus nullum habeat ius ad bonum, cuius ſibi cõſecutio impeditur, habet autem ius ad potentiam illud conſequendi, ſibiq; debetur ex iuſtitia ſpes, & potentia illud obtinendi à conferente, nam licèt Petro non debeatur ex iuſtitia beneficium, hæreditas, donatio legatum, & ſimilia; debetur autem ex iuſtitia ipſi potentia accedẽdi ſupplicandi, ſua merita proponendi, & propterea debetur ſpes conſequendi prædictis iuribus annexa, cui correſpondet in electore libera dandi facultas, tàm Petro, quàm alteri; & quidem hæc omnia iura, illa ſpes, item poteſtas libera dandi in donatore, debetur ex iuſtitia Petro: cum ſit bonum quoddam ipſius Petri pretio æſtimabile, ad quod nullus ſpecialius ius habet.

Cæterum, qui vi, aut dolo impedit Petro bonum ipſi ex iuſtitia non debitum ſimul aufert aliud bonum ipſi Petro ex iuſtitia debitum; nimirum in ipſo Petro ſpem illam conſequendi, & in donatore liberam eligendi poteſtatem, quia non eligit liberè, qui per vim cogitur, nec eligit, qui mendacijs inductus Petrum contemnit. Præterea ſic impediens ex iuſtitia tenetur reparare damnum Petro illatum iuxtà æſtimationem ſpei tale bonum conſequendi; etenim pretio digna eſt Petri ſpes fundata in meritis ipſius, & in poteſtate libera donantis, cognoſcentis merita Petri. Confirmatur primò, quia Petrus ius habet ne ſibi auferatur tale bonum, niſi per liberam electoris voluntatem, cum Petrus ſit cæteris æqualis in iure, vel in ſpe. Propterea iure ſuo petit, vt poteſtas eligendi reſpectu omnium eligendorum relinquatur æqualis: cæterum, illis artibus aufertur à Petro bonum ſine tali voluntate; ſi enim per vim extorqueatur alterius electio, non eſt vt expedit libera, nec voluntaria, ſed coacta; ſi verò dolis, & mendacijs ſuadeatur, etiam aufertur à Petro bonum ſine tali voluntate, quia debet eſſe voluntas electoris negantis Petro bonum præcisè. quia vult eligere alium, verè cognoſcens quod Petrus mereatur: at per mendacia, & dolos ablata eſt ab electore notitia de meritis Petri ad quam notitiam Petrus ius habet, ſicut ad potentiam liberam electoris, & vtraque eſt ipſius Petri bonum pretio æſtimabile. Confirmatur ſecundo, quia idem eſt ſi ego vi, aut mẽdacijs, & fraudibus ſuadam Petro, vt bona ſua alteri confera: quia licet bona ſua pro libito donare poſſit, habet autem ius, vt ab ipſo auferatur libertas donandi, & retinendi: quæ libertas à Petro aufertur, ſi per vim extorqueatur ab ipſo donatio, & aliquando, ſi ſuadeatur per dolum. Item habet ius ad veram notitiam, quam ipſe acquiſierat de conuenientia retinendi ſua bona; præterea qui per vim, aut mendacia ſuadet Petro ſua bona diſperdere, vel donare, damnum reſtituere tenetur, quamuis non teneatur ſi alijs artibus ſine vi, aut dolo eamdem donationem ſuadeat.

Indè infero, qui impedit Petro hæreditatem, donationem, legatum, beneficium, ad quæ ius non habet ſtrictæ iuſtitiæ, vi tamen teſtatorem, aut electorem cogens, vt alium eligat ad reſtitutionem damni teneri. Item eum, qui eadem bona impedit Petro falſis criminationibus, aut dolis teſtatorem, vel electorem inducens vt alium eligat, eiuſdem reſtitutionis reum eſſe. Ratio vtriuſque eſt, quia licèt impediendo hæreditatem, aut beneficium non auferat à Petro bonum circa quod ius commutatiuè iuſtitiæ adquiſitum habeat, tamen per minas, vim, aut dolos aufert à Petro ſpem conſequendi tale bonum. Item in electore potentiam liberam eligendi, & veram notitiam de dignitate, ac meritis Petri ad quæ Petrus ius ſtrictum habet. Confirmatur, quia licèt pauper nullum ius habeat ad eleemoſynas ſibi concedendas, tamen qui illum mendicare vi, aut dolis impediret, ad reſtitutionem teneretur iuxta ſpem boni conſequendi. Similiter, qui fideles vi, aut

Digitized by Google

dolis induceret nè eleemoſynam darent. Ratio eſt: quia tunc pauperi aufertur ſpes eleemoſynas aſſequendi, & potentia libera petendi. Item ex parte fidelium facultas damni, vel notitia de mendicandis inopia in quibus pauperis ius læditur.

DIFFICVLTAS.

Vtrum reſtituere teneatur, qui ſine vi, & dolo; ex odio tamen, & animo nocendi, electori, vel teſtatori ſuadet, nè Petro hæreditatem, legatum, donum, aut beneficium Eccleſiaſticum conferat.

AFfirmant aliqui quos referunt Molina, & Lugo, negant verò ipſe Molina cum Caietano, Adriano, & alijs; item Leſſius, Vaſquez, & Sances quos refert, & ſequitur Lugo diſp 18.num. 98 Sententia negans mihi probatur: quia tunc nullum bonum aufertur, aut impeditur Petro, quod ipſi ex iuſtitia commutatiua debeatur; malus autem nocendi animus obligationem reſtituendi non inducit, vbi damnum eo modo iniuſtum non eſt, vt cernitur in Iudice, qui meritum furem, ex odio quidem, ritè tamen ſuſpendit, quoniam nec affectus iniuſtus eſt ex quod damnum illud intendat; quod non eſt iniuſtum, ſed tantum eſt contra charitatem. Deinde licet, quia affectus foret iniuſtus, ſi tamen damnum iniuſtum de facto non infert, obligationem reſtitutionis non inducit: quia ad eam obligationem iniuſta leſio neceſſaria eſt.

Petes: an reus ritè interrogatus in iudicio de crimine à ſe commiſſo, propter quod pecuniariam pœnam meretur, crimen autem iniuſta ſua negatione celat, reſtituere teneatur valorem multò, quò iudicem, aliofque fraudauit?

Affirmans Sotus, Molina, & Caſtro Pallao; ex aduerſo autem negant Nauarrus, Salonem, Vaſquez, Leſſius, & Sances quos refert Laiman ſeſſ.5.tract.2.capit.7. nu.4. Ipſe verò cum diſtinctione reſpondet, reſtituendam eſſe pœnam, quæ ipſo facto incurritur; ſecus autem pœnam, quę Iudicis arbitratu potuit imponi.

Mihi probatur ſententia negãs. Moueor, quia numquam conſurgit obligatio reſtituendi damnum illatum, vel bonum impeditum, niſi damnum ſit contra iuſtitiam commutatiuam; damnum verò illatum Iudici quin multa fraudatione à negante commiſſum crimen, non eſt contra iuſtitiam commutatiuam: quia nullum ius acquiret Iudex reſpectu multæ, & pœnæ, niſi poſt ſententiam: at illa negatio, ſententiam præceſſit, alioquin poſt ſententiam Iudex non potuit iuſtè interrogare, quia in illa cauſa omninò ſuo munere functus erat, imò potius reus negans contra ſolam iuſtitiam punitiuam, & iudicialem peccauit; eo autem quod eam iuſtitiam læſerit, factus non eſt reſtitutionis reus; vndè conſtans eſt nullam eſſe diſtinctionem Patris Laiman; quia idem eſt de pœna, quæ ipſo facto incurritur, & ſolam expectat Iudicis declarationem de crimine commiſſo eam pœnam merente, ac de pœna, quæ à Iudice decernenda eſt, cum neutra ante Iudicis declarationem ex comutatiua iuſtitia debeatur.

DIFFICVLTAS,

An damnum reſtituere tenearis, ſi procuratorem abſque vi, & fraude inducis, vt rem Petri v.g. officium aut beneficium ex iuſtitia Petro non debitum, cuius procurandi curam ſuſceperat.

AFfirmat Bonaccina pro ſe referens Vaſquez apud Lugum diſp.18.nu. 202. ipſe vero Lugo eam doctrinam veram cenſet, quando procuratoris diligentia ex iuſtitia Petro debebatur, ſecus verò quando non erat ex iuſtitia debita, ſed à procuratore iuſte poterat omitti.

Ego vero exiſtimo idem eſſe, quod de præcedentibus, idque propter noſtram rationem. Ratio noſtra eſt: quia dum abeſt vis, & dolus, nil aufero aut impedio de iuſtitia debitum Petro; non ipſum beneficium, quod ex iuſtitia ipſi non debetur: non item ſpem ipſius Petri, nec potentiam liberam procuratoris cum ſcientia, qua ſcit procurator Petrum ſuam diligentiam mereri, eaque indigere: quia

dum

Digitized by Google

dum abeſt dolus, & vis, omnia illa remanent; ſecus autem eſſet, ſi per vim aut dolos procuratoris diligentiam impedires: eſt enim eadem ratio, ac ſi per vim, & dolos impedires ipſum Petrum; vndè fit te poſſe ſine iniuria tali procuratori ſuadere, vt à diligentia deſiſtat, quam Petro ex iuſtitia non debet;non autem illam,quam debet ex iuſtitia.

Hinc infero quid dicendum ſit,ſi talem procuratorem ad venationem,vel cœnam inuitem, vt interim meus, vel amici procurator poſſit inuitati diligentiam anteuertere, Petrumque beneficij, vel officij conſecutione fraudare. Affirmat Bonacina reſtitutionem deberi diſp.1.de reſtit. qu.2. puncto 12.num. 12. pro ſe afferens Vaſquez. Lugo nu. 102. credit eam doctrinam veram eſſe quando procurator quaſi conductus diligentiam ex iuſtitia Petro debebat: ſecus vero quando procurator voluntarius rem Petri curabat; qua in parte; poſtrema mihi non placet: quia licet Petro neq;beneficiũ neq;procuratoris diligentia debeatur,tamen ipſi debetur ex iuſtitia, quod poſſit alium procuratorem ſunſtituere, vel rogare,ſi prior ab incœpta diligentia deſiſtat. Præterea jus habet Petrus, vt moneatur quando prior procurator deſiſtit; quia ipſius diligentiæ fidens aliam non adhibebat; alioquin ſi alia non adhiberetur, id non erit ex voluntate Petri, ſed eo quod iniuſtè ignoret eſſe neceſſariam: vndè fraude,& dolo circumuentus Petrus nouam diligẽtiam omittit. Confirmatur: quia primus procurator rem deſerat inſcio Petro, qui quidem procuratoris diligentia confidebat, iniuſtus eſt, & reſtitutionis reus,niſi prius opportuno tempore Petrum admoneat, vt alium ſubſtituat; nam licèt poſſit procurator à negotio deſiſtere,tamen poteſt ſine Petri iniuria ipſum non monere: alioquin: illum falleret; ergò ſimilitèr, qui procuratorem inuitat, fallit Petrum quamuis non fallat ipſius procuratorem. Præterea ſi procurator ex iuſtitia debebat Petro diligentiam, in prædicto caſu procurator, & ipſum inuitans ad reſtitutionem tenentur, quia vterque concurrit ad damnum iniuſtum Petri. Quando autem diligentia Petro ex iuſtitia non debetur, aliter diſtinguendum eſt; vel enim Petrus aliam diligẽtiam admouere poteſt ſi moneatur, vel fortè potuit antea,& iam non poteſt, quia illam opportuno tempore omiſit procuratori voluntariè fidens. In ſecundo caſu procurator deſiſtere non poteſt; alioquin Petrus ipſius culpa rem amittet; in priori vero Petrus monendus eſt: ſi minus vterque Petrum fallit,& per dolos cauſat iniuſtumPetri damnum, ſi verò Petrus diligentiam aliam adhibere nõ potuit,nec factus eſt impotens culpa procuratoris, tunc inuitari, poteſt procurator etiãſi Petrus non moneatur: quia tunc Petrus hac de cauſa nullum patitur iniuſtum damnum, cum nil ſibi ex iuſtitia debitum auferatur. Cæterum ne in hoc caſu licet procuratorem vi, aut dolo à negotio remouere; ſicut nec ipſum Petrum: quapropter cauendum eſt ne ipſa inuitatio ſit doloſa qua procurator decipitur vt rem deſerat eo tempore, quo poſſit alius rem expeditius procurare; ſimile etiam eſt, ſi tabellarium inuitarem ad cœnam, vt eo conuiuio, aut ebrietate ſecurè detentus meis diligentijs ſit poſterior; ob hanc rationem aduertit Lugo num.103. ſibi videri in prædicto caſu fraudem aliquam intercedere; quia illa inuitatione aliud ſignificatur, aliud intenditur, quod ad fraudem ſufficiens eſt, vt ſi reum in Eccleſia ſecurum, ad cœnam prouocem eo animo vt extra Eccleſiam à creditoribus, vel miniſtris capiatur, quod mihi etiam videtur niſi meum animum procuratori declarem.

DIFFICVLTAS.

Vtrum teneatur reſtituere damnum, qui iniuſtè literas aperuit, quibus de beneficio vacante Petrus admonebatur. Poſtmodum autem literas iterum ſigillatas Petro remittit ſine mora, tamen Petri diligentiam preuenit, & beneficium impetrat?

NEgat Diana credens in ſola Epiſtolæ aperſionem iniuſtitiã repertam eſſe non autem in beneficij impetratione, cum quo ſentiunt Caſtrofaleo, & Leſſius quos omnes refert Lugo ea diſp. 18.

Digitized by Google

18.num. 104. Cæterum ipſe verius oppoſitam cenſet, quia in communi Doctorum ſententia iniuſtus violator ſecreti tenetur reparare damnum quod ex iniuſta ſecreti violatione cauſatur; nam ipſe ſua iniuſtitia damnum illud cauſat; quapropter ſi Epiſtolarum apertor ſecretum alteri maniſeſtaret, qui impetraret beneficium, violator ſecreti ad reparanda damna teneretur; ergò ſimilitèr quando ipſe violator ſecreti ſibi beneficium impetrat; quia ſua iniuſta violatione ſecreti cauſat damnum, aut impedit bonum Petri, & quidem Petrus ius habet ne alter ſuo ſecreto ad impedendum ſibi bonum abutatur.

DOCVMENTVM.

Diſputans de iniuria, & obligatione reſtituendi orta ex cooperatione ad damnum iniuſtum.

NOuem ſunt cooperantium claſſes, de quibus tum ſimul, tum ſeorſim diſputabimus; omnes autem illis carminibus continentur.

Iuſſio: Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus,
Participans, Nutus, non obſtans, non maniſeſtans.

DIFFICVLTAS.

Quid requiritur vt cauſa damni iniuſti reſtituere debet.

DVO ſtatuenda ſunt. Primum eſt ad reſtitutionẽ non teneri, qui damni iniuſtum cum effectu non cauſat: quare ſi damnum non ſequitur, vel ſaltem non infertur ab illa concauſa, quæ in actu applicabatur, ſed tantummodo cauſalitate aliarum, tunc ille, qui non cauſat in actu ſecundo, ad reſtitutionem non tenetur: quia nullus tenetur ad reparandum iniuſtum damnum, quod ipſe nullo modo cauſabit. Indè cõſtat ſecundum, ſi aliquis cauſet partem damni partialitate effectus, non autem damnum totũ, teneri ad reparandam ſolam illam damni partem, quam cauſauit, quod eadem ratione probatur.

Iam ergò queri ſolet vtrum in his cooperatoribus damni ad obligationem reſtitutionis requiratur, quod aliquis ita damnum inferat, vt ipſo non inferrente, ſeu ipſius concurſu deficiente, damnum non inferretur? v. gr. conſulis, aut iubes Petri damnum, ſequitur quidem damnum Petri: an ſcilicèt ad obligationem reſtitutionis requiratur, quod damnum non ſequeretur, ſi non conſuleres, aut mandares. Prima ſententia affirmat ad reſtitutionis obligationẽ requiri præterea, quod damnum vi talis cooperationis ſequatur, ita vt ea cooperatione ablata, damnum non inferretur. Ita ſanctus Thomas in 4. diſtin. 15. qu. 1. artic. 5. quæſtiuncula tertia Nauarrus, Antoninus, Silueſter, Paludanus, Riccardus, Gabriel, Adrianus, Angelus, & Alenſis, quos apud alios refert Lugo infra. Eandem ſententiam probabilem cenſet Laiman lib. 3. ſeſſ. 5. tract. 2. num. 5. Leſſius cap. 13. dub. 2 nu. 7. & Diana tom: 2. tract. 5. Miſcellaneo reſolut. 43. & 89. & quamis Vaſquez hos Authores cum oppoſitis conſiliare conetur, credens eos loqui, quando Concilium, aut mandatum non mouet ad ſubſtantiam damni, ſed tantum ad circumſtantias atrocitatis, firmatis, & ſimiles. Secunda ſententia ex aduerſo credit ad obligationem reſtitutionis ſufficere, quod cauſa verè moueat ad damnum, quamuis ea motione deficiente, damnum tamen ab eodem damnificatore phyſicè inferretur; itaque ad reſtitutionis obligationem in mandante, vel iubente non requirit hæc ſententia, vt ſine iuſſione, aut conſilio, damnum non fiat; ſed ſatis credit, ſi vi conſilij fiat damnum, quamuis alioquin inferendum eſſet etiam abſque motione, & cauſalitate conſilij; ita Caietanus, Sotus, Medina, Vaſquez, Leſſius, Molina, quos refert, & ſequitur Lugo diſp. 19. num. 6.

Ego verò in primis exiſtimo, quando conſulens, ac mandans, damnum non cauſat, vel quia damnum ſecutum non eſt, vel quia damnificans motus non eſt propter ipſius conſilium, aut mandatum; tunc mandans, aut conſulens, ad reſtitionem non tenetur: quia non eſt concauſa damni. Deindè exiſtimo, ſi contingere poteſt, vt quãdo damnificatio eadem etiam ſine conſilio erat danda, tamen conſulens

cauſet

cauſet damnum, eo quod immediatus damnificator tali conſilio inductus fuerit ad inferendum damnum; tunc conſulens ad dami reſtitutionem tenetur, niſi excuſetur aliunde. Ratio eſt: quia omnis cauſa iniuſta damni, ad illud reparandum tenetur: at conſulens, verè damnum cauſat, quamuis alioquin ſine cõſilio eadem damnificatio damna foret. Præterea tamen exiſtimo malè poſſe componi, quod conſilium, aut mandatum, ſit cauſa damnificationis, & eadem damnificatio daretur etiam deficiente conſilio, aut mãdato; v.gr. quod Petrus hic, & nunc meo conſilio moueatur ad combuſtionem domus, quàm etiam ſine meo conſilio eadem ipſa combuſtione perdidiſſet. Ratio eſt: quia ipſa cauſalitas conſilij in damnificationem, non eſt aliud, quàm hic duplex euentus, nimirum quod hic, & nunc detur combuſtio dato conſilio, & quod eadem combuſtio non exiſtat ſi conſilium deficeret Vnde fit ad cauſalitatem conſilij vtramque euentum requiri; quapropter altero illorum deficiente, cauſalitas non dabitur. Explicabitur: verum eſt poſſe voluntatem immediatè damnificantis amare ipſum conſilium: tunc impoſſibile eſt eam volũtatem dari ſine conſilio, quia nulla volitio poteſt eſſe ſine ſuo obiecto intrinſeco; & tunc certum eſt conſilium eſſe cauſam damnificationis; idem eſt ſi detur volitio efficacitèr imperans, quæ amet ipſum conſilium. Vndè fit vt detur volitio ſine conſilio, conſilium eſſe non poſſe motiuum intrinſecum volitionis, ſed ſolum extrinſecum; at vero vt motiuũ extrinſecum cauſet, requiruntur duo euentus prædicti, vt communitèr ſtatuunt auctores cum quibus diſputamus; quamuis ego aliquid vltra requiram. Aliud eſt de cauſa phyſicè cauſante damnum: quia phyſica cauſalitas, eſt actio quædam per ſe connexa cum tali damno; vt connectitur cum damno combuſtio, aut commeſtio fructuum Petri. Præterea ſi ego eam actionem, aut cauſam ponam, ero cauſa damni, quamuis alioquin damnum ab alia cauſa hic, & nunc inferendum eſſet. Ratio eſt, quia cauſalitas phyſica conſtat ex illa ſola actione, non autem ex defectu conditionato damni ex ſuppoſitione, quod mea actio nõ debetur. Cæterũ cauſalitas illa extrinſeca non conſtituitur ex vnica entitate poſitiua conſilij; nam entitas cõſilij non eſt connexa cum damno, ſed potius ſine damno dari poteſt, cum intercedat alia cauſa libera; imò poteſt dari ſimul cum damno, quin illud cauſet; qua propter cauſalitas extrinſeca conſiſtit in vtroq; illo euentu iam explicato iuſta Aduerſariorum ſentẽtiam. Poſtremo deniq; etiamſi dari poſſit cauſalitas extrinſeca dandi quando eadem damnificatio phyſica ſine tali conſilio daretur; tamen in eo caſu obligationem reſtituendi non probo. Moueor ad hoc: quia ad obligationem reſtituendi non ſufficit, quod verè, & realitèr damnum meo conſilio cauſem, ſed præterea requiritur quod agnoſcam meo conſilio damnum cauſatum fuiſſe; id autem agnoſcere non poſſum quãdo eadem damnificatione phyſica cauſaretur etiamſi meum conſilium nõ adeſſet: quia non eſt aliud ſignum ad cognoſcendum meo cõſilio cauſatum eſſe damnum, niſi quod damnificatio exiſtat exiſtente meo conſilio, & eadem deficiat meo conſilio deficiente.

Cæterùm abſurdum eſt reſultare obligationem reſtitutionis ex cauſalitate, cuius exiſtentia cognoſci nullo modo poteſt; alioquin daretur obligatio, quæ nũquam poſſet obligare: quia numquam cognoſci poteſt. Id poteſt confirmari ex doctrina probabili, tradita tract. de Sacramẽto pœnitentiæ, vbi Theologi loquentes de diſcontinuatione actuum; defendunt, quamuis actus phyſicè diſcontinuati, plures actus, & peccata phyſicè plura ſint; & vt plura à Deo puniẽda; tamen in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, me non teneri illa peccata, vt plura confiteri; quia abſurdum eſt ex illa phyſica pluralitate, quàm nec agnoſco, nec agnoſcere poſſum, me ad eandem pluralitatem in confeſſione aperiendam obligari. Similitèr ergò abſurdum eſt ex cauſalitate quam nec agnoſco, nec agnoſcere poſſum, me ad illius reparationem teneri; Confirmatur: quia omnis obligatio, quæ cum ſuo fundamento per accidens non cognoſcitur, per accidens non obligat: ergò quæ per ſe nec cognoſcitur, nec cognoſci poteſt; etiam per ſe non obligabit; quia per ſe affert ſecum excuſationem obligationis;

pro-

Digitized by Google

proindè ſi talis obligatio daretur, eſſet,& non eſſet obligatio, idque per ſe. Præterea iam dixi damnum in caſu noſtro cauſatum, & reſtituendum eſſe, niſi aliundè quis excuſetur, quia ex defectu cauſalitatis, tunc non excuſatur, ſed ex noſtra ratione.

Obſeruantur nonnulla Corrollaria.

INfero primò: ſi aliquem tuo mandato, precibus, conſilio, vel hortatu ad damnificationem inducere conatus eſt, quam etiam ſine tuo conſilio inferret, vt ferre conſtantèr decreuerat, te ad damni reſtitutionem non teneri; ita *Laiman* cũ pluribus alijs. Ratio eſt: quia damnificationem illam non cauſaſti, vel ſaltem cauſalitas per ſe tibi ignota eſt: cum nullum ſit fundamentum, vt illam tibi,tuoq; conſilio tribuas, quando eadem etiam ſine tuo conſilio danda foret; at non teneris ad reparandum damnum, quod an cauſaueris prorſus ignoras, imò potius oppoſitum prudentiori iudicio credis.

Infert ſecundò Laiman cum multis alijs, ſi aliquem tuo conſilio,aut mandato confirmaſti, vt damnificationem hic, & nunc inferendam, & iam à ſe decretam inferret, te ad damni reſtitutionem non teneri,quod ex noſtris principijs probabilitèr defendi poteſt: quia ſubſtantiam damni, vel non cauſati, vel ſaltem te cauſauiſſe non agnoſcis; quod verò cauſaueris circumſtantiam aliquam, nimirum, quod alium magis in decreta damnificatione firmaueris,id non arguit aliquam tui cauſalitatem in ſubſtantiam damni; cum tuo cõſilio tribuere non poſſis damnum etiam ſine illo inferendum. Præterea illa confirmatio in propoſito non auget ſubſtantiam damni à te non cauſati.

Infert tertiò Laiman cum Leſſio: ſi tuo conſilio, aut mandato cauſa fuiſti, vt damnificatio citius inferretur, quod paulò poſt Petrus illaturus erat,te ad reſtitutionem non teneri: quia, inquit, nihil intereſt ad damni illationem, prima ne, an ſecunda diei hora damnũ inferatur, ſed hac in parte mihi non probatur: quia in hoc caſu; iam conſulens eſt cauſa damnificationis hic; & nunc illatæ, & confirmatur, quia ſi phyſica cauſalitate damnificationẽ vel vna hora anticipauiſſes præueniendo Petrum hora ſequenti idem damnum cauſaturum, reſtituere debere; ergò idem erit de morali cauſalitate. Nec refert illa ratio Laiman: quia licet anticipatio damni per vnam horam parum cõferat Domino alioquin hora ſequente damnũ paſſuro; tamen multum confert; vt detur noua cauſa damnificationis; vt oſtendi exẽplo damnificationis phyſicæ; neque item conſulens concurrit ſolum ad circumſtantiam damnificationis, nimirum ad accellerationem, quia ſimul cum illa circumſtantia cauſat damni ſubſtantiam.

Cæterum duplex ſignum eſſe poteſt, vt cognoſcamus: an ad ſolam circumſtantiam: an verò etiam ad ſubſtantiam moralis cauſa concurrat. Primum, ſi damnum inferendum erat à damnificatore, etiamſi deficere conſilium. Secundum aliquando eſſe poteſt, quando ratione conſilijdamnificator nouam habuit lædendi voluntatem; vt quando ratione conſilij hora prima infert damnum, quod decreuerat inferre ſecunda. Dixi hoc ſecundum, aliquando eſſe ſignum: quia poteſt noua voluntas vi conſilij dari, & tamen conſulens non eſſe cauſa damni, neque reſtitutioni obnoxius, quando ſcilicet damnum non ſuaſit, ſed expreſsè conſuluit ſolam circumſtãtiam ex ſuppoſitione damni inferendi, vt ſic Petrus decreuit cras in die feſto furari,ſecumque cum notabili labore aſportare alicuius grauitatis merces; ipſi verò conſulis, quod ſi ita facturus ſit, citius faciat, vt ſaltem vitetur culpa violationis diei feſti: quia tunc damnum nõ conſulis, ſed ſolam circumſtantiam; nihil autem intereſt, quod varietur voluntas: nam conſulens ſua cauſalitate non variat illam, qua parte damnoſa eſt, ſed qua parte malam temporis circumſtãtiam mutat; idemque eſſet, ſi conſuleres propter eandem cauſam differat. Videatur Lugo diſp. 19. num. 15.

Infert quartò Laiman cum multis alijs eſſe liberam à reſtitutione cauſam adiuuantem, quæ in damnum materialitèr tãtum, non verò formalitèr influit: v. gr. ſi Petro furandi gratia, domum alienam aſcendenti, ſcalam teneas, quam etſi non teneris, aſcendiſſet: Item ſi ancilla Dominę vocanti obſequatur aſportando furtiuam

 tiuam

tiuam fiſtulam, quam etſi non aſportaret ancilla, tamen Domina furaretur: ego verò exiſtimo tunc cauſam adiuuantem concurrere materialitèr, & non formalitèr ad damnũ, ſaltem moralitèr loquendo iam eſt plenè conſumatum, eo quod non ſperetur impediri poſſet damnum illud, quamuis adiuuans, ſuam operam negat: quod ſi ſperetur impediri poſſet damnum illud, quamuis adiuuans ſuam operam neget: quod ſi ſperetur impediri poſſe, proculdubio adiuuator concurrit formalitèr ad damnum, & erit reſtitutionis debitor. Ex quo principio ſoluenda eſt recedens difficultas, vt ex ſequente magis conſtabit.

Infero ego quintò, quid ſentiendum ſit de illo, qui ſuffragio ſuo concurrit ad ſententiam iniuſtam, ad electionem, officium, cathedram, præbendam, beneficiũ, & ſimilia. Communis Theologorum exiſtimat, quando ad tuum ſuffragium alia ſuffragia præcedunt damnificationem iniuſtam ſe ſolis inferentia, tunc te ad reſtitutionem non teneri: quia damnum tuo ſuffragio non cauſas, ſed iam cauſatum ſupponis; cum illud damnum à ſuffragijs præcedentibus cauſatum ſit etiamſi tuum ſuffragium non accedat; idque verum eſt quamuis præcedentium ſuffragia, tibi incognita fuiſſent, quando ſuffragium iniuſtum dediſti, quia damnum ſuppoſuiſti cauſatum. Secus autem eſſet, quando ad tuum ſuffragium non præcedunt ſuffragia ſufficientèr ſe ſolis cauſantia damnum; idque etiamſi poſt tuum ſuffragiũ, alia ſuperabũdent. Ratio eſt: quia tũc verè tuo ſuffragio damnũ cauſat, quoniã non eſt cauſatũ donec tuo ſuffragio cũ ceteris cõcurriſti. Vtramque partem tenent Caietanus, Nauarrus, Leſſius, Molina, & Vaſquez, quos refert, & ex parte ſequitur Lugo diſp. 19. num. 18. Addit Vaſquez, quando ſuffragia ſunt reuocabilia, vt quãdo publicæ proferuntur in conſilio conciſtorio, aut capitulo, etiamſi præceſſerint ſuffragia inferentia damnum iniuſtum, tamen ſi tuo ſuffragio, & rationibus ſperabas aliquos eſſe ſuffragia reuocaturos, teneri te ad reſtitutionem. ſecus verò ſi non reuocaturos ſciebas.

Huic doctrinæ non aſſentitur Lugo: quia quoties ſuffragia ſunt reuocabilia, numquam damnum infertur, niſi poſt vltimum ſuffragium; quoniam effectus ponitur non per ſolam prolationem primam ſuffragij, ſed per vltimam perſeuerantiam in illo: quapropter, dum ſuffragium eſt reuocabile, nondum eſt poſita cauſa efficacitèr inferens damnum. Vndè infert primò, quando ſuffragia ſunt reuocabilia, omnes, qui ſuffragia iniuſta ferunt, cauſare damnum, & ad reſtitutionem teneri: quia damnum nunquam eſt cauſatum antè vltimum ſuffragium. Infert ſecundò communem ſententiam intelligendam eſſe, quando ſuffragia irreuocabilia ſunt, quia authores excuſant à cauſalitate damni, & obligatione reſtituendi, ſolum quando damnum, iam cauſatum ſupponitur.

Mihi non probatur *iſta reſtrictio*. Ratio eſt: quia cauſa *efficax*, & completa prædicti damni *non conſtituitur* ſolum ex ſufficiente parte ſuffragiorum irreuocabilium, ſed etiam conſtituitur ex ſufficiente parte ſuffragiorum irreuocabilium, quæ iam prolata ſunt, & non reuocantur, nec ſperatur fore reuocanda, quod mihi conſtans eſt; nam hæc ſuffragia quãuis reuocabilia, ſi tamen non reuocantur, cauſant damnum, ac totidem ſuffragia irreuocabilia, huiuſmodi autem ſupponimus eſſe ſuffragia reuocabilia, de quibus diſputamus. Vndè infero primo, nullam eſſe diſtinctionem Cardinalis de Lugo, quia ſuffragia reuocabilia, ſi de facto non reuocentur, eodem modo ſunt cauſa damni, ac irreuocabilia. Infero ſecundò ipſum non benè interpretari communem ſententiam; tum quia noſtram propoſitionem conuincit communis ſententiæ ratio; nimirum excuſari à reſtitutione, quia ſupponitur damnum cauſatum, quæ ratio conuincit etiam, quando ſuffragia reuocabilia ſupponuntur non reuocanda; & quidem cauſari de facto damnum à ſuffragijs reuocabilibus, quæ reuocanda nõ ſunt, fatetur ipſe Lugo; ſolumq; à nobis differt in aſſignando tempore non reuocationis; aſſerit enim non reuocationem incipere poſt vltimum ſuffragium, nos verò aſſerimus incipere quando iam conſtat ſuffragia non eſſe reuocanda, vel ſaltem datur fundamentum ad id ſciendum.

DO-

Digitized by Google

DOCVMENTVM.

De cooperantibus ad damnum iniuſtum.

Diſputatur primò de Mandante. & Iubente.

NOmine mandantis præcipuè intelligitur, qui iubet: quidam verò intelligunt commendantem, & iubentem; ego claritatis gratia nomine mandantis intelligo illum, qui rem alteri commendat; talis eſt, qui alicuius rei cupidus expeditionem commendat alteri; præterea commendatio inter æquales, & independentes reperiri poteſt; nomine verò iubentis, nullus in hac materia intelligi illum, qui iuſtè præcipio; loquimur enim de iubente damnum iniuſtum; quod iuſtè fieri non poteſt: intelligimus autem illum, qui alterum poteſt ad rem iniuſtam extorſione quadam, aut reuerentia compellere; propterea iuſſio datur reſpectu inferioris, poteris autem nomine mandantis, tàm commendantem, quàm iubentem intelligere, vt in præſenti communitèr authores intelligunt: Præcipua ex cauſis moralibus damnum cauſantibus, eſtq; mandat: quia mandans eſt cuius nomine mandatarius rem exequitur tamquã mandantis exequutor, & inſtrumentum; ad hoc autem, vt mandans moralitèr cauſet, requiritur quod mandatarius moueatur à voluntate mandantis, quia mandans non cauſat phyſicè damnum, ſed moralitèr tantùm; mouendo ſcilicèt executorem ad damnum phyſicè inferendum.

Notantur nonnulla Corrollaria.

INfero primò; ſi Mandans reuocet mãdatum, idque mandatario notum faciat; quamuis poſtea Mandatarius ſciens reuocationem, damnum exequatur, tamen mandantem ad reſtitutionem nõ teneri: quia tunc mandans non cauſat damnum, quod manifeſtum eſt: quia voluntas mandantis non perſeuerat phyſicè, nec moralitèr poſt reuocationem; volũtas verò non perſeuerans cauſare, aut mouere non poteſt; quare ſola culpa mandatarij, damnum illatum eſt; aliud autem eſt de conſulente, vt ſuo loco dicemus.

Infero ſecundò: ſi mandatarius fingat ſe reuocationẽ non ſciuiſſe niſi poſt damnum patratum, vt mercedem ſibi à mandante promiſſam recipiat; tunc ſi conſtet de mandatarij mendacio, liber eſt mandans à reſtitutione damni illati; quia voluntas mandantis iam reuocata, damnum cauſare non potuit; nec obſtat, ſi dicas, tunc mandatarium motum fuiſſe à mercede promiſſa, quam recipere ſperabat, quia moueri non potuit à mercede promiſſa vera, & reali; cum iam promiſſio fuiſſet ſimul cum mandato retractata; ſed motus mandatarius fuit à mercede ficta, quod non ſufficit, vt mãdans cauſet damnum; quia mandatarius tunc ſperet mercedem, non à promiſſione, ſed à ſuo mendacio; ſicut ego non cauſo damnum alienum, quod Petrus mei ergò infert, fingens me ſibi maleficij mercedem redditurum.

Infero tertiò: ſi reuocans mandatum bona fide credens reuocationem ſufficiẽtèr mandatario fuiſſe propoſitam, mandatarius verò exiſtimans id non ex animo reuocari, ſed vt alicui fiat ſatis, & mandanti gratum fore ſi damnum exequatur, idque exequitur; in eo caſu reuocantem mandatum excuſari à reſtitutione: quia effectus non ſequitur ex ipſius mandato, ſed ex errore mandatarij. Confirmatur primò: quia ex mandato, ſeu non reuocatione ficta per mandatarium, non obligatur mandans ad reſtitutionem. ergò nec obligatur per mandatum, ſeu non reuocationem conceptam per errorem. Confirmatur ſecundò, quia ſi ego mandem occidi capram Paſqualis, mandatarius verò intelligat ipſum Paſqualem; tunc mandans, nec erit irregularis, nec ad reſtitutionem damnorum occiſionis Petri tenebitur; quamuis per errorem mandatarius intellexerit occiſionem Paſqualis ſibi mandari; poteſt vrgeri tertiò ex authoribus, quos refert Diana tom. 3. tract. 2. de irregularitate reſolutione 14. aſſerentibus eum, qui conſuluit occiſionem Petri, & antequam perficeretur, conſilium reuocauit bona fide credens ſufficientèr fuiſſe reuocatum, non fieri irregularem, quamuis poſtea ex vi prioris conſilij homicidium ſequatur. Cardinalis Lugo

Digitized by Google

oppoſitum affirmat: quia, inquit, ſufficit culpa primò commiſſa, vt cauſet damnū; dum enim malè intelligitur reuocatio, culpa iam commiſſa poterit cauſare damnum. Non placet. Primò: quia in prædicto caſu non vera culpa, nec verum mādatum, ſed fictum, & per errorem conceptum datur. Secundò: quia ibi nulla adeſt culpa mandantis, nec ipſius iuſſio perſeuerat mandatum in exiſtimatione mandatarij, ſed per illius errorem. Tertiò: quia ipſe Lugo fatetur, ſi mandatarius reuocationem benè intellexit, poſteaque inuincibilitèr oblitus, damnum exequitur, tunc mandantem excuſari à reſtitutione: quia tunc mandatum non perſeuerat verè, ſed per obliuionem factum eſt fictum; quod ego verum exiſtimo; ſed indè illum ad hominem vrgeo; quia etiam in noſtro caſu mandatum tranſit in fictum propter errorem mandatarij.

Infero quartò: an ille, qui reuocans mandatum, non poteſt tempeſtiuè monere mandatarium, vt ab opere deſiſtat, teneatur tamen monere proximum, cui damnū imminet, vt ſibi caueat? Variè ſentiunt Authores, quos refert Lugo diſp. 29. numer. 29. Ego verò cum ipſo aſſero primò: quando reuocans mandatum, & mandatarium admonere non valens, poteſt proximum damnificādum admonere ſine periculo damni proprij notabilitèr maioris, illum admonere tenetur. Ratio eſt, quia damnum proximi mea culpa cauſandum impedire debeo etiam cū periculo æqualis damni, ſicut reſtituere teneor, quando ex reſtitutione mihi nō imminet grauius, quàm proximi damnum, vt ſi propter meā calumniam innocentis vita, aut diuitiæ periclitantur, cū periculo proprio æqualis damni teneor proximi damnum impedire.

Aſſero ſecundò: quando proximum lædendum admonere non poſſum ſine periculo damni proprij notabilitèr maioris; tunc illum admonere non debeo; quia damnum proprium notabilitèr maius; me excuſat ab obligatione impedienti damnum alienum minus. Confirmatur primò eodem exemplo, quia reſtituere non debeo, quando ex reſtitutione imminet mihi damnum longè grauius; quàm Dominus patitur; ergò nec impedire, vt ſi damnum Petri in diuitijs à te mādatum reuoces, & monere non poſſis mandatarium, nec ipſum Petrum ſine grauiori tuarum fortunarum damno, vel ſine infamia, tunc excuſaris. Confirmatur ſecundò, quia damnum Petri reparatur, reddito poſtmodum Petro damni valore; vndè infert vlterius Lugo; regularitèr non teneri quem proximum monere; quia illud proximi damnum longè leuius eſt, quàm iactura famæ ex monitione ineuitabilitèr ſecuta; quod intellige, niſi monere poſſis ſine infamia.

Inferri poteſt quintò; an reſtituere teneatur, qui non mandauit, tamen poſtmodum ratum habuit damnum proximo illatum? Affirmant Nauarrus, Angelus, Silueſter, & Paludanus relati à Vaſquez; limitans verò ſi damnum illatum eſt, nomime ratum habentis, & ab exiſtimante ipſum ratum habiturum iuxta illam canonici iuris regulam in c. ratum de regulis iuris in 6. ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum; negant verò Medina, Leſſius, & Vaſquez, quos refert, & ſequitur Lugo diſput. 19. num. 33. Hæc ſententia mihi probatur, quia non inducitur obligatio reſtituendi damnum niſi ex ſola cauſalitate; cæterum ratihabitio non cauſat iniuſtum damnum, quia ſemper ſupponit cauſatum.

Oppones ex cap. ratihabitionem de regulis iuris in 6. ratihabitionem retrotrahit, & mandato non eſt dubium comparari; vbi ſola ratihabitio pro mandato habetur. Reſpondeo: poteſt ratihabitio per iuris fictionem retrotrahi, & fingi præceſſiſſe in ordine ad aliquos effectus; v. g. in ordine ad aliquos contractus. Vel ex ratihabitione interpretemur hominem ſic contrahere voluiſſe. Poteſt etiam ratihabitio mali aliqua pœna puniri; tamen indè non ſequitur ratihabitionem pro mandato haberi in ordine ad obligationem reſtitutionis. Primò quia ratihabitio ſubſequens, non poteſt eſſe præcedentis damni cauſa. Secundò, quia ratihabitio id non habet ex natura rei, ſed tantum in caſibus à iure diſpoſitis. Confirmatur ex alio caſu; quæritur enim: an qui ratum habet homicidium ſuo nomine patratum, irregularitatem incurrat? Affirmant Molina, Silueſter, Nauarrus, & alij, quos afſert

Digitized by Google

fert Diana Tract. 2. de irregularitate reſolutione 13. Melius negant Vaſquez, Turrianus, Vrtadus, Suarez, Auila, Coninch, & alij, quos ibidem ſequitur Diana. Ratio eſt: quia ratihabitio non æquiualet mandato, nec irregularitas incurritur, niſi in caſibus à iure expreſſis: at ratum habens damnum homicidij non exprimitur à iure tãquam irregularitati obnoxius. Aliud autem eſt determinatam habentem Clerici percuſſionem ſuo nomine patratam, in ordine ad excommunicationem: illam enim incurrit, quia expreſſum habetur in cap. quis 23. de ſpecie excommunicationis in 6. vndè confirmatur noſtra ſententia.

De Conſulente.

QVæritur primò an ſufficiat ſeriò, & ex animo reuocare cum intimatione conſilium, vt quis à conſulti damni reſtitutione liberetur?

Affirmant Nauarra, Aſſorius, Laiman, Auila, Tannerus, & probabile cenſent Leſſius, & Diana. Ego aſſero primò: quando cum intimatione reuocatur tota, & adæquata vis motiua conſilij, non tenetur conſulens ad reſtitutionem: ratio eſt; quia tunc conſilium non cauſat damnum: cum nulla vis motiua conſilij perſeueret, quæ damnum cauſare poſſit. Hinc infero primò, quando conſulens ſolis precibus, aut aliqua promiſſione impulit ad inferendum damnum, ſi opportuno tempore ſeriò, & ex animo preces, & promiſſionem cum intimatione retractet, ad damni reſtitutionem non tenetur. Infero ſecundò idem eſſe, quando ſola conſulentis authoritas fuerat propoſita, & eadem conſilium retractat. Infero tertiò idem eſſe, quando quis veritatem interrogatus falſum, contractum iniuſtum, aut reſtitutionem, vel debitum aliquod non ſoluere, vel medicus falſo conſuluit medicinam eſſe vtilem, vel aduocatus litem eſſe iuſtam: tunc reuocando cum intimatione conſilium per ſeriam veritatis declarationem, ad reſtitutionem non tenetur. Ratio horum eſt: quia tota vis cauſatiua conſilij ſola illa reuocatione eneruatur, & confirmatur à paritate mandati: quia hac in parte eadem eſt de vtroque ratio.

Aſſero ſecundò: quando reuocatio intimati conſilij non plenè reuocat totam, & adæquatam vim motiuam conſilij, ſed partem reuocat, partem verò perſeuerantem relinquit, qua conſilium audiens ad damnum de facto mouetur, tunc reuocãs ad reſtitutionem tenetur; quia tunc conſulens, verè cauſat, & mouet ad damnum illa ſui conſilij vi mouente, quæ poſt inadæquatam reuocationem perſeuerat. Confirmatur primò: quia ſi quis conſiliũ daret cum vnico, motiuo, quod de facto moueret ad damnum, proculdubio illud cauſaret, & reſtituere teneretur, ſed ille, qui conſilio cum eodem illo, & alijs prætcrea motiuis dedit ad damni executionem impellentibus, quamuis reuocet conſilium, quoad reliqua motiua, illud verò irreuocatum relinquat, quod de facto moueat, eodem modo cauſat damnum, ac idem qui ſolum idem motiuum propoſuiſſet. Confirmatur ſecundò ex communiori Theologorum ſententia, qui hãc differentiam inter mandatum, & conſiliũ agnoſcunt: quod mandatum nullam vim aliam motiuam habet præter voluntatem mandantis; conſilium vero mouet non per ſolum iudicium, & authoritatem conſulentis, ſed per alia motiua, & rationes, quibus damnum ſuaſit, & vtilitas, ſecuritas, fama, & ſimilia, quæ ex damno inferendo ſequi, conſulens oſtendebat. Prĝterea dicunt, quamuis ſufficiat reuocatio voluntatis, vt mandans non cauſet, tamen non ſufficere reuocationem iudicij, vt conſulens non cauſet damnum: quia licèt reuocetur iudicium, tamen perſeuerare poſſunt illæ rationes, quibus damnum ſuaſit; quæ ſi de facto moueant, cauſabunt damnum, idem ergò erit in noſtro caſu.

Infero primò quid dicendum ſit de cõſulente abortum, qui poſtmodum nulla ratione potuit fœminam à prima perſuaſione dimouere, quamuis geſſit quod ex parte ſua potuit, & debuit; tunc, Conſulentem manere irregularem, tenet Lugo diſp. 19. num. 39. cum Nauarro, Corduba, Auila, Sairo, & alijs. Eum autem ab irregularitate liberans Enriquez, Villalobos, & Dianam ibidem relati. Ego poſtremum probabile exiſtimo: quia tunc nulla conſulentis culpa cauſat abortum: cum

Digitized by Google

cum nulla perſeueret: Erit ergo in prædicto caſu conſilium mera quædam occaſio, ſeu conditio, eo quod non daretur abortus niſi conſilium ſuo tempore præceſſiſſet: tamen non erit cauſa, quia nullum motiuum conſilij perſeuerat, niſi per culpam ſolius fœminæ, & confirmatur: quia idem poteſt habere mandatum perfectè reuocatum. Idem eodem modo, ſi Medicus audiens Magiſtrum, veneni efficaciam diſceret, qua poſtmodum ad homicidium abuteretur, tunc Magiſter foret tantùm occaſio, & mera conditio ſine qua non daretur homicidium, non vero cauſa illius. Idem etiam eſt de Artifice, qui ſtruxit arma, quibus altera iniuſtè occiditur.

Infero ſecundò, quid dicendum ſit: quando alicui conſuluiſti damnum, qui ea occaſione damnum potius paſſus eſt? Tunc enim Conſulens ad reſtitutionem non tenetur: quia Conſulens ſolum cauſat damnum, quod faciendum alteri ſuadet, & intendit ſaltem indirectè; quapropter ſi intendebat, vt ea occaſione, qui conſilium accepit, damnificaretur, erit reſtitutionis reus. Eodem modo quæri poteſt, quando quis conſuluit homicidium vel duellum, & in ipſo duello, qui conſilium accepit, occiſus eſt: an tunc Conſulens ſit irregularis? Affirmant multi, negant verò non pauci. Poſtrema pars mihi etiã ex præſuppoſitis principijs probatur: quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus à Iure expreſſis: at caſus iſte, expreſſus in iure non eſt, nec item continetur in regula generali irregularitatis ex homicidio per conſilium cauſato; nam conſulens, ſolum cauſat homicidium, quod intendit, vel ſuadet; Conſulens autem, nec ſuaſit, nec intendit homicidium illius cui conſulebat; ſimilitèr autem excipiendus eſt caſus in quo conſulens intenderet occiſionem illius, cui conſilium dedit, quia iam illud intendit; & confirmatur Dauidis exemplo, qui dicitur Vriam occidiſſe gladio filiorum Amon, & quod præceperit illum conſtitui in maiori periculo certaminis, vt periret, nec dicitur reliquos ſuos Milites occidiſſe illi percuntes; quia eorum necem non intendit.

Infero tertiò, quando conſilium non fuit initio acceptatum, poſtmodum verò, re conſiderata, acceptatum eſt; tunc cõſulẽtem ad reſtitutionem teneri: quia ſuo conſilio damnum cauſauit.

Infero quartò, idem eſſe ſi audiens cõſilium, diutius hæſitauit, iam reuocando, iam reſumendo animum damnificãdi, donec tandem ſuo conſilio motus, damnum executioni mandauit.

Infero quintò, quando conſilium reuocaſti, & audienti ſuaſiſti, vt à damno abſtineret, tamen ille tuo ſumpto conſilio intulit damnum, tunc conſulens reſtituere non debet, quamuis oppoſitum affirmet Lugo num. 42. Probatur: quia tunc conſilium non cauſat damnum; & confirmatur, quia reſtituere non debes quando conſilium ſufficientèr reuocaſti, & tamen non obtines ab audiente: ergò multò magis quando cum ſufficienti reuocatione obtinuiſti.

Quæritur ſecundò ſuppoſita alia difficultate: an liceat conſulere minus malum volenti committere maius? Affirmat Sances cum alijs libr. 7. de Matrimonio diſp. 11. num. 16. hoc ſuppoſito; quæritur; an in materia iuſtitiæ, qui conſulauit minus damnum volenti maius inferre, teneatur ad reſtitutionem minoris damni, quod cõſuluit. In primis illud eſt certum, quando vtrumque damnum eidem perſonæ inferendum erat, licere tibi conſulere minus damnum ſine onere reſtitutionis: quia tunc vtilitèr rem Domini damnificandi geris; vtilitèr enim, & pro ipſius re grauius eiuſdem Domini damnum minori redimis; quapropter hoc in caſu, etiamſi phyſicè iuuares ad minus damnum, nullam Domino iniuſtitiam inferres, faciens quod ipſe facere debuiſſet. Quando vero illud damnum diſtinctas perſonas reſpicit: v. g. damnum grauius reſpicit Petrum, minus verò Paulum. Varias ſententias refert Lugo diſp. 19. n. 45.

Ego verò ex Valentia ſecunda ſecundę diſp. 5. qu. 25. puncto 4. aſſero primo: nũquam licet concurrere poſitiuè ad damnum iniuſtum Petri leuius, vt vitetur grauius damnum Pauli. Probatur: quia nũquam licet poſitiuè concurrere ad minus malum, vt maius vitetur; ergo nec in materia iuſtitiæ. Antecedens probatur; quia minus malum eſſet, & non eſſet malum.

Digitized by Google

lum. Secundò, quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Iuſta occaſione, nec leue mendacium licet committere; aut conſulere propter totius Mundi ſalutem obtinendam, vel damnationem euitandam.

Oppones: ex dictis licet mihi practicè conſulere poſitiuè ſuadendo, & phyſicè adiuuare ad minus damnum, vt grauius eiuſdem perſonæ vitetur; tunc autem minus damnum eſt iniuſtum, & concurro cum iniuſto operatore ergò, &c. Reſpondeo: duo ſunt, quæ concurrere poſſunt ad minus damnum, vt grauius eiuſdem perſonæ vitetur; vel iniuſtus damnificator, vel ipſa perſona damnificata damnũ grauius, minori redimens; ergò quando ego conſulo minus damnum Petri, vt grauius eiuſdem redimatur, tunc non concurro cum iniuſto damnificante, quod ſemper illicitum foret; & ſicut principalis damnificãs ad reſtitutionem etiam teneretur; ſed potius concurro cum ipſo Petro damnificando: quia rem ipſius ago; & ſicut ipſe Petrus prudentèr debuiſſet maius minori auertere, ita & ego nomine ipſius; quia vterq; potius fertur in maioris damni vitationem, quæ bona eſt. Deinde quia minus damnum reſpectu Petri, malum, & iniuſtum non eſt, quia ſine iniuria poteſt illud quærere, & ſimul, qui rem ipſius gerit. Cæterum longè aliud eſt, quando perſonæ damnificandę ſunt diſtinctæ, quia Petrus non redimit minori ſuo dãno præcipuè graui, damnum Pauli grauius; propterea nec ego nomine ipſius idem iuſtè præſtare poſſum.

Aſſero ſecundò: licitam eſt ſpeculatiuè conſulere in prædictis circumſtantijs minus malum, vt grauius vitetur; hoc eſt: licet ſpeculatiuè veritatem aperire aſſerẽdo quid illorum ſit minus malum, quin tamen id practicè ſuadeatur incitando audientem, aut inducendo ad executionem minoris mali. Probatur: quia ſola veritatis ſpeculatiua propoſitio non eſt mala, ſed potius bona: quis enim condemnet Theologum ſpeculatiuè docentem minus malum eſſe committere peccatum leuius, quam grauius. Confirmatur exemplo: quia mihi licet ſpeculatiuè docere minus malum eſſe leue mendaciũ, quàm homicidium, vel adulterium, quamuis non liceat practicè conſulere ſuadendo, & inducendo ad mendacium etiam eo fine, vt vitetur homicidium, ſed potius vtrumq; diſſuadere debeo.

Infero primo licitum eſſe ſpeculatiuè conſulere minus damnum, & vniuerſalitèr minus malum quin practicè ſuadeatur. Ratio eſt: quia ſemper licet ſpeculatiuè docere veritatem. Nulluſque habet ius, ne ego veritatem publicam, & neceſſariam doceam, etiamſi fortè audiens, tali doctrina abuſurus eſſet ad patrandũ minus malum; vt licet mihi ſpeculatiuè docere aliquod peccatum eſſe tantũ veniale etiamſi audiens, inde auſurus eſſet ad illud committendum, à quò abſtinebat exiſtimans eſſe mortale.

Infero ſecundò, in nulla materia licitum eſſe conſulere minus malũ illud ſuadendo, & ad illud inducendo, etiam vt maius malum vitetur, ſed vtrumque practicè diſſuadendum eſt, potius verò malum grauius.

Oppones Auguſtinum lib. 2. de adulterinis coniugijs c. 15. qui refertur in cap. ſi quid verius 25. quæſt. 2. vbi conſulere videtur Auguſtinus, minus malum, & minus damnum, vt euitetur grauius, illis verbis: ſi enim facturus eſt quod non licet, iam faciat adulterium, vt non faciat homicidium: vt viuente vxore ſua alteram ducat, & non humanum ſanguinem fundat; hæc Auguſtinus; ergò homini parato ad adulterium, vel vxoricidium, vt vxorem aliam ducat, conſulit Auguſtinus adulterium, quod reputat minus malum. Sed hoc teſtimonio noſtra potius doctrina confirmatur. Reſpondeo; Auguſtinus ſpeculatiuè conſulit minus damnum veritatem docendo: practicè verò vtrumque diſſuadet. Hanc mentem Auguſtini plura mihi probant. Primum eſt: quia illi Auguſtinus diſputando docet, non vero alium commonendo inducit; quod, & ego etiam præſtò nunc in eadem incidens quæſtioni, & tamen cum Aduerſarijs non cenſeo. Secundum eſt: quia Auguſtinus immediatè poſt relata verba ſubiungit: Quod ſi eſt vtramq; nefariũ, non debet alterum pro altero perpetrare, ſed vtrumque vitare; & immediatè ante præmiſerat: Cum enim vtrumq; ſecũdum legem Chriſti illicitum ſit, ſiue

adul-

adulterã occidere, ſiue illa viuente alterã ducere, ab vtroq; abſtinendũ eſt, non illicitũ pro illicitò faciendum. Hæc Auguſt. &c. Vbi manifeſtè cõſulit Auguſt. vtrumq; malum eſſe vitandum: foret autem ſibi contrarius, & quidem intra eandem orationem, niſi ſpeculatiuè tantùm docuiſſet minus malum eſſe perpetrare minus malum: quia oppoſita conſilia practica, vel oppoſitas ſpeculatiuè præbere. Tertiò, quia Auguſtinus non loquitur reflexè de ipſo conſilio dando, ſed directè loquitur de ipſo opere perpetrando. Verè dicit vtrumq; eſſe vitandum, & verè etiam dicit ſi alterum committendũ foret, melius eſſe vitare maius malum; numquam autem dicit bonum eſſe, vel ſaltem indifferens, aut non malum committere malum minus graue, quod neceſſariò erat, vt in illa hypotheſi minus malum practicè cõſu lere, alioquin probare non poſſet bonitatem moralis concurſus per conſilium in minus malum.

De Conſentiente.

CONſentiens hic dicitur ille, cuius conſenſus influit in damnum iniuſtum: Talis eſt Princeps, Magiſtratus, Senator, à quorum conſenſu res pendet, & quicumque habet ius ſuffragij. De hoc quæri ſolet: an teneatur reſtituere damnũ quod per ſuffragia præcedentia ſupponitur cauſatum. Item quæri ſolet: nũc teneatur reſtiture, quando dubitat, an ſuo ſuffragio damnum cauſauerit. Nunc quęritur primò: An reſtituere teneatur, qui ſe ingerit ad ferendum ſuffragium, cum ipſi deeſt aliquod requiſitũ ad ipſum ferendum. Sances lib. 2. Conciliorum cap. primo, dubio 25. & 53. & Cardinalis Lugo diſp. 19. nu. 56. aſſerunt eum, cui deeſt aliquid ex requiſitis ſubſtantialibus ad ferendum ſuffragiũ, debere reſtituere damnum infert, quod intelligitur etiamſi alioquin iuſtè eligat. Ratio eſt: quia illud ſuffragium irritum eſſet, & nullum: cum non habeat ius, & poteſtatem ad illud ferendum: at verò ſuffragium nullum, iniuſtè cauſat mihi damnum, alium eligendo ſine poteſtate, & ego ius habeo nè mihi inferatur tale damnum, niſi per habentem ius, & poteſtatem ſuffragij. Hanc doctrinã vterq; Author intelligi de ſcholaſticis habẽtis ius ſuffragij in cathedris conferẽdis; exiſtimãs autem eſſe requiſita ſubſtãtialia, quod fuerit per annum, vel curſum integrũ auditor illius facultatis, cuius eſt cathedra. Similitèr, quod vnicum ferat ſuffragium; vndè inferunt ad reſtitutionem teneri Scholaſticum Theologum, qui ſe ingerit ad ſuffragandum in cathedra iuris; item, qui repetitum confert ſuffragium. Deniq; qui conficto teſtimonio, vel ſchedula tempora ſtudiorum mentitur plura, vel pauciora, quibus ſuffragari poſſit, vel augere ſui ſuffragij qualitatis.

Iidem præterea aſſerunt, quando requiſita tantum accidentalia deſunt, tunc non eſſe obligationem reſtituendi, quia tunc ſuffragium eſt validum; at per ſuffragium validum ius habet ſuffragandi qui expedire iudicauerit, & alteri ex conſequenti damnificandi; requiſita verò accidentalia vocant, quod non ſit in ſcholarũ cathalogo, ſeù matricula adſcriptus, quod non habuerit approbationis literas, quæ antequam ſcientiam audire incipiat, dari ſolent. Item, quod commiſerit aliquod, propter quod ex accademię ſtatutis ſuffragio priuari ſolet: v.gr. quod aliquẽ ex oppoſitoribus acclamauerit, vel eius Domum intrauerit, vel cum aliquo de re aliqua locutus fuerit, vel leuia verba circa cathedram ipſam miſcuerit, vel aliqua parua munuſcula eo animo ſibi data acceperit, vt alicui ſuffragetur. Ratio eſt, quia propter hæc ante ſententiam ſuffragio actiuo non priuatur, vt videtur eſſe in praxi præceptum.

Circa autem præterea quæritur: an qui prædictos defectus accidentales habent, peccent ſuffragando? Nonnulli affirmant, vt Rebellus; quia priuſquam ſuffragia ferant, ſub iuramento interrogantur, an aliquid ex his ſtatutis violauerint; tamen Cardinalis de Lugo, cum Sances negat. Primo: quia illa interrogatio iuxta mentem interrogantis intelligenda eſt; quapropter ſi de rebus alijs, vel de leuitèr pertinentibus ad cathedram locutus fuerit, non eſt iuſta ipſius mentem de hoc interrogare. Secundò, quia cum interrogatur non præcedente infamia, vel ſemi-

miplena probatione, non tenetur directè, ſed poteſt indirectè, & cum reſtrictione reſpondere. Tertiò, quia poteſt prudentèr intelligi ſuffragium auferri propter præſumptionem, quod non rectè, & ſincerè detur: lex autem in præſumptione fundata, ceſſante præſumptione non obligat. Vndè infero: eum, qui defectum accidentalem ſibi in iudicio oppoſitum negauit, & propterea ſuffragio priuatus nō eſt, non teneri ad reſtituendum damnum cathedræ, quam ſuo ſuffragio alicui eripuit. Eſt contra Sotum, & Ledeſmam oppoſitū cenſentes; quia credunt eodem modò priuari iure ſuffragandi, ac ſi fuiſſet per ſententiam condemnatus. Eſt etiam contra Sances dubio 52. num. 14. qui credit ſuffragium validum eſſe, nam ante condemnationem ius ſuffragandi non amittitur; tamen ſi verum delictū ſibi oppoſitum negauit, ad reſtitutionem teneri; quia licet Deus ante ſententiam non teneatur ad pęnam, tenetur autem ad damna per ſuam negationem cauſata.

Ego vero illationem probo cum Lugo diſp. 19. n. 59. quia licet negans verū crimen, teneatur ad illa damna, quæ Aduerſarius in ipſa legitima, & iuſta lite pati cogitur, vt ad ipſas litis expenſas tamen negans in prædicto caſu non tenetur ad illa damna, quę nō impoſitioni ipſius pœnę sūt annexa; nā Aduerſarius non habet ius, vt exequutioni mādetur pœna ante condēnationem, etiamſi condemnatio negatione ſola cauſetur, vt cum ipſo Sances ſuppono contra Sotum, & Ledeſmam; proinde quando ipſa non impoſitio pœnæ eſt actori damnata, eo quod impoſitio eſt ipſi vtilis, vtile enim erat ipſi nullitas illius ſuffragij per quod cathedra priuatur. Tūc non habet actor ius, vt ſibi non inferatur, nec vt ſibi reparetur damnum non impoſitionis pœnæ, propter eandem rationem non habet ius, vt euitentur, vel reparentur damna ſibi aduenientia, ex eo quod pœna executioni non mandetur.

Petes an reſtituere teneatur damnum alicui iniuſtè illatum, qui ſe ſubtraxit à ferendo ſuffragium, v. gr. qui ius habet ſuffragandi, ſciens alicui damnum eſſe iniuſtè inferendum, ſuffragium ferre non vult, quò damnum illud impediuiſſet: an tunc teneatur damnum illud iniuſtè illatum reparare? Varia ſunt DD. placita. Ego vero diſtinguendum cenſeo.

Dico primò: quādo ius ſuffragādi datur alicui, non ratione officij, cui annexa ſit gubernatio, & poteſtas ſuffragandi, ſed ſolū datur ius ſuffragij tamquam priuilegium in fauorem, vel in præmiū propter merita ſuffragantis; tunc, qui iuri ſuo renunciat, & abſtinet à ſuffragando, non tenetur ad reſtitutionem damni indè ſecuti, aut potius non impediti. Ratio eſt: quia quilibet poteſt ſuo priuilegio renūciare, nulluſq; tenetur vti priuilegio ſuo iuxta caput *61.* regulis iuris in *6.* quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum. Hinc infero primo Scholaſticos eligentes ſibi Magiſtros ad cathedras, non peccare cōtra iuſtitiam, nec ad reſtitutionem teneri, quamuis abſtineant à ſuffragando: quia ipſis non ratione officij, ſed in merum diſcipulorum fauorem conceditur ius eligēdi ſibi Magiſtros, quò vti non tenentur. Infero ſecundò: quando in aliqua Republica penes omnes, & ſingulos eſt poteſtas ſuffragandi, non peccare contra iuſtitiam, nec ad reſtitutionem teneri eos, qui à ſuffragando abſtinent, propter eandem rationem; aliud eſt, quando pauci Magiſtratus eliguntur ad ſufragandum: quia tunc datur quis illius poteſtatis honor, & munus cum onere ſuffragandi. Infero tertiò etiam excuſari patronos in quorum honorem, & gratiam conceditur ius eligendi, aut ſuffragandi.

Aſſero ſecundò: quando ius ſuffragij datur alicui ex officio ordinato in vtilitatem, & bonam Reipublicæ gubernationem, tunc ſe ſubtrahens, peccat contra iuſtitiam, & ad damni reſtitutionem tenetur. Circumſtantias autem ab hac obligatione excuſantes, immediatè ſubiungam. Ratio aſſertionis eſt: quia ad hoc illis datur officium cum ſuis emolumentis, honoris, & lucri, & poteſtas ſuffragium, vel ſententiam ferendi: quapropter ratione officij tenentur ex iuſtitia ſe non negare fūctionibus ſui muneris proprijs, qualis eſt electio illorum, qui publicis miniſterijs præficiuntur, recta Reipublicæ gubernatio, aliaq; huiuſmodi.

Rationes vero excuſantes ab obligatione ferendi ſuffragium, vel ſententiam

Digitized by Google

ex iuſtitia cũ grauamine reſtituendi, plures ſunt. Prima, quando ex defectu tui ſuffragij graue inconueniens non timetur, eo quod ſufficientèr rectæ gubernationi prouideatur, ſi per alios res determinetur. Verum iſta, quam affert Lugo, non eſt exceptio regulæ traditæ, ſed potius caſus omninò oppoſitus; quia in regula noſtri aſſerti, ſupponimus inferri alicui damnum iniuſtum ſi tuum ſuffragiũ abeſt. Secunda exceptio eſt quando habes iuſtam abſentiæ cauſam, vt occupationem momenti, aut notabile impedimentum, vel ægritudinem, quæ excuſatio iuſta grauitatem rei tractandæ, & negotij proprij penſanda eſt; tamen non poteſt impedimentum, aut abſentia affectari, nec ſi aliquid occurrit, ſcrupuloſè reijci debet. Tertia exceptio eſt, ſi præuideas tuum ſuffragium nihil fore profuturum, ſed potius damnum iniuſtum inferendum eſſe quamtumuis obſiſtas, aut tuam reſiſtentiam nihil niſi odium tibi, aut ritas cum alijs parituram.

De Adulatore, & Receptatore.

Adulator dici etiam ſolet Palpo, ſeù Palpator, qui ſuo plauſo, & laudibus cauſa eſt, vt alius damnum iniuſtum exequatur: ad quem reducitur ille, qui irriſionibus, murmurationibus, aut alijs conſimilibus cauſa eſt, vt ad damnũ iniuſtum inferendum aliquis accedat. Idem autem eſt, ſi plauſu, aut irriſionibus quis moueatur ad damnum iam illatum non compenſandum. His verò applicanda sũt. quæ diximus de conſulente.

Receptator autem ille eſt, apud quem iniuſtus damnificator refugium habet, vel ad cuſtodiam propriæ perſonæ, vel rerũ ſurreptorem; tunc autem tenetur ad reſtitutionem quando ſuo patrocinio cauſa eſt, vt alius audeat ad iniuſtum damnum inferendum, vel non reparandum. Huc etiam ſpectãt magnates defendentes homines iniuſtos, aut innocentium aduerſus illos quærelas opprimentes. Item illi qui intra ſuam Domum recipiũt ludo abſumentes alienas fortunas, vt filios familias, ſeruos, famulos, aut in ipſo ludo iniuſtis artibus alios fallentes. Item officiales, qui iniuſtas nocentium cauſas defendunt, vt Aduocatus, Procurator, & Iudex. Tamen excuſatur aliquando receptator: ad quam excuſationem duo requiruntur. Primùm, quod ipſa receptatio non ſit ratione ſui iniuſta, quamuis ex illa aliquod iniuſtum damnum propter libertatem furis receptati, ſequatur. Secũdum, quod detur cauſa ſufficiens, & æqualis ad excuſandum receptatorem ab iniuſto damno, quod indirectè ex ſua receptatione conſequitur. Inde.

Infero primo non teneri ad reſtitutionem, qui recepit, & cuſtodiuit furem, nec aperetur à littoribus ipſum quærentibus. Ratio eſt; quia illa receptio non eſt iniuſta; quod autem inde ſequatur Domino damnũ furata bona non recuperandi, ſufficientèr excuſatur ex grauiori furis damno, quod comprehenſus patiatur in bonis vitæ, & famæ. Et confirmatur, quia ipſi furi licita eſt euaſio, recipiens vero concurrit cum ipſo fure ad euaſionem illam licitam, & iuſtam.

Infero ſecundò, excuſari à reſtitutione, qui fures recipit propter metum grauem ſibi ab ipſis illatum; vndè etiam multi Auctores excuſant, tùm à cenſura, tùm etiam à peccato graui remiges Chriſtianos, quos Turcæ ad remigandum cogũt, dum Chriſtianos alios inſequuntur: imò etiam quando neceſſaria ad præliandum afferunt, ſcalas muris admouent, & ſimilia, quæ ſanè magis ad malitiam, aut iniuſtitiam acidunt, quàm receptio; & tamen metu mortis, vel alio graui excuſantur, ſaltem dum non timetur grauiſſimũ Chriſtianæ Reipublicæ damnum, quod propriæ vitæ præferendum foret.

Infero tertio, eum qui intra Domum recipit filios familias ad ludendũ, aut comedendum, vel alios, de quibus cum fundamento ſuſpicatur res alienas conſumere, excuſari poſſe ab iniuſtitia, & onere reſtituendi, quando cum ipſis poſitiuè non cõcurrit, ſed permiſſiuè tantum: ſcilicèt illis ingreſſum alijs patentem non impediens, vel ad egreſſum non cogens propter reuerentiam, quamuis ſua domo, menſa, cartis, & luminibus ad ludendum vtantur.

De

Digitized by Google

De Participante.

PArticipans intelligi poteſt, qui participat in re ipſa iniuſtè ablata; poteſt etiam participare, quod huius quæſtionis eſt, in ipſa acceptione iniuſta illam phyſicè cauſans partialitèr: quos omnes latè recenſet Pater Leſſius libro 2. cap. 13. dubio 3. vt qui ſcalas admoueat, aut ſubſtinet qui excubat: qui inſtrumenta ſuppeditat, aut defert propugnacula, vel alio modo curat: qui remos, aut nauis gubernaculum mouet, & alij ſimiles phyſico aliquo concurſu ad damnum adiuuantes, qui quidem duplicitèr participare poſſunt. Prima ita participans non ſit cauſa totius effectu, ſed ſolam partem damni cauſet, vt inuitatus ad res furtiuas ſolam partem ſibi oblatam conſumens, quando conſulat, vel alio modo impellat ad reliquas partes conſumendas; in quo caſu ſolam illam partem, quam conſumit reſtituere tenetur, quia ſolum damnum illud cauſauit; poteſt autem participans cauſare totum damnum totalitate effectus, & partialitèr partialitate cauſæ: quia poteſt ſimul cum alijs cauſis ad totum damnum concurrere.

De hoc quæritur: an totum damnum reſtituere teneatur: an verò ſolam partē pro qualitate cauſalitatis, quam in damnum cauſatum impendit, itaque ſupponimus ad reſtitutionem teneri: ſolum autem quærimus; an ad totum damnum, an verò ad ſolam illius partem reparādam obligetur; poteſtq; ſua proportione comprehendi omnis cooperatur iniuſti damni, nō ſolùm immediatè, ſed etiam mediatè quocunque ex prædictis generibus cauſalitatis ad damnum concurrens. Difficultatem difficilem reddunt ſententiarum varietas, & rationum monumenta, quæ pro vtrauis parte afferuntur.

Prima ſententia tenet eum, qui phyſicè auxilium præbet teneri de ſola parte damni quam cauſat; non verò de toto damno, quando illud inferretur, quamuis ipſe opem ſuam non ferret. Ita Nauarrus cap. 17. nu. 17. & 21. Adrianus q. 1. de reſtitutione, Silueſter verbo reſtitutio 3. q. 6. qui cum Adriano hanc differentiam inter conſilium, & auxilium agnoſcit; quod conſilium fertur in totū damnū, non autem auxilium, hanc differentiam probant etiam Angelus verbo furtum, & Medina q. 8. de reſtitutione.

Secunda ſententia aſſerit, quando cooperans influit non in ſolam partem, ſed in totum damnum, etiamſi influat partialitèr ex parte cauſæ; ita vt ſine ipſius influxu fieret damnum, tunc obligari ad reſtituendum totum: quod intelligitur non reſtituentibus alijs ſuas partes, vel etiam nō reſtituentibus ijs, qui primo loco tenentur; ita Ioannes Medina, Caietanus, & Sotus apud Vaſquez cap. 9. §. 1. dubio 2. num. 29. Molina tomo 3. diſp. 634. Laiman, & Tannerus, quos refert Diana tomó 2. tract. 5. Miſcellaneo reſol 86. Leſſius libro 2. cap. 13. dubio 4. qui ſubiungit, id intelligendum, quādo damnū eſt indiuiſibile, vt ſi adiuues ad eūdem equū occidendum: ad eamdem domum, eodem igne ſuccendendam: ſi verò damnum ſit diuiſibile ſolum teneris ad partem in qua tuo auxilio læſiſti, niſi fortè alium tuo cōſilio, vel alio modo impuleris ad ſuā; tūc enim ex alio cap. ad illum quoq; teneris.

Tertia ſententia aſſerit, quoties plures ad idem damnum quamuis indiuiduum concurrunt, partialitèr à partialitate cauſæ, nō teneri ſingulos ad totū damnum reparandum, ſed ſolum ad partem, in qua quilibet auxilio ſuo læſit; iuxta quam ſententiam non tenebitur ad reparandum totum damnum cauſa partialis totius damni etiam quando alia concauſa ſuam partem non reſtituit; ita nonnulli quos refert Diana 4. par. tract. 4. miſcellaneo reſolutione 79.

Quarta ſententia reſtringit tertiam: diſtinguit enim duplicem modum cauſandi partialitèr totum effectum totalitate effectus, & partialitate cauſæ. Primus eſt, quando cauſa partialis ſe ſola inferret damnum: vt quando duo percutientes Petrum, ſinguli læthalitèr vulnerant. Secundus eſt, quando cauſa partialis ſe ſola non inferret damnum, & indiget alterius conſortio vt damnum inferat: vt ſi alterum, vel alterutrum vulnus ſeorſim ab alio non eſſet læthale; ſimul autem ex conſortio alterius, læthale redderetur; quando ergò cauſa partialis inſufficientèr ex ſe ſola concurret, & aliundè non moueret alias concauſas; tunc non teneretur ad re-

reſtituendum totum. Secus verò quādo ſe ſola totum damnum inferret; ita *Lugo* diſp. 19. num. 82. in quo ſenſu probat primam ſententiam Nauarri, & eamdem probabilem cenſet Leſſius, vbi ſupra num.8.& confirmari poteſt ex ſententia aſſerente cauſam adæquatam damni, ſine qua damnum hic, & nunc fieret ad reſtitutionem non teneri.

Ego verò exiſtimo cauſam partialem teneri ad reſtitutionē totius damni, quod cauſat totalitate effectus, quamlbis illud cauſet partialitate cauſæ,aut etiam,vt loquitur Lugo,partialitate cauſalitatis. Cęterum indè manifeſtum eſt, quod ſupra diximus concauſam non teneri ad totum damnum, quod totalitèr ex parte effectus non cauſat, quia tunc iniuſta ſua actione nō læſit in toto damno, ſed tantum in parte illius, ad quam eius actio terminata fuit. Noſtram verò concluſionem probant, vel ex toto, vel ex parte ferè omnes ſententiæ relatæ. Accedant rationes. Prima: quia cauſa partialis ſimul cum alia verò cauſat iniuſtè proximi damnum, & talis cauſa damnum reparare tenetur; quia iniquum eſt, alium mea culpa, & iniuria, minus in ſuis bonis habere. Probatur ſecundò: quia concauſæ tenentur reparare totum damnum,& conſiliarius, & præcipuè mandans, vt videbimus: at non tenerentur iſtæ cauſæ ad totum, niſi cauſæ adiuuantes, & partipantes ad reſtituendum ſimilitèr totum tenerentur; quia etiam iuſtæ concauſæ ſeorſim ſumptæ inſufficientes ſunt; nam conſulens, aut mandans ſine exequente nihil operaretur. Deindè aliquando mouetur exequens ex conſilio,aut mandato, qui tamen fortè ſine mādato, & præcipuè ſine conſilio damnum inferret; tunc autē Authoris ſententia conſulens tenetur ad totum, & etiam mandans; ergò; &c. Probatur tertiò contra Lugo: quia duæ cauſę adęquatæ, quarum quęlibet ſe ſola inferret totum damnum, nō excuſantur à reſtitutione totius;vt duo cōſulentes, aut mādātes;ergò idem erit de cauſa partiali, quamuis ſe ſola non inferret damnū. Antecedens ſupponit author conſequentia probatur. quia cauſa, quæ ſola non inferret damnum, quam propterea inſufficientem vocat; de facto concurrit ad damnū. Quod autem damnum ab alia hic, & nunc poneretur, nihil refert: quia idem habent concauſæ adæquatæ, & tamen non excuſantur; quando verò cauſa partialis inſufficiens ſe ſola damnum cauſatura nō foret, nihil iuuat: quia iam vult ſuum influxum, quando in alterius conſortio ſcit totum damnum inferendum eſſe. Vndè tertiam rationem formo: quia cauſa partialis ſuum concurſum prębet benè ſciens non ſolam damni partem ex ſuo influxu inferendam eſſe, ſed damnum totum; nā ſcit cum alia cauſa ſe ſociari, & ex ea ſocietate damnum totum inferri; id autem ſufficit, vt ſit totius damni cauſa:nam ſufficit vt totum damnum ipſius culpæ,& iniuſtitiæ tribuatur: cum ponat iniuſtè aliquod, ex quo hic, & nunc ſuppoſito, vel adiuncto conſortio alterius concauſæ,totum damnum ſequendum eſt. Indè formo quartam rationem: quia cauſa ſe ſola inſufficiens, redditur ſufficiens, & efficax ex conſortio alterius concauſæ, quam agnoſcit, & cum qua concurrit, & confirmatur ipſius Cardinalis exemplo: nam licet iniuſtus percuſſor virum fortem leuitèr vulnerans, itaut illo ſolo vulnere interiora non poſſet, non foret homicida; ſi tamen ſciret, ita tunc ab alio percuſſore vulnerari virum, vt leui ſuo vulnere cū conſortio alterius interimendus eſſet; tūc author vulneris ſe ſolo leuiſſimi, non eſſet leuius vulnerator, ſed grauis, & homicida, quia quamuis vulnus à ſe inflictū, ſe ſolo læthale non eſſet, tamen ex conſortio alterius vulneris fit lethale; ergò ſimilitèr cauſa totius damni. Accedat altera ratio: cauſa damni in aliquo genere adæquata: v.g. executor non excuſatur à toto damno, eo quod ſe ſola inſufficiens eſſet, & damnum non foret illatura; niſi hinc, & nunc ex conſilio, vel mandato moueretur. Idem autem eſt de cauſa, quam ipſe vocat inſufficientem, quando aliam adiuuando totum damnum exequitur. Et confirmatur primò: quia inſufficientia concauſæ partialis non poteſt illam ab obligatione reſtitutionis excuſare, ſaltem quoad partem damni; ergò nullo modo excuſabit: quia talis cauſa eodem modo cauſat ſingulas damni partes;à qua ergò potius excuſabitur? Secundò, quia eadem cauſalitate cauſat, aut cauſare poteſt

Digitized by Google

teſt damni partem, ac totum, nimirum, ita, vt ſola nullum damnum inferat; ſimul autem cum alia damnum inferat totum.

Indè infero primò reſolutionem illius difficultatis: an in bello iniuſto teneatur inſolidum ad reparandum totum damnū aduerſus miles, qui vt cauſa partialis ſimul cum exercitu toto, iniuſtè læſit? Affirmant Adrianus, Gabriel, Caietanus, Sotus, & Angles, quos refert, & ſequitur Laiman libro 3. tract.2. cap.6. num.5. & Tannerus ſecunda ſecundæ diſp.4.q.6. dubio 40. num. 396. Negant verò ad totum damnum teneri, ſed ad ſolam partem Vaſquez cap.9. §.1. dubio 2. numer. 36. Leſſius dubio 4. num. 36. Molina diſp. 734. Lugo diſp.19. à num. 88. quilibet autem diuerſa vtitur ratione, qua Gregorium militem excuſat, non verò Ducem: cum ipſius imperium, & mandatum, ſingulorum militū damnificationem cauſet.

Ego verò ſecundam ſententiam probo ratione Vaſquez, & Leſſi, quia Gregorius miles non eſt totius damni cauſa, ſed illius tantum partis, quam per ſe cauſauit: nec enim Gregorius miles damnum expugnationis totum plenè executus eſt, ſed tantum illam partem, quæ ipſi incumbebat, quapropter illius tantum partis erit debitor; ſecus autem ſi Gregorius miles reliquos incitaſſet, aut Imperatorem ſuo conſilio, precibus, vel alio modo mouiſſet ad damnum: tunc enim teneretur ad reſtituendū damnū à reliquis executioni mādatum, quod aliqua ſua opera cauſauit.

Opponit nobis Lugo cum Molina: omnes, & ſinguli milites concurrunt ad damnum totum, quod ſinguli exequūtur: ergò ſinguli ad totius reſtitutionem tenentur. Antecedens probatur: quia ſinguli cæteros excitant, & ad audendum iuuant; ſi enim ſinguli ſoli dimicatiui forent cæterorum adiutorio deſtituti, nullus ad inferendum damnum auderet; ſed potius ſinguli audent, eo quod numeroſo, & ſpe vincenti pleno exercitu ſtipentur; mouenturq; ergò ſinguli ad inferendum damnum ex ſocijs, quos vident in ſuam defenſionem, & ſubſidium armatos. Reſpondeò; vt miles militem audaciorē reddat, non ſufficit, quod in exercitu verſetur. Ratio eſt: quia ſinguli ſufficientèr non agnoſcuntur, vt verò ab alicuius cōſortio moueantur, & animentur, opus eſt vt illum ſufficientèr agnoſant: quia adiuuans incognitus non poteſt eſſe motiuum voluntatis cum non poſſit amari. Confirmatur: quia ſi per totum exercitum viginti millia dimicarunt, creditum autem vniuerſalitèr eſſet duodecim tantum millia verſari; tunc octo millia cæteros non animauiſſent, quia nō eſſent cognita; nihil autem intereſt, quod alius alium iuuet ad hoc, vt adiuuās ipſius animum erigat, niſi ille ſciat ſe adiuuari, & ſufficientèr ſciat. Requiritur ergò vt miles ab adiuuante animetur, quod adiuuans per ſe ipſum agat, idque cognoſcat ille, qui adiuuatur, & præterea requiritur, quod homo adiutus, ex notitia adiutorij moueatur ad audendum. Cæterum per ſe impoſſibile videtur, quod in ſingulis militibus datur hæc notitia de omnibus reſiquis, quando tot numero ſunt, vt notari vix poſſint. Deindè non omnes de hoc recordantur; denique non omnes ex hoc mouentur, quapropter ex hoc triplici capite conſtat ſolam præſentiam militis in exercitu, cæterorum animos non erigere. Si tamen erigeret, teneretur ad totum damnum illatum ab illis, qui propter ipſius auxilium audent. Id autem confirmabitur ex differentia plurimorum ingredientium vineam.

Infero ſecundò, quod dicendum ſit de pluribus communi conſenſu ingredientibus ſimul ad diripiendam Domum, vel Vineam, quam cæteri inferunt, ſolum pro parte, quam ipſe infert tenetur. Si verò ſua opera, vt conſilium eſt etiam cauſa damni à cæteris illati, tenetur pro toto ſiuè verò omnes ſimul concurrunt, & ſinguli inferūt ſingulas partes damni, vt proximè de Gregorio militè dicebamus; exiſtimo eodem modo reſpondendum eſſe; addendo tamen duplicem differentiam; nam primum in hoc caſu contingere poteſt, vt alius alium audaciorem non reddat, eò quod vel ſolus poſſet ſeuerè diripere domum, aut vineam; & tunc niſi alio modo, vt conſilio cæteros moueat, ex eo, quod comitetur, non tenetur ad totum damnum, ſed ſolum ad partem, quam per ſe ipſum cauſaret: Ratio eſt: quia non cauſat aliorum damnificationem, cum ipſorum audaciam ſuo adiutorio non foueat,

Digitized by Google

ueat, ſi verò ſua ſocietate ſecuritatem, & audaciam moueret, teneretur ad totum. Deindè in hoc caſu, quando pauci, & qui notari à ſingulis poſſunt, ad damnum cõcurrunt; poteſt audacia à ſingulis cauſari, at de facto cauſatur regularitèr, & per ſe loquendo.

DIFFICVLTAS.

De concurrentibus negatiuè ad damnum.

NEgatiuè concurrunt, qui omittunt actionem, qua damnum impediri, aut reparari poſſet: qui quidem illis vocibus ſignificantur: Mutus; non obſtans: non manifeſtãs. Mutus, eſt qui ante damni executionem non conſulit, non præcipit, non clamat, non monet, non ſcribit. Non obſtans, eſt qui non defendit, non repellit, non cuſtodit. Denique, non manifeſtans, eſt qui poſt damnum non reuelat, non admonet. Circa hanc difficultatem accipe ſubſequentes propoſitiones; illarum prima ſit.

PROPOSITIO PRIMA.

Tenentur ad reſtituendum damnum, quando non impedierunt, qui ad illud impediendum ratione officij, vel contractus ex iuſtitia tenebantur; huiuſmodi ſunt Gubernatores, publici Miniſtri, Cuſtodes, Medici, Procuratores, Aduocati, Tutores, & Curatores; idque quamuis inuiti officium ſuſceperint: quia hæc munera, præcipuè cum ſuo lucro ſuam afferunt obligationem iuſtitiæ: Tum ratione muneris, tum etiam ratione contractus, præcipuè ſi cum ſtipendio dentur, & vbi eſt obligatio iuſtitiæ, iniuſta eſt omiſſio impedimenti debiti.

PROPOSITIO II.

Quando ex ſola Charitate teneris damnũ alterius impedire, non debes reparare damnum, quod non impediuiſti.

ITà Lugo diſp. 19. num. 99. referens S. Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. 62. artic. 7. ad tertium, Molina; Vaſquez, & Leſſium. Probo hac ratione: nam omiſſio impeditionis non debitæ ex iuſtitia, non eſt iniuſta Læſio: at ſolum tenetur quis reſtituere damnum ratione iniuſtæ læſioni, quando rationæ rei acceptæ non tenetur. Hinc infero primò; etiamſi ex odio omittat quis impedimentum quod ex charitate opponere debebat, non teneri ad damni reſtitutionem: quia nec affectus eſt iniuſtus; qua in parte nobis fauet Lugo, quamuis alitèr cenſerit de impediente vtilitatem ex odio. Infero ſecundò, ſi ſuadeas Petro ſine vi, & dolo ne impediat furtum Paulo inferendum, quod ſolum ex charitate impedire debebat, te ad reſtitutionem non teneri, quia tantum cauſas non impeditionem; impeditio autẽ Paulo ex iuſtitia non debebatur, ſi vera intercedat vis, aut dolus ad reſtitutionem teneris; quia quamuis Paulo nõ tenebatur ex iuſtitia impeditio damni; cæterum ipſi debebatur ſpes, & poteſtas, vt impediretur: quam poteſtatem, & non ſolum actum impediendi aufers vi, aut dolis auferendo à Petro ſcientiam, vel facultatem impediendi Pauli damnum. Infero tertiò; quando fur pretium tibi offert, ne furtum impedias; ſi pretium eſt de rebus furtiuis reſtituere teneris ratione rei acceptæ, etiamſi non daretur iniuſta læſio; ſi verò pretium fur dedit ex proprijs, reſtituere teneris parti læſæ, quando ex iuſtitia furtum impedire debebas. Cæterum ſi ex iuſtitia impedire non debebas; aſſerit cum alijs Lugo te ad reſtitutionem teneri, quia, inquit, nullam iniuriam infert non impediendo; quamuis fur indè animetur, & audacior fiat: quoniam audaciam illam reprimere ex iuſtitia non debebas.

Ego autem verius exiſtimo reſtituendũ eſſe pretium parti læſæ. Ratio eſt: quia non ſolum vendis furi actum ſecundum

non

Digitized by Google

non impediendi poteſtatem; quapropter non poteris impedire iuſtè, niſi prius reſciſſio contractu pretium furi reddas. Cæterum homo læſus, quamuis non habeat ius ad impeditionem, & actum ſecũdum impediendi, habebat autem ius ad actum primum, & ad ipſam impediendi poteſtatem, ac proindè habebat ius, vt illa poteſtas non læderetur, ſed determinaretur liberè per ſolum actum ſecundum volendi, aut nolendi impedire. Præterea hæc poteſtas impediendi damnum Petri erat vtilis ſoli Petro, vt conſtat; quapropter pretium huius potentiæ damnum eſt Domino, cuius damnum impeditum non eſt; quia ſolius Domini eſt vtilitas talis poteſtatis. Confirmatur exemplo; quia ſi quis potentem impedire ab impediendo iniuſtè teneret, ſolum teneretur reſtituere damnum non impeditum ipſi Petro non autem homini potenti impedire.

Infero quartò; an teneatur reſtituere domeſticus, qui non impedit, ſi quem viderit furari de Domini rebus? In primis tenetur reſtituere damnum, quod non impedit ille, cui alicuius rei familiaris cura demandata eſt, vt pecorum, ciborum, vaſorum, veſtium, & ſimilium; qua ratione officij, vel contractus tenetur ex iuſtitia damnum impedire. Idem eſt de illo, cui clauis alicuius cuſtodiæ datur, vt aliquid indè afferat: quia pro tunc committitur illi cuſtodia rerum, quæ ſub illa claui ſunt. De cæteris verò domeſticis, quibus nulla ſpecialis cura committitur; alij aiunt, alij negant; & quidem omnes probabilitèr. Cæterum ſolùm tenetur reſtituere partem, quam impedire potuit; quia in illa ſolum parte iniuſtè læſit.

DOCVMENTVM.

Diſputatur de ordine, quo reſtituere teneutur iniuſti cooperatores damni.

INiuſti Cooperatores, vt diximus, aliquando ad ſolam partem, aliquando verò ad totum damnum reparandum tenentur, nimirum, quando aliæ concauſæ reſtituere nolunt, aut non poſſunt. Nunc verò examinamus vter prior reſtituere debeat, & independentèr ab eo, quod alter ſoluat, vel non ſolum: quamuis verò teneatur poſterior, & ſolum propter defectum reſtitutionis, quam alter prior debet.

DIFFICVLTAS.

Quis teneatur priori loco reſtituere.

PRiori loco reſtituere tenetur præcipua, & principalior cauſa dãni iniuſti: poſt illam vero tenetur cauſa minus principalis. Hac in re omnes Theologi conueniunt. Ratio eſt; quoniam qui principalius cauſat damnum, equum eſt, vt principalius ad illud reparandum obligetur: at non eſt alia via, qua principalius obligetur præ cæteris, niſi obligetur primo loco, vt per ſe patet. Vrgetur primo: nam, qui damnum cauſauit, tenetur ad illud reparandum: ergò qui prncipalius cauſauit, principalius tenebitur. Vrgetur ſecũdò, quia bono opere principalius meretur præmiũ, qui ex merentibus principalius illud cauſauit. Accedat propria ratio: quia cauſa principalior damni in hac materia, eſt prior in cauſando damnum: eſt enim primum mouens ad damnum: quia reliquæ concauſæ ab illa mouentur, & propter illam damnum cauſant; imò, & gratia ipſius; ita vt cauſa principalior ſit quaſi primum efficiens, & finis vltimus iniuſtæ damnificationis à cæteris concauſis illatæ; ſed æquum eſt, vt concauſæ eo ordine reſtituant, quò damnum cauſauerunt: quia reſtituere tenentur pro qualitate, & qualitate concurſus, quæ ad lædendum impenderunt, vt omnes fatentur, idq; vt æqualis ſit concurſus reparatiuus damni concurſui cauſatiuo illius: alioquin inæqualis eſſet ordo obligationis reſtituendi ordini cauſandi damnum, in quo obligatio tota fundatur; & confirmatur ex communi doctrina; quia omnes fatentur ſingulas concauſas ad reſtitionem teneri pro rata iuxta cõcurſum, quem ſingulæ ad damnum impenderunt.

Notan-

Digitized by Google

Notantur nonnulla Corrollaria.

INfero primò: qui rem alienam poſſidet in ſe exiſtentem, tenetur primo loco reſtituere; ita Bonaccina diſp.1.q.8. puncto primo referens plurimos. Probatur; quia præcipua cauſa reſtitutionis eſt ipſa res extans, quæ ſemper pro ſuo Domino clamat; quapropter priori loco recurrit Dominus ad ſuarum fortunarũ poſſeſſorem, ſiue bonæ ſiue malæ fidei; quare, qui rem alienam retinet, pro tunc eſt præcipua cauſa damni, quia eſt vnica, vt ſi quis alienum ſeruũ pro Domino ſuo clamantem detineret; quod verum eſt etiãſi alia principalior cauſa primæ ablationis fuerit; vt præcipiens illam, quod ex noſtra ratione conſtat: quia retentor eſt primus motor iniuſtæ retentionis, cum ſit vnicus: quia nullus alius rem poteſt reddere: huic communi reſolutioni; libuit noſtram etiam limitationem adhibere: loquimur enim de damnis ex retentione ſecutis, caſu quò ſit aliqua cauſa principalior retentionis, v. gr. præcipient poſſeſſori retentionem: in quo caſu mihi videtur primo loco iubentem teneri ad damna quæ ex retentione ſequũtur. Moueor primò: quia tũc præcipiens eſt cauſa principalior. Eſt enim primum mouens ad illa damna inferenda. Secũdò quia iubens principalior cauſa eſt reſpectu exequẽtis: at in noſtro caſu poſſeſſor eſt merus executor damnorũ, quæ ex retentione inferuntur; quæ rationes limitationem adhibitam mihi valdè probant; tamen reſpectũ ipſius rei extantis exiſtimo primo loco teneri poſſeſſorem, etiamſi illam retinere iubeatur: quia ſolus poſſeſſor tenetur: cum poſſeſſor ſolus poſſit rem illam reſtituere, qui ſolus illam habet; at, qui tenetur ſolus, tenetur primo loco, cũ non habeat alium anteriorem. Secundò, quia alioquin ex ſua iuſtitia commodum retentionis reportaret.

Infero ſecundò, cum Bonaccina n.3. plurimos referente, rei alienæ conſumptorem ſiue bonæ, ſiue malæ fidei teneri primo loco reſtituere id, in quo ditior effectus eſt: quia id, in quo dictior fit, eſt id, in quo res extat tamquam inæquiualente; quapropter ſolus ille, qui dictior fit, poteſt id reſtituere: quia pœnes ipſũ ſolum extat. Secundò, quia alioquin ex ſua iniuſtitia reciperet commodum. Tamen exiſtimo contra Bonaccinam, eum, qui mala fide rem alienam conſumpſit, non teneri primo loco ad totum damnũ, ſed ſolũ ad id, in quo dictior effectus eſt; nec teneri primo loco ad alia damna indè ſecuta, caſu quo ex alterius iuſſione damnum intuliſſet: quia tunc eſt merus executor cuiuſcumq; damni præter id, in quo dictatus eſt; huius enim eſt retentor, at executor non tenetur primo loco, ſed ſecundo poſt præcipientem. Confirmatur, quia ſi alio præcipiente bona illa ignibus conſumpſiſſet, non conſumptor, ſed præcipiens primo loco teneretur; ſed bona, in quibus dictior effectus non eſt, penitùs fuerunt conſumpta, ac ſi ignibus abſumeretur, & præterea huius conſumptionis fuit merus executor.

Infero tertiò poſt rei ablatæ poſſeſſorem, inter Cooperatores damni iniuſti, primò loco teneri præcipientem reſpectũ Mandatarij exequentis. Eſt communis Theologorum, debent autem omnes illæ conditiones ſupponi quas notauimus in præcipiente requiri, pro vt condiſtinguitur à commendante; nimirum, quod ſit ſuperior, qui poſſit inferiorem, tùm reuerentia, tùm etiam aliqua poteſtate coercere: vt Iudex, Prælatus, Pater, Maritus, Dux, & ſimiles.

Probatur primò: quia præcipiens eſt cauſa principalis vtens Mandatario, tamquam inſtrumento ad inferendum damnum.

Infero quartò reſpectũ exequẽtis, priori loco teneri eum, qui minus, aut dolo executorem induxit ad damnum. Probatur primò, quia tunc exequens imperfectiori voluntario damnum cauſat. Secũdò, quia primus motor damni eſt, qui minis, aut dolo damnum ſuadet. Tertiò, quia ſuis minis, & dolo eſt primus executoris motor. Infero quintò, reſpectu conſulentis, rogantis, & commendantis, priori loco teneri executorem damni. Probat Bonaccina, & S.Thoma, cũ alijs. Primò, quia cauſa exequẽs magis immediatè attingit damnũ, quàm cauſa moralis. Secũdò, quia magis habet rationem cauſæ. Verũ hæ rationes mihi non probantur efficaces: quia eodem modo conuincerent, cauſam

Digitized by Google

cauſam exequentem priori loco teneri quàm percipientem; cum recipiens ſit etiam cauſa moralis; nec ſatisfacit Bonaccina aſſerens à percipiente cogi executorem, non vero à conſulente, & commendante. Iſta ſolutio mihi non placet. Primò: quia hæc iam eſt alia ratio, non verò defenſio illius rationis, quam impugnamus. Secundò, quia falſum aſſumit principium: nam dum abſint minæ, vis, & dolus, omninò liberè mouetur mandatarius, & liberè acceptat onus exequendi, non minus, quàm ille, qui importunis precibus ſagaci conſilio, aut notabili pretio mouetur.

Aſſertum ergò noſtrum probatur, quia executor eſt principalior cauſa damni cõparatione facta ad cauſas morales, quæ executorem primò non excitant ad damnum. Moueor autem non leui ratione: quia licèt aliundè deſumi poſſit diſtinctio cauſæ principalis ab inſtrumentali; tamen certum eſt; vbicumq; datur cauſa primo mouens aliam ad cauſandũ, cauſam primò mouentem eſſe principalem; cauſam verò motam eſſe inſtrumentalem; quia mouetur ad operationem tamquam inſtrumentum, quod altera cauſa primò mouet, & applicat ad operandum: indè ſit, quoties cauſa moralis non mouet primo exequentem ad operandum, tum cauſam moralem nòn eſſe principalem reſpectu exequentis, vt quãdo executori aliũde voléti damnũ inferre, tuum ſubiungis conſilium, preces, commendationem, & ſimilia. Tamen inde etiam probabile mihi eſt, cauſa morale poſitiuè concurrentem, quando primo mouet executorem non cogitantem de damno, tunc executorem non teneri primo loco; ſed cauſam primo excitantem. Moueôr primò, quia omnes iſti ſunt primi motores damni: ergò debent eſſe primi reparatores illius. Secundò, quia ſunt cauſę damni principaliores, quã executor, quod noſtrum principium probat: nam primò mouent: at conſtantiſſimum principium eſt cauſam principalem damni ad reſtitutionem priori loco teneri, quàm inſtrumentalem. Et confirmatur ex aliquorum doctrina aſſerentium cum, qui rogat, commendat; ſuadet, aut conſulit, vt in ſui oblectamentum, commodum inferatur alteri damnum, eſſe cauſam principalem, & priori loco teneri reſpectu exequentis; ità Leſſius lib.2.c.13.dubio 5. n.42. Molina diſp.737. n.3 Rebell. lib.2.de reſtit.q.15.n.1. & probabile cenſet Bonaccina n.6. quod mihi etiam probabile reddit noſtra ratio, quia tunc moralis cauſa eſt primum mouens, ac proindè principalior, quàm executor. Vndè confirmatur præcipua aſſertio: quia eadem eſt ratio de quocumque primo excitante, & mouente executorem ad damnum: nam omnes iſtæ cauſæ in prædicto caſu nullo modo differunt à regularitèr conſulente. niſi quod regularitèr conſulens ſicut exequens ipſe attendit ad exequentis vtilitatem: at prædictæ cauſæ in noſtro caſu ſicut ipſe executor ſoli proſpiciunt commodo, & delectationi commendantis, aut ſuadentis. Ibi autem maniſeſtè imbibitur noſtra ratio, nimirum quod in noſtro caſu cauſa moralis ſuadens, aut mandans ſit primum mouens, huius ſimul eſt quod finis damnificationis ſit vtilitas ſuadentis.

Infero ſextò, conſulentem, ſuadentem, rogantem, & commendantem, priori loco, quàm receptatorem teneri. Loquor etiam quandò non tenentur ante executorem. Ratio: quia prius concurrunt ad damnum. Deindè iſti omnes, & receptor priori loco tenentur, quam non obſtans, & non manifeſtans, & reliqui negatiuè concurrentes, quãdo ex iuſtitia tenebantur impedire. Ratio eſt: quia non concurrunt poſitiuè, ſed merè negatiuè; at concurſus negatiuus, minus principalis eſt, quàm quilibet concurſus poſitiuus, ſaltem ex genere ſuo.

Infero ſeptimò: cauſæ quæ in eodem gradu principalitatis ſunt, æqualitèr tenentur, hoc eſt, nulla tenetur prius quàm alia: v.gr. duo præcipientes, duo conſulentes, duo exequentes, duo non impedientes. Ratio eſt: quia neutra reſpectu alterius principalior eſt, neutra alteràm primò mouet ad damnum. Indè etiam ſit, conſulentem, animantem, rogantem, ſuadentem, & ſimiles, nullum inter ſe habere principalitatis gradum; cum nulla alteram primo moueat. Aſſertionem probabilem cenſet Bonaccina referens alios n.10, niſi, quod receptatorem prædictis æqualem facit, quæ pars mihi difficilis

viſa eſt, caſu quo recipiens non obtulit ſuũ concurſum ante executionem damni, ſed potius damnum iam cauſatum receptauit, quia tunc receptatoris concurſus, eſt per conſilium, preces, & commendationem damni illati, & propterea minus principalis.

Ex dictis explicantur nonnullæ difficultates.

QVæritur primò vtrũ reſtituente cauſa principali cæteræ ſub ipſa minus principales, ab onere reſtitutionis liberẽtur? Prima ſentẽtia cenſet eos, qui minus principalitèr tenẽtur, principaliori reſtituere totum damnum, ſingulos pro rata teneri iuxta principalitatem ſuæ cauſalitatis: ita, ſi damnum erat centum aureorum; præcipiens teneatur ad quinquaginta; exequens ad vigintiquinq; & ſic de reliquis. Vndè fit; ſi præcipiens, totum reſtituat, cæteros nihil iam debere Domino læſo: quia ipſi iam adæquatè ſatisfactũ eſt, quare pro rata reſtituere tenentur præcipienti, qui pro ipſis ſatisfecit; ita Molina, & alij, quos refert Bonaccicina n. 10 cenſens id eſſe probabile. Ego verò cenſeo, ſoluente cauſa principali priori loco obligato, cæteras poſteriori loco debentes, ab obligatione liberari; ita Bonaccina nu. 10. referens ſanctum Thomam cum multis alijs, quibus adde Valentiam, Vaſquez, & Rebellum. Probatur primò: quia cauſa principalis tenetur immunem ſeruare minus principalem: tũ quia cauſa minus principalis operatur propter principaliorem, & ab ipſa mouetur tamquam inſtrumentum; quare rem principalioris, non ſuam gerit: tum etiam quia ita continetur in legẽ cũ pecuiniam, ff. de negotiorum geſtore. Probatur ſecũdò: quia cauſa minus principalis non tenetur reſtituere principaliori, vt probauimus; nec item Domino læſo vi iam plenè ſatisfactum eſt; nec ius habet ad debiti ſolutionem.

Quæritur ſecundò: vtrum reſtituente cauſa minus principali, cauſa magis principalis reſtituere teneatur? Reſpondeo primo: cauſa principalior tunc non tenetur quidquam reſtituere Domino læſo: quia ipſi iam plenè ſatisfactum eſt, vt oſtẽdimus, & cum innumeris habet Bonaccina n. 2. Reſpondeo ſecundò: in caſu propoſito cauſa principalior tenetur reſtituere minus principali totum, quod iam reſtituit; ita idem Bonaccina num. 12. plurimos referens. Probatur primo ex dicta lege, cum pecuniam, ff. de negotiorum geſtore. Secundò: quia tenetur indemnem ſeruare cauſam minus principalem, & ita videtur cum illa paciſci, quando rem cauſæ principalis, non ſuam ſuſcipere fecit. Tertiò: quia cauſa minus principalis plenè reſtituens ſuccedit loco creditoris: at creditor ius habebat, vt ſibi primo loco ſatisfaceret cauſa principalior. Quartò: quia vtilitèr geſſit negotiũ cauſæ principalis, nec tenetur id gratis, nedum cum damno proprio præſtare; quæ ratio continetur in dicta lege, cũ pecuniam. Quintò: quia alioquin cauſa principalitèr ex ſua negligentia, vel malitia commodum reportaret.

Quæritur tertiò: vtrum quando ſunt plures æquè principales, aut æque minus principales, reſtituente vno totum damnum, reliqui eodem gradu obligati reſtituere teneantur? Reſpondeo reliquos teneri, ita Vaſquez cap. 9. dubio 4. & Bonaccina n. 14. Probatur primò, quia ille pro omnibus æqualitèr obligatis ſatiſfecit; poterit ergò à reliquis portiones ſingulis correſpondentes exigere. Secundò quia iniquum eſt, vt propter reſtitutionem quam præſtitit, peioris fiat conditionis quàm reliqui non reſtituentes. Vnde conſtans eſt, ſi duo præcipiant damnum, ſingulos ad medietatem reſtituendam teneri; ſi autem plures ſint eodem gradu obligati, reſtituente vno totũ, reliqui pro rata tenẽtur ipſi reſtituere; ſi vero illorũ aliquis non poſſit, aut iniuſtè nolit, reliqui huius partem reſtituere debent: cum iure tamen exigendi ſuam partem à nolente, aut impotente, ſi potens fiat.

Quęritur quartò vtrum quando plures intulerunt damnum, & patiens vni ex illis debitum remiſit, reliqui ab onere reſtitutionis liberentur. Reſpondeo primò: ſi Dominus condonauit cauſæ principali, reliquæ ſub ipſa minus principales, liberantur: quia minus principales ſolum tenentur, quando cauſa principalior obligata

gata ſit, & nolit, aut non poſſit reſtituere. Reſpondeo ſecundò, quando remiſſio fit cauſæ minus principali, tunc principalior tenetur: quia obligatio cauſæ minus principalis ſola remittitur; illa autem erat obligatio reſtituendi caſu quò principalior obligata eſſet, & non ſatisfaceret; alia autem eſt obligatio principalioris antecedens ad iſtam. Reſpondetur tertiò, quando remittitur vni pluribus cauſis eodem gradu obligatis, reliquæ ad ſuam partem pro rata tenentur, non vero ad partem condonatam. Prima pars probatur: quia condonatio æquiualet reſtitutioni illius partis. Secunda pars probatur, quia credito non poteſt alteri condonare cum cęterorum damno. Alioquin non ex ſuis, ſed ex alienis donaret: nam ipſi totum reſtitui deberet, concauſæ verò parte illa donata grauarentur. Reſpondeo quartò contra Bonaccinam, & Nauarrum: quando creditor remittit alicui cõcauſæ ſuam partem, ille, cui remittitur, non habet ius ad recuperãdam partem remiſſam à cauſa principalioris; quia remiſſor ſolam cõdonauit obligationem, qua grauatus erat: obligatio autem erat ſoluendi ſuam partem, & totam ſummam in defectum principalioris.

DOCVMENTVM.

Diſputatur de iniuria, & obligatione reſtituendi, orta ex mora iniuſta.

MORA iniuſta poteſt eſſe ſiue prima ablatio fuerit iniuſta, ſiue non fuerit; ab ipſa enim moræ iniuſtitia incipit hæc obligatio reſtituendi.

DIFFICVLTAS.

Quæ mora inducat obligationem reſtituendi.

IN primis mora debet eſſe iniuſta, vt de prima acceptione alias diximus; retentio autem iniuſta inducit obligationem reſtituendi, quę ſemper vrget, vt omnes ſupponunt: quia præceptum reſtituẽdi imbibit præceptum non furãdi, ſeu non retinendi, quod negatiuum eſt ſemper, & pro ſemper obligaris niſi aliũdè detur excuſatio. Tamen ſtatim faciendam eſſe reſtitutionem, non eſt mathematicè, ſed moralitèr accipiendum, vt cum multis habet Bonacciua diſp. 7. ſeſſ. 6. pũcto vnico num. 1. quod etiam in rebus alijs contingit, quas ſtatim fieri præcipi ſolet; ita vt pro qualitate, quantitate rei reddendę, cura prudenti iudicio ſufficiens adhibeatur, nè differatur reſtitutio, qualem in re propria ab alijs quiſquam non nimiũ moleſtus velle adhiberi: quare cum quis reſtitutionis debitæ recordatur, non tenetur à menſa, vel alia re gerenda illico ſeù ſtatim recedere, vt ſubitò reſtituat, niſi fortè illa modica dilatio notabile detrimentum afferat creditori, vt ſi nauigaturus eſt, aut alio iturus, vndè nec facilè, nec citò rem ſuam recuperare poſſet, aut aliquos vtiles celebrare contractus breui illa elapſa opportunitate. Deindè non facilè damnandus eſt pœnitens qui reſtitutionem differt ſine notabili nocumento creditoris, etiamſi creditor rem ſuam crebro petierit: quia hæc dilatio grauitèr iniurioſa eſt. Cæterum ex aduerſo mortalis culpæ rei ſunt, qui ſolutionem, aut reſtitutionem in re graui differunt etiam creditore non petente, cui notabile nocumentum ex dilatione ſequitur, quales ſunt vires nobiles, qui Mercatoribus, Sartoribus, & ſimilibus propter reuerentiam tacentibus ſolutionem differunt; mora enim eſt illis grauitèr nociua, quia præter alia damna, ceſſat ipſis lucrum, ex illa pecunia numerata colligendum.

Petes vtrum, qui nunc reſtituere non poteſt, teneatur habere propoſitũ actuale reſtituendi cum primum poſſit. Affirmant Sotus, & Nauarra; melius negant clauis Regia, Aſſorius, & Bonaccina cætera referens num. 8. Probatur primò: quia præceptum reſtituendi negatiuum eſt, prohibens voluntatem retinendi alienum: cui præcepto fit ſatis, ſi non habeatur voluntas alienum retinendi. Secundò, quia ſi aliquando requiritur voluntas poſitiua reddendi alienum; non eſt, quod talis voluntas præcipiatur, ſed quia requiritur ad id, quod mihi præcipitur, nimirum; vt res aliena non retineatur: at verò quando nõ

Digitized by Google

adeſt opportunitas reſtituendi, non præcipitur mihi, vt rem alienam reddam, ac proindè nec vt velim reddere.

Hoc in loco quærunt aliqui, quoties peccet, qui eſt in mora culpabili reſtitutionis? ſeù quoties detur diſcontinuatio ita vt peccata numero diſtincta multiplicentur? Omnes Theologi ſupponũt, quoties multiplicantur actus, toties multiplicari peccata; tamen non ſemper teneri pœnitentem in confeſſione declarari illa peccata vt plura, ſed tantum vt vnum: quia, inquiunt, illa diſcontinuatio phyſica, non eſt diſcontinuatio moralitèr loquendo, nec notabilis, & æquiualet actui vnico per totũ illud tempus continuo perſeueranti. Cæterũ in explicanda diſcontinuatione notabili, & morali innumeræ ſententiæ excogitatæ ſunt. Nos rem explicamus ſubſequentibus propoſitionibus.

PROPOSITIO PRIMA.

Tunc diſcontinuatio non eſt notabilis in ordine ad confeſsionem, neque inducit obligationem aperiendi pluralitatem peccatorum, quamuis realitèr detur, ſed ſufficit explicare peccatum, vt vnum; quando videlicèt diſcontinuationem actuum ipſe operans non notat, nec diſcernit.

HOC mihi manifeſtum eſt: quia alioquin obligaretur ad impoſſibile; obligaretur enim ad aperiendam pluralitatem peccatorum, quando illam non cognoſcit; & vrgetur: quia obligaretur ad mentiendum; obligaretur enim ad dicendum ſe plura peccata commiſiſſe, quando id non iudicat, nec ad iudicandum habet ſufficiens fudamentum.

PROPOSITIO II.

Quando diſcontinuatio talis eſt, quam ipſe operans notat, & cognoſcit; tunc eſt notabilis, & inducit obligationem aperiendi in confeſſione pluralitatem, quam notat. Ratio eſt, quia tunc bis, aut ter peccauit: præterea id benè notat, & euidentèr cognoſcit: ergò id exprimere in confeſſione tenetur: cum teneatur exprimere numerum peccatorum, quorum poſt ſufficiens examen, memoriam, ſeu conſcientiam habet, vt definiuit Triden. ſeſſ. 14. cap. 5. & Canone 7. Confirmatur, quia nulla alia ratione tenetur quis confiteri ſe bis conſenſiſſe in homicidium, adulterium, vel furtum, niſi quia verè conſenſit, & ita eſſe cognoſcit. Video hanc poſtremam noſtræ explicationis partem ſtrictiorem quidem eſſe, ſi aliarum ſententiarum latitudinem attendas; quas ſanè probabiles eſſe, non nego; tamen noſtram eſſe veram propoſita ratione moueor; nec propterea obligandi ſunt fideles ad ſcrupuloſè declarandos ſingulos voluntatis actus numero tantum diſtinctos, qui in aliquo peccato exterius conſumato repetuntur: vt plures conſenſus, qui in vnico actu adulterij, vel furti interuenire ſolent. Ratio eſt: quia omnes illi conſenſus ſola adulterij declaratione compræhenduntur: cum omnes illi tali opere externo adiuncti per ſe ſint, neque ſine illis actio externa committi ſoleat.

PEtes quid reſtitui debeat ratione iniuſtæ moræ.

In primis certum eſt propter moram iniuſtam teneri debitorem reſtituere rem iniuſtè retentam, deindè totum damnum emergens, & etiam lucrum creditori ex iniuſta

iniuſta retentione ceſſans; ita Molina diſput.724. & Lugo diſp. 18. num. 26. quia iniuſtus retentor cauſa eſt totius prædicti damni: huic regulæ vniuerſali, ius ciuile exceptionem adhibuit in contractibus emptionis, & venditionis: decretum enim eſt moroſum retentorem rei venditæ, vel pretij non teneri ad totum lucrum ceſſans, nec ad totum damnum emergens, ſed ſolum teneri venditorem quidem ad intereſſe intrinſecum mercis, & ad ipſius fructus, quos percepit, aut ſua culpa non percepit, & emptor erat percepturus, emptorem autem teneri ad ſubſtantiam pretij, & ad fructus, quos ex pretio percepit, aut ſua culpa non percepit, & venditor percepturus erat. Verum & pretium, aut merces, & vtriuſq; fructus reſtitui debent iuxta valorem, quem habebant tempore, quo tradi, & percipi debuiſſent, ſi illorum valor tempore moræ iniuſtæ diminutus eſt. Cæterum, neuter tenetur ad reſtituendum aliud damnum extrinſecum, aut lucrum, vt ſi occaſione moræ in tradendo pretio, vel fundo vendito aliundè in quibus, vel armentis creditor damnum factus eſt, aut lucrum non percepit; ita habetur in lege ſi ſterilis. ꝑ. cum ter venditorem ff. de actionibus empti, & venditi, lege fructus, lege curauit, codice eodem titulo, lege vltima, ff. de periculo, & commodo rei venditæ. Ratio huius exceptionis fuit eximia huius contractus neceſſitas, ſine cuius frequentia ciuilis communicatio cum grauiſſimo Reipublicæ damno ceſſaret: arcerentur enim homines ab huius contractus frequentia; & innumeræ exorirentur lites, ſi ad quodcumque damnum, vel lucrum extrinſecum, emptor, & venditor propter moram, iniuſtam tenerentur.

Petes vtrum hæc exceptio locum habeat in foro conſcientiæ. Affirmat Molina diſp. 368. quia Princeps ita potuit obligare; & propter communem vtilitatem credendum eſt ita voluiſſe. Deindè ipſi contrahentes ad id ſolùm ſe obligant; quia intendunt iuxta ſtatutas leges celebrare contractus; negant verò Angelus. verbo vſura primo, num. 3. & Lugo diſp. 18. num. 28. id ex ipſis iuribus acutè probans, & ſanè vtrumque ſatis eſt probabile.

Petes vtrum moroſus culpabilis non teneatur ad damna, & lucra extrinſeca, quando à creditore non eſt permonitus?

V. g. debitor tempore præfixo non ſoluit, & propterea creditor cogitur pecuniam magno lucro, aut redditibus, & vſuris accipere: an tunc præmonendus ſit debitor à creditore, vt extrinſecum damnũ vſurarum debitor reparare teneatur. Præmonendum eſſe affirmãt Aſſorius, & Angelus, quos ſequitur Lugo diſp. 18. numer. 32. Negant verò Nauarra, & Diana ibidem relati nu. 31. Prior ſententia mihi probatur. Primò: quia illud damnum non ſequitur per ſe ex mora iniuſta, ſed per accidens eo quod Dominus velit eo remedio vti ad alia ſua commoda percipienda, vel damno in rebus alijs euitanda. Secundò, quia damnum vſurarum retentor iniuſtè non cauſat, cum illud non cognoſcat, nec debeat cognoſcere; quia non continetur in mora iniuſta. Tertiò quia damnum vſurarum potius ſequitur ex carentia præmonitionis; potuit enim debitor præmonitus damnum vitare; quod ſi non vitauit non ipſius culpæ, ſed ignorantiæ tribuendum eſt.

Oppones: eum, qui vulnerauit artificem teneri ad reparanda damna propter lucrum ipſi ceſſans ex impedimento vulneris, & impotentia vtendi, ſua arte, etiamſi vulnerans non præmoneatur illum eſſe artificem. Reſpondeo: longa eſt diſparitas. Primò; quia impotentia vtendi tali arte ſequitur per ſe ex illo vulnere. Secundò quia percutienti, ſatis eſt cognita; nam dum cognoſcit, quod vlnus infligat, itaut percuſſori tale vulnus imputetur, cognoſcit etiam ſaltem implicitè, quidquid ex illo vulnere per ſe ſequitur, & in ipſo continetur. Tertiò, quia impotentia operandi artificis à ſolo vulnere cauſatur; quapropter ſi artifex percuſſus ſua intemperantia à venere, vel à potu reddatur impotens ad vtendum arte ſua, non tenebitur percuſſor ad lucrum artifici ceſſans ex illa impotentia.

Ne diminutam demus doctrinam de reſtitutione, & iniuria, ſeu obligatione, placet breuitèr nonnulla vocare de cauſis excuſantibus à reſtitutione. Accipe ergò ſubſequentes propoſitiones.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO PRIMA.

Damnum creditoris eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.

VErbi gratia, quando notabile nocumentum ſequitur Creditori ſi reſtitutio nunc fiat. Ratio eſt; quia tunc Creditor benè gerit rem ipſius Creditoris, cui melior eſt dilata reſtitutio ſine damno, quam cum notabili damno præſentanea; vbi aduertendum eſt minus damnum Creditoris, quàm debitoris, vel alterius perſonæ requiri ad differendam reſtitutionem: quia ea dilatio intereſt Creditori: Hinc ſequitur me poſſe denegare Creditori pecunias, & equum, cum ſcio, vel prudentèr timeo, à furibus ipſis ſurripiendas eſſe;

Petes an poſſit, vel teneatur debitor denegare Creditori bona, quibus ſcit illum abuſurum? Dicunt quidam, quando illis Creditor abuſurus eſt, ſolum in ſui ipſius incommodum, vt in ludos, ebrietates; meretrices, &c. tunc teneri debitorem reſtituere promiſſa monitione ne abutatur: quando autem abuſurus eſt in alterius perſonæ damnum, tunc debitorẽ reſtituere non poſſe ſine peccato, quamuis hac etiam in parte oppoſitum cenſeat Pater Molina. Ego verò exiſtimo in prædicto caſu debitorem iuſtè, & licitè poſſe; quod maluerit præſtare; poteſt quidem pro tunc negare reſtitutionem creditori ſuis bonis obſcuro: quia ipſius creditoris non gerit. Poteſt etiam creditori bona ſua petenti reddere, etiamſi illis in alterius damnum abuſurus ſit: quia rem licitam, imò ex iuſtitia debitam præſtat; quod ſentiunt etiam Theologi de coniuge reddente debitum petenti illicitè propter circumſtantiam perſonæ, & propter votum. Indè autem ſequitur, caſu, quo notabile ſit damnum, quod creditor te ſua recuperata abutens ſibi illaturus ſit, & debitor poſſit facilè rem creditori denegare. ad id quidem ex charitate debitorem teneri; quia quando debitor iuſtè, & licitè poteſt, graue proximi malum vitare, ad id ex charitate tenetur, vt ſi amens gladium ſuum exigat, quò ſe ipſum aliundè percutiat. Secundò infertur etiam, quando id facilè, vel ſine proprio damno debitor præſtare non poteſt, ad id non teneri: vt ſi debitori duellum indicatur; denique quando damnum, quod creditori ſequitur: notabile non eſt, debitor reſtituere teneatur Creditori rem ſuam exigenti, vt ſi partem exiguam, vel non adeò magnam ludo dilacerare velit, quod ex noſtra ratione conſtat.

PROPOSITIO II.

Damnum notabile tertiæ perſonæ, eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.

RAtio eſt: quia ipſe creditor tenetur dilationem reſtitutionis pati nō nimium moleſtam ad euitandum notabile proximi damnum: quapropter erit irrationabilitèr inuitus, ſi id pati nolit; vnde fit creditori non deberi reſtitutionem bonorũ, quæ in notabile proximi damnũ cõuerſus eſt, & enſem, quem petit ad proximum occidendum: & ſuas Principi pecunias, quas ad bellum iniuſtum quærit.

Petes an etiam teneatur debitor differre creditori reſtitutionem rei, quam in proximi damnum quærit? Affirmat Bonaccina contra Molinam. Ego verò cenſeo, quod aliàs dixi, poſſe debitorem rem illam in prædicto caſu negare. Præterea exiſtimo cum Molina debitorem ad id negandum non teneri; quia rem licitam, & ex iuſtitia debitam reddit, videlicet reſtitutionem rei alienæ; quod ſi indè damnũ proximo, & creditori peccatum ſequatur, ille viderit, qui damnum à debitore non intentum vltrò infert.

PROPOSITIO III.

Damnum notabile debitoris eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.

HOC damnum debitoris in offerenda præſentanea reſtitutione, longè grauius debet eſſe, quàm damnum ex dilatione creditori proueniens. Bonaccina aſſerit eſſe debere duplo maius, quod ſic explicat

Digitized by Google

explicat: ſi debitor ad ſoluenda centum cogatur eiſdem centum vendere fundum, vel domum valoris ducentorum; qua in parte Bonaccinam iniuſtè capit Lugo credens ipſum non benè computare damnũ duplo maius; eo quod debitor tunc non amittit ducenta, ſed centum, quia alia centum iam debebant. Vtrum hæc obiectio momenti non eſt; quia Bonaccina indicat damnum duplo maius, quando ad ſoluenda centum, cogor duoçentum prę-ſtare: tunc enim meum damnum, ducentorum eſt, damnum verò proximi, eſt cẽtum, ſeu dilationis reſtituendi centum, quæ minoris adhuc æſtimationis.

Ego autem exiſtimo hoc notabile damnum prudenti iudicio relinquendum eſſe: quia impoſſibilis eſt ipſius determinatio; cum pendeat innumeris capitibus, ex quibus deſumenda eſt. Ratio propoſitionis eſt; quia in reſtitutione non ſeruaretur æqualitas, ſi cum ſui detrimento adeò maiori ad reparandum Creditoris damnũ debitor obligaretur. Et Confirmatur: quia Creditor meritò cenſebitur irrationabilitèr inuitus, ſi tunc nolit moram illi concedere: vndè conſtat hoc damnum debitoris nouum eſſe debere, & diſtinctum à damno, quod ſentit in re ipſa reſtituenda; alioquin non eſſet maius damno creditoris, quod idemmet ſentit.

Infero primò à fortiori ſufficere ad differendam reſtitutionem probabile periculum notabiles iacturę bonorum ſuperioris ordinis, vt animæ, vitæ, valetudinis membrorum corporis, honoris, & famæ tàm in ſe ipſo, quàm in ſuis; verbi gratia, ſi probabilitèr timeat; quod filij latrocinentur, quod vxor filiæ, vel sorores, ſui corporis copiam faciant. Item fœmina quæ filium ex adulterio ſuſcepit propter infamiam, vel vitæ periculum non tenetur ſe ipſam prodere, vt filijs legitimis ſors hæreditaria ab adulterino non auferatur; nec homo tenetur furtum reſtituere cum periculo propriæ infamiæ, niſi fortè iam ſit propter alia furta infamis, ita vt ſuæ famæ leue detrimentum patiatur. Tenetur enim (ſi poteſt) reſtitutionem per confeſſarium, aliumvè facere. Oppones: non poteſt quis accipere alienum ad vitandum proprium lõgè grauius: ergò nec retinere? Reſpondeo negando conſequentiam: quia peioris conditionis, & vulnus infligere, quàm vulneri non mederi. Ratio à priori: quoniam differens reſtitutionem habet aliud obiectum, quod poſitiuè velit nimirum carentiam damni proprij, quapropter indirectè tantùm concurrit ad proximi damnũ omittendo poſitiuam reſtitutionem, quam debebat; quæ omiſſio licita eſt, quando rationabilis cauſa datur ad amandum bonum proprium, ex quo indirectè talis omiſſio ſequatur. Cæterum, qui ad euitandum proprium damnum aliquid furaretur, poſitiuè vellet, & cauſaret alienum damnum, quod numquam licet. Infero ſecundò nullum teneri ſeipſum, vel filios vendere, vt reſtituat, nec artifices teneri ad vendenda inſtrumenta artis, qua alitur: nec neceſſaria corporis, vt veſtis, & operimenta lectuli; nec virum nobilem teneri ita ſe ſpoliare ad reſtituendum, vt cadat ab æſtimatione ſui ſtatus iuſtè acquiſiti; ſecus verò, ſi iniuſtè illum acquiſiuit, vt vſurarius, & fur; nec tenetur nobilis ita minuere dotem filiarum, & familiæ ſplendorem, vt notabilitèr deijciatur; tenetur autem non ſolum luxum, ſed etiã ſplendorem priſtinum temperare, vt poteſt ſine notabili ſui ſplendoris damno æs alienum reſtituere.

PROPOSITIO III.

Impotentia debitoris eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.

QVia nemo ad impoſſibile obligatur; quod ſi id creditor exigat, erit quidem omni lege irrationabilitèr inuitus. Huc reuocatur caſus extremæ neceſſitatis, in quo licet rem alienam non reſtituere; tum propter rationes dictas, & etiam quia tunc omnia ſunt communia, & mihi probabile idem licere in neceſſitate graui. Confirmatur: quia propterea aliqui exiſtimant tunc licere rem alienam clam ſubripere; tamen, quando grauis neceſſitas æqualis Domino, & poſſeſſori, & communis eſt; poterit Dominus rem ſuam recuperare, illamque conſumere: quia Dominus eſt; poſſeſſor verò poterit illam abſumere, Dominum autem poſſidentem

dentem in neceſſitate ęquali conſtitutum, nullus ſpoliare poteſt.

Petes vtrum qui rem alienam tempore neceſſitatis extremæ, conſumpſit; teneatur illius prætium Domino reſtituere? Reſpondeo negatiuè dummodo duo cócurrant: Primum, quod illa res non tranſierit in dominium conſumptoris ante neceſſitatem extremam; alterum, quod res tépore neceſſitatis conſumpta fuerit. Ratio eſt: quia tunc omnia ſunt communia. Cæterum, ſi aliquid prædictorum deficiat, reſtituere tenebitur. Primum quidem, vt ſi prius pecuniam alienam, vel triticum mutuo acceperat, vel rem aliam ſibi venditam: quia tunc Dominus illorum ęffectus, & ex proprijs neceſſitatem ſuam leuauit; nec poteſt ex alienis, dum habet propria, quibus neceſſitati ſuæ ſubueniat; alterum verò, vt ſi res aliena tempore neceſſitatis accepta, poſt illam extet; vt equus, quo ab haſtibus effugit: quia illo ſolum poteſt tamquam proprio vti pro neceſſitate vitanda, non autem extra neceſſitatem conſtitutus.

PROPOSITIO V.

Ceſſio bonorum eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.

QVia bonis cedens, impotens eſt ad reſtituendum. Tenetur autem reſtituere ſi poſtmodum ad meliorem fortunam peruenerit, etiamſi ceſſio facta fuerit cum ſolemnitate aliqua ignominioſa alicubi conſueta. Ratio eſt: quia per hæc non ſpirat obligatio reſtituendi, quæ perſonam etiam ſequitur. Poteſt autem qui cedit bonis, aliquid abſcondere, quod ſufficiat ad tenuem ſui, & ſuorum ſubſtentationem; quia vt minimum ad id reſtituendum non tenetur cum grauiſſimo diſpendio ſubſtentationem etiam tenuem amittendi:

PROPOSITIO VI.

Cauſæ, quæ ſufficiunt ad omittendam omninò reſtitutionem notantur.

PRima eſt condonatio, ſeu remiſſio: quia tunc non reſtituendo, nulla fit iniuria creditori; cum non ſit inuitus, ſed potius ita velit; debet autem eſſe omninò libera, & voluntaria; quapropter ſi fiat per vim, aut minas, aut per dolum, vt ſi quis inopiam fingat: vel falſo ſuadeat ammittendum eſſe totum debitum, niſi minorem ſummam Creditor admittat; tunc condonatio erit nulla, ſicut eſt quælibet donatio. Præterea debet condonatio non eſſe à iure prohibita cum irritatione; talis eſt condonatio amentis, & pupilli, ſicut etiam eſt donatio: cui adiungit Bonaccina condonationem diſtributionum, quam reliqui Canonici fecerunt abſenti, vt habetur in Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. & remiſſionem factam Epiſcopo, qui in viſitatione aliquid accepit, præter ſumptus neceſſariò, quos tenetur intra menſem duplum reſtituere ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda c. exigit de ſenſibus, & exactionibus.

Secunda cauſa eſt compenſatio, quia ipſe creditor de bonis debitoris illatum ſibi damnum compenſat; quia tunc nihil debitor creditoris retinet. Petes an compenſatio occulta ſit licita. Reſpondeo affirmatiuè; dum tamen hæ conditiones concurrant; prima vt fiat compenſatio de rebus debitoris, & non alterius. Secunda vt non fiat in maiori ſumma, quàm debetur. Tertiò, vt debitum ſit ex iuſtitia cómutatiua, & non ex alio titulo. Quartò, vt debitum ſit liquidum, & indubitatum. Quinta, vt alia via commoda non ſuppetant ad debitum recuperandum, nec id poſſit commodè precibus, aut per iudicē obtineri; & quidem data compenſatione extinguitur creditoris ius, quæ compenſatio valet etiam in delictis; quapropter alter coniugum manet cum iure per adulterium amiſſo petendi debitum, vel illud recuperat, quando vterque adulter fuit; fit enim iniuria compenſatio per vtriuſq; delictum.

Tertia cauſa eſt compoſitio facta per

bullam

bullam, quam vocant compoſitionis. Huius rei variæ dantur rationes. Prima: quia bona incerta iure poſitiuo debentur pauperibus, vel capſæ incertorum, in quo iure poteſt Pontifex diſpenſare. Secundò: quia Pontifex cauſam habet iuſtam interpretandi Domini ignoti voluntatem, ad exornandas conſcientias, ad præcauenda peccata, & periculum non reſtituendi: propter quę interpretando per epicheiam Domini voluntatem, bona incerta in vſus pios bellorum contra infideles commutat, quod etiam præſtare ſolet commutando legata pia in alios vſus etiam pios. Addo ego tertiam: quia poteſt ſua lege poſitiua propter bonum commune, hanc pręſcriptionis legem pro bonis incertis ſtatuere. Datur autem compoſitio per bullam ſolum pro incertis bonis, ad quam aliqui cauſam iuſtam requirunt, alij ſecus niſi in quibuſdam caſibus. At vero pro donis certis coram Dominas ſcitur, non datur de facto compoſitio: poſſet tamen à Pontifice dari, plures affirmant, quamuis ad id grauiorem cauſam requirant: compoſitione autem facta, & data quantitate, quam Pontifex pro rata præſcribit; multi cenſent debitorem in conſcientia liberari ab onere reſtitutionis, etiamſi poſtea Dominus compareat.

Quarta cauſa eſt pręſcriptio, quæ iuſtiſſimas ob cauſas introducta eſt, ad nimium inueteratas lites, aliaq; Ciuium incommoda præcauenda; eſt autem præſcriptio adquiſitio, vel vſucapio Dominij vtilis, aut directi, rei alienæ per continuationem poſſeſſionis bonæ fidei ſpatio temporis à lege definiti. Quæ ad hanc partem ſpectant videri poſſunt apud Doctores. Sufficiant ergò hæc de reſtitutione in communi. In ſubſequentibus ſermonem habebimus de ſatisfactione ſacramentali.

DOCVMENTVM.

In quo agitur de ſatisfactione ſacramentali.

MOnemus ſatisfactionem eſſe duplicem, vnam, quæ placat nobis Deũ iratum propter peccata noſtra, & quæ reſtituit nos in gratiam Dei, & quæ delet culpam, ac propterea hæc ſatisfactio dicitur eſſe pro culpa mortali, & pro pœna æterna illi debita; de hac in præſenti non eſt ſermo; & hæc fit per contritionem, quia eſt actus, quo vtimur ad remiſſionem peccati. Altera verò eſt ſatisfactio, quæ eſt actus noſter, quo ſoluimus aliquid pro remiſſione pœnæ temporalis, dimiſſa iam culpa, & de hac agimus in præſenti.

Prænotamus diſcrimen inter ſatisfacere pro peccato, & ſatis pati pro peccato: nam peccatores redeuntes ſponte ex motione diuina, & dolentes, & affectu charitatis reſpicientes, & ſubeuntes voluntariam pœnitentiam, iure taxatam ſatis patiuntur, & ſatisfaciunt pro ſuis peccatis; damnati verò in Inferno, ſatis patiuntur quidem, ſed non ſatisfaciunt. Hinc Scotus dixit ſatisfactionem eſſe redditionem voluntariam; vbi diſtinguit ſatisfactionem à coacta punitione; hæc enim rationem ſatisfactionis non includit. Et ſuadetur breuitèr; tum quia ſatisfactio eſt effectus virtutis pœnitentiæ; de ratione autem virtutis pœnitentiæ eſt, vt ſit voluntaria deteſtatio, & vindicta peccatorum, vt dicebat Scotus diſt. 15. quarti q. 1. & 2. Tum quia virtus moralis eſt habitus electiuus rectæ rationi conſonus; ad electionem verò pertinet actus voluntatis. Tum quia nec meritum poteſt eſſe niſi voluntarium; ergò nec ſatisfactio. Antecedens eſt omnium Theologorum, & pręcipuè Scoti in 18. tertij ſententiarum.

Aduertimus item, quod ſatisfactio præſupponit debitum, & debitum præſupponit conuentionem, & ratione conuentionis inſurgit ratio iuſtitiæ. Satisfactio, quia includit debitum, diſtinguitur à merito: meretur enim quis apud illum, qui prius non tenebatur illi, ſed nemo ſatisfacit, niſi præſuppoſito debito; debitum autem eſt multiplex: quoddam naſcitur ex mandato ſuperioris, cui ſatisfit per obedientiam: quoddam oritur ex ſuſcecto beneficio, cui ſatisfit per gratiarum actionem: quoddam naſcitur ex meritis, cui ſatisfit recompenſatione: quoddam naſcitur ex contractu perſonarum, cui ſatisfit ſolutione, vel rerum permutatione: quoddam naſcitur ex ablatione alieni, vel damnificatione, cui ſatisfit per reſtitutionem æquiualentis, & quoddam eſt debitum, quod oritur, offendendo ſuperiorem, cui ſatisfit pœnali ſubiectione.

Digitized by Google

Sunt notandi iſti duo pręſertim modi, debiti vltimo loco dicti; quia ſic debitores ſumus Deo. Ad ampliorem doctrinam notamus: debitum, aliud eſt ciuile, aliud criminale; alitèr ſatisfit iuſtitiæ in debito ciuili, alitèr in debito criminali: alter poteſt ſatisfacere pro ciuili debito alterius, ſed non ita pro debito criminali: hinc pro ſicario non poteſt ſatisfacere innocens, quãuis ex charitate ſe offerat morti: quia ſi Iudex acceptaret mortem innocentis pro ſicario non ſeruaret iuſtitiam, quamuis gratiam faceret ſicario. Ratio eſt: quia pœna criminalis, vel potius perſonalis, non ordinatur tantùm ad ſatisfactionem pro offenſa, ſed etiam ad medicinam aliorum.

Boni operis quatuor poſſunt eſſe effectus, beneficentia, meritum, medicina, & ſatisfactio; bonum opus, inquantum eſt virtuoſum, eſt etiam beneficum: quia facit bonum ipſum operans, & ſi fiat in gratia iuſta inclinationem charitatis eſt etiam meritorium; ſi autem adhuc eſt pœnale, & pœna non ſit alia ratione debita, ſic eſt medicinale. Poſtremo ſi ſit opus bonũ moralitèr, & pœnale, & debitũ eſt ſatisfactoriũ; ita quod ſatisfactio poteſt ſic definiri ex Scoto in 4. diſt. 16. quæſt. 1. ſatisfactio eſt redditio voluntaria pœnalis æquiualentis alias indebiti. Cum dicitur redditio, diſtinguitur à merito, cum dicitur voluntaria, diſtinguitur à ſatisfactione; cum dicitur pœnalis, diſtinguitur à bono virtuoſo moralitèr; cũ dicitur æquiualentis iterum diſtinguitur à merito, & cũ dicitur alias indebiti, exprimitur proprium ipſius ſatisfactionis.

Aequiualentia, de qua dictum eſt, ſecum trahit multas difficultates, & primò: an æquiualens, quod redditur, debeat proportionari arithmeticè, vel geometricè, damno illato, vel bono ablato, & quoniam ad hoc communior ſententia tenet) cui non contradico) quod ſufficiat proportio arithmetica, vt puta; ſi peccator commiſit decem peccata, reddat aliquid æquiualens decem peccatis, ſi commiſit centum, centum; ſed non requiritur, vt tanto conatu affectus diligat Dominum, ſatisfaciendo, quanto conatu affectus, auerſus eſt à Deo, peccando. Secundò dubium eſt: an pondus, & valor in ſatisfactione ſumi debeat à natura ipſius operis, an ab æſtimatione acceptantis; conſtat enim in iuſtitia humana, quæ dicitur commutatiua, quod pretium non iudicatur ſemper ſecundum valorem naturalem rei, ſed ſecundum valorem vſualem, vel iuſtà vtilitatem rei, & qui emit equum, ſi indiget, pro illo maiorem quantitatem pecuniæ ſoluit, quam alter minus indigens, & hoc propter vtilitatem rei. Item, Annona eſt carioris pretij circa finẽ hyemis, quàm tempore meſſis, & hoc eſt propter valorem vſualem; & quantum adhoc, dicerem, quod ſatisfactio rigoroſa, debet eſſe redditio boni æquiualentis ſecundum naturam ſuam.

Tertiò dubium eſt: an valor operis magis debeat penſari ex charitate, à qua oritur; an ex dignitate facientis. Quantum ad hoc, notandum eſt, quod vita æterna tribus modis datur. Primò modo datur filijs, & ſic valor operis filij conſequentis vitam æternam, menſuratur ſecundum dignitatem perſonæ; quando vero datur per modum mercedis, valor operis menſuratur ſecundum quantitatem charitatis, & quãdo datur per modum brauij, menſuratur opus bonum ſecũdum menſuram acceptationis actiuæ ipſius acceptãtis; ſed quia vt dictum eſt, ſatisfactio diſtinguitur à merito: in propoſito valor operis deberet accipi ab ipſamet eſſentia operis, aut à charitate operantis.

Naturam ſatisfactionis explicat Scotus in 4. diſt. 15. quæſ. 1. dicens ſatisfactionem eſſe redditionem æquiualentis pro æquiualenti voluntariam, & alias indebiti: exẽpli gratia, quis furatur centum, & reddit centum illi, cui abſtulit; dicitur etiam ſatisfacere de rigore iuſtitiæ; hæc explicatio ſecũdum communem Scotiſtarum cõpetit ſolum ſatisfactioni latæ ſumptę. Satisfactionem verò ſtrictè ſumptam explicat eadem quæſtione §. de ſecundo principali, dicens: ſatisfactionem ſtrictè ſumptam eſſe operationem exteriorem laborioſam, ſeú pœnalem, voluntariè aſſumptam ad puniendum peccatum commiſſum, & hoc ad placandam Diuinam offenſam; vel alitèr ibidem; eſſe paſſionem, ſeù pœnam voluntariè tolleratam in ordine ad prædictum finem. Vndè quantum ad totum, quod communitèr docent

Theo-

Digitized by Google

Theologi de ſatisfactione, ſatisfactio pro vt ad noſtrum propoſitum ſpectat, aliud nõ eſt, quàm recompenſatio quædam offenſæ commiſſæ contra Deum, per aliquod opus meritorium, ſeù pœnale.

De neceſſitate ſatisfactionis latè diſputant recentiores aduerſus Lutheranos; videte Vegham lib. 13. cap. 35. & ſequen. Belarminum in librum tertium de pœnitentiam per totum. Neceſſitas pœnitentię eſt diffinita in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 14. & 26. & Fuſius ſeſſ. 14. cap. 8. & 9. vbi noſtram ſatisfactionem in Chriſto fundari aſſerit; ita tamen vt nos ſatisfaciamus per virtutem, & ſufficientiam ab illo acceptam. His ſtantibus, difficultates concernentes materiam de ſatisfactione ſacramentali, dabimus ſolutas per ſubſequentes propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Satisfactio eſt neceſſaria cuilibet peccatori ad reconciliandum ſe Deo, & ad receptionem gratiæ, & ad remiſſionem peccati mortalis.

Probatur: ex dictis ſupra pœnitentiæ Sacramentum eſt neceſſariũ habentibus peccatum mortale; ergò & ſatisfactio. Conſequentia patet: quippè ſatiſfactio eſt pars, vel quaſi pars ſacramenti, vt conſtat ex Trident. ſeſſ. 14. capit. 3. vbi definit, confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem eſſe partes integrales huius ſacramenti. Accedat ratio, qua vtitur idem Concilium: Diuinæ iuſtitiæ ratio exigit, vt alitèr à Deo in gratiam recipiãtur, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerunt; alitèr verò, qui ſemel à peccati, & Dœmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare, non formidauerint; ergò aliquid vlterius exigitur ab eo, qui poſt habitam amicitiam cum Deo, ipſum offendit, quã ab eo, qui nondum receptus eſt in eius amicitiam; (magis enim eſt amicum offendere, quàm inimicum). Dices plus quidem exigi; ſed non indè ſequi exigi ſatisfactione: nam à peccantibus poſt baptiſmum exigitur confeſſio ſuorum peccatorum, qualis non exigitur à nondum baptizatis. Contra nam eatenus requiritur confeſſio, quatenus eſt pars ſacramenti; ergò cum ſatisfactio etiam ſit pars pœnitentiæ, vel ſacramenti, debet ſimilitèr exigi. Confirmatur: nam vt docet idem Trident. pœnæ ſatisfactoriæ multum iuãt. Primò: quia pœnæ ſatisfactoriæ, quaſi freno quodam coercent pœnitentes, & cautiores, & vigilantiores in poſterum efficiunt. Secundò medentur peccatorum reliquias, & vitioſos habitus contrarijs virtutum actionibus minuunt, & tollunt. Tertiò pœnas culpæ dimiſſæ debitas remittunt. Quartò, Chriſto, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit patiendo, conformes efficiunt. Quintò ſunt remedia ad conſequendam gloriam Cæleſtem: nam etiãſi culpa ſit dimiſſa, niſi plenè ſatisfaciamus, in Cælum non introibimus. Tandem docet Concilium ſatisfactorias pœnas non ſolum ad nouæ vitæ cuſtodiam, ad infirmitatis humanæ medicamentum, ad benè viuendum exercitationem, &c. eſſe neceſſarias; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationẽ, & compenſationem iniuriæ factæ. Legatur Triden. ſeſſ. 14. cap. 8. Adde experientiam nos docere inter ipſos homines, quod quando vnus offendit alium, non iterum reconciliatur ipſi, niſi aliquo modo ſecundum menſuram offenſæ, ſaſisfaciat ipſi; ergò à fortiori, offendens Deum debet ipſi ſatisfacere.

Oppones nobis cum Hæreticis: Deus gratis remittit culpam, & pœnam; ergò nullam exigit ſatisfactionem. Probatur conſequentia: nam qui ſatisfacit parti læſæ, ſi ſatisfecerit ipſi iam nihil ipſi debet, nec alius poteſt aliquod ab ipſo exigere quàm ſatisfactionem; ergò ſi Deus gratis remittit peccatum, & pœnam, non exigit ſatisfactionem. Negatur conſequẽtia: dicitur enim Deus gratis remittere pœnam; quia ipſe gratis dat nobis, quò poſſimus ipſi ſatisfacere pro pœna, & quatenus acceptat noſtram ſatisfactionem, cum poſſet ipſam reſpuere, & procedere ſecundum rigorem iuſtitiæ. Secundò dicitur gratis remittere offenſam, quando tali offenſæ correſpondet pœna æterna, & ta-

Digitized by Google

tamen ipſe contentus eſt pœna leui tranſitoria, & temporali, quæ comparata ad æternam,eſt quaſi nulla; vnde non ſequitur ex eo, quod dicatur gratis remittere pœnam, quod nullam exigat ſatisfactionem. Dices, Chriſtus ſatisfecit pro omnibus; ergo nulla exigitur à nobis ſatisfactio. Negatur conſequentia: nam ſatiſfactio Chriſti non euacuat, aut tollit noſtram ſatisfactionem, ſed potius dat ipſi valorem, & efficaciam; immò ſatisfactio Chriſti, vel conſiſtit in hoc, vel certè importat, quod det valorem noſtræ ſatisfactioni.

Oppones ſecundò:grauius eſt peccatum mortale, quàm originale: ſed non exigitur à nobis ſatisfactio pro originali, ergò nec pro mortali. Negatur conſequentia nam Deus acceptat, & præcipit ſatisfactionem pro perſonali, nō autem pro originali, quod inficit totam naturam; quod ſi Deus vellet acceptare ſatisfactionem pro originali; vtique nos deberemus pro ipſo ſatisfacere, ſicut pro peccatis perſonalibus, quemadmodum Chriſtus ſatiſſatisfecit. Deindè ſatisfactio,de qua in præſenti agimus non tam eſt reconciliatio peccatoris cum Deo, quàm quædam ſolutio pœnæ correſpondentis ſuo peccato;cum vero peccato originali (ſecundum cōmunem ſententiam)nulla correſpondet pœna in alia vita,nulla conſtituta eſt ſatiſfactio pro ipſo in hac vita.

Scotus diſt.15. quarti art.1.difficultat: an poſſit eſſe ſatisfactio tantùm per opera ſupererogationis, an etiã per opera præcepta; quod per priora poſſit eſſe ſatisfactio, habemus clarè locum Scoti diſt.15. art.3. Et ratio ſuadet: quia redditio æquiualentis alias indebiti eſt; nec in hoc diſcrepat aliquis Theologus catholicus. An verò per opera præcepta poſſit fieri ſatiſfactio, videtur Scotus negare ex diffinitione ſatisfactionis, quæ debet eſſe per opus alias indebitum,quod exponit Scotus de debito præcepti, vt videre licet, tum in tertio hoc articulo citato, tum in quæſt.2. diſtinct.15. ad ſolutionem primi argumenti, & ita tenet Gabriel diſtin. 16. quæſt.2.notabili primo,& Capreolus diſt. 15.qu.1.art.3. quarti ſententiarum; fauet Sanctus Anſelmus lib.1.cur Deus homo: cap.14.vbi aſſerit non poſſe nos ſatisfacere Deo ad æqualitatem: quia omnia,quæ ei offerre poſſumus, ei debemus; quod, vt explicat Scotus in 3.diſt.19. qu. vnica, aſſerit multa non eſſe nobis præcepta,per quæ poſſumus Deo ſatisfacere,quod idem repetit in 3.art. diſt.15.quarti.

PROPOSITIO II.

Oppoſita ſententia mihi probatur.

EAM ſequitur Caietanus to.1.opuſc. tract.6. q.1. & in ſumma verbo ſatiſfactio, Soto diſt.19.qu.2.art.1. Ledeſma qu.14.art.1. dub.5. ſunt etiam multi alij pro hac ſententia, quos citat Suarez 4.tomo diſput.37.ſeſſ.4. In hanc partem inclinor, à qua non mihi videtur alienus Scotus d.15.ſupra lit.N. & fauet diſt. 16. tertij quærens an Chriſtus habuit neceſſitatem moriendi ex violentia paſſionis cōcedit per totam quæſtionem, & præcipuè ſolutionem argumentorum principalium poſſe eſſe meritum in ijs, quæ neceſſaria ſunt, vt volendo Deum ex charitate eſſe iuſtum, bonum, ſanctum, & maximum meritum; cum tamen velit, no it voluntas, Deus eſt talis. Hoc idem concedit in 4. diſtin.21.quæſt.1. ad ſolutionem vltimi argumenti principalis. Item volendo ea, quæ neceſſariò eueniunt poſitis cauſis naturalibus, etiam poſſumus mereri, vt infirmitates, atque adeo mortem æquo animo acceptando, mereri poſſumus: ergo per eadem poſſumus ſatisfacere: eadem enim eſt ratio in hoc meriti, & ſatisfactionis: ergò ſimilitèr per ea,quę ſunt præcepta, poſſumus ſatisfacere. Cōfirmatur: quia Chriſtus Dominus habuit mandatum de morte ſubeunda Ioann.10. Mandatum accepi à Patre, &c. & tamen per eam, nedùm meruit nobis, ſed ſatiſfecit pro nobis. Antecedens autem eſt Scoti, nedum aliorum Theologorum in illa diſtinct. 16.citata. Ratione etiam ſuadetur. Tum quia nos ex voto tenemur ad multa opera pœnalia, & tamen verum eſſet dicere per ea nos nō ſatiſfacere peccatis noſtris. Tum quia Martyr cum ex præcepto cogitur ad ſubſtinendam mortem, verè meretur, & etiam ſatisfacit,vt merito dixerit ſanctus Auguſtinus de ſancto

Digitized by Google

cto Cypriano, quod per martyrium tolleratum, ablata eſt culpa, qualis illa fuerit, contemnens cōtra Cornelium Papam, hac proinde ſatisfecit, idem cenſendum eſt de dante eleemoſynam, de ieiunante ex præcepto, quibus opus eſt præceptum, & tamen non auderem dicere non eſſe ſatisfactorium. Tum denique, quia ea opera ſunt pœnalia, & poſſunt habere rationem vindictæ aſſumptæ pro peccato, ergò poſſunt habere rationem ſatisfactionis.

Quare cum dicitur debere eſſe ſatisfactionem redditionem æquiualentis alias indebiti; poſſumus dicere eam diffinitionem eſſe traditam de ſatisfactione de rigore iuſtitiæ, quam dicimus eſſe in opere alias debito, vel præcepto. Addit verò Suarez loco citato, qui eſt eiuſdem opinionis, poſſe ſatisfieri præcepto per actionem bonam, vt talis eſt; qua verò eadem actio pœnalis eſt, poteſt ſolui illa pœna, quæ peccato debetur; nam præceptum per ſe ad actum virtutis obligat, quod verò exercendo illum actum homo pœnam patiatur, per ſe non exigitur ex debito præcepti, qua igitur ratione talis actio pœnalis eſt, ſatisfactoria eſſe poteſt.

PROPOSITIO III.

Probabile eſt peccatorem non poſſe ſatiſfacere pro pœna debita ſuis peccatis, operibus alias debitis, & præceptis.

FAuet huic propoſitioni Scotus in 4. diſtin. 15. qu. 1. vbi dicit ſatisfactionem eſſe ex alias indebitis. Probatur primò: nam peccator independenter à peccato, quod commiſit, eſt debitor præcepti, & per peccatum contraxit aliud debitum: ergò per ſolutionem prioris non ſoluit ſecundum. Conſequentia patet à paritate aliorum debitorum, in quibus nullus per ſolutionem vnius, ſoluit alterum. Probatur antecedens principale quoad primam partem: nam omnes tàm iuſti, quàm peccatores, ſunt debitores legis; ergò fit vt debitum adimplendi legem, non dicit ordinem ad peccatū mortale. Probatur ſecunda pars: nam peccator poſt peccatum eſt debitor pœnæ, cuius non eſt debitor, qui nondum peccauit: ergò per peccatum contrahit aliud debitum diſtinctum diſtinctum à priori. Confirmatur à paritate: nam ſi quis deberet tributum Principi, mille aureos v. gr. & præterea eſſet lex, vt qui percuteret Miniſtrum Principis, ſolueret mille aureos; ſanè, ſi quis percuteret Miniſtrum non ſatisfaceret vtrique debito ſoluendo ſolum mille aureos; ſed idem eſt per omnia in propoſito; ergò per ſolutionem vnius, non ſoluitur alterum. Confirmatur ſecundò: nam ſi Deus obligaret ſe ad præmiandum omnes actus bonos noſtros gratia, & gloria, & vnus gradus gratia, & gloriæ eſſet præmium debitum vni actui de condigno, & alius alteri, & quis eliceret duos actus bonos intuitu iſtius mercedis, non diceretur Deus præmiare ſufficientes illos duos actus, dando vnum ſolum gradum gratiæ, aut gloriæ; nam ille gradus debebatur ob vnum actum, & ſecundus non magis præmiaretur, quàm ſi nullo modo premiaretur; ergò ſimilitèr, ſi homo eſt debitor Deo reſpectu obſeruantiæ mandatorum, & etiam pœnæ ſoluendæ hic, vel in alia vita; per ſolutionem vnius, non cenſetur ſoluere alterum.

Deinde ex oppoſita ſententia ſequeretur, quod ſi alicui obligato ad dicendum officium Diuinum, imponeretur pro pœnitentia dicere orationem Dominicam propter aliquod peccatum, ſatisfaceret huic pœnitentiæ dicendo Matutinum, vel Miſſam, vel quid ſimile: nam in his dicit orationem Dominicam; nec obſtat ſecundum ipſos, quod ex titulo officij Diuini teneatur ipſum dicere.

PROPOSITIO IV.

Proponuntur, & ſoluuntur quæ noſtram tertiam impugnant propoſitionem.

OPpones primò: poteſt quis vno opere ſatisfacere pluribus obligationibus: nam per idem ieiunium poteſt quis ſatisfacere, & voto, & præcepto; ergò operibus præceptis, & alias debitis poteſt

quis

quis ſatisfacere. Reſpondetur negando conſequentiam, & paritatem: procedit enim argumentum de ſolutione vnius debiti pluribus titulis ad ſolutionem pluriũ debitorum diuerſis titulis correſpondentium: non enim ſequitur, poſſum ſatisfacere vnico actu voto,& præcepto exigentibus vnum, & eundem actum; ergò poſſum exhibitione vnius operis alias debiti, & præcepti ſatisfacere alij obligationi exigenti aliud opus; peccatorem autem eſſe debitorem diuerſorum debitorum, & non vnius ex pluribus titulis tantùm, patet ex prima probatione propoſitionis.

Oppones ſecundò Trid. ſeſſ. 6. cap. 10. vbi docet nos mereri per opera præcepti, ſeù per obſeruantiam mandatorum, ergò per eadem ſatisfacere poſſumus. Propter hanc Trid. authoritatem Eminentiſſimus Lugo dixit non poſſe defendi noſtra propoſitione. Contra quam etiam ſunt Ledeſma in 4. d. 19. q. 2. Medina tract. 3. q. 4. Suarez 3. parte diſp. 37. ſeſſ. 4. Coninch. diſp. 10. de ſatisfactione dubio 4. & ex Scotiſtis nonnulli. Nihilominus tamen pro noſtra propoſitione ſunt Theologi non contemnendi, vt Paludanus diſt. 15. q. 1. artic. 2. Maior. q. 2. dubio 1. Gabriel d. 16. q. 2. Capreolus d. 15. q. 1. articulo 3. Ad argumentum ergò negatur ſequela; nam ad ſummum ex illo loco ſequitur, quod poſſent acceptari opera præcepta in ordine ad ſatisfactionem, quod nos non negamus; non verò ſequitur, quod de facto ex eo, quod opus præceptũ ſit meritorium, etiam ſit ſatisfactorium, niſi id aliundè conſtiterit: conſtat autem Deum acceptare opera præcepta in ordine ad maritum, tum ex præfato loco Trid. tum ex Euangelio expreſsè, iuxta id: qui fecerit, & docuerit (intellige opera præceptis) hic magnus vocabitur in Regno Cælorum; & Chriſtus interroganti, quid faceret vt vitam æternam poſſideret, ſerua (inquit) mandata; & alibi: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis: cum ergò ſit promiſſio Dei de præmiando opera præcepta, in qua promiſſione, & acceptatione principalitèr fundatur tota ratio meriti; niſi adſit talis promiſſio illis in ordine ad ſatisfactionem, licèt poſſent acceptari; nõ debemus ex nobis gratis aſſerere, quod ſint ſatisfactoria: nulla autem aſſignatur ab Aduerſarijs promiſſio de acceptatione talium operum in ordine ad ſatisfactionem; ergò licet ſit meritoria, & poſſent eſſe ſatisfactoria, minimè ſequitur, quod de facto ita ſint.

Deindè opus præceptum per ſe, & directè videtur exigere præmium, ſicut actus cuiuſcumque alterius virtutis; nam obſeruando præcepta ſuperioris, exhibemus obedientiam ipſi; obedientia autem eſt virtus: at opus præceptum ex ſe nullo modo reſpicit ſatisfactionem: quippe ſatisfactio præſupponit debitum pœnę, pręceptum verò non ſupponit, aut culpam, aut pœnam, eſt ergò fundamentum aliquod, ob quod dici poſſit opus præceptũ meritorium eſſe, quamuis nullo modo foret ſatisfactorium, ergò non benè infertur vnum ex altero. Reſpondetur ſecundò ex illo loco Concilij potius inferri oppoſitum: Tridentinum enim ibi determinat opera præcepti eſſe meritoria gratiæ, & gloriæ. Iam peto: an gratia, & gloria correſpondens ipſis, ſit præmium adæquatum, & proportionatum ipſis, vel non? Secundum dici non poteſt; etenim gradus glorię excedit valorem cuiuſcumq; operis noſtri; nam teſte Apoſtolo: Non ſunt condignæ paſſionis huius tẽporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; ergò dicendum eſt illud præmium non ſolum eſſe proportionatum noſtris meritis, ſed etiam ipſa excedere. Nunc ita diſcurro; Deus de rigore iuſtitiæ præmiat actus noſtros præceptos,& vltra condignũ; ergò illis non ſatisfacimus pro pœna debita noſtris peccatis ex vi ipſorum operũ. Probatur conſequentia: nam ratio iuſtitiæ non exigit, niſi quod præmium correſpondeat meritò, & adæquet ipſum, licet enim præmians poſſet ex ſua liberalitate dare plus, tamen ex iuſtitia non tenetur; ergò cum dat præmium adæquatum intuitu operis præcepti, gratiam videlicet, & gloriam; illa opera de iuſtitia non erũt ſatisfactoria. Conſequentia probatur: Nam ſatisfactio, quam exhibemus pro pœna debita noſtris peccatis, eſt ſatisfactio iuſtitiæ; ergò Deus non tenetur ipſam acceptare ex operibus præceptis, quę alias ſuperabundè præmiat.

Dices eleuari talia opera virtute clauium, & ſic poſſe exigere acceptari non

ſolum

ſolum in ordine ad præmium, ſed etiam in ordine ad ſatisfactionem, ſicut dicitur de ſatisfactione exhibita à peccatore. Reſpondetur primò nunquam à Deo eleuari, itaut gratia, & gloria ipſis correſpondens non ſit proportionatum præmiũ ipſis de toto rigore iuſtitiæ. Secundò, negando paritatem inter illa, & ſatisfactionem exhibitam in peccato quoad ſic eleuari: nam ſatisfactio illa exhibita in peccato, eſt libera, & indebita ex alio titulo, quàm ex titulo ſatisfactionis. Tertiò, congruum eſſe, vt opera illa peccatoris acceptentur in ordine ad ſatisfactionem, potius quàm opera præcepti iuſti: nam operibus ſatiſfactorijs peccatoris valdè congruum eſt, vt aliquid boni correſpondeat; nihil autẽ ipſis correſpondet gratiæ, aut gloriæ; ergò ſaltim debent acceptari in ordine ad ſatisfactionẽ; at verò operibus præceptis correſpondet præmium, & ſic non oportet, quod acceptentur in ordine ad aliquod aliud.

Oppones tertiò: Martyr, qui ſubſtinet acerbiſſima tormenta ob confeſſionem fidei, non ſolum meretur, ſed etiam ſoluit totam pœnam debitam ſuis peccatis, & tamen ex præcepto tenetur ſubſtinere illa tormenta propter fidem; ergò quod aliquid debeatur ex præcepto, vel alio titulo, non facit quominus habeat virtutem ſatisfaciendi. Huic argumento facilis eſt nobis reſponſio; non enim negamus aliquod opus ex ſpeciali priuilegio, licèt præceptum eſſe, & meritorium gratiæ, & gloriæ, & etiam acceptari in ordine ad ſatisfactionem; Martyrium autem habet hoc ex ſpeciali priuilegio, quod ſit vltima diſpoſitio ad gratiam, & gloriam; vndè cum hic in caſu, de quo controuertitur, nõn ſit acceptatio; aut promiſſio Diuina de ſatisfactione operum præcepti, vel ſaltim nõn probetur à Aduerſarijs, non debemus dare ipſis tantum valorem: nam priuilegia, ſeu fauores particulares non præiudicant legi vniuerſali. Quod autem non ſequatur ex inſtantia de martyrio, quod opera aliorum præceptorum habeãt vim ſatisfaciendi, patet: nam tormenta, quæ ſubſtinet martyr pro defenſione fidei licèt teneatur ex præcepto ipſa ſubſtinere; non ſolum remittunt pœnam temporalem debitam peccatis ipſi antea præmiſſis, ſed etiam pœnam æternam omnium peccatorum, quæ tunc actu habet, & etiã ipſa peccata: at verò opera aliorum præceptorum ex ſe numquam remittunt peccata mortalia, aut pœnam ipſis debitam; ergò martyrium habet aliquid excellentiæ, quod non habent opera aliàs præcepta. Sicut ergò hoc habet reſpectu remiſſionis omnium peccatorum, & pœnæ æternæ nondum comutatæ in pœnam tẽporalem; cur non haberet ipſam reſpectu ſatisfactionis pro pœna temporali, in quã commutatur illa pœna æterna, cùius reatum toleret, ſi tunc adeſſet.

Obijcies quartò ex Soto: Eccleſia præcipit ieiunium Quadrageſimæ, & quatuor temporum in ſatisfactionem pro peccatis, ſeu pro pœna ipſis debita: ergò opera præcepti habent vim ſatisfaciendi. Antecedens probatur ex illis verbis præfationis: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris, & præmia*. Huic præfationi deeſt vna particula, ex cuius defectu neſcio quo modo potuit adduci ad propoſitum; quæ tamen ſi adeſſet, non ſufficeret ad ipſum probandum: debebat enim adiungi: & pœnas remittis; quam particulam non adiunxit Eccleſia, ne videretur fauere alteri ſententiæ; vndè ſiuè antecedens ſit verum; ſiuè non, nullo modo ſequitur ex illo loco, in quo nec mentio fit talis effectus. Dato etiam, quod Eccleſia præciperet huiuſmodi ieiunium in eũ finem, non facit contra nos: nam quando præcipitur aliquid ob finem ſatisfactionis, & non debetur ex alio titulo, tunc poteſt ſatisfacere per tale opus; in propoſito autem, ſatisfactio exhibenda pro peccatis per opus alias præceptum, ſeu ipſum opus eſt ex alio titulo debitum, vndè per ipſum non poteſt ſatisfieri.

Obijcies quintò: Chriſtus Dominus ſatisfecit pro nobis operibus etiam præcepti ergò, &c. Huic argumento facilis eſt reſponſio ex dictis: nam vel hoc fuit ex ſpeciali priuilegio ipſi ſoli conceſſo; vel talia opera erant præcepta in ordine ad ſatisfactionem.

Oppones ſextò: Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 9. & Canone 13. docet nos non ſolum ſatisfacere per pœnas à nobis ſpontè ſuſceptas, ſeu ſacerdotis arbitrio nobis impoſi-

impoſitas; verum etiam temporalibus flagellis à Deo immiſſis,& patientèr toleratis; ergò à fortiori ſatisfacimus operibus alias præceptis. Probatur conſequentia; nam minus videtur poſſe nos ſatisfacere huiuſmodi pœnis, quibus nullo modo ipſo cooperamur, quàm illis alijs operibus,quæ liberè à nobis procedunt. Negatur conſequentia. Ad probationem concedo hominem magis, ſeù melius ſatisfacere ſuis proprijs operibus,quàm alijs neceſſitate, vel caſu accidentibus, quando illa opera ſunt ſatisfactoria, & ad ipſa alias non teneretur; quando verò tenetur ad ſatisfaciendum pro peccatis, & teneretur independētèr à tali ſatisfactione ad exhibenda illa opera, non magis ſatisfaceret illis, quàm illis alijs flagellis ſibi à Deo immiſſis. Imò impertinens omnino eſt, quod quis cooperetur illis pœnis in ordine ad ſatisfactionem, licèt in ordine ad meritum cōduceret noſtra cooperatio. Quemadmodum, quando Iudex fert ſententiam in aliquem, vt flagelletur; licèt reus nullo modo cooperetur ſuæ pœnæ, ſed alius ipſum cædat, ipſo etiam remittente plenè ſatisfit iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ nihil aliud exigit, quàm quod puniatur delinquens, ſiue ipſe ſe puniat de mandato Iudicis, ſiuè ab alio puniatur. Non ergò mirum eſt, quod quis ſatisfaciat pro pœna correſpondēte ſuis peccatis per flagella ipſi à Deo immiſſa: cum Deus talia flagella mittat in hunc finem, & alias ipſi non delebantur, quod eſt argumētum immenſi amoris Dei erga homines,quod imminentem ipſis pœnam in alia vita ſoluendam, commutet in leuem, & tranſitoriam in hac vita; tū quia quod hic ſoluimus nō retardat nos à conſequutione beatitudinis poſt mortem,tum quia multò intolerabilior eſſet pœna ibi ſoluēdo, quàm quæcumque huius vitæ, etiam Tyrannorum tormenta.

Scotus in ſecundo articulo diſtinctionis decimæ quintæ agit de celebri, alia queſtione: an homo poſſit ſatisfacere de peccato Deo, quem offendit. Sed quia hæc quæſtio fuit à nobis diffusè tractata in materia de Incarnatione; ideò ad ibi dicta remitto vos.

Legatur Scotus in 3. diſt. 19. Tenet ergò hic in 4. d. 15. art. 2. ſicut & ibi in 3. quod homo purus, ideſt non vnitus Verbo, de Dei potentia abſoluta, etiamſi eius actio non iungatur merito paſſionis Chriſti, ſatisfacere poſſe; ſufficiat nobis ad eum locum remiſiſſe lectorem. Breuitèr tamen dicam aliquid. Sit ergò.

PROPOSITIO.

Homo purus, ideſt non vnitus Verbo, de Dei potentia abſoluta poteſt ſatisfacere Deo de peccato, &c.

PRobatur ex Scoto; ſatisfacere ſecūdū æqualitatē iuſtitiæ,eſt reddere æquiualēs pro æquiualēti:ſed pura creatura, ſeù purus homo ſanctus, & iuſtus, poſſet reddere æquiualens pro æquiualenti: ergò poſſet pura creatura ipſi ſatisfacere ſecundùm æquiualentiam,& æqualitatem iuſtitiæ. Minor probatur: quia quantum malum eſt auerſio à Deo per peccatum, tantum bonum eſt conuerſio à Deo per charitatem; ſed ſi Deus vellet, poſſet creare hominem purum ſine peccato originali, & infundere ipſi tantam gratiam, quantam infuſit Chriſto; & talis valeret intenſiſſimè, & perfectè diligere Deum, & exercere multos actus bonos, & meritorios, & ſatisfactorios, & Deus poteſt hos actus acceptare in ſatisfactionem aliorum: quandoquidem (vt ſupponimus) ipſa perſona ſatisfaciens non indigeret pro ſe illa ſatisfactione: ergò talis valeret condignè ſatisfacere pro peccatis aliorum, & totius naturæ lapſæ. Valor huius rationis (quæ eſt præcipuum fūdamentum huius Scoticæ doctrinæ) clareſcet ex ſolutione argumentorum aduerſæ partis, & impugnatione reſponſionum, quibus aduerſarij reſpondent ad prædictam rationem.

Reſpondent ergò primò: puram creaturam non poſſe æquiualentèr ſatisfacere Deo pro vllo peccato mortali ex eo,quod peccatum mortale ſit infinitæ malitiæ, vel ſimplicitèr, vt aliqui dicunt, vel ſecundùm quid, vt volunt alij: quia offendit Deum infinitè bonum, & auertit à bono infinito, quod eſt Deus, adeoque, excedit finitam ſatisfactionem, & recompenſationem

ſationem puræ creaturæ. Hanc reſponſionem ita impugno: in peccato mortali non eſt maior malitia, quàm ſit bonitas, quia priuat (quia priuationes ſpecificantur à forma oppoſita:) ſed bonitas qua priuat eſt finita; ergò & ipſum peccatum eſt intrinſecè finitum, licèt extrinſecè poſſit dici infinitum, quatenus offendit maieſtatem infinitam. Minor eſt certa, & admittitur ab Aduerſarijs, quia bonitas, ſeu rectitudo, qua priuat peccatum ineſt actui virtutis oppoſitæ, & conſequentèr eſt finita ſicut, & ipſe actus.

Suarez diſtinguit maiorem in peccato mortali non eſt maior malitia, quàm ſit bonitas, & rectitudo, quà priuat: ſi ſit ſermo de malitia peccati in ratione offenſæ, negat: quia (inquit) peccatum in ratione offenſæ eſt iniuria facta Deo, quæ iniuria propter infinitam Maieſtatem eius cui fit iniuria, non poteſt recompenſari æquiualentèr ab vlla pura creatura: cum ſit finita. Verum hæc reſponſio eſt potius euaſio, quàm ſolutio argumenti; nam quæro quibus ſuperaddat malitiæ peccati ratio offenſæ, ſiue phyſicè, ſiue morale, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum id ſit: omne tale debet eſſe finitum: cum ſit in ſubiecto finito.

Præterea gratis excogitatur à Suar. quod malitia peccati in ratione offenſæ opponatur Deo, & non rectitudini virtutis oppoſitæ: etenim illi ſoli opponitur peccatum formalitèr, quod priuatiuè tollere poteſt: ſed nil ex parte Dei, & Deo intrinſecum tollere poteſt peccatum; ergò, &c. Dices peccatum priuare Deum honore ipſi debito. Contra: quamuis hoc verum ſit, tamen non tollit vim noſtræ rationis; quia honor debitus à creatura, nõ eſt aliquod intrinſecum Deo, ſed tenet ſe ex parte creaturæ; cui incumbit debitum honorandi Deum; imò creatura peccando, non tollit honorem, qui eſt in Deo, vel ipſa creatura, ſed tollit honorem quẽ ipſa ſuo actu exhibere deberet; vel potius peccando non tollit honorem, ſed non exhibendo honorem Deo debitum, peccat. Accedat ſecunda impugnatio: ſi peccatum eſſet infinitæ malitiæ ratione offenſæ Diuinæ, & inimiciæ, quam ponit inter Deum, & creaturam peccantem, ſequeretur quod caritas eſſet infinita; quia perfectè attingit Deum per dilectionem, & facit amicitiam cum Deo; ſed nec ipſi Aduerſarij admittũt actum charitatis eſſe infinitum: ergò idem dicendũ eſt de peccato. Adde; ſi peccatum eſſet infinitum in ratione offenſæ, nullum peccatum excederet aliud in ratione offenſæ: at hoc eſt falſum ergò, &c. Probatur maior, quia quodlibet peccatum offendit perſonam infinitam; ergò quodlibet erit æqualitèr graue. Confirmatur; peccatum iuxta Aduerſarios eſt infinitum propter circumſtantiam perſonæ infinitæ, quam offendit: ſed quodlibet peccatũ etiam veniale offendit perſonam infinitam; ergò ex hoc capite, ſeu in ratione offenſæ, quodlibet peccatũ erit æquè graue, ſicut aliud. Item, ſi purus homo non poſſet ſatisfacere Deo æquiualentèr pro peccato mortali, ex eo quod ſit infinitæ malitiæ; ergò nec Chriſtus æquiualentèr ſatisfecit: quippè actus meritorius, & ſatisfactorius Chriſti fuerunt intrinſeci finiti; ergo non poterunt ſatisfacere pro malitia infinita peccati.

Reſpondent alij excedere vires puræ creaturæ ſatisfacere condignè, & ex iuſtitia pro peccatis naturæ lapſæ, ex eo quod peccatum primi parentis fuerit extenſiuè infinitum: quia ex Adamo primo capite diffundi poterat in infinitos homines, ſi exiſterent; vndè ſatisfactio finita puræ creaturæ, non valeret eos condignè redimere. Hæc reſponſio non eſt ſufficiẽs. Primò: quia non aſſignat rationem quare purus homo non poterit de facto condignè ſatisfacere pro peccatis hominum: quandoquidem non ſint infiniti. Secundò ſi ea reſponſio foret vera, deduceretur Chriſtum Dominum per actus ſuos ſatiſfactorios (qui in ſubſtantia erant finiti) nõ potuiſſe cõdignè ſatisfacere pro peccatis hminum, quod eſt falſum. Tertiò: poſſent actus ſatisfactorij puri hominis eſſe infiniti extenſiuè, ſi Deus ita vellet (ita docent multi) ergò & ſatisfacere pro peccatis infinitorum hominum, ſi exiſterent.

Reſpondet Vaſquez impotentiam ad ſatisfaciendum pro peccatis aliorum hominum prouenire ex natura gratiæ habitualis, quæ, cum ex natura ſua ſit tantum principium cõdignè merendi vitam æternam, & augumentum gratiæ ipſi habenti

Digitized by Google

gratiam habitualem; illam numquã poſſe extendi, vel eleuari ad ſatisfaciendũ pro peccatis alienis: quia quãtumuis eleuetur eſſet eiuſdem rationis ſicut de facto eſt: quippè promiſſio, vel acceptio Dei non addit valorem, vel condignitatem operibus bonis ex gratia prouenientibus. Contra primò: quia gratis aſſerit Vaſquez gratiam habitualem, quantumcumque intẽdatur, ex ſua natura habere hoc, vt non mereatur alteri, quàm habenti ipſam: etenim nulla poteſt aſſignari ratio quare ſicut de facto eſt principium merendi perſonæ habenti ipſam, & hoc ex ordinatione, & acceptatione Diuina; quare ſimilitèr, ſi Deus ita ordinare, & acceptare vellet de potentia abſoluta, non poſſet eſſe principium merendi alijs? Addè, quod de facto gratia habitualis Chriſti, fuit à Deo ordinata, & acceptata tanquam principium merendi alijs, & ſatisfaciendi pro ipſorũ peccatis: ergò falsũ eſt, quod gratia habitualis ex ſua natura habeat hoc quod ſit tantùm principium merendi perſonæ habenti ipſam. Addè quod de facto gratia habitualis vnius iuſti, eſt principiũ ſatisfaciendi per bona opera pro pœna temporali alterius; ergò gratia habitualis ex ordinatione Diuina poſſet extendi in ſatisfactionem pro peccatis alterius.

Eminentiſſimus Lugo reſpondet impotentiam puri hominis ad condignè ſatiſfaciendum pro peccatis tam proprijs, quã alienis, prouenire ex grauitate ipſius peccati; nè fortè (inquit) in hominum exiſtimatione vileſceret peccatum, & offenſa Dei ſi poſſemus condignè ſatisfacere pro noſtris, vel aliorum peccatis; vndè oriretur, ſicut dicit Cyprianus, quod facilitas veniæ laxaret habenas peccatis. Sed cõtra. Primò; ipſe Lugo admittit peccati malitiam eſſe finitam: ergò poteſt compenſari per ſatisfactionem finitam hominis iuſti à Deo ad hunc finem ordinatam. Probatur conſequentia, quia finiti ad finitum eſt ſufficiens proportio in ratione dati, & accepti. Reliqua, quæ ſpectant ad hanc difficultatem, leguntur in noſtro tractatu de Incarn.

Monemus tamen ad meritum, & ſatiſfactionem non ſufficere ſolam ordinationem, vel promiſſionem ex parte Dei præmiantis, ſed etiam requiri valorem fundamentalem, ſeù bonitatem moralem. Non me latet à quibuſdã modernis Thomiſtis opoſitum attribui Scoto, quaſi ſtatuerit meritum, & ſatisfactionem integrè tàm materialitèr, quàm formalitèr in ſolo Dei acceptatione conſiſtere, qualiſcũque ſit actus, ſit bonus moralitèr, ſiue indifferens, ſiue naturalis. Sed errant: Scotus enim in primo diſt. 17. qu. 2. §. Sed tũc dubium eſt de habitu, &c. dicit requiri ad actum meritorium, intentionem actus, ſubſtantiam actus, rectitudinem moralem & hanc ſupponi ad acceptationem Diuinam, quam acceptationem, infra vocat complementum meriti; & quæſtione 1. eiuſdem diſtinctionis aſſerit meritum eſſe actum liberum elicitum à gratia, & acceptatum, vt præmiabilem beatitudinem, & ibidem dicit Deũ eſſe idem cauſam principalem meriti, qui ordinat actũ ad præmium, non dicit tamen Deum eſſe cauſã totalem, nec meritum conſiſtere in ſola Dei acceptatione, ſed hanc eſſe vltimum complementum meriti. Et in 2. diſt. 41. dicit bonum meritorium ſupponere bonũ morale in actu: idem habet in 3. d. 18. & quodlibeto. 17. & 18. Et in 4. d. 15. qu. 1. per totam ſupponit ſatisfactionem conſiſtere in actibus bonis pœnalibus, aut æquiualentibus ſi ſint charitas perfectæ; & alibi idem habet; non habetur igitur ex Doctore, quod totum meritum conſiſtat in ſola acceptatione Dei; ſed potius quod partim conſiſtat in acceptatione partim in actu bono ipſius merentis; vndè perperam impingitur ipſi doctrina contraria ex vno tantum loco malè intellectu in 3. d. 19. §. in iſta quæſtione: hæc ſunt verba Scoti: quantum ergò valuit illud ad ſufficientiam? dico, quod ſicut omne aliud à Deo ideo eſt bonum, quia à Deo volitum, & non è conuerſo; ſic meritum illud tantum bonum erat pro quanto acceptabatur; & ideo meritum, quia acceptatur; non autem è conuerſo, quia meritum eſt, & bonum, ideo acceptatur; & tantùm potuit acceptari paſſiuè, quantùm tota Trinitas potuit, & voluit acceptare actiuè, &c.

Iſta verba intelligenda ſunt de merito formalitèr ſumpto, quã dicit ius ad debitum præmij; quia ſic illa cauſalitas eſt vera; ideo dicit ius, & debitum præmij, quia ac-

Digitized by Google

acceptatum; nam ſecluſa acceptatione nõ fundaret ius ad prꝑmium; nec eſſet bonum formalitèr meritorium; eſſet tamen fundamentalitèr, quod ſupponunt ſequẽtia verba, ſcilicèt: & tantam potuit acceptari paſſiuè quantùm tota Trinitas potuit, & voluit acceptare actiuè: ſed ex formali ratione ſua quam habuit, non potuit acceptari in infinitum, & pro infinitis, ſed pro finitis, &c. Vbi Scotus ſupponit rationem aliquam bonitatis merito proportionatam ad acceptationem, & præmium, quæ quoniam finita eſt, non potuit acceptari à Trinitate in infinitum, & pro infinitis, quia deficit proportio bonitatis fundamentalis, quæ æquiualeret præmio, & acceptationi infinitæ; vndè ſubdit ob circumſtantiam perſonæ Chriſti fuiſſe cõgruitatem, & acceptaretur meritum eius pro infinitis; quæ proportio non eſſet in merito perſonæ creatæ, neque ex parte operis, neque ex parte operantis? Falſo igitur tribuitur Scoto, quod non requirat actum moralitèr; imò vult bonitatem eſſe fundamentum proportionis determinatæ ſecundum determinationem ipſius bonitatis ad acceptationem, & præmium.

Vt res clarior reddatur; aduertendum hanc bonitatem, & valorem fundamentalem in eſſe actui meritorio, & ſatisfactorio, ex obiecto, fine, & alijs circumſtantijs in genere moris; nilque eſſe aliud quàm ipſam bonitatem ratione cuius actus eſt laudabilis, & proportionatus præmio, ſi ad illud ordinetur. Valor autem formalis, quem Sotus negat actum habere ex ratione ſua formali independentèr ab acceptatione (vt iam videbimus) eſt ius quod fundatur in operibus ad præmium, ſeu debitum prꝑmij.

Hæc notaui, vt peteret manifeſtè iniuria, qua quidam recentiores Scotum afficiunt.

Probemus iam hunc aſſumptum: de ratione meriti reſpectiuè ad Deum, eſt, vt actus imputari poſſit operanti ad laudem: ergò de ratione eius eſt, vt ſit bonum moralitèr: quia hic ſolus imputari debet ad laudem. Anteceens patet: quia videtur congruere bonitati, & iuſtitiæ Diuinæ, vt non poſſit prꝑmiare actum, niſi ita bonum, & imputabilem, & ſeruata proportione, quò magis bonus eſt actus, eo magis præmiat ipſum, ita vt exceſſus in præmio, præſupponat exceſſum in merito quoad bonitatem; non poteſt autem eſſe exceſſus in bonitate, niſi ſupponatur ſubſtantia bonitatis, cui correſpondeat prꝑmium quoad ſubſtantiam. Fauet ſacra pagina; hinc illud: ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia tua, & da pauperibus. Si vis ingredi vitam, ſerua mandata: diligite inimicos veſtros, & erit merces veſtra multa nimis; præcepta enim Dei, & lex dirigunt hominem ad finem per actus virtutum, & propterea charitas dicitur plenitudo legis. Vndè quoad meritum de facto res videtur certa. Imò ſi loquamur de merito condigno, vltra bonitatem moralem, præſupponitur de facto neceſſariò ſtatus adoptionis per gratiam ſanctificantem, & requiritur acceptatio particularis Dei diſtincta ab acceptatione præmij qua dignificantur opera, vt habeant ex ſe vim obligandi Deum ex iuſtitia ad reddendum præmium, diſtinctum ab obligatione orta ex promiſſione.

Ex his ſequitur, quod licet homines teneantur aliquando ex promiſſione, & fortaſſis ex iuſtitia etiam (vt quidam volunt) præmiare opera mala, & prohibita vt v.g. cũ de præmio paciſcantur cum meretricibus, vel cum interficiente aliquam iniuſtè: Deus tamen non poſſit acceptare talia opera, nec promittere illis præmium: quia actus meritorius reſpectu Dei debet eſſe laudabilis; vndè fit vlterius, vt neque actus indifferẽs poſſit eſſe meritum in ordine ad Deum, quia deeſt laudabilitas moralis.

Monemus etiam meritum formalitèr ſumptum, vt fundat condignitate, ſeu ius, debitum præmij; dicere neceſſariò particularem Dei acceptationem, ſeu ordinationem. Eſt Scoti locis ſupra citatis; illum ſequuntur Gregorius in 1. d. 17. qu. 1. Occam qu. 2. Gabriel qu. 3. & in 2. d. 27. qu. vnica. Durandus in 1. d. 27. qu. 2. & Scotiſtæ communitèr licèt non eodem modo explicent illam acceptationem, & ordinationem Dei. Huic noſtro præſuppoſito aduerſantur plures Thomiſtæ, & cum ipſis aliqui recentiores. Fauent nobis quam plurima motiua. Sit primum ex vul-

gari illa ſententia.

Tanta eſt miſericordia Dei, vt noſtra voluerit eſſe merita, quæ ſunt ſua dona; quam habet Trident. ſeſſ. 6. cap. 17. Cœleſtinus Primus epiſt. 1. c. 12. & Auguſtinus epiſt. 105. ergò miſericordia Dei oritur, vt opera noſtra, quæ ſunt ſua dona, ſint meritoria vitæ æternæ, & conſequentèr non obligant Deum, niſi quia ipſe acceptat, & vult. Dices; ſi Petrus donaret Paulo equum, & Iacobus deberet Petro decem nummos aureos, poſſet Iacobus ſatisfacere Petro abſque vlla acceptatione, aut pacto, reddendo ipſi eundem equum, vel decem nummos ex eius pretio; nec Petrus poſſet non acceptare: ergò poteſt fieri alicui ſatisfactio (& idem eſt de merito) ex ipſiuſmet dono. Reſpondetur diſtinguendo conſequens; alicui, cui ex pleno, & vniuerſaliſſimo Dominio omniũ rerum, non deberentur omnia multis aliis titulis, cõcedo conſequentiam: alicui cui ſic deberentur omnia, cuiuſmodi eſt Deus, à cuius dominio, eo quod ſit perfectiſſimũ, & vniuerſaliſſimũ, nulla creatura eximi poteſt, ita, quin teneretur præſtare omnia ſua ipſi, quando ipſe hoc exigere vellet: nego conſequentiam; & nego inter ipſas etiam creaturas, idem eſſe quoad hoc merito, & ſatisfactione; nam Paulus licet poſſet quidem tum ſatisfacere ſine vllo pacto, aut acceptatione antecedenti, quia ſatisfactio ſolum requirit, vt reſtituatur tantum, quantum debetur; tamen non poſſet mereri aliquid à Petro niſi accedente acceptatione ipſius Petri; vndè quamuis tunc laboraret Petrus cum equo, vel eius pretio, ſine acceptatione ipſius Petri, non obligaret Petrum ad reddendum vllum præmium.

Secundam probationem deſumo ex Trident. loco citato dicente: bene operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tamquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditèr promiſſa, & tãquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis operibus ipſorum, & meritis fidelitèr reddenda: ergò opera noſtra, quæ merita ſunt vitæ æternæ, dicent promiſſionem, & miſericordiam Dei, & conſequentèr non ſunt talia merita ex ſe formalitèr ſecluſa Dei miſericordia, & promiſſione. Accedit Concilium Senonenſe aſſerens iuſtitiam meritorum noſtrorum non fundari in abſoluta condignitate noſtrorum operum, ſed magis in liberali, & gratuita promiſſione Dei, qua conuerſione facta conduxit operarios. Fauet Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Apoſtoli, qui loquens de Deo, dicit: debitor factus eſt, non aliquid à nobis accipiendo, ſed aliquid quod placuit promittendo: aliter enim dicimus homini; debes mihi quod dedit tibi, & alitèr dicimus Deo: debes mihi, quod promiſiſti mihi: ergò non deberet Deus aliquid nobis, niſi promiſiſſet. Et in pſalmum 109. Fidelis Deus, qui ſe noſtrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, ſed multa nobis promittendo.

Sit tertia probatio: ſi non eſſet neceſſaria acceptatio Dei, vt opera bona fundarent ius & debitum ad prẽmium, ſequeretur quod Elias, & Enoc poſt translationem in Paradiſum: animæ Purgatorij: Beati in Cœlo, mererentur: etenim haberent opera æque perfecta, vel perfectiora, quia perfectius attingunt finem vltimum, quã opera, quæ habuerũt in via; cõſequẽs autem eſt abſurdum, quia ſequitur, vel quod Deus nõ reddit debitum; vel quod de facto creſcat ſemper in ipſis meritum, & præmium, quod nemo aſſerit. Dices tempus merendi eſſet tempus viæ præciſæ. Contra; opera bona non ſumunt valorem ſuum à ſtatu viæ, loquendo de bonitate ipſorum ex natura rei, quia in beatis, & animabus Purgatorii ſunt opera bona ex obiecto, & reliquis circumſtantijs liberè elicita ſecundum regulam rectę rationis. Imò ſecundum Auguſtinum de perfectione iuſtitiæ ratiocinatione 17. præceptum de dilectione Dei non impletur perfectiſſimè, niſi in Patria propter concupiſcentiam, quæ eſt in hac vita. Et ſi neges beatos mereri ob defectum libertatis ortum ex neceſſitate viſionis, & fruitionis; ſaltem habetur quod Patres in Limbo, & animæ in Purgatorio mereantur; eliciunt enim liberè multa opera bona ex charitate, & fide, quæ perſeuerat donec ſuperueniat quod perfectum eſt, nempè viſio, & fruitio ex Apoſtolo ad Corinth. 13. Ad opus autem meritorium, ſi nõ ſit neceſſaria acceptatio Dei, nil aliud re-

requiritur, quàm quod fiat liberè ab exiſtente in charitate ſecundum inclinationem charitatis, illud ordinando ad finem vltimum: ergò ſi animæ Purgatorij, & Patres in Limbo non merentur; hoc non aliundè oritur, quàm ex defectu huius conditionis, pacti ſcilicèt, & acceptationis Diuinæ; & conſequentèr hæc acceptatio eſt neceſſaria.

Probatur quartò: ſi ius ad præmium cõſurgeret præcisè ex valore operum ſecluſa acceptatione Diuina, nulla eſſet ratio cur iuſtus mereatur ſibi aliqua de cõdigno; alia verò non mereatur ſibi, nec alteri quidquam, vt omnes Theologi admittunt, qui ſoli Chriſto concedunt meritum de condigno reſpectu aliorum. Sequela patet: quia opera cuiuſcumque iuſti ſecundum ſe præcisè conſiderata, & vt excludunt ordinationem Diuinam, habẽt eundem valorem bonitatis, ſiuè comparentur ad gratiam, & gloriam ſibi dandam; ſiue comparentur ad eaſdem alteri conferendas, ſiue ad gratias actuales, vel alia dona ſibi, vel alteri exhibenda; ergò ex ſe non magis merentur vnum, quàm alterum; & conſequentèr, quod mereantur vnum potius quàm alterum, oritur ex aliquo alio; non ex alio quàm ex ordinatione Dei: ergò hæc ordinatio neceſſariò requiritur.

Accedat quintò probatio: ius ad præmium eſt ex iuſtitia ſecundum Apoſtolum ad Roman. 4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur ſecũdum gratiam, ſed ſecundum debitum; ſed Deus nequit obligari ex iuſtitia, niſi mediante ſua voluntate: ergò meritum vt includit debitum præmij reſpectu Dei, præſcindere non poteſt à voluntate Dei, eiuſque acceptatione, & ordinatione.

Confirmatur primò: quia opera noſtra præſcindendo ab acceptatione Dei, nec æqualitatem habent cum præmio, nec quidquam aliud immaginari poteſt quod fundaret ius inducens obligationem pręmij ſecluſa Dei ordinatione, & pacto. Secunda pars confirmationis, patet: quia nil oſtendi poteſt. Prima pars probatur, quia tam principio, quàm actus Patriæ in quibus conſiſtit præmium, ſunt perfectiora, quàm principia, & actus viæ in quibus conſiſtit meritũ; ergò ius ad præmium nequit fũdari in ęqualitate operũ noſtrorum ad vitã æternã, ſi ſecundũ ſe cõſiderentur. Confirmatur ſecundò: quæcumque opera noſtra principalius ſunt Dei, quàm noſtra; ergò non poſſunt obligare Deum independentèr à ſua acceptatione. Deinde opera noſtra in quantũ etiam noſtra ſunt, debentur Deo varijs titulis, primæ cauſę: ſupremi dominij, & vltimi finis: ergò nõ obligant Deum ad alia nobis danda, niſi quia ipſe vult. Vlterius: ipſorum operum datio homini eſſet ſufficiens præmium cooperationis eius ad illa; nam ipſa opera ordinantur ad perfectionem, & perfectũ eſſe ipſius hominis per modum actus ſecundi perfectiſſimi, ad quem in ſtatu viæ ordinatur ſecundum inclinationem naturalem rectæ rationis, ſi ſunt bona moralitèr tantum; ſi verò ſupernaturalia, ſecundum inclinationem fidei, quæ perfectius attingit finem vltimũ. Vnde poſſet Deus ſine vlla iniuſtitia ordinare hominem, etiam mediante fide, ad vltimum finem ſecundum ſtatum viæ tantummodo, & homo tunc teneretur operari, & agere gratias Deo pro ipſis operibus datis, ſicuti iam debemus agere Deo gratias pro augumento fidei, ſpei, & charitatis, vt cõſtat ex ſcriptura, & oratione Eccleſiæ; ergò ipſa horum donorum, & noſtrorum operum bonorum datio, poſſet eſſe ſufficiens pręmium noſtri laboris, & cooperationis ad opera bona.

Monemus autem per hanc Dei promiſſionem, quam cum Scoto dicimus eſſe neceſſariam, & complere rationem meriti, non intelligi ipſam promiſſionem, quæ eſt formalitèr de præmio dando. quia ſic non haberetur ſufficiens ratio diſtinguendi meritum de condigno à merito de congruo; nàm huic etiam aliquando eſt annexa promiſſio; intelligimus ergò aliam indiſtinctam, & coincidentem cum acceptatione particulari Dei, à qua recipit formalitèr opus eſſe meritorium de condigno. Reſtat, quod proponamus motiua Aduerſariorum contra iſtas noſtras determinationes.

PRO-

PROPOSITIO.

Proponuntur, & ſoluuntur Aduerſariorum motiua.

PRimum motiuum: ſi ius ad præmium fundaretur in merito ratione acceptationis Diuinæ, non inferret, ſiuè opus eſſet perfectum, ſiuè imperfectum: neç vnus per opera perfectiora magis mereretur quàm alius per opera minus perfecta: ſed hæc ſunt abſurda, ergò, &c. Confirmatur: quia ſequeretur, quod vbicumque interuenit promiſſio Dei cum cõditione operis boni, illud opus fieri meritum condignum, quod eſt falſum, vt patet de promiſſione veniæ peccatorum facta eleemoſinæ, orationi, contritioni, condonationi iniuriarum, & multis alijs, vt conſtat ex ſcriptura. Deindè. ipſis operibus meritorum ſæpè fit promiſſio alicuius rei reſpectu cuius non dicuntur, nec ſunt merita de condigno, vt patet de promiſſione facta Abrahæ, quod ex ſemine eius foret Chriſtus, propter obedientiam, qua voluit immorare filium ex mandato Dei: patet etiam ex promiſſione, qua Chriſtus promiſſus eſt Patribus, & tamen Abraham, nec Patres meruerunt de condigno, vt communitèr tenetur incarnationem, nec vllas eius circumſtantias, niſi fortè eius accelerationem: iuſti etiam quotidiè tàm ſibi, quàm alijs impetrant multa dona de congruo tantum, de quibus tamen facta eſt promiſſio. Reſpondetur primò negando ſequelam maioris pro vtraque parte; & ratio primæ partis patet ex dictis; nam, ſi Deus nequeat acceptare opus indifferens, multò minùs poteſt acceptare opus imperfectũ loquẽdo de imperfectione poſitiua: nam ſi loquamur de imperfectione negatiua, quæ eſt tantum negatio maioris perfectionis, quę eſt in altero opere, ad quod comparatur opus, quod dicitur ſic imperfectum, eadem eſt ratio vtriuſque partis ſequelæ maioris: vndè ad ſecundam dicto pactum, & acceptationem diuinam interuenire cũ conditione operis boni, & ſupponere eius honeſtatem, & valorem fundamẽtalem, & his commenſurari, ita vt opus perfectius proportionalitèr ad ſuam perfectionem, ordinetur ad perfectius præmium, quamuis nullum alioquin præmium mereretur; niſi accederet iſta acceptatio. Ex hoc.

Reſpondetur ſecundò diſtinguendo ſequelam maioris; ſi ius meriti ad præmiũ fundetur ratione ſolius acceptationis ſine vlla propoſitione ad opus; concedo; ſi nõ fundetur in ſola ipſa acceptatione, niſi cũ proportione ad opus, & cõditiones ipſius operis; nego ſequelam; vndè opus creſcit tàm in valore formali, quàm fundamentali. Ad confirmationem reſpondeo habere difficultatem tantum in ſententia eorum, qui non requirunt vllam promiſſionem, vel acceptationem moralitèr dignificantem opus, diſtinctam à promiſſione; quæ eſt formalitèr de ipſo præmio dando; hanc difficultatem non habet in ſententia noſtra, qui admittimus talem acceptationem diſtinctam à promiſſione præmij, eſſe neceſſariam ad meritum de condigno. Et ex defectu huius conditionis, ſeu acceptationis particularis dicimus iuſtos non mereri de condigno ſibi ipſis, nec alijs auxilia actualia, nec plura alia dona tàm ſupernaturalia, quàm temporalia, quæ ſæpiſſimè ſibi, & alijs impetrant, licèt tunc opera ipſorum habeãt annexam promiſſionem talium donorum: nulla enim eſt ratio cur iuſti mediantibus ſuis operibus aliquando impetrent talia dona, & aliquando non, niſi quia Deus promiſit, & vult aliquando concurrere, & aliquando non. Et quamuis contritio habeat vniuerſalitèr annexam promiſſionem remiſſionis peccati, tamen non eſt meritum de condigno; quia adiunctam nõ habet, (ſaltem de facto) hanc particularem Dei acceptationem: gratis enim iuſtificamur ex Apoſtolo, quia, vt docet Trid. nil eorum, quæ iuſtificationem procedunt, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur, ſcilicet de condigno, ſed tantum impetratoriè, & diſpoſitiuè, vel de congruo: peccatores enim non merentur vt exaudiantur: quia ſunt inimici. Deus tamen ex ſua liberalitate, & miſericordia conuerſioni ipſorum promiſit veniam; vndè licèt ſit obligatus obligatione etiam diſtincta ab ea, quæ oritur ex pura fidelitate ad remittendum peccatum ſuppoſita conditione operis, quia eſt obligatio cum conditione operis oneroſi, tamen non obligatur

gatur ex iuſtitia, ſicut obligatur ad præmiandum opera iuſtorum, quibus ſecundùm Scripturam, & Trid. proponitur vita æterna, & merces, & præmium à iuſto Iudice reddendum. Conſtat ergò ex Trid. eſſe maximam differẽtiam inter opera iuſtorum, & peccatorum in ordine ad obligationem præmij conferendi, licèt vtriſque operibus annexa ſit promiſſio prȩmij; hæc autem diuerſitas oritur ex eo, quod opera iuſtorum acceptentur, & dignificẽtur particulari acceptatione, & ordinatione iam ſupra explicata; opera verò peccatorum non acceptantur ſic, nec fortè acceptari poſſunt: quia ſtatus peccatoris impedit quominus Deus poſſit ipſi obligari ex iuſtitia, aut alio modo, quàm ex ſua volitione. Ex his patet ſolutio ad omnes partes confirmationis, & ad plura alia, quæ adduci poſſent.

Oppones ſecundò: Hæreticos, quos damnat Trid. ſeſſ. 6. can. 7. admittere opera meritoria vitæ æternæ ex ſola promiſſione Dei. Reſpondetur ſenſum hæreticorũ eſſe longè diuerſum à ſenſu ſcholaſticorum: hæretici autem negant valorem fundamentalem in operibus, quia licèt admittãt aliqua eſſe bona ex obiecto, dicunt tamen ſemper vitiari ex circumſtantia aliqua praua, quod in ipſis meritò damnauit Tridentinum, & nullus Catholicus dicit.

Oppones tertiò: ſicut opus bonum ſe habet ad præmium, ita peccatum ad pœnam: ſed antè omnem acceptationem, & ordinationem Dei, eſt in peccato debitũ pœnæ de condigno ex natura rei; ergò in opere bono eſt debitum præmij antè omnem acceptationem. Minor probatur: quia ſi Deus comminaretur pœnam ȩternam ob peccatum veniale, non ideò illud eſſet dignum tali pœna: ergò ex ſe peccatum eſt dignum, non ex Dei ordinatione. Reſpondetur primò negando maiorem; quia per opus bonũ obligatur Deus creaturæ, qui nequit obligari niſi ex ſua ordinatione, & voluntate, cum nihil alias indebitum, ei præſtari poſſit; in opere verò malo fit peccator debitor Deo, qui rigorosè obligari poteſt de iuſtitia Deo ex natura rei, ſecluſa omni acceptatione particulari Dei, diſtincta à prohibitione, vel præcepto, ſiuè naturali, ſiuè poſitiuo, obligante ad faciendum, vel non faciendũ. Reſpondetur ſecundò diſtinguendo minorem: ſi loquamur de condignitate formali, qua culpa ordinatur actu ad pœnam in ſpècie, vel de debito obligante ad talem pœnã infligendam propter peccatũ, nego minorem: hæc enim obligatio conſurgit tantum ex lege, & voluntate Dei; hinc namque oritur, quod peccata viatoris tantum puniantur, & hoc, hac, vel illa in ſpecie pœna: peccata autem damnatorum non puniantur. Si verò loquamur de fundamentali cõdignitate ſpectato ordine iuſtitia, concedo minorem, & eodẽ ſenſu conſequentia eſt vera; quia bonum opus habet independentèr ab acceptatione fundamentalem condignitatem ad præmium, quæ abuſiuè condignitas dicitur, quia condignitas includit ius ad prȩmium, hoc autem ius nõ habetur niſi dependentèr ab acceptatione, & ordinatione Dei; licèt enim ex natura ipſius rei ſit congruitas, vt opera mala puniantur, & bona præmientur. nil tamen neceſſitat Deum, vt ita faciat independentèr à ſua ordinatione.

Ex his patet ad probationem minoris: quia requiritur proportio in opere ad pœnam, & præmium: vnde peccatum veniale nequit puniri pœna æterna, quia eſt peccatum leue, & Deus citra condignum punit, licèt vltra cõdignum puniat, licet vltra condignum præmiet. Si tamen Deus prohiberet ſub pœna æterna illud quod de facto eſt tantum peccatum veniale; hoc ipſo redderetur materia grauis, & tranſgrediens peccaret mortalitèr. Monemus tamen hic, quando peccatum dicitur eſſe condignũ, vel habere debitũ pœnæ independentèr ab ordinatione illius, qui debet punire; & meritum habere cõdignitatem, & debitum præmij, maximam eſſe diſparitatem inter vtramque condignitatem, vel debitum; nam condignitas peccati conſiſtit in hoc, quod habens poteſtatem puniendi peccantem, poſſit ipſũ iuſtè, & ſine vlla iniuria punire, ſiuè teneatur ad hoc, ſiuè non; condignitas verò meriti de condigno non conſiſtit in eo, quod tale meritũ poſſit præmiare; nã meritum etiam de congruo poteſt præmiari; ſed conſiſtit in eo, quod debeat ex iuſtitia præmiari, ſeù quod inducat obligationem,

nem, & debitum iuſtitiæ reſpectu prẹmij: ita, vt præmium debeatur ex iuſtitia merenti; talis autem obligatio nequit eſſe ex parte præmiantis independentèr à ſua voluntate, & acceptatione; vndè licet peccator poſſit puniri ſecundùm iuſtitiam, & ſine iniuria, pœna peccato proportionata independentèr ab omni ordinatione particulari antecedente ipsã culpam; tamen nullus tenetur ex iuſtitia prẹmiare opera bona alterius, niſi ex parte eius præcedat pactum, & acceptatio taliũ operum. Ex hoc poteſt reſponderi tertium ad obiectionem negando maiorem, & aſſignando diſparitatem, quod ſcilicèt condignitas meriti inferat obligationem iuſtitiæ ex parte præmiantis;ad condignitatem verò peccati ſufficere, quod poſſit ſine iniuſtitia puniri.

Sit quartum argumentum: Infantes baptizati, habent ius ad vitam æternam: ſed hoc ius non fundatur in acceptatione Diuina: ergò acceptatio Diuina non requiritur, vt iuſti mereantur vitam æternam. Reſpondetur diſtinguendo maiorẽ: habent ius fundatum in gratia ſanctificãte, & meritis Chriſti, qui meruit nobis ipſam gratiam, & vitam æternam, accedente tamen acceptatione Diuina,concedo maiorem: fundatum in meritis proprijs, nego maiorem. Diſtinguo ſimilitèr minorem, & nego conſequentiam; aliud enim eſt, quod vita æterna debeatur gratis iuſto ratione gratiæ, & meritorum Chriſti, aliud verò, quod debeatur ipſi, vt corona, merces, & præmium meritorum propriorum.

Concludimus ad condignam ſatisfactionem pro pœna temporali reſtante ex peccato remiſſo requiri acceptationem Dei, qua Deus ſtatuat, ſeu promittat ſe acceptaturum illa opera pro ſatisfactione prædictæ pœnæ; fauet Suarez, Egidius, & cum iſtis alij videndi apud Vrtadum diſp. 13. difficultate 9. habemus tamen contrarium Vaſquez q.94. artic. 1. dubio 3. num.2. diſp. vltima cap.3. vbi docet opera ſatisfactoria iuſti ex natura rei ſatisfacere pro dicta pœna, & extinguere debitum, & dignitatem illius abſque aliqua Dei acceptatione, & ordinatione.

Petes an homo iuſtus poſſit condignè, ſeù ad æqualitatem ſatisfacere pro pœna temporali relicta ex peccato remiſſo. Reſpondetur affirmatiuè. Quippe opera pœnalia iuſtorum habent conditiones expoſtulatas ad ſatisfactionem. Fauet nobis definitio Pij V. & Gregorij XIII. in Bulla contra Michaelem Baium, in qua damnatur propoſitio 73. Baij: ſatisfactiones laborioſæ iuſtificatorum non valent expiare pœnam temporalem reſtantem poſt culpam conditionatam. An verò ſatisfactio, in qua peccator reddit æquiualens pro pœna temporali, ſit dicenda de congruo, an de condigno; mihi eſt quæſtio de nomine: moneo tamen non deeſſe authores negãtes ſuppoſitum huius quæſiti, notantes prædictam debiti redditionem minimè fore vocitandam ſatisfactionem: cum iſta neceſſariò expoſtulet eſſe ab Amico,& per meritum condignum.Libentèr me expedio ab hac re habens vnũ ex duobus certum,nempè conuenire omnes, quod eſt redditio voluntaria æquiualentis alias indebiti pro pœna debita: v. g. quando exiſtens in mortali adimplet pœnitentiam in confeſſione ſibi iniunctã; ego talem redditionem abſolutè vocito ſatisfactionem. Alterum mihi eſt certum nimirum talem redditionem eſſe ſatisfactionem ad minus de congruo; indè moueor ad hoc dicendum: quia in peccatore concedimus meritum de congruo: ergò minime neganda ſatisfactio de cõgruo præſertim quod magis vrget ratio ad iſtã ſatisfactionem de congruo,meritum enim neceſſariò expoſtulat pactum, ſeu promiſſionem præmiantis,ſeu præmiaturi.

Petes: Vtrum ſatisfactio, ſeù pœnitentia ſacramentalis à Confeſſariò prudentèr exacta extinguat debitum totius pœnæ temporalis reſtantis ex peccatis cõfeſſis, & remiſſis quoad culpam. Medina de pœnitentia loquendo de effectu pœnitentiæ iniunctẹ aſſerit ſatisfactionem remittere omnem pœnam temporalem debitam;itaut ſi quis adimpleat pœnitentiam à Confeſſario iuniunctam, nihil ei reſtat ſatisfaciendum in Purgatorio. Ratio eſt, quia talis pœnitentia, & ſatisfactio fuit viſa iuſta, ergò, &c. Ego libentèr darem votum pro parte oppoſita. Hinc dico: ſatisfactio, ſeù pœnitentia à Confeſſario impoſita non ſemper remittit omnem pœnam temporalem peccatis debitã

ita

ita Vaſquez 3. parte quæſt. 94. artic. 2. dubio 6. Belarminus, & alij. Probatur: quia ſi ſemper ſatisfactio à Confeſſario iniuncta remitteret pœnitus omnem pœnam temporalem debitam, ſemper imponeretur ad æqualitatem: ſed hoc eſt impoſſibile, cum ad hoc requiratur perfecta cognitio debita ſecundum quantitatem, & qualitatem, quæ dependeat à voluntate Diuina nemini reuelata, nequit habere talem notitiam pœnitens: ergò neq; Cōfeſſarius imponere pro pœna temporali; ergò non ſemper abſoluit pœnitens omnē pœnam temporalem debitam. Nec ratio fundamentalis contrariæ ſententiæ vrget: nam licèt Confeſſario pœnitentia, & ſatisfactio fuerit viſa iuſta, indè tamen non ſequitur, quod remittat omnem pœnam: cum Confeſſarius ipſe quantitatem, & qualitatem ignoret pœnæ temporali debitam; & ſi inſtes pro quolibet peccato mortali deberi pœnam ſeptem annorum; non valet, quia hoc eſt gratis dictum, vt docent Suarez, Valentia, & alij.

Video Scotum in 4. d. 19. difficultantem de hac re, & dicentem, quod pœna, quæ peccato debetur habet ſuam latitudinem, ita quod pœna debita v. gr. adulterio eſt ad ſummum decem dierum ieiunij, & ad minimum quinque dierum, in arbitrio autem Sacerdotis eſſe ſecundum circumſtantias temporis, & perſonæ imponere pro ſatisfactione intra illam latitudinem, non tamen excedendo ſummā, nec minimam imponendo, cum Scoto ſentiunt Gabriel d. 18. artic. 1. notabili quinto: & artic. 2. concluſ. 5. Maior. d. 20. q. 1. Soto q. 2. artic. 3. Medina tractat. 2. qu. 47. de effectu pœnitentiæ iniunctæ: Fundamentum poteſt eſſe: quia Sacerdos eſt Iudex arbitror inter Deum offenſum, & peccatorem offendentem: ergò partes debēt ſtare eius arbitrio, aut iudicio prudenti: ergò Deus ratificat in Cælis, quod Confeſſor prudentèr iudicat in terris, & propterea tàm abſolutè, & abſque aliqua exceptione dixit Chriſtus Dominus Apoſtolis, & in ipſis omnibus Confeſſoribus prudentèr ſe gerentibus in adminiſtratione ſibi tradita: Quodcumque ligaueritis ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque ſolueritis ſuper terram erit ſolutum, & in Cælis.

Doctores ſtātes pro parte negatiua, explicant cum Suarez in 4. Tomo diſp. 38. ſeſ. 5: qui ſequitur Petrum à Soto lectione prima de ſatisfactione, quod pœna correſpondens cuilibet peccato debet cōſiſtere in indiuiſibili v. gr. adulterio debetur pœna decem dierum ieiunij, & ita talis debetur, quod ſi Confeſſor imponat pro adulterio, vel maiorem, vel minorem pœnam, talis ſatisfactio non ratificatur à Deo. Huius opinionis fuiſſe Riccardum, aſſerit Scotus, licèt hic, ſi attentè legatur, non videatur hoc ſentire; eligatur pars, quæ magis placet: ſunt enim graues Doctores pro vtraque.

PROPOSITIO.

Satisfactio quandoque poteſt conſiſtere in aliquo actu bono non pœnale.

Verbi gr. in actu magno charitatis, vel dilectionis intenſæ circa Deū, vel circa proximum. Fauet Scotus in 4. diſt. 15. in 3. articulo. Probatur: quia quodcumque bonum, quo Deo poſſumus reddere honorem, vel reſarcire offenſam ei factam, poteſt Deus in ſatisfactionem acceptare: huiuſmodi poteſt eſſe actus eximius charitatis; ergò hic poteſt eſſe ſatisfactorius. Putamus tamen ſatisfactionem ſacramentalem magis cōſiſtere in actibus pœnalibus, vel paſſionibus voluntarijs, quàm in alijs actibus bonis non huiuſmodi. Non contradicit Scotus, & cum ipſo conueniunt D. Thomas in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. quæſtiuncula 1. Sanctus Bonauentura ibidem 2. par: artic. 1. quæſt. 3. ad 4. & cæteri multi citati à Suarez diſp. 37. 4. Tomo, ſex. 6. Ex ſcriptura clarè colligitur vt Ioelis 2. In ieiunio, & fletu, &c. Matthæi 11. In cilicio, & cinere, &c. Exemplo Dauidis; Lauabo per ſingulas noctes, &c. Magdalenæ Lucæ 7. Lacrymis cœpit rigare, &c. atque adeò ipſius Adę exemplo, vt enim obſeruat S. Hireneus libro 3. contra hæreticos cap. 37. ad ſignificandam pœnitētialem ſatisfactionem, perizomata ex folijs ficulneis ſibi confecit, quibus ſe contingeret exiſtentibus ibi [inquit S. Hireneus, quæ minus corpus eius vexare potuiſſent.

Digitized by Google

fuiſſent. Multas authoritates pro hac parte notantur apud Belarminum. Ratio ſuadet: quia æqualitas iuſtitiæ poſtulat, vt culpa per pœnam cõpenſetur: eſt enim pœna ordinatiua culpæ, vt obſeruauit Scotus in d. 14. quarti quæſt. 1. artic. 2. Et confiamatur, quia quantum eſt in ſe peccator illicitè priuat Deum ſuo bono, ergò debet ſatisfacere priuando ſe aliquo bono delectabili, aut vtili in quo pœna conſiſtit. Ex Patribus verò eadem ſententia confirmatur, quorum vnum, ſcilicet Auguſtinum de vera, & falſa pœnitentia citat Scotus in Textu; & magnam copiam doctorũ notant recentiores; vnus ſufficiat ex multis S. Ambroſius, qui ad Virginem lapſam cap.8. inquit, peccator ſi ſibi ipſi non pepercerit, à Deo illi parcitur. In genere verò actus huiuſmodi pœnales, vel paſſiones voluntarias reducit Scotus ad actum interiorem; & ad actum exteriorem: ille continet diſplicentiam, & triſtitiam de perpetrato peccato; iſte continet verecundiam concomitantẽ confeſſionem, carnis macerationem, orationem, eleemoſynam, de quibus Tridenſeſſ. 14. cap. 14.

PROPOSITIO.

Non cuilibet peccato propria correſpondet ſatisfactio, vel pœnale opus ſatisfactorium.

ITà habet Scotus in 4. d. 15. in 4. art. Probatur: aut enim propria intelligitur determinata ſecũdùm ſpeciem, vel ſecundum numerum; ſed neutra iſtarum ſatisfactionem eſt ita propria vni peccato, vt alteri conuenire non poſſit: ergò non cuilibet ſignato peccato correſpondet, &c Minor probatur: quia vna contritio ſecundùm ſpeciem poteſt correſpondere pluribus peccatis eiuſdem ſpeciei: v. gr. ſi quis commiſit decem adulteria, per vnã contritionem poteſt de ſingulis, & omnibus ſimul, vel de ſingulis ſigillatim dolere; non ergò vna ſatiſfactio ſecundũ ſpeciem eſt propria vni peccato. Si verò loquamur de ſatisfactione, determinata ſecundum numerum, etiam vna contritio numero de pluribus ſimul in generali poteſt correſpondere pluribus peccatis: ergò non eſt propria vni illorum. Adde, quod ſatisfactio eſt ſecundum voluntatem acceptantem perſonæ offenſæ, vt dicebat Scotus in d. 14. q. 3. ad ſolutionem argumentorum principalium; at Deus benedictus, cuius eſt acceptare actus pœnales ſatisfactorios, non diſtribuit, nec deſignauit quoſdam actus ad ſatisfaciendum pro quibuſdam peccatis, & alios pro alijs, ſed generatim exigit pro peccatis opera ſatisfactionis: ergò non reſpondet cuilibet ſignato peccato propria ſatisfactio. Conueuit cum Scoto in hac rè Suarez diſp 37. ſeſſ. 6. propè.

PROPOSITIO.

Ad hoc vt ſit ſatisfactio totalis non diminuta pro pluribus peccatis requiritur, vt quantitati virtuali excedat aliam, quæ eſſet pro vno tantum peccato eiuſdem rationis.

ITà Scotus in 4. diſt. 15. in 4. articulo. Rem declarat Scotus alijs verbis: v.g. quod ſit in tanto gradu intenſionis, quod in longè minori ſufficeret pro vno, & in gradu quem ſuperaddit vltra, ſufficeret pro alio. Probatur, quia ſatisfactio eſt actus iuſtitiæ facientis quandam cõmenſurationem, vel æqualitatem, ſed multò maior pœna eſt, quæ debetur decem peccatis mortalibus, quàm quæ vni eiuſdem rationis: ergò maior eſt ſatisfactio intenſiuè, vel quantitate virtuali, quæ debet eſſe pro pluribus, quàm pro vno eiuſdem rationis. Confirmatur ex Scriptura Mat. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ: quod explicans S. Gregorips in homilia quadam aſſerit aliam deberi præſtari ſatisfactionem ab eo, qui pluribus, quàm ab eo, qui vno crimine irretitus eſt; alios Patres conſulite tùm in Belarmino, tùm etiam in Vega agentibus de pœnitentia.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO.

Vni, & eidem culpæ poſſunt correſpondere plures ſatisfactiones, vel totales, vel partiales.

FAuet Scotus loco citato; idem ſentit Baſſolius d. 15. q. 1. & in re conuenit Suarez diſp. 37. ſeſſ. 6. Probatur: quia per ſolam cōtritionem poteſt remitti peccatum; ergò illa ſola poteſt eſſe totalis ſatisfactio. Antecedens eſt clarum ex Triden. ſeſſ. 14. cap. 4. conſequentia eſt euidens loquendo de ſatisfactione reconciliante: hoc dico, quia interdum poterit eſſe contritio non tanta, vt per eam omnis pœna tollatur, quamuis per verā contritionem qualis illa ſit ſemper culpa tollatur, & peccator Deo reconcilietur; ſicut autem per vnam contritionem poteſt tolli peccatum, ita per aliam, ſi non eſſet ablatum; ergò plures ſatisfactiones totales poſſent vni culpæ reſpondere. Similitèr poteſt peccatum remitti per contritionem remiſſam, & alias pœnas ſupplentes imperfectionem contritionis; contritio verò ex vna parte intenſa, & ipſamet remiſſa cum alijs pœnis differt ſpecie, licèt æquiualeant in acceptatione Diuina: ergò vni peccato plures totales ſatisfactiones, & plures partiales poſſunt correſpondere.

PROPOSITIO.

Satisfactio ſi ſit totalis, reconciliat ſatisfacientem ipſi, quem offendit.

ITà Scotus in 4. d. 15. in 5. articulo. Probatur: quia aut offenſus eſt implacabilis, quod eſt contra miſericordiam, ac alieniſſimum à Deo, vel eſt placabilis, & tunc per nihil magis placari poteſt, quàm per ſatisfactionem totalem; impoſſibile eſt tamen aliquem placare Deum, ac eidem reconciliari, & non remanere in aliquo peccato; ergò impoſſibile eſt ſic ſatisfacere Deo totalitèr de vno peccato, remanente actualitèr impenitente de alio peccato mortali. Hic verò intelligendum eſt de ſatisfactione, vt reconciliante, vel placante non de ea, vt ſoluente pœnam: certum eſt enim peccatorem irretitū duobus peccatis mortalibus, quorum altero teneatur poſtquam vtrumq; eſt remiſſum per pœnitentiam poſſe ſatisfacere pro vno actualitèr non ſatisfaciente pro alio: vt ſi pro priore teneatur decem annis pœnitente, vel ſatisfacere in ieiunio, & pro alio totidem alijs in oratione, actualitèr poſſe pro vno ſatisfacere non ſatisfaciendo pro altero actualitèr, ſed in hoc ſenſu non loquitur Scotus, verum de ſatisfactione, vt placante, vel reconciliante; vt ſi peccator totalitèr per contritionem deteſtatur peccatum, & Deum placat, fieri non poteſt, vt remaneat Deus iratus ſic, vt vnius mortalis culpæ veniā conſequatur peccator, alterius verò non. Hanc autem propoſitionem ſic intellectam dicimus eſſe communem omnibus Theologis; idem ſentit S. Thomas in 3. par. q. 86. artic. 3. & Concilium Trid. hanc veritatem ſupponit ſeſſ. 5. can. 5. dicens in iuſtificatis per baptiſmum nihil manere poſſe, quod propriam rationem peccati damnationem merentis, habeat; & ſeſſ. 6. cap. 7. aſſerit iuſtificationem peccatoris includere remiſſionem peccatorum, & cap. 17. dicit quodlibet peccatum mortale cum gratia pugnare, & ideò peccata mortalia quoad remiſſionem ſunt connexa quod, & Sanctus Paulus ad Rom. 8. aſſerit: nihil enim (inquit) damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Ratio ſuadet: quia omne peccatum mortale deſtruit amicitiam cum Deo; nullum autem peccatum mortale remittitur, niſi quis recipiatur in amicitiam Dei; ergò impoſſibile eſt vt vnum peccatum mortale tollatur alio remanente: adde quod per peccatum mortale excluditur homo à Regno Cælorum; nemini verò remittitur peccatum mortale niſi ſimul acceptetur ad Regnum Cælorum; ergò impoſſibile eſt, vt vnum remaneat alio remiſſo. Hoc argumento vſus eſt Innocentius III. in c: Maiores de baptiſmo, vt concluderet etiam peccatum originale non poſſe remitti manente mortali: authoritatem vero S. Auguſtini idem confirmantem, tùm in Scoto, tum in S. Thoma loco citato vide.

Hæc noſtra propoſitio petit aliud dubium: an verus pœnitentiæ actus debeat

eſſe vniuerſalis de omnibus peccatis ex eo quod inquit Scotus hic, quod impoſſibile eſt ſatisfacere Deo de vno peccato remanente actualitèr impeninente de alio mortali; quibus verbis eſt obſeruandum loqui de mortali: nam loquendo de veniali, vnum poſſe remitti alio non remiſſo, eſt concors Theologorum ſententia. Dicendum eſt ergò, quod actualitèr poteſt eſſe aliquis impœnitens de vno peccato mortali, vel contrariè, vel priuatiuè; contrariè inquam, complacendo in eo negatiuè verò non deteſtando illud actualitèr; hoc autem poteſt eſſe dupliciter: aut non deteſtando actualitèr tantum, puta, quia non occurit, vel non recogitat illud; aut non deteſtando nec actualitèr, nec virtualitèr, itaut, ſi illud occurreret menti, non deteſtaretur.

Rurſus deteſtationem peccati eſſe vniuerſalem, poteſt intelligi, vel formalitèr, vel virtualitèr; formalitèr, quando ad talem deteſtationem antecedit in intellectu recognitio peccatorum omnium, ſiue ſit diſtincta, ſiue ſit confuſa; virtualitèr autem erit dolor vniuerſalis, quando licèt peccatum de quo cogitatur ſit particulare, ratio tamen deteſtandi illud eſt ſufficiens ad auertendum voluntatem ab omni peccato. Rurſus ratio deteſtandi peccatum, poteſt eſſe interdum turpitudo ipſius, vel aliquid huiuſmodi non attingendo Deum, vel poteſt eſſe ipſe Deus vt dilectus, itaut deteſtetur quis culpam mortalem ex eo quod offendit Deum, quem diligit; & in priori caſu, ſi quis vnum peccatum mortale deteſtetur, non ſequitur quod virtualitèr deteſtetur aliud nam ratio deteſtandi prius peccatum, non eſt communis alteri peccato de quo non cogito; puta ſi ſit ſpecie diſtinctum: hic igitur, qui dolet de peccato, v.gr. adulterij ob eius particularem turpitudinem, & actu non doleat de ſacrilegio, quod ſibi tunc nō occurret, nec etiam dicetur dolere de eodem virtualitèr; quia ratio deteſtandi prius peccatum non eſt communis cum poſteriore: vt quis doleat de adulterio, quia eſt offenſiuum Dei dilecti quamuis actualitèr non doleat de ſacrilegio, quia ſibi non occurrit; dicetur tamen dolere virtualitèr, quia ratio illa deteſtandi homicidium eſt communis cum ſacrilegio; & ita, ſi ſit perfectus actus pœnitentiæ, & efficax, etiamſi expreſsè verſetur circa vnum peccatum, eſt tamen virtualis deteſtatio omnium mortalium, quia vt diximus illa ratio deteſtandi prius, eſt communis etiam ſecundò peccato. Item ſentit Suarez to.4.diſp.3.ſex.8. aſſertione 4. Quare cum inquit Scotus impoſſibile eſſe ſatisfacere, hoc eſt, pœnitere vera contritione de vno peccato remanente actualitèr impenitente de alio, intelligatis de impenitentia contrariè, hoc eſt remanente actuali complacentia de alio peccato mortali; vel ſi intelligatur negatiuè, exponit, quod is ſit actualitèr, & virtualitèr impœnitens de alio mortali; alioquin ſi ſit actualitèr impœnitens negatiuè, virtualiter tamen pœnitus, is placat Deum per contritionem illam virtualitèr vniuerſalem.

PROPOSITIO.

Poteſt aliquis actualitèr ſatisfacere ſatisfactione propria ſufficiente vni peccato, non ſatisfaciendo alteri quantùm ad effectum, ſed benè quantum ad effectum.

ITA Scotus vbi ſupra. Senſus huius propoſitionis eſt hic: quod aliquis poteſt, vel interiore dolore dolere, & deteſtari vnum peccatum, actu non deteſtando tunc aliud: quia ſcilicèt non recogitatur, & voluntas non fertur niſi in præcognitum, affecta tamen ſic eſt voluntas, vt ſi illud ab intellectu ei repræſentaretur, etiam deteſtaretur. Vel poteſt intelligi de ſatisfactione externa, quamuis reuera Scotus magis in primo ſenſu, quàm in hoc ſecundò loquatur; & tunc homo poteſt ſatisfacere de vno non ſatisfaciendo de altero; puta, ieiunando pro fornicatione commiſſa, non elargiendo eleemoſy. nam pro auaritiæ peccato commiſſo. Patet: quia ſunt diuerſi actus, & cum vnus exercetur, non neceſſariò exercetur alius.

Curandum eſt quantum fieri poterit, vt pœnitentiam adimpleamus, & executioni mandemus quamdiu in Dei gratia ſumus;

mus;

mus; præcipuè ſi vera eſt D. Thomæ ſententia, qui negat vlla opera eſſe ſatisfactoria, ſcilicèt diminutiua pœnæ debitæ in Purgatorio ſi fiant ab homine in peccato mortali exiſtente. Huic opinioni Scotus noſter ſubſcribere non poteſt. Admittit quidem Scotus diſcrimen maximam inter opera ſatisfactoria, & facta in peccato; nam, quæ in gratia fiunt, ſunt placatiua Dei: reconcilatiua Deo; meritoria vitæ æternæ: diminutiua pœnæ debitæ in Purgatorio. Quæ pœnitentiæ in peccato fiunt, nec ſunt placatiua Dei, nec reconciliatiua Deo, nec meritoria vitæ æternæ; ſunt tamen diminutiua pœnæ in Purgatorio debitæ. Cum de hac ſola diminutione pœnæ ſit lis, & controuerſia, dicimus.

PROPOSITIO.

Opera ſatisfactoriã in peccato facta, non perdunt ex ſuperueniente peccato virtutem diminuendi pœnam Purgatorij.

ITA Scotus in 4. d. 15. in 4. Articulo docens quod poſſit aliquis ſatisfacere ſine gratia atque adeo in peccato mortali, quam ſententiam ſequuti ſunt maior qu. 1. d. 19. quarti, Gabriel d. 16. qu. 2. art. 3. dubio 3. Medina tract. 3. d. 5. qu. vltima, Nauarrus tract. 1. de pœnitentia qu. 6. nu. 47. Marſilius in 4. qu. 11. artic. 3. Ioannes Medina codice de pœnitentia quæſt. de pœnitentia iniuncta extra gratiam. Oppoſitum verò conſtantèr defendunt cæteri Theologi in 4. d. 15. in quo videndus ſanctus Thomas, ibidem Bonauentura, Ricardus, Paludanus, Alenſis in 4. parte q. 85. membro primo, ac multi alij quos recitat Suarez diſput. 86. ſex. 2. & ſequitur eandem opinionem; idem tenet ex nouiſſimis Valentia loco citato puncto 3. Belarminus 4. de pœnitentia c. 13. & quidem hic non agimus de ſatisfactione vt eſt neceſſaria ad integritatem ſacramenti, ſed tantum de ea quoad effectum eius, hoc eſt ſolutionem pœnæ debitę pro peccato remiſſo; nam quoad primum ſatisfactio exhibita in ſtatu peccati mortalis ſufficit ad integritatem ſacramenti; & ad implendam obligationem à Confeſſore impoſitam, vt ex communi ſententia tenet Suarez diſp. 38. ſeſſ. 8. Ratio eſt: quia Confeſſor præcipit opus, & non modum eius; ergò quoad integritatem ſacramenti ſufficit quod hic adimpleat pœnitentiam à Sacerdote iniunctam, quocumque modo illam exequatur ſiue in gratia, ſiue extra gratiã. Confirmatur: quia in alijs præceptis ſatis eſt ſubſtãtia operis, etiamſi extra charitatem fiant, vt v. gr. ſi quis ieiunet obſeruata forma ieiunij in reliquo, in peccato mortali adhuc verè ſatisfacit præcepto Eccleſiæ; & ſi quis obſeruet feſtum diem, etiam in peccato mortali verè ſatisfacit præcepto.

Difficultas eſt: an pœnitentia facta in peccato mortali verè dicatur ſatisfactoria, ea ſcilicèt quæ impoſita eſt à Confeſſore in peccati commiſſi pœnam; huius rei exemplum videte in Scoto in textu. Iam ſic probatur propoſitio Scoti. Prima: quia oppoſita ſententia videtur multum dura contra peccatores, & occaſio maioris obſtinationis: ergò non eſt practicanda. Probatur antecedens: ſi poſt lapſum non poſſet quis ſatisfacere pro pœnitentia impoſita, præberetur occaſio abſtinendi ab elicitione pœnitentiæ. Item ponamus exemplum quod Confeſſarius impoſuerit pœnitenti ieiunium per tres continuos dies: ponamus etiam quod pœnitens per duos primos dies perſeuerauerit in gratia; in die tamen tertio peccauerit, & tamen ieiunauerit: iam ita dico, vel per ieiunium illorum trium dierum ſatisfecit, vel non: ſi primum; ergò exiſtens in peccato, ſatisfacit; ſi ſecundum, ergò poſtea exiſtens in gratia tenebitur per tres dies ieiunare, & ita pœnitentia impoſita minime erit ieiunij trium dierem, ſed quinque dierum. Sit aliud exemplum: Confeſſarius imponat pœnitentiam, vt pœnitens per tres continuos dies det pro quolibet die vnum carolenum: ponemus etiã iſtum pœnitentem in tertio die fuerit in peccato, & tamen dederit tertium carolenum. Iam peto; vtrum ſatisfecerit necnè; ſi dicas ſatisfeciſſe, iam concedis veram noſtram propoſitionem. Si neges ſatisfeciſſe: ergò exiſtens in gratia poſtea tenebitur dare alios tres carolenos; & ita erit pœnitentia dandi quinque carolenos, & non

Digitized by Google

& non erit pœnitentia dandi tres, Accedit, quod opera liberè facta ab exiſtente in peccato mortali, ſunt bona, & habent aliquam mercedem apud Deum ſecundū omnes, licèt non ſint meritoria augumenti gratiæ, aut vitæ æternæ; ergò ſatisfactio etiam exhibita in peccato erit bona in ordine ad ſolutionem pœnę debitę peccato iam remiſſo: nam præter voluntariā exhibitionem ſatisfacientis accedit virtus ſacramenti, quæ dat ipſi maiorem valorem. Deinde poteſt quis ſatisfacere alijs præceptis Diuinis exiſtēs in peccato, v.g. non furandi, non occidēdi; ergò ſimilitèr poteſt ſatisfacere pro pœna debita peccato iam remiſſo, licèt in peccato. Præterea: inter homines poteſt vnus ſatisfacere plenè alteri, licet inimico pro iniuria, ſeù offenſa ſibi illata, ergò etiam in propoſito: quippe nullus homo eſt magis pronus ad acceptandum ſatisfactionem ab offendente, quàm Deus. Accedit, quod ſicut eſt conſonum Diuinæ iuſtitiæ exigere à nobis aliquā ſatisfactionem pro peccato commiſſo, ita videtur omninò contra rationem iuſtitiæ, & etiam miſericordiæ exigere duplicem pœnam, ſeu idem bis punire; ergo ſi quis luit pœnam condignam exiſtens in peccato pro alio peccato iam remiſſo, non debet dici, quod Deus exigat aliam pœnam, ſiue in hoc, ſiue in alia vita; & præcipuè cum pœnitens ſubierit illam pœnam propter ſententiam Iudicis, quam fert in ipſum poteſtate clauiū. Præterea, quando Tgeologi dicunt damnatos in alia vita non ſatisfacere pro ſuis peccatis, licèt acerbiſſimè puniantur, non propterea aiunt ipſos nō ſatisfacere, quia non ſunt in ſtatu gratiæ, ſed quia ipſi non ſubeūt illas pœnas ſeipſos voluntariè caſtigando, ſed coacti quaſi vniuntur; ergò cum exiſtens in peccato, non patiatur, aut puniatur ab alio coactè, quinimò ipſe ſit vindex ſui peccati, poterit dici ſatisfacere. Item præceptum ſatisfactionis Sacramentalis, non de modo operandi traditur; ergò quamuis ſaluberrimum Concilium ſit adimplere ſatisfactionem in ſtatu gratiæ, nihilominus ſatisfacit præcepto adimplendo illud in ſtatu peccati. Addè, quod quotidiana praxis docet nec pœnitentem ſolere ſe accuſare de adimpleta pœnitentia in ſtatu peccati mortalis; nec prudentes Confeſſores ſuper hoc interrogant etiam ignaros, quod tamen foret neceſſarium ſi eſſet nouum mortale non implere in gratia.

Oppones contra nos potiſſimum fundamentum Aduerſariorum: opera exiſtentis in mortali peccato, ſunt mortua, & inutilia iuxta id quinto Corinth. 13. ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt; ergò nec ad ſatisfaciendum pro peccatis poſſunt talia opera. Reſpondetur diſtinguendo antecedens; ſunt mortua, & inutilia quoad effectum pro merendi vitam æternam, & remittendi peccatum in exiſtens; concedo, nec aliud intendit Apoſtolus: ſunt omnimodè inutilia? nego. quia reuera in ſententia omnium, & ſancti Auguſtini pluribus in locis bona opera peccatorum valent ad effectum pro merendi præmium aliquod temporale.

Oppones ſecundò; Sacramenta, vt ſortiantur ſuum effectum ex opere operato ipſis debitum, requirunt debitam diſpoſitionem in ſuſcipiente: at exiſtens in mortali, non eſt debitæ diſpoſitus; ergò in eo nullum effectū operatur ſatisfactio ſacramentalis. Reſpondetur diſtinguendo minorem: non eſt diſpoſitus quantū ad omnem effectū huius ſacramenti percipiendum? concedo: quantum ad effectum ſoluendi pœnam temporalem, qui ſolus per ſe conuenit ſatisfactioni ſacramentali? nego; nam ad iſtum effectum non requiritur. niſi quod voluntariè exequatur quis in ſeipſum pœnam à Sacerdote iniunctam.

Oppones tertiò: ſatisfactio ſacramentalis, vt declarat Triden. ſeſſ. 14. c. 8. ordinatur ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentū, ſed ſatisfactio exiſtentis in mortali, non poteſt eſſe ad nouę vitæ cuſtodiam, vtpotè, quæ iam per relapſum eſt perdita; ergò, &c. Reſpondetur Concilium ſolum vellet, quod ſatiſfactio multum valeat ad nouæ vitæ cuſtodiam, ſi ea durante (quod conſultum eſt fiat) impleatur. Præterea etiam valet in ſtatu peccati mortalis adimpleta pro medicamento infirmitatis, vel ad præcauenda plura in futurum peccata, dum per ieiunia, orationes, & ſimilia, caro maceratur, vt à peccatis abſtineat.

Obij-

Obijcies, quod in ſacra Scriptura opera impiorum non acceptantur à Deo: ſed nulla ſatisfactio poteſt eſſe talis, vt ſuum valorem habeat, niſi acceptetur ab eodē; ergò opus pœnale factum ab homine exiſtente in peccato mortali, non habet rationem ſatisfactionis. Maior probatur; Prouerb. 15. victimæ impiorum abominabiles ſunt Domino; & Eccleſiaſt. 24. dona impiorum non probat Altiſſimus; & Concilium Trid. in ſeſſ. 14. cap. 8. & Can. 13. & 14. dicit ſatisfactionem hanc non eſſe opus noſtrarum virium, ſed eſſe opus gratiæ data per Chriſtum Ieſum, à quo omnis noſtra ſufficientia eſt. Dicimus cũ Scoto, ſicut ipſe diſtinguit, quod huiuſmodi opus factum in peccato mortali ex impoſitione Sacerdotis non vt ſatisfactio placans, vel reconcilians, ſed ſoluens pœnam: Auctoritas Scripturæ probant talia opera Deo non eſſe accepta quoad meritum æternæ vitæ, vel quoad reconciliationem, non tamen quoad ſolutionem pœnæ: nam opus tale eo, quod eſt iniunctũ à Sacerdote virtute clauium taſſantis talem pœnam, poteſt eſſe opus moralitèr bonum, puta liberè factum ex obedientia ad ſatisfaciendũ pro culpa commiſſa, ideo poteſt habere rationem ſatisfactorij, licet non meritorij. Ad Concilium Trid. (qui locus eſt difficilis) poſſumus dicere tale opus, vt iniunctum à Sacerdote virtute clauium, non eſſe opus noſtrarum virium, ſed vi ſacramenti ſuſcepti poſſe fieri ſatisfactoriũ, & ideo dicitur eſſe opus gratiæ: quia virtute ſacramenti ſine noſtro merito, ac gratis à Chriſto Domino inſtituti, huiuſmodi opus impoſitum, habet rationē ſatisfactorij, & cum quærit Suarez, an peccator in huiuſmodi ſtatu peccati mortalis ſatisfaciat de condigno, an de congruo: poſſumus concedere ſecundum; & cum inquit hoc dici gratis; quia nullibi reuelatum eſt, nec poteſt conſtare Deum vti hac liberalitate cum ſuis inimicis: dicimus indè nobis relinqui coniecturam, quod huiuſmodi opus ſit ſatisfactorium: quia ex Propheta Amos Deus non punit bis in idpſum; cum ergò pœna illa debita peccato remiſſo ſit finita, & peccator eam luat liberè, & ex obedientia Miniſtri Eccleſiæ ad ſatisfaciendum culpæ; ſignum eſt, vt Deus illam acceptet ad ſolutionem, non ad meritum, vel augumentum gratiæ: cum hæc perſona non habeat eam dignitatem, quæ requiritur ad meritum.

Oppones: pœnæ huius vitæ per ſe conſideratæ, non ſunt proportionatæ pœnis futuræ vitæ: ergò ex ſe non habent valorem, vt remittant pœnam luendam in alia vita; ergò neceſſaria eſt gratia à qua accipiant hunc valorem. Confirmatur diſcurſus: nam peccator, vel ſatisfaceret de condigno, vel de congruo pro illa pœna? Non primum (quia inquit Suarez) dignus eſt peccator quamdiu, & in peccato, vt priuetur omni bono, & ideo incapax eſt, vt dè condigno mereatur, vel ſatisfaciat. Nequit aſſeri ſecundum: quia hoc gratis diceretur; vbi enim reuelatum eſt Deum hac liberalitate, vt vti erga peccatorem, & inimicum, vt ipſi remittat pœnas pro quibus non ſatisfecerit.

Vt rem emulceamus, peto à Suarez: cũ dicit ſatisfactionem, ſeu pœnam temporalem huius vitæ non habere proportionem cum pœnis alterius; peto à Suarez quid intelligat per hanc proportionem: vel enim intelligit per hoc, quod pœnæ huius vitæ non ſunt tam intenſæ, ac vehementes, ac pœnæ alterius vitæ; vel intelligit quod non ſint tanti valoris, aut perfectionis, & quod propterea ſatisfaciens indigeat gratia habituali ad hoc, vt eius ſatisfactio dignificetur. Si aſſerat primũ. Contra: nam nec gratia ſanctificans viatoris reddit illam pœnam magis intenſã, quam aliàs eſt; ergò impertinens eſt gratia ſanctificans in ordine ad illam proportionem. Si dicat ſecundum; aſſumit probandum: controuerſia enim eſt: vtrum ad hoc vt quis ſatisfaciat pro pœna ſoluenda in alia vita requiratur ſtatus gratiæ, quod probandum, non ſupponendum, erat.

Ad confirmationem facilis eſt reſponſio: nam ſiue dicamus peccatorem de cõdigno, ſiue de congruo ſatisfacere; argumentum ipſius, nec vnum, nec alterum impugnat; vndè quantum procedit contra ſatisfactionem de condigno: reſpondetur negãdo minorem quoad primam partem. Ad eius probationem concedimus pecca-

cato-

catorem eſſe dignum, vt priuetur omni bono gratiæ, & gloriæ, & eſſe incapacem meriti de condigno reſpectu horum; negamus tamen eſſe incapacem ſolutionis pœnæ debitæ peccato ſibi remitto. Quantum verò procedit contra ſatisfactionem de congruo, reſpondetur negando ſecũdam partem minoris. Cum dicit hoc gratis aſſeri à nobis; reſpondemus ab ipſo gratis aſſeri oppoſitum; quod autem nos hoc gratis non dicamus, ſuadente rationes noſtræ propoſitionis. Petit Suarez: vbi reuelatum ſit, quod Deus tanta liberalitate vtatur erga ſuum inimicum, vt remittat ipſi pœnam pro qua non ſatisfecit: peterem ego à Suarez, quis reuelauit ſibi Deum tanta ſeueritate vti erga peccatorem, vt peccatum ipſius pro quo plenè ſatisfecit, iterum puniret.

Obijcies Triden. ſeſſ. 6. c. 8. exigere ſtatum gratiæ non ſolum ad meritum reſpectu gratiæ, aut gloriæ, ſed etiam ad ſatiſfaciendum; vndè Triden ita dicit: nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendũ eſt, quominus plenè illius quidem operibus quæ in Deo ſunt facta, Diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, &c cenſeantur: ergò ſecundum Concilium non ſolum ad meritum requiritur ſtatus gratiæ, ſed etiam ad ſatisfaciendum. Reſpondetur Concilium in loco nullo modo agere de ſatisfactione pro pœna debita peccato remiſſo; ſed per ſatisfacere ſolum intendit obſeruare Dinina mandata: nam obſeruare legem, eſt ſatisfacere legi; & hæc explicatio colligitur expreſsè ex eiſde verbis Concilij; dicit enim tales ſatiſfacere Diuinæ legi. Deindè Concilium loquitur de ijs, qui gratiam ſemel acceptam, nunquam amiſerunt, ac de ijs, qui ipſam amiſerunt, & poſtea reconciliati ſunt; dicendum tam hos, quàm illos ſatisfacere operibus in Deo factis, ſcilicèt in gratia; certum eſt autem eos, qui nunquam peccauerunt, aut amiſerũt gratiam acceptam non ſatisfacere pro vlla pœna alterius vitæ: nam nulli fuerunt obnoxij; ergo Triden. in illo loco non loquitur de ſatisfactione peccatoris pro pœna ſoluenda in alia vita. Sed dato etiam quod Cõcilium loqueretur de hac ſatisfactione, nõ intendit ſatisfactionem, quam exhibet peccator, ſeu pœnitens virtute clauium, ſed de ſatisfactione voluntaria quam quis ſua ſponte exhiberet. Quod autem ad talem requireretur ſtatus gratiæ, non facit contra propoſitionem, quæ procedit de illa ſatisfactione ſacramentali: nam eo ipſo, quod Sacerdos tulit ſententiam in pœnitentem ipſum abſoluendo, & ligando, pœnitens acquirit ius, vt Deus accepter ſuam ſatisfactionem. Dices: ſaltim ex prima explicatione Concilij ſequitur, quod ad obſeruantiam legis requiratur ſtatus gratiæ: Dicit enim Concilium ſatisfieri legi operibus in Deo factis, quaſi ſupponens non ſatisfieri niſi fiant in Deo, ſcilicèt in ſtatu gratiæ; hoc autem eſt cõtra illam rationem qua vſi ſumus in initio. Reſpondetur negando ſequelam; nam Concilium in hoc loco non definit neceſſitatem gratiæ ad obſeruantiam legis, ſed ſolum determinet quem fructum habeant opera facta in gratia, inter quæ ponit opera præcepti.

Oppones: alia ſacramenta Baptiſmi, videlicèt, & Euchariſtiæ nullum conferunt effectum, nec quidem remiſſionis pœnæ exiſtenti in peccato; ergò nec ſatisfactio ſacramentalis. Reſpondetur negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quod nunquam continget remitti pœnam manente culpa; cum autem Sacramentum Baptiſmi, & Euchariſtiæ non remittant culpam niſi ſe diſponenti (ſi eſt adultus) non habent remittere vllam pœnam; imò ſuſcipientes talia Sacramenta abque diſpoſitione requiſita, de nouo peccant, & ponunt obicem fructui Sacramenti. In propoſito autem peccatum ſupponitur remiſſum, & ſic ſolum remanet reatus pœnæ temporalis, cuius ſolutioni non obſtat nouum peccatum.

Tandem obijcies ex noſtra ſententia ſequi non ſolum exiſtentem in peccato mortali habituali, ſed etiam aliquem per aliquod opus malum, ſeu relatum ſaltem in malum finem poſſe ſatisfacere pro pœna debita peccato remiſſo; quod videtur omninò inconueniens. Probatur ſequela: nam Confeſſor imponat alicui pœnitentiam, ieiunare, v. gr. iſte talis ieiunet referendo illud ieiunium in malum finem, vanæ gloriæ videlicèt; tum ſic, iſte talis ſe-

ſecundum noſtra principia ſatisfaceret, & ex ſuppoſitione peccaret; ergò aliquis actu peccans, ſeu per actum peccaminoſum poteſt ſatisfacere pœnæ debitæ ſuo peccato. Probatur minor; nam nihil ipſi operi deeſt requiſitum ad hoc, vt ſit ſatiſfactorium, niſi quod ille, qui operatur non habet gratiam; at ad ſatisfaciendum ſecundum nos non requiritur gratia; ergò, &c. Probatur maior; nam opus alias eſt ex ſe, pœnale, & proportionatum pœnæ debitæ ſupponitur, & iniuncta pœnitenti à Iudice, & ab ipſo pœnitente acceptatum; nihil autem aliud poteſt aſſignari ex cuius defectu non eſſet ſatisfactorium niſi ſtatus peccati impediat: ergò ſi talis non impedit (vt nos dicimus) eliciens tale opus poterit ſatisfacere. Nec ſufficit dicere peccatum, quod tunc committitur impedire; nam peccatum actuale non eſt minus dignum quod committens ipſum priuetur mercede ſui operis, ſeu fructui quoad ſolutionem pœnæ, quã peccatum habituale: ergò ſi habituale nõ impedit, nec actuale, quod tunc committitur. Probatur minor principalis, nempè inconueniens eſſe quod quis quãdo actualitèr peccare ſatisfaceret pro pœna alterius peccati. Primò: nam non apparet quomodo aliquis ſimul ſoluat pœnam, & incurrat reatum nouæ pœnæ: aut quomodo Deus placaretur per illud opus quo actualitèr offenderetur: ſed ſatisfaciens, modo prædicto contrahit nouam pœnam, & offendit Deum: ergò non ſoluit pœnam. Confirmatur; nam nunquam poteſt remitti pœna debita peccato habituali mortali quãdiù manet ipſum peccatum, nec pœna debita vni peccato manente altero, ſicut nec vnum remitti, altero manente: ergò quando quis actualitèr moralitèr peccat, cum incurrat reatum nouæ pœnæ, non poterit ſatisfacere pro pœna alterius peccati. Probatur cõſequentia: nam non eſt potior ratio cur remitteretur pœna debita pro peccato mortali, quando quis actu peccaret, quàm quod remitteretur pœna manente peccato habituali; ergò cum non poſſit remitti pœna peccati habitualis manente eodem peccato, non poterit remitti pœna alicuius peccati dum quis actu peccat.

Reſpondetur admittendo ſequelam, & negando minorem: ad cuius probationem nego maiorem; etenim ſtare poteſt, quod quis ſatisfaciat ſententię pœnali, & actualitèr ſatisfaciendo incurrat nouam pœnã: ponamus enim caſum, quod Princeps ferat ſententiam exilij in aliquem ſubditum; iſte ſubditus ad adimplendum ſententiam Principis furetur equum Principis, & quantum pecuniæ opus eſt pro expenſis tenori, &c. Certè iſte ſatisfaceret ſententiæ Principis, & tamen hoc ipſum faciendo incurreret nouam pœnam, & indignationem Principis, & nihilominus Princeps non poſſet procedere contra ipſum ex eo quod non ſatisfecerit ſuæ ſententiæ. Ad confirmationem reſpondetur diſtinguendo antecedens quoad ſecundam partem: non poteſt remitti pœna debita vni peccato manente altero, ſi illud peccatum cui debebatur pœna ſimul maneat cùm altero, concedo; ſi non manet, ſed ſupponitur iam remiſſum, nego; & eodem modo diſtinguitur conſequens; quando quis actualitèr peccat, non poteſt ipſi remitti pœna debita pro alio peccato mortali non remiſſo, concedo; pro remiſſo, nego.

Ratio huius eſt, quod difficultas, ſeù impoſſibilitas remiſſionis pœnæ debitæ vni peccato, manente ipſo peccato ſimul cum alio peccato non remiſſa pœna debita alteri peccato, oritur ex connexione ipſorum peccatorum ad inuicem: nam quandiù manet peccatum, manet reatus pœnæ irremiſibilitèr; at quando condonatur vnum peccatum, & manet reatus pœnæ, vel in hac, vel in alia vita ſoluenda, pœna remanens non dicit connexionem cum vllo alio peccato, niſi cum illo ob quod debebatur, vel per accidens cum alijs peccatis ſimul exiſtentibus cum ipſo, antequam remittatur; cum autem in propoſito exiſtens in peccato, ſeù actualitèr etiam peccans, cum ſatisfaciens eliciat illud opus in ſatisfactionem peccati iam remiſſi, poterit plenè ſatisfacere pro ipſo. Deindè alia ratio aſſignari poteſt cur non poſſet quis in noſtro caſu ſatisfacere etiam peccando actualitèr, licet non poſſet de potentia abſoluta ſatisfacere pro pœna debita peccato manente ipſo

peccato, ſeù pœna vnius peccati remitti, non remiſſa pœna alterius quandiù vtrumquè peccatum maneat: nam pœna debita cuicumquè peccato mortali non remiſſo, eſt pœna æterna, quæ non poteſt recompenſari pœna temporali; at pœna ſoluenda poſt peccatum remiſſum, eſt pœna temporalis; pœna autem temporalis, alia temporali compenſari poteſt.

DISPVTATIO XIV.

Diſputatur de Sigillo Confeſsionis Sacramentalis.

SVB Sigillo ſummoque ſecreto excipit Confeſſor confeſſionem, nè Pœnités ex timore manifeſtationis peccati diuertatur à confeſſione facienda. Eſt ergò ſigillum confeſſionis obligatio quædam, qua Confeſſarius tenetur non manifeſtare, quæ ſibi per ſacramentalem confeſſionem manifeſtata fuere. Conſultò dicitur ſigillum, Methaphora deſumpta à ſecreto: nam ſicut ea, quæ in literis ſigillo latent, nec poſſunt legi, nec alijs licitè manifeſtari, ita illa, quæ in confeſſione audita ſunt, nec licet verbis, ſignis, vel factis directè, vel indirectè manifeſtare: Vndè obligatio ad ſigillum effectus eſt conſurgens ex confeſſione ſacramentali, nè reddatur odioſa, & oneroſa. Fuit ſẽper in Eccleſia receptum, vt confeſſio fieret ſub ſigillo, ſcilicèt, ita exciperetur à Sacerdote, vt ſicut ea, quæ ſub ſigillo sũt, nemini patent, ita nunquam manifeſtaretur confeſſio, vndè deueniri poſſet ad cognitionem Pęnitentis, & diuinari poſſet, quæ ſit illa perſona.

Eſtque maxima Sacerdoti confeſſionem reuelanti pęna impoſita, vt videre eſt de Pęnitentia d. 6. Canone Sacerdos; vbi Sacerdos reuelans confeſſionem deponitur à dignitate Sacerdotali, & velut alter impius Cainus, vagus, & profugus in omnes partes Mundi mittitur; ſed extra de pęnitentijs, & remiſſionibus cap. omnis vtriuſque ſexus. Confirmatur quidem illa depoſitionis pœnæ, ſed altera deuagatione, & diſcurſu mutatur incarcerationem perpetuam, ſcilicèt in recluſionem in Monaſterio à quo recedere non poſſit. Solutionem ad difficultates ſpectantes ad hunc tractatum, dabunt, quæ ſub ſequentur propoſitiones. Incipiamus à prima.

PROPOSITIO PRIMA.

Confeſſarius iure naturali tenetur ſeruare ſigillum Confeſſionis, reticendo ea, quę in confeſſione manifeſtata fuere.

PRobatur: quia iure naturæ tenetur vnuſquiſq; ſeruare ſecretum ſibi commiſſum, ob fidelitatem, & infamiã ſequendam ex manifeſtatione ſecreti, iuxta illud principium: Quod tibi non vis, alteri nè feceris: Ergò multò magis tenetur Confeſſarius reticere delicta pęnitentis, nè ſi reuelet, ſequatur pęnitenti infamia. Legatur Scotus in 4.d.12.qu.2. Fauet etiam huic propoſitioni illud principiũ ex Math. 7. omnia, quæ vultis, vt faciant vobis homines, hoc facite illis: ſed quilibet de lege naturæ debet velle, conſeruare ſuam famam, ergò debet ſeruare famam proximi. Adde, quod tenemur proximo ſeruare fidelitatem, quoad nobis manifeſtatum ſecretum, & hoc de lege naturæ. Adde, quod alias deſtrueretur recurſus inferioris ad ſuperiorem in conſilio Animæ; hoc autem deſtrueret vnitatem corporis miſtici, quod vt docet Scotus eſt contra legem naturæ.

PRO-

PROPOSITIO II.

Iure Diuino tenetur Confeſſarius ad ſigillum Confeſſionis ſeruandum.

ET ſi communis ſit opinio, defendens ſecretum Confeſſionis; non tamen ita facile eſt reddere rationem iſtius ſigilli, & ſecreti Confeſſionis. Diuus Thomas putat hanc eſſe: Audit confeſſor pœnitentis peccata, non nomine ſuo, & proprio, neque vt homo, ſed vt à Deo deputatus, imò vt Deus ipſe, & in perſona Dei: finita autem auditione Confeſſionis, non amplius ibi eſt, vt Deus, ſed vt homo; ergò ſi dicit ſe audiuiſſe tale peccatum à tali pœnitente mentitur: nam tunc loquitur, vt homo, & neſcit peccatum, vt homo: ergò manifeſtatio confeſſionis eſt tale crimen quale eſt mendacium in re grauiſſima, prohibeturq; præcepto, non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium: Pace D. Thomæ dixerim nullius eſt roboris hæc ratio: non enim audit Sacerdos Confeſſionem pœnitentis in perſona Dei, ſed quatenus homo eſt, & à Deo iudex conſtitutus, vt litem inter Deũ, & peccatórem dirimat lata ſententia abſolutionis, remiſſionis, aut retentionis. Certum autem eſt iudicem non ferè ſententiam, aut litigantes audire nomine, aut perſona litigantium; Et quãuis in perſona Dei audiret Sacerdos confeſſionem, non tamen indè ſequeretur teneri eum ad perpetuum ſilentium: conſecrat enim Sacerdos in perſona Dei, & Chriſti, non autem vt homo; Et tamen Sacerdos liberè dicit ſe cõſecrare.

Meliorem affert rationem Scotus cum docet triplici ſigillo Sacerdotis, os claudi, perpetuumq; ei imponi ſilentium; ita vt non poſſit reuelare Confeſſionem, ſi perueniri poſſit ad perſonæ cognitionem. Primum ſigillum, primaq; ratio perpetui ſilentij in hoc negotio eſt ex lege naturali, vt ſupra diximus, quæ prohibet ne alteri faciamus, quod nobis fieri nolemus; ſed Sacerdos audiens alterius Confeſſionem, nollet ſuam detegi confeſſionem: ergò nõ debet alterius Confeſſionem detegere. Eſt in eadẽ lege naturali aliud præceptũ, quo iubemur Deum totius naturę Auctorem venerari, eiuſque cultum ampliare, itaut retrahere aliquẽ ab huiuſmodi cultu nefas ſit, & malum maximum; Cumq; multi ſint actus venerationis Diuinæ. confeſſio inter eos ſuum locum habet: ſed reuelare confeſſionem Pœnitentis, eſt retrahere pœnitentem à confeſſione facienda. Egò Sacerdos reuelans Confeſſionem eadem ſententia damnabitur, quo Ophimi, & Phinees filij Eli Sacerdotis primò Regum primo, retrahentes à cultu Diuino populum Dei. Secundum ſigillum, & ſecunda ratio ſecreti, eſt lex Euangelica, quæ conformis eſt naturali, qua obligamur diligere proximos, ſicut nos ipſos; ſed nemo ſanæ mentis ſua peccata vellet propalari, ergò Sacerdos non debet aliorum peccata propalare. Tertium ſigillum, & tertia ratio ſecreti eſt lex Eccleſiaſtica, quæ naturali, & Euangelicæ conformis, prohibet manifeſtationem confeſſionis, & pœnas imponit manifeſtanti.

Quod hoc ſecretum ſit iuris diuini, probatur; quia iure diuino tenemur non inferre, irreuerentiam Sacramenti: ſed maxima fieret irreuerentia huic Sacramento per reuelationem ſigilli, ergò. Probatur minor; quia hoc retraheret fideles ab obſeruatione Præcepti Confeſſionis, quod eſt contra reuerentiã Sacramenti, & præceptum Chriſti. Dices, quamuis vnus Sacerdos reuelet, tamen alius ſeruabit ſigillum; ergò reuelatio vnius non retraheret fideles à Confeſſione. Contra: reuelans quantum eſt ex ſe dat occaſionem alijs cauendi eodem modo à ſingulis Sacerdotibus. Hinc intelliges, quod qui frangit ſigillum confeſsionis, ad minus duo peccata committit; vnum contra iuſtitiam, qua tenetur ad ſeruandam famã, itaut, ſi aliquid damnum ſequeretur pœnitenti, teneretur de iuſtitia Confeſſarius illud reſarcire. Alterum verò contra Religionem, nempè ſacrilegium, etenim reuelando confeſsionem, iniuriam facit Sacramento, reddendo illud oneroſum, & odibile: quod quidem non ſolùm eſt verum, quando frangitur ſigillum quoad peccatum mortale, ſed etiam quoad veniale: nam vt (ait Suarez) non datur paruitas materiæ in fractione ſigilli, quippè ex cu-

Digitized by Google

ex cuiuſcumque peccati reuelatione reddatur odioſa, & onerofa ſacramentalis confeſsio.

PROPOSITIO III.

Hoc ſigillum comprehendit omnem Sacerdotem audientem Confeſſionem, & eum etiam, qui licèt verè non ſit Sacerdos, tamen vt talis creditur à Pœnitente, & etiam Superiorem, quando patitur ab ipſo licentia in ordine ad peccata reſeruata.

PRobatur rationibus, quibus ſupra. Dices cõfeſsionem factam laico fingenti ſe Sacerdotem non eſſe ſacramentalem, ac propterea ex ea non oriri obligationem ſigilli. Contra: nam quatenus illa confeſsio non ſit ſacramentalis ex defectu authoritatis, ſine qua non poteſt perfici ſacramentum; tamen hoc non tollit obligationem ſigilli; ſicut, ſi quis confiteretur legitimo Sacerdoti, ſine diſpoſitione ſufficienti ad valorem Sacramenti, illa Confeſsione non perficeretur Sacramentum, & tamen ſecundum omnes, ſigillum obligat, ergò ſimilitèr in propoſito.

PROPOSITIO IV.

Hoc ſigillum obligat etiam Interpretem.

PRobatur, quia aliàs fieret maxima iniuria Sacramento. Hinc dico obligari ad ſigillum omnes illos, qui aliquando ex confeſsione ſacramentali nouerunt aliquod delictum. Ratio eſt: quia ſicut ea cadunt ſub ſigillo, quæ dicunt ordinem ad confeſsionem ſacramentalem; ita, illi omnes, qui ex confeſsione ſacramentali notitiam habent de aliquo crimine detecto in confeſsione, tenetur illud reticere, & reſtant obligati ad ſigillum. Hinc intelliges primò, quod Cõfeſſarius teneatur ad ſigillum, ita vt non poſsit vti ſua authoritate in confeſsione ad aliquod faciẽdum; vel non poſsit loqui, quando indè oriatur notitia, vel ſuſpicio pœnitentis. Secundò intelliges, quod ſi Confeſſarius loquens de auditis in confeſsione abſque manifeſtatione perſonæ, & ſine periculo, quod audientes veniant in cognitionem, vel ſuſpicionem pœnitentis, non frangit ſigillum, quia non ſequitur infamia Pœnitentis, nec confeſsio redditur odioſa; Tutiùs tamen eſt ſemper reticere, & attendere obſeruantiam ſigilli, ad quod nõ ſolùm tenetur Confeſſarius, ſed omnes illi, qui ex confeſsione ſacramentali noſcunt delictum pœnitentis, vt ſunt Interpretes, & qui adſtant caſu, vel induſtria propè Confeſſarium.

PROPOSITIO V.

Hoc ſigillum obligat eum, cui Sacerdos illicitè Confeſſionem reuelauit, & quæcunque alium, qui quouis modo ex Confeſſione aliquod peccatum cognoſcit.

PRobatur ratione Doctoris: qui transfert aliquod in alium, quod non poteſt licitè, non dat illi vlterius ius vtendi, vel transferendi illud in altero: ſed Sacerdos reuelans non habuit ius reuelãdi peccatum pœnitentis: ergò ex eius reuelatione, ille, cui reuelauit, nullum acquirit ius.

Oppones in fauorem dicentium eum, qui in caſu audiuit confeſsionem, non teneri ad ſigillum, ita reuelantes non concurrerunt ad Sacramentum, ergò nec ad ſigillum, quod vi Sacramenti oritur. Reſpondetur impertinens eſſe, quod concurrat ad Sacramentum, vel non concurrat, dummodo per viam Sacramenti deueniant in cognitionem peccati. Puto etiam teneri ad ſecretũ ſuperiorem, à quo petitur facultas abſoluendi à reſeruatis, vt iam ſupra notauimus. Moueor ad hoc; quia aliàs Sacramentum redderetur odioſum, & retraherentur homines ab illius vſu, quando eſſet neceſſarium obire ad Superiorem pro facultate abſoluẽdi à reſeruatis. Ita Suarez d.33. ſeſſ. 4. num.3.

Enriquez

Digitized by Google

Enriquez, Conninch,& noſtri Pitigianus & Vilalobus, cum alijs, quos citat *Diana* relat. 12. Fauet ratio, quia moralitèr loquendo; Superior tūc intelligitur vna perſona cum in ordine ad abſolutionem dandam Pœnitenti: ergò ſicut Confeſſor tenetur ad ſigillum, ita & Superior.

Oppones: Prælatus tunc non accipit notitiam peccati ex Confeſsione, ſed ex narratione non ſacramentali pœnitentis, ergò non tenetur ad ſigillum.. Negatur antecedens; quippe pœnitens tale peccatum narrat in ordine ad ſacramētalem abſolutionem; hinc, ea narratio ſortitur rationem inchoatæ confesſionis. Curioſè petes; An qui inuenit papirum in quo ſcripta erant peccata in ordine ad cōfeſſionem, teneatur ad ſigillum ſacramentale. Variant Theologi inter ſe. Noſter Rodriquez, & alij, quos citat, & ſequitur Diana, ſunt pro parte affirmatiua. Fundamentum poteſt eſſe, quod illa carta videtur inchoata confesſio, ſi conſideretur antè confesſionem; ſi autem poſt confesſionem, eſt confesſio iam facta, & moralitèr perſeuerans; hinc cenſenda ſigillata ſigillo confesſionis.

Suarez diſp. 33. ſeſſ.4. nu.5. cum nonnullis alijs apud Dianam, oppoſitum defendit. Mouetur, quia illa peccata, non cognoſcuntur ex confeſsione, ergò non cadunt ſub ſigillo. Reſpondemus falsum eſſe antecedens, etenim ſcriptura illa ante Confeſsionem ſortitur rationem confeſsionis inchoatæ, & poſt Confeſsionem eſt confeſsio facta, & moralitèr perſeuerans.

Accipe hoc documentum ex Facundio cap.4. num.28. & ex ipſo Diana, quod ſi Iudex inueniſſet peccatū ſcriptum in ordine ad confeſsionem ſacramentalem; minimè indè eſſet illi poteſtas ad agendum contra illum reum, & incurreret obligationem ceſſandi ab inquiſitione criminis.

PROPOSITIO VI.

Nec de licentia Pœnitentis poteſt Confeſſarius reuelare Confeſſionem.

ITà Scotus in 4. d.21. q.2. §. ad argumenta verſiculo alitèr, & verſ. ſed nūquid, Alenſis 4.par q.78. membro 3. Aureolus d.20. q.4. Angelus verbo confeſſio §. primo; Fauent omnes Minoritæ apud Vilalobum. Legatur Diana quinta parte tractatu decimo reſolutione decima.

Probatur, quia licet de licentia pœnitentis ſecretum naturale poſſet reuelari ipſo cedente ſuo iure; nequit tamen diſpenſare in iure diuino in eo, quod caderet in irreuerentiam Sacramenti, ergò nequit Sacerdos, etiam de licentia Pœnitentis ipſum violare. Adde, quod ſigillum eſt de iure diuino diſpoſitum à Chriſto non ſolum in fauorem Pœnitentis, ſed etiam in fauorem communitatis, imò, & Sacramenti, atque adeò nequit à pœnitente renunciari. Res declaratur exemplo priuilegij in foro clericali, quod nequit renunciare clericus, & ſe reddere ſubditum poteſtati ſæculari, cuius rei ea eſt ratio, quod priuilegium id eſt conceſſum in fauorem non ſolùm illius, ſed etiam totius communitatis.

Angelicus Magiſter in 4. d.21. q.3. ar. 3. Suarez diſp.33. ſeſſ.5. num. 8. & alij, quos citat, & ſequitur Diana, fauent Doctoribus noſtram negantibus propoſitionem. Quia ſigillum confeſſionis continetur ſub ſigillo in communi: ſed de ratione, & natura ſigilli in communi eſt, quo pendeat à voluntate illius, qui ſecretum alteri commiſit: ergò ex voluntate iſtius poterit alteri reuelare. Nihilominus ſtamus in veritate noſtræ propoſitionis, quæ negat eſſe poſſibilem talem reuelationem; vndè volumus, quemcumque crimina, ſiuè publica in contaminationem corporalem, vel ſpiritualem: ſiuè priuata in præiudicium tertij; ſiuè in ipſius delinquentis præiudicium; nec poſt Mortem Pœnitentis poſſe reuelare ſi ſciuntur per ſecretum Confeſſionis ſacramentalis: imò ſi Sacerdos interrogetur à Iudice cum iuramento, vt reuelet crimen, quod ſcit per confeſſionem; liberè poteſt dicere neſcio, quia

quia confeſſio eſt de iure diuiuino. Addo, quod etiam ſi Hereticus confiteatur, Confeſſor nullo modo reuelare poteſt; ſed quando immineret periculum ciuitatis, poſſet Sacerdos admonere Iudices, vt probè Ciuitatem cuſtodiant, & inuigilent Paſtores ſuper Gregem ſuum, & adeò vt nunquam deueniant ad notitiam delinquentis, ita Tabiena verbo confeſſionis celatio, Silueſter verbo Confeſſio tertio. Ad argumentum ergò in ſe diſtinguimus minorem: eſt enim vera per ſe loquendo. Non tamen quando ex illa reuelatione ſequuntur inconuenientia maxima, qualia ſunt illa, quæ deducerentur ex oppoſito noſtræ propoſitionis.

Oppones nobis: reſeruatio huius ſigilli eſt ius pœnitentis, & in eius fauorem ordinatum: ſed poteſt pœnitens ſuo iuri cedere etiam in propria fama: ergò ſaltem de licentia pœnitentis poterit Confeſſarius aperire ſecretum. Vt notauimus ſupra: multi concedunt totum argumentũ, modo adſit rationabilis cauſa dandi licentiam. Sed melius reſpondetur ex Scoto negando ſimplicitèr maiorem: quia eſt diminuta: non enim tale ius eſt in ſolum fauorem pœninentis, ſed etiam in fauorem totius communitatis, huius iuri nequit cedere priuata perſona. Adde eſſe etiam in fauorem Diuini huius Tribunalis, vt ſupra notauimus. Poſſet quidem quiſquam, & rationabil cauſa iuri ſuo cedere; poterit etiam ſi voluerit publicè dicere ſua peccata, non ducendo cauſam ſuam ad tam ſecretum forum; poſtquam tamen ſemel deduxit, non poteſt ius huius Tribunalis propalare. Facit pro veritate noſtræ propoſitionis, quod non facilè inuenietur rationabilis cauſa dandi huiuſmodi licẽtiam: quippè, ſi vis, vt Confeſſarius ob aliquem bonum finem agat de tuo peccato extra confeſſionem, vel illud reuelet; tutius eſt illi rurſus peccatum manifeſtare extra confeſſionem, & tũc ſine vllo præiudicio huius ſigilli, poterunt omnia fieri, quæ intendis; & tenebitur Confeſſarius ſub ſigillo naturali omnia ſeruare. Ita Scotus.

Vel ſi vis, vt Confeſſarius iterum loqui poſsit ad ſupplendum aliquem defectum, vel conſultandum de aliqua difficultate circa iam factam confeſsionem; poteris extra confeſsionem de tali peccato cum Confeſſario loqui. Dicerent tamen Confeſſarium iſta peccata audita in ſecundo colloquio ſeruare ſub ſacramentali ſigillo; quippe haberet connexionem cum antecedente confeſsione. ita docet Noſter Pater Marcant.

Oppones D. Bernardum de præcepto, & diſpenſatione libro 4. dicentem: quidquid eſt inſtitutum propter caritatem, non debet contra caritatem militare: ſed tam ſtricta reſeruatio ſigilli confeſsionis ſæpè facit in detrimentum boni communis, & totius Reipublicæ, ergò in hoc caſu non ligat cum tanto rigore ſigillum cõfeſsionis. Reſpondetur, negando ſimplicitèr conſequentiam. Primò: quia Confeſſarius tunc reuelans, haberetur meritò pro falſario, & ſacrilego, ſi pœnitens aſſereret ſe aliquid tale minimè dixiſſe, & certè tunc melius eſſet credere pœnitenti neganti, quàm Confeſſario affirmanti. Secundò, quia ſi id ſemel liceret, timeret quicumq; accedere ad hoc tribunal. Adde, quod vt ſupra notauimus, alia via æquè commodè poteſt Confeſſarius obuiare tantis malis, monendo Principem, Ciuitatem, vel Epiſcopum, vt ſibi, & populo caueant, dicendo: vigilate, quia aliquis, vel aliqui minantur tale malum.

DIFFICVLTAS.

SI quis confiteatur ſe cum alijs complicibus coniuraſſe in Principis, vel Ciuitatis perniciem, & iam ipſe pœnitens doleat de conuentione cum alijs facta: poteſt nè Confeſſarius illi iniungere obligationem, vt vel ipſe accuſet illos complices apud magiſtratum, ſi nolint deſiſtere, vel vt mihi caſum reuelet extra confeſſionem, vt poſſit alios monere. Reſpondeo cum Marcant. affirmatiuè; quia teneor illi inſinuare obligationem ſuæ conſcientiæ: alioquin confeſsio non erit valida; cuilibet enim tenetur in conſcientia quãtum poteſt obuiare mala Communitatis; congruentius tamen eſt, vt ipſe pœnitens deferat: quia delatio Confeſſarij videtur aliquo modo ex notitia in confeſsione accepta, procedere.

Petes an ad tuendam vitam poſset Sacerdos

Digitized by Google

cerdos reuelare confeſsionem. Fuit ſententia Gabrielis d.21. q.1.art.3. caſu 4. poſſe Sacerdotem reuelare confeſsionem pro ſeruanda ſuà vita; imò, & in omni euentu qđò graue damnum imminet Sacerdoti, vel in fama, vel in bonis. Mihi probabilior eſt pars negatiua: quinimò exiſtimatur erronea à Vaſquez hic dubio 9. nam cap. Sacerdos de pœnitentia d.6. inquit Gregorius Papa. *Sacerdos antè omnia caueat ne de his, quæ ei confitentur peccata alicui recitet*. Faciunt pro noſtra opinione rationes probantes neceſsitatem ſecreti.

Petes, quid facere debet Sacerdos, cui ex confeſsione conſtat imminere ſibi periculum mortis, vel ab ipſo pœnitente, vel ab alijs: v.g. confeſſus eſt quis ſacerdoti iter agenti coniurationem aliquorum, & animum ipſum occidendi: quæritur an poſsit tunc fugere Sacerdos, ſi ex tali fuga alij cognoſcituri ſint tale ſecretũ fuiſſe manifeſtatum in confeſsione. Sotus, Maior. & Adrianus docent poſſe fugere Sacerdotem. Ratio eſt; quia reuera ille reuelat confeſsionem, quæ numquam, & ob nullum damnum reuelari poteſt, vt ſupra probauimus, & conſtat ex cap. omnis vtriuſque ſexus de peccatis, & remiſsionibus, vbi in fine ita dicitur. *Caueant autem omninò ne verbo, aut ſigno, aut aliquo quouis modo aliquatenus prodeat peccatorem*. Caſu tamen, quo vnus ex laicis reuelauit in confeſsione coniurationem Sacerdoti, de ipſo occidẽdo, poſſet Sacerdos ipſi dicere, vt peracta, & conſumata confeſsione narret ſibi eandem coniurationem; quod ſi ille faceret poſſet fugere: quia tunc non vteretur licentia habita ex confeſsione, ſed alia licentia comparata extra cõfeſsionem: hæc dico inhærendo opinioni docenti poſſe Confeſſarium extra confeſsionem loqui de peccatis, præhabita licentia Pœnitentis. Indè colligitur, quod ſi Confeſſor anteà, vel poſt confeſsionem indicia habet vndè valeat accuſare pœnitentem de aliquo peccato, poteſt eum accuſare etiãſi peccatum nouerit ex confeſsione, quia non reuelat ex ſcientia comparata ex confeſsione, ſed ex ſcientia aliundè acquiſita.

DISPVTATIO XV.

De Remiſsione Peccatorum Venialium.

NVllum eſſe adeò graue, & enorme peccatum, de quo homo pœnitere non poſsit in tota ſua vita, & veniam conſequi per pœnitentiam cuncti docent Theologi. Innititur hæc noſtra propoſitio duplici articulo fidei, quorum primus eſt remiſsio peccatorum: alius eſt pœnitentiam eſſe Sacramentum reconciliationis, & remiſsionis peccatorũ; vndè colligimus nullum eſſe peccatũ tantæ enormitatis, nullam perſeuerantiam tantam in peccato, quæ pœnitentiam deleri non poſsit. Idque probamus ex omnibus illis locis ſacræ paginæ, in quibus ſuadetur hominibus reſipiſcere vſque ad mortem cum pollicitatione veniæ, & remiſsionis. Quibus adde Diuum Paulum 2. Corinthiorum 5. omnes nos manifeſtare oportet antè Tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout geſsit in corpore ſuo ſiuè bonum, ſiuè malum. Notanda ſunt hęc verba, *Prout geſſit in corpore*; oſtendunt enim animam eſſe ſui iuris ad pœnitendum, quandiù in corpore eſt; quod ſi pœnitere poteſt, & pœniteat, cum facienti, quod in ſe eſt, Deus non deneget gratiam; ſine dubio miſericordiam conſequeretur. Idipſum concludit libertas noſtri arbitrij, quæ tàm auferri ab homine, non poſsit, ea manet homo liber ad pœnitendum, & ponens ad

impe.

impetrationem veniæ. Adde, nullũ poſſe aſſignari genus peccati,quod, vel ſac.pagina,vel in Hiſtoria,autentica,ſcilicètEccleſiaſtica non reperiatur,remiſsũ, & alicui condonatum. Certum ergò debet eſſe peccata venialia remitti; hinc de eorum remiſſione diſputandum. Solutionem dabimus quorundam propoſitionum beneficio, ea tamen lege, vt priùs præmittantur nonnulla documenta docentia naturam,& conceptum peccati venialis diſtinĉti à peccato mortali ſit ergò primum documentum.

DOCVMENTVM I.

Peccatum veniale conuenientèr diuiditur à mortali.

SVpponit hoc documentum, quod per peccatum mortale intelligemus omne id, quod gratiam Dei expellit ab Anima, & ità aufert vitam Animæ ſpiritualem. De qua morte ſpirituali dictum eſt primo Parenti. In quacunque die comederis morte morieris, nec enim ſtatim mortuus eſt morte corporali, ſed morte animæ; de hac morte dixit Salomon Sapientiæ 16. Homo per malitiam occidit animam ſuam, vel dicitur mortale ab alia ſecunda morte ſpirituali, quæ ex peccato ſequitur,nimirùm morte gehennæ,de quâ Pſalmo 48. Sicut oues in inferno poſiti ſunt mors depaſcet eos. Veniale verò tripliciter dicitur: primò proptèr cauſam, quam habet, ex qua ad veniam conſequendam quodammodo mouet Iudicem, ſicut peccata facta ex ignorantia, quæ licèt aliquandò mereantur etiam mortem ſpiritualem, faciliùs tamen veniam impetrant; Paulus dicitur veniam conſequutus, quia ignorans fecit; talia etiam ſunt peccata facta ex infirmitate, etiam ſi aliàs morte digna ſint, & ita Paulus de ſeipſo dixit, quod fecit blaſphema; ſed tantam veniam fuerit conſequutus, quia ignorãs fecit; qua ratione etiam quidam aſſerunt primam Mulierem exiſtimaſſe peccatum ſuum foret veniale, hoc eſt, quod facilè veniam conſequeretur. Secundò dicitur veniale, quia pœnitentia dimiſſum iam eſt, de quo dixit Auguſtinus lib. de vera, & falſa pœnitentia cap. 18. aliqua eſſe mortalia peccata, quę per pœnitentia fiũt venialia, cum veniam conſequuta fuerint per pœnitentiam; & his duobus modis non erit in præſenti noſtra diſputatio; ſed ſolum agemus de veniali, quatenùs adeò leue eſt, vt non ſit cauſa diſſoluendi amicitiam cum Deo, & ità nec auferendi vitam ſpiritualem; & ità peccatum hoc non imputatur ad mortem gehennæ, ſed tantùm in Purgatorio punitur pœna temporali.

DOCVMENTVM II.

FVIT hæreſis Caluini ex Caſtro l.12. de Hereſibus,hereſi 11. qui in libro, quem ſcripſit contra Conc. Tridentinum Canone 27. ſeſſione ſexta, vni damnatur alia hæreſis Lutheri, qui aſſerebat nullum eſſe peccatum mortale præter infidelitatem, ſic ait; peccatum quoduis quoniam ea lege damnatum eſt, mortale eſſe fatemur. Verùm noſter Pater Caſtro, conatur illum contradictione conuincere; quia idem Caluinus alibi aſſerit, iuſtũ hominem in omni opere ſuo peccare; ergò in omni opere mortalitèr peccat, quia eſt impoſſibile ſi ſit iuſtus: ſed certè hic hæreticus ideò hoc falsò docuit, quia putauit peccata iuſtorum, & prædeſtinatorum non imputari ad culpam, vndè nõ mirum quod dixerit, omnia peccata eſſe mortalia, & iuſtum in opere bono peccare mortalitèr; & hæc fuit hæreſis Vicleph, qui licèt ſit alius error peior priore, modo tamen contra illum non diſputamus. Priorem ergò hæreſim,quod omnia peccata ſint mortalia, fusè, & benè confutat noſter Caſtro loco citato, maximè ex illo Prouerbiorum 24. ſepties in die cadit iuſtus, & reſurgit, impij autem currunt in malum; ſi ergò iuſtus eſt, quomodo cadit; quarè oportet leues culpas, & lapſus iuſtorum aſſignare. Beda in c.3. Epiſtola Iacobi ſic exponit hunc locum, quod licèt iuſtus cadat ſępiùs, iuſtus tamen non deſinit eſſe, alias corrueret in malum; quare intelligitur (inquit ille) de leuioribus culpis, quibus iuſtus quotidiè cadit. Multa alia adducit Caſtro loco citato. Et noſter Pater Vega lib.14.

in Concilium à capite primo, vſque ad ſexto ex Scriptura, & Sanctis Patribus, qui planè omnes fatentur in nobis eſſe leuiores culpas, de quibus intelligendum eſt illud Ioannis primò cap. primò; ſi dixerimus, quod peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt; vndè concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. ſic ait; de iuſtis, & ſanctis Viris; licèt in hac vita mortali quantumuis ſancti, & iuſti in leuia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadunt, non ideò deſinunt eſſe iuſti; nam iuſtorum illa vox eſt, & humilis, & verax: dimitte nobis debita noſtra. Et hoc eodem modo definitum eſt de fide in Concilio Meleuitano in tomo primo Conc. cap. 6. 7. & 8. vt ſcilicèt quiſquis iuſtus, dum adhuc iuſtus eſt, veracitèr dicat, dimitte nobis debita noſtra, iuxtà illud Zachariæ 3. In multis offendimus; & hoc non humilitatis tantum cauſa, ſed etiam veritatis, aliàs (inquit Concilium) non dixiſſet Ioannes: ipſi nos ſeducimus, ſed potius ipſi nos extollimus, & humilitas in nobis non eſt.

DOCVMENTVM III.

Differentia peccati mortalis, & venialis eſt ex natura rei.

PRobatur hoc documentum primò ex pluribus Scripturæ, & Sanctorum Patrum teſtimonijs, quia paſſim veritatem hanc oſtendunt, & ſupponũt: nam in Scriptura ſępè fit mẽtio de grauibus peccatis, & quæ alienant à Deo, Pſalm. 31. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino. Primò Corinth. 6. Neſcitis, quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt, nec fornicarij, nec Idolorum ſeruientes, nec adulteri, &c. ſæpè etiam meminit leuium peccatorum, quæ nimirùm ſunt in hominibus iuſtis. Prouerbiorum 24. ſepties in die cadit iuſtus, & reſurgit; impij autem corruunt in malum; vndè in Concilio Meleuitano Canone 6. 7. & 8. definitum eſt, quemlibet iuſtum magna cum veritate dicere poſſe: dimitte nobis debita noſtra; iuxta illud Iacobi 3. in multis offendimus omnes; alioquin (vt inquit Concilium) non dixiſſet Ioannes prima epiſtola c. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. In Trid. verò ſeſſione 6. cap. 11. de Iuſtis, & ſanctis viris, ſic dicitur; licèt enim in hac vita mortali quantumuis ſancti, & iuſti, in leuia ſaltem, & qnotidiana, quæ etiam venialia dicuntur quandoquè cadunt; non propterea deſinunt eſſe iuſti; nam iuſtorum illa vox eſt, & humilis, & verax, dimitte nobis debita noſtra. Qui plura deſiderat legat Patrem Andream de Vega, & Patrem Ildephonſum de Caſtro noſtri Seraphici Ordinis.

Quod autem prædictum diſcrimen deſumatur ex ipſa natura peccatorum; patet primo ex modo loquendi Scripturæ, quæ cum explicare vult grauia peccata, recurrit ad res ipſas, quæ dicũtur peccata mortalia propter ſui grauitatem, vt conſtat ex Matth. 5. qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis; & prima Corinth. 6. cum verò explicat venialia, affert nomina, quibus minutæ, & leues offenſæ ſignificantur; vt Lucæ 12. Non exies indè, donec etiam nouiſſimum minutum redas; & prima Corinth. 3. peccata venialia comparat fœno, & ſtipulæ. Vide Diuum Auguſtinum tom. 7. lib. de natura, & gratia cap. 38. vbi numerans peccata venialia, in quæ prolabi potuit Abel iuſtus, meminit rerum natura ſua leuiſſimarum. Ratione præterea oſtenditur veritas noſtri documenti, quia inter amicos ſunt quædam offenſę graues ratione, quarum diſſoluitur amicitia, aliæ verò, quibus, & ſi aliquãtulùm frigeſcant feruorem amicitiæ, ad huc amicitia perſeuerat, & qui legibus iſtis nollet ſe accommodare, profectò ageret amicum ſeuerum; ergò non eſt credendum de Diuina bonitate, & pietate ità ſeuerè agere cum homine fragiliſſimo, vt propter verbum iocoſum, propter immoderatum riſum velit ſibi habere inimicum, & deſtinare æternis cruciatibus, ergò ſunt aliquæ offẽſę ſuaaptenatura leuis, aliæ verò graues ſuaaptenatura. Confirmatur, quia ſi grauitas, aut leuitas offenſæ pendent ſolùm ex Diuina miſericordia, cum non conſtet nobis ex Sacra Scriptura, aut alia reuelatione, Deum no-

noluiſſe hoc, vel illo peccato grauitèr offendi, redigerentur ſanè homines ad anguſtias intolerabiles, neſcirent enim quænam peccata forent grauia, & neceſſariò confitenda, quæ verò non: vndè iure opptimo viri docti, & pij ad ipſa obiecta decurrunt, & quæ prudentèr apparent exigui momenti, dicunt eſſe veniales culpas, alias verò graues.

Gerſon tertia parte tractatu de Vita ſpirituali, lectione prima, quæ habetur Alfabeto 61. litt. A. quam ſequitur Almainus tract. 3. Moralium cap. 20. aſſerit, omne peccatum natura ſua eſſe mortale, ſed tantum miſericordia Dei aliqua fieri venialia: quia non imputantur ad pœnam æternam, ad quam poſſent imputari. Roffenſis ar. 32. contra Lutherum paulò poſt initium concedit Luthero, omne peccatum ſecluſa Dei miſericordia eſſe mortale, & nullum veniale niſi ex miſericordia. Iſta ſententia videtur fauere errori Caluini; nec vacat temeritate: eſt enim contra communem omnium, qui ſuponũt vt certum, eſſe peccata aliqua natura ſua venialia ratione imperfectionis actus, aut imperfectæ voluntatis, aut deliberationis. Probat Gerſon ſuam ſententiam; quia omne peccatum eſt Dei offenſa, quia eſt difforme rationi, & contra legem Dei; ſed omnis offenſa Dei, vt talis eſt, cum ſit contra bonitatem infinitam, & omni obſequio digniſſimam meretur pœnam anihilationis, ergò multò magis pœnam inferni. Quod ergò Deus non puniat hac pœna omnia peccata naſcitur ex miſericordia ſua, non autem ex iuſtitia noſtra. Confirmatur, quia omnis offenſa Dei cũ ſit contra bonitatem infinitam, erit etiam malitiæ infinitæ; ergò non mirum ſi mereatur pœnam anihilationis, & inimicitiam Dei in infinitum. Secundò, quia ſi peccatum veniale nũquam deleatur quoad culpam, punietur vtique pœna infinita; ergò ex ſe meretur infinitam pœnam; hæc autem eſſe non poſſet niſi homo in infinitum careat viſione beatifica, quia videns Deum puniri non poſſet, nec deberet; ergò omne peccatum poſtulat ſeparationem à Deo in infinitum erit, ergò mortale; ſi præcipuè conſideretur hoc peccatum in homine in puris naturalibus qui ſua virtute delere non poſſet culpam venialem, quia propria voluntate commiſit; cum ergò illud peccatum (vt alia omnia) ſit remiſſibile ex ſola gratia Dei; ex ſola etiam miſericordia procedit, quod dimittatur, & non imputetur ad pœnam æternam, & mortem animæ. Verùm hæc ſententia nullo modo eſt admittenda, vt iam dixi, eamq; refellit Petrus Soto tract. de Diſcrimine peccatorum lectione ſexta in fine, & Medina in hoc articulo; additque Sotus ſententiam Gerſonis, pertinere ad errorem Stoicorum, qui omnia peccata faciebant æqualia. Ipſæ verò Gerſon loco citato Alphabeto 16. lit. B. Reſpondet huic obiectioni dicens, quod quamuis omnia peccata in ratione offenſæ Dei ſint infinita, tamen non ſunt æqualia; ſicut nec linea infinita, & ſuperficies infinita ſunt æqualia, ſed vna maior altera. Verè tamen ægrè ſe poteſt Gerſon defendere à Stoicorum errore, licèt enim linea, & ſuperficies diuerſo modo ſint infinitæ, tamen vna non datur maior altera; maius enim, & minus tantum locum habent in quantitatibus finitis. Præterea peccata ex parte offenſæ eſſent eiuſdem rationis; & ità ſi omnia eſſent infinita eſſent æqualia. Confirmo etiam dari aliqua peccata natura ſua venialia, quia ſi eſt grauis offenſa contra Deum, quæ omninò diſſoluat illius amicitiam; cur non erit etiam aliqua natura ſua leuis, quæ illam omninò non diſſoluat, ſicut contra quemcumque amicum ſolet eſſe & grauis offenſa, & leuis; quamuis enim quis prima facie ſi peccata conſideret, vt Dei offenſas, omnia videbit eſſe grauiſſima, ſi tamen conſideret, non omne peccatum directè, & ex deliberata intẽtione eſſe cõtra Deum, & plurima cõmitti fragilitate naturę conſideretq; figmentum noſtrum, quia caro eſt, nõ dubitabit eſſe aliqua venialia peccata. Denique materia poteſt eſſe ita leuis, vt non ſit dignum peccatum illud inimicitia Dei; v. gr. verbum otioſum, quia in tãtum pecatum eſt offenſa Dei, in quãtum eſt contra dictamen rationis, quod ex ipſa Dei lege deriuatum eſt; ſed ipſum dictamen rectæ rationis iudicat peccata aliqua leuia, & in illis leuem eſſe oppoſitionem ad regulam rationis; ergò etiam ad Deum.

Hinc Reſpondetur ad argumenta Gerſonis.

Digitized by Google

ſonis. Ad primum dico, quod non omnis offenſa meretur pœnam annihilationis? quãuis ſi Deus vellet annihilare nulli faceret iniuriam; illud tamen non eſſet in pœnam peccati:nec pœnam talem meretur omne peccatum, quia ſit offenſa Dei: quia non omne eſt ex directa intentione contra Deum; & præterea poteſt eſſe leuis, vt non niſi leuitèr opponatur rationi,& ita leuis etiam erit culpa;ſi prҫcipuè conſideremus figmentum hominis, qui natura ſua non eſt ita obligandus ad minima, ſicut ad maxima; præcipuè cum ipſum dictamen rationis, & alia lex communis iudicet eſſe minima peccata, quæ non ſint digna tota pœna legis; & vt probatum eſt non eo ipſo, quod aliqua eſt offenſa Dei debet eſſe grauis, ſed ſicut cõtra legem quamcumque leuis eſt culpa; ſic etiam contra Deum leuis eſt offenſa; neque ex eo, quod offenſa ſit contra Dei infinitam bonitatem, debet eſſe infinitæ malitiæ,ſed poteſt eſſe mortale peccatum indirectè contra Deum, quod tamen non ſit infinitæ malitiæ, quia nullum peccatũ habet formalitèr infinitam malitiam: ſiquidem ex parte malitiæ,qua conſtituitur peccatum in ratione malitiæ, vnam eſt maius altero. Ex hoc patet ad ſecundam rationem, dicimus enim non omnem culpam, & offenſam Dei,ità grauem eſſe, vt mereatur pœnam annihilationis; illa enim, quæ amicitiam Dei non diſſoluit, talem pœnam non meretur;quod ſi Deus, qui ex ſua omnipotentia, aliquem iuſtum qui haberet veniale peccatum, vellet in nihilum redigere, non eſſet illa pœna inflicta propter peccatum, ſed ſola Dei voluntate, qui eſt auctor vitæ, & mortis. Præterea ad delendam culpam venialem, imò, & mortalem non eſt neceſſe deteſtari infinitè peccatum, ſed ſatis eſt, ſi quem facti pœniteat, quia eſt contra Deum ex complacentia ipſius,in quo poſita eſt vera ratio contritionis,malitia enim, aut offenſa peccati mortalis, ne dum venialis non eſt infinita ſimplicitèr,ſed tantum ſecundum quid. Ad aliam rationem dicimus, peccatum veniale ſi non deleatur ſecundum culpam, & maneat cum mortali non perpetuo puniri; at verò quoties hoc peccatum eſt in hominine iuſto, ſtatus iuſtitiæ in quo decedit,condignè poſtulat,vt tale peccatum deleatur; nec perpetuò impediat vitam, quam titulus condignè promeritus fuit; cum enim ille maneat amicus, & eo ipſo habeat ius filij ad hæreditatem, impedimentum peccati venialis in eo ex ſe perpetuum non eſt, ſed poſtulat aliquo tempore purgari, ideoq; ex ſe dicitur reparabile, quia manet coniunctum cum principio vitæ.

Vtrũ autem de potentia abſoluta poſſit Deus condere leges, quibus ſub mortali teneamur ad ea, quæ modo præcepta ſunt ſub veniali; affirmant aliqui; hoc tamen ſolum verum eſt quantum ad aliquas res graues, & quo ad aliquem finem bonum valdè conducerҫ poſſunt; ſic enim primis Parẽtibus ſub mortali prohibitum erat pomum, nihilominùs hoc verificari non poteſt de omnibus rebus; quod ſic probatur: Primò quia quantumcumque Deus valeat prohibere furtum, adhuc ſi propter honeſtatem iuſtitiæ, & non propter alium finem prohiberetur; non poterit non eſſe res leuiſſima furari parum grani tritici, & implicat hanc rem in ratione furti habere abſolutè malitiam furti mortalem. Confirmatur; quia de potentia abſoluta non eſt poſſibile Deum facere aliquid contra prudentiam,& rectam rationem regiminis, contra quam foret tàm diſtrictè exigere à fragili homine minima quæquè. Secundò Probatur: quia licèt daremus præceptum Dei circa ſingulares res etiam minimas obligare ſub mortali, adhuc neceſſarium eſſe concedere circa omnes res poſſibile eſſe peccatum veniale ex ſubreptione cum libertate ſecundum quid, quia hoc non poteſt imputari ſimplicitèr.

DOCVMENTVM IV.

Peccatum mortale, & veniale non differunt in hoc, quod mortale eſt circa vltimum finem, veniale autem circa ea, quæ ſunt ad finem.

Documentum noſtrum habet Scotus in 2. diſt. 21. quæſt. 1. §. dico ergo, Vaſquez diſput. 143. Errera in ſecundo diſt. 52. quæſt. 1. Maior quæſt. 6. Ricardus in 4. diſt. 16. art. 2. quæſt. 2. Andreas Vega

Digitized by Google

14. in Trid. cap. 12. probatur ratione Scoti: quia vtrumq; peccatum poteſt eſſe tàm circa Deum, qui eſt finis omnium; quàm circa creaturas, quæ ſunt media; nam peccata oppoſita virtutibus Theologicis, vt actus infidelitatis, deſperationis, & odij Dei, ſunt immediatè, circà, & contrà finem ſcilicèt Deum, & tamen ſunt mortalia peccata ſi fiant ex plena libertate; venialia verò ex imperfecta, & ſemiplena deliberatione. E' contra verò actus aliqui circa obiecta creata v.g. homicidium, & adulterium ſunt peccata mortalia ſi ſint actus deliberati, venialia ſi ſint indeliberati; ergò, &c. Nam ſi peccatum veniale poteſt eſſe tùm circa finem, ſcilicèt Deũ, tùm circa proximum, & alia obiecta creata, quæ videntur eſſe quaſi media, non apparet ratio diſtinctionis inter peccatum veniale, & mortale. Caietanus, & Conradus hic reſpondent, quod Sãctus Thomas non vult aſsignare differentiam intèr mortale, & veniale abſolutè, dum docuit, veniale differre à mortali, eo quod mortale ſit circa finem veniale circa media. Voluit ergò S. Thomas aſsignare differentiam tantum ex genere, ſcilicèt obiecto, quia veniale ex genere nunquam eſt circa Deum, vt obiectum, ſed tantùm circà proximum, & alia obiecta creata.

Hæc tamen ſolutio non eſt ad mentem S. Thomæ; hic enim vniuerſalitèr ponit differentiam inter veniale, & mortale; cur ergò aſſignare non debuit vnum quoddã genus venialis tantùm? Nec ſufficit, quod ait Caietanus, Sanctum Thomam loqui de mortali per ſe, & veniali per ſe, & mortale per ſe tãtum eſſe poteſt circa Deum, veniale verò per ſe tantùm circa media; ſed contra hoc eſt, quod veniale circa medium non magis eſt per ſe veniale, quàm veniale circa finem, ſicut enim circa finem poteſt eſſe actus deliberatus plenè, & non plenè, & tàm hoc, quàm illud per accidens eſt, quod actus plenè deliberatus circa media ſit mortalis, aut venialis, quàm vt materia illius erit grauis, vel leuis, cũ præſertim S. Thomas vniuerſalitèr hic aſſignet differẽtiam inter mortale, & veniale. Fruſtra ergò recurritur ad hoc, aut illud peccatorum genus mortalis, & venialis. Denique furtum, vt furtum non magis per ſe eſt mortale, quàm veniale, cum eſſe poſſit in graui, vel leui materia, quamuis verum ſit, quod furtum ex genere ſuo dicatur mortale hac ratione, quia ex ſolo obiecto poteſt eſſe mortale, niſi deſit grauitas materiæ; ſunt tamen alia, quæ ex obiecto ſunt venialia, & ex eodem obiecto non poſſunt eſſe mortalia, vt verbum iocoſum; & hoc ex genere ſuo conſideratum eſt per ſe veniale, quia nec per accidens oppoſitum illi conuenire poteſt ex genere ſuo. Quod ſi inter hæc tantum venialia, & mortalia ex genere ſuo, quę venialia eſſe non poſſunt, quia alia ſunt, quæ fiunt ex plena deliberatione contra finem, & ſi tantùm, inquam, inter hæc aſſignat S. Thomas differentiam, vt vult Caietanus, certè non aſſignat differentiam, quam in articulo intendebat inquirere, quæ ſit vniuerſalis inter omne mortale, & veniale. Sed ſanè, ſi attendamus verba Sancti Thomæ hic carent omni difficultate, & veriſſima ſunt; ait enim; eſſe peccata quædam, quæ ponunt ordinem ad vltimum finem, ſcilicet coniunctionem cum vltimo fine, & quia vltimus finis eſt vita animæ noſtræ, ideò tollunt vitam animæ, & mortalia sũt, quia ignorari non poſſunt, ſicuti morbo, qui vitam tollit, mederi non poſſumus ablata vita, eò quod deſit principium recuperandi ſalutem, ſcilicet vita; ſicut etiã qui errat circa principia, non habet vndè vincat errorem, ſed ſicut ille, qui conſeruata vita habet morbum diſponentem ad mortem ante ipſam mortem mederi poteſt morbo ſuo ex principio vitæ; & qui errat circa concluſiones corrigi poteſt ex principijs quæ habet, ita etiam, qui Deũ retinet, qui eſt vita, & finis noſter, habet principium auferendi, & reparandi morbum animæ circa media ad finem; peccata ergò, quæ habent inordinationem circa media, conſeruato tamen ordine ſimplicitèr ad finem, ſunt venialia, quia reparabilia, nec tamen tantum intelligit illa eſſe venialia, quæ verſantur circa media, ſcilicèt obiecta errata, ſed quia dicũt inordinationem circa media ad conſeruãdum finem, retento ordine ad finem; talia autem ſunt etiam peccata venialia circa Deum, vt peccatum infidelitatis, & odij ex ſubreptione, hæc enim non dicit inordinationem circa finem ſimplicitèr, quia non tollit amicitiam Dei, ſed tantum tollit

tollit feruorem charitatis, quod eſt contra medium quoddã ad charitatem ipſã, & ad finem ſimplicitèr habendum, vndè in hac ordinatione retinetur adhuc ordo ad finem ſimplicitèr; quare inordinatio circa finem non eſt inordinatio circa Deũ quomodocũq; ſic enim & peccata venialia dicerent inordinationem circa Deum, ſed eſt inordinatio circa finem, ſcilicet Deum dilectum charitate, & hoc modo nullum veniale tollit hunc ordinem, ſed tantum eſt inordinatio circa Deum dilectum feruentiori charitate.

S. Thomas autem non dicit mortale peccatum eſſe tantum circa finem, ſed dicere inordinationem circa finem, quia tollit ipſum ſimplicitèr, & hoc etiam contingit circa proximũ, & alia obiecta creata, ſecundum quid opponuntur ordini charitatis ſimplicitèr, & tollunt amicitiam Dei, ergò hæc etiam dicunt inordinationem circa Deum, non quia verſantur erga ipſum, vt obiectum, ſed quia tollunt amicitiam ipſius, & ita dicunt inordinationem circa ipſum, vt amicum, & ideò dicũtur inſeparabilia, vndè infert S. Thomas, quod mortale, & veniale differunt ſicut reparabile, & inreparabile, & ſicut differunt mors, & morbus corporàlis. Hęc differentia vt veriſſima aſſignatur à Doctoribus, ſic Durandus in 2. diſt. 43. q. 6. num. 21. Riccardus in 4. diſt. 16. artic. 2. q. 2. Alexander ſecunda parte quæſt. 124. membro 2. vbi ait veniale peccatum eſſe, quando quis diligit creaturam citra Deũ, vel equè ac Deum; quod idem eſt, atq; id, quod nos diximus, nam diligere creaturam citra Deum, eſt ita diligere, vt non ſit contra legem charitatis ſimplicitèr, vndè diſſoluatur amicitia, ſed tantum ne ſit dilectio illa creaturæ proter Deum dilectum ex charitate, ſed præter Deum, & eius amicitiam; At verò mortale ſit dilectio creaturæ ſupra Deum, vel æquè cum Deo, quod diſſoluit illius amicitiam, & ſic opponitur ſimplicitèr, & ipſi fini. Vbi notandum eſt diligere creaturam ſupra Deum non eſſe diligere eam interiori affectu potius quàm Deum; hoc enim; ſi aliàs dilectio non eſſet contra præceptum, nec ex ſe eſſet mortalis, parũ refert, quod ſcilicèt actu interiori homo diligeret potius verbum otioſum dicere, quàm Deũ; quia poſſet tunc intensè diligerè verbum otioſum, & Deum nullo modo, & intensè, nec remiſsè, & tamen tunc non diceretur diligere Creaturam ſupra Deum; ergò etiam poſſet diligere Deum remiſsè, & ſimul etiam diligere verbum otioſum; ergò diligere aliquid ſupra Deum eſt diligere intenſiús, quod opponitur charitati ſimplicitèr, & fini, quia ſcilicèt eſt cõtra præceptum, & materia non eſt leuis, quare nec leuis erit offenſa, grauis autem offenſa in amicum ſemper diſſoluit amicitiam, vndè ego non intelligo quid ſit diligere creaturam æquè cum Deo, quia hoc fieri non poteſt, niſi quia vtriuſque dilectio æqualis ſit intenſione, quod non eſt ſufficiens ad hoc, vt dilectio creaturæ ſit peccatum mortale; ſupra autem omnẽ creaturam, Deum diligimus, cum bonum illius volumus, vt bonum illius eſt, quia hic amor de ſe ſufficiens eſt implere omne præceptum, & vitare omnem offenſam, & omnem dilectionem creaturæ, quæ eſt contrà amicitiam Dei; quamuis admittere poſſit etiam aliquam præter illius amicitiam, & hæc dicitur dilectio ſuper omnia appretiatiuè. Vndè iuxtà hæc, quæ diximus, meritò idem Alexander docet, quod veniale facit vt anima minus fortitèr Deo adhæreat per charitatem, quia opponitur feruori charitatis, & diſponit ad illius corruptionem; mortale verò omninò ſeparat. Et ità intelligendus eſt S. Thomas quæſt. 87. art. 5. dum dicit, quod mortale dicit inordinationem ab vltimo fine: veniale verò inordinationem circa ea, quæ ſunt ad finem, ſaluo tamen ordine ad finem; non quia veniale non poſſit eſſe circa Deum, vt obiectum, ſed quia nõ tollit connexionem charitatis cũ vltimo fine, ſed tantum dicit inordinationem circa media, quæ conducunt ad conſeruandam charitatem circa finem, non tamen ſunt neceſſaria; mortale verò licèt ſit circa creaturam, vt eſſe poteſt, tollit tamen charitatem, & ita ordinationem illius cũ Deo, vt vltimo fine dilecto charitate.

DO-

Digitized by Google

DOCVMENTVM V.

Peccatum veniale aliquo modo eſt contra legem; non ergò differt mortale à veniali, quia illud ſit contra legem, hoc tantùm contrà conſilium.

VT rem clariorem reddamus, moneo, legem ſumi, duplicitèr; primo pro regula obligante ad aliquod ſimplicitèr neceſſarium ad finem; ſecundò pro regula obligante ad aliquid vtile ad finem. Similitèr conſilium duplicitèr ſumitur: primò vt opponitur legi; ſecundo modo, & hæc eſt eius perfecta acceptio. Videatur Vega in Trident. 14. cap. 13. 14. ſecundò ſumitur, vt opponitur legi primo modo, & idem eſt, quod lex ſecundo modo, hæc enim dicitur conſilium, quatenus relinquit liberum facere, quod præcipit, ita quod non perdas propterea finem. Quãdo ergò Scotus ait, veniale eſſe tantum contra cõſilium ſumit illud ſecundò modo; ita Rada ſupra, & Errera quæſt. 6. quod ſit mens Scoti patet ex eius verbis: dicit enim, quod alia eſt ordinatio ſine qua finis non poteſt aſſequi, & deordinatio huic oppoſita eſt mortalis, & contra præceptum (ſcilicèt aſſequendi finem) alia verò eſt ordinatio non neceſſaria, ſed vtilis reſpectu finis conſequendi, quia non eſt de præcepto (neceſſitati ſcilicet ad finem, ſed potius de conſilio) quia ſcilcet violatio eius non priuat me fine. Ex quibus patet manifeſtè eo ſenſu Scotum dixiſſe veniale eſſe contra præceptum quatenus non eſt de neceſſario ad finem. Præterea Scotus docet rationẽ peccati, vt ſic, conſtitui per ordinem ad legem, & ablata lege peccatum tollit; patet totus diſcurſus ex definitione aſſignata à D. Auguſt. ſcilicèt peccatum eſt dictum, factum, cõcupitum contra legem Dei, ex qua definitione apertè conſtat nullum eſſe peccatum, quod non ſit contra aliquam legem. Deindè ſic probatur; quia peccatum veniale eſt contra rectam rationem; ſed omnis recta ratio, cui quis diſſentiens peccat, vim habet legis, vel certè ſignificatio eſt legis; ergò peccatum veniale erit contra illam legem, quã recta ratio præſcribit, nec intelligibile eſt, quod peccatum veniale ſit contra rectam rationem obligantem ad culpam, vel exprimentem legem, quæ ad eam obligat, & tamen non eſſe contra legem. Tertiò probatur exemplo, quod affert noſter Andreas de Vega lib. 14. in Trident. cap. 13. quia ſcilicèt in qualibet Republica ſunt aliqua præcepta minoris momenti; ita recta ratio proponit eſſe aliquas leges naturales exigui momenti, contra quas proindè peccatur venialitèr, ſicq; prohibitum eſt mendacium iocoſum, riſus immoderatus, ergò peccatum veniale aliquo modo eſt contra legem. Adde, quod omne mendacium prohibitum in Scriptura eſt veniale, vt probat Auguſtinus libro de mendacio ex illo Eccleſiaſtici 7. Noli velle mentiri omne mendacium. Item ideò ducere vxorem, poſſidere bona, peccata non ſunt quia licet contra conſilium nõ tamen cõtra præceptum. Item iurare ſine neceſſitate eſt veniale, ſed prohibetur à Chriſto Matth. 5. Ego autem dico vobis non iurate, &c. Patet ergò differre veniale à mortali, quod hæc eſt contrà præceptum obligans ad aliquod neceſſarium ad ſalutem, illud ad aliquod vtile.

Obijcies Matthæi 19. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata: ſed veniale non impedit ingredi ad vitam; ergò non violat mandatum. Item Ioannes 2. Si quis dixerit, quod diligit Deum, & mandata eius, non cuſtodit, mendax eſt: ſed veniale non tollit ne diligatur Deus; ergò nec mandata eius violat. Item Ioann. 3. Qui non obedit Filio, non habebit vitam; ſed habens tantum veniale habet vitam; ergò obedit Filio. Reſpondetur hæc intelligi de mandatis neceſſarijs ad finem, quia idem eſt in Scriptura ſeruare præcepta, & conſequi vitam, & quia mandata ſimplicitèr ſumpta, ſumuntur pro ſignificato primario, ſicut peccatum ſumitur pro ſuo ſignificatu principali, ſcilicèt pro materiali.

DO-

Digitized by Google

DOCVMENTVM VI.

Mortale non differt à veniali, quod hoc non ſit ſimplicitèr peccatum, nec offenſa; illud ſit.

EGidius in 2. diſt.42. quæſt.1. ait, veniale eſſe ſecundum quid peccatū; conſentit Caietanus hic art. 4. dicens eſſe ſecundum quid contra legem. Fauent tamen nobis noſter Vega 14. in Trid. 11. Azorius lib. 1. cap. 8. quæſt. 4. Durandus in 2. quæſt.42. Belarminus primo de ſtatu peccati 11. Probatur primo ex illo Ioānis primo; Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus; Ioannis 2. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Ita tenendum ſecundùm Scotum, quia parùm requirit ab vniuocatione. Fauet ratio, quia vel peccatum veniale non dicitur offenſa Dei ſimplicitèr, ideſt perfecta in ordine offenſæ Dei, & per antonomaſiam, vel non dicitur offenſa ſimplicitèr; quia verò, propriè, & intrinſecè in ſe non participat rationem offenſæ Dei, ſi primum; iam hæc duo differrent, quia peccatum mortale eſt offenſa Dei grauis, veniale verò leuis. Si ſecundum, id falſum eſt, quia peccatum veniale eſt verè, propriè, & intrinſecè malum morale; ergò eodem etiam modo eſt oppoſitum legi Dei naturali, & æternæ, dirigentis hominem in vltimum finem; ergò neceſſariò, verè, propriè, & intrinſecè eſt contra Deum Legiſlatorem, vt vltimum finem, licèt ſecundùm quid; quia Legiſlator neceſſariò offenditur tranſgreſſione ſuæ legis, & vltimus finis elongatione ab ipſo; vtriuſque autem ius læditur; ergò peccatū veniale eſt in hoc ſenſu ſimplicitèr offenſa Dei, licèt imperfecta, leuis, & diminuta; ſicut licèt accidens non ſit ens ſimplicitèr ideſt ens perfectum, & principale, quale eſt ſola ſubſtantia, tamen eſt ens ſimplicitèr, ideſt verè, propriè, & intrinſecè participans rationem entis, quamuis imperfectè, & diminutè. Sit altera ratio: Peccata venialia non ſunt mala moralia ex eo præcisè, quia diſponunt ad mortalia; tùm ex eo, quia vnum peccatum mortale etiam diſponit ad aliud & tamen ex hoc præcisè non dicitur trahere nouam malitiam, ſed eſt malum ex morali conuerſione in obiectum regulæ morum oppoſitum; ergò ſic etiam veniale. Non me latet D. Bonauenturam in 4. diſt.42. ad vltimum, docere, Deum non offendi per veniale. Oppoſitum tamen puto tenendum ex illo Iacobi 3. in multis offendimus omnes, &c. vbi loquitur de venialibùs. Fauet nobis Scotus in 4. diſt. 14. quæſt. 1. §. dico ergò, quod Deum offendi, vel iraſci, eſt ipſum velle punire. Legatur Vega ſupra cap. 13.

DOCVMENTVM VII.

Peccatum mortale non differt à veniale per hoc, quod mortale relinquat maculam in anima, veniale verò non.

NOſtrum documentum probamus ex eo, quod macula, ſeù peccatum habituale, eſt ipſum phiſicè tranſactum, & moralitèr manens, ſeù peccaſſe, & non eſſe conuerſum, vt probatum ſuppono ex Tractatu de Virtute Pœnitentiæ Sacramentalis diſputando de ratione formali peccati habitualis; nam certum eſt poſt tranſactum actum venialis manere culpā in anima dignam pœna, quamuis non priuat gratia, quia in ſtatu puræ naturæ culpa eſſet, ergò & macula.

DOCVMENTVM VIII.

Peccatum mortale de per ſe non differt à veniali, quia illud intrinſecè, & neceſſariò priuet gratia, hoc verò non.

FVndamus noſtrum documentum, tū quia peccatum mortale in ſtatu puræ naturæ non fuiſſet propriè priuatio gratiæ, cuius tunc nullum fuiſſet debitū; cum quia etiam ſit in præſenti ſtatu naturæ ordinatæ in finem ſupernaturalem, peccatum mortale includat gratiæ priuationem; hæc tamen non eſt primum conſtitutiuum, aut diſtinctiuum eius: probauimus enim ſupra conceptum quidditatiuū peccati minimè conſiſtere in priuatione gratiæ.

DO-

DOCVMENTVM IX.

Peccatum mortale, & veniale non diſtinguuntur ſpecie, quando obiectum eſt idem.

EST maximè commune hoc noſtrum documentum, licèt illi aduerſetur noſter Vega in Trident. 14. cap. 14. Probatur, quia actus bonus deliberatus, & indeliberatus circa idem obiectum ſunt eiuſdem ſpeciei; ergò idem de actibus malis ſimilibus. Probatur etiam de veniali: ex paruitate materiæ, quia magnũ, & paruum non differunt ſpecie ſecundùm Ariſtotelem in Prædicamentis. Item actus dandi eleemoſynam paruam, & magnam ſunt eiuſdem ſpeciei; ergò, &c. Accedat ratio; Peccatum eſt priuatio, & ſpecificatur à forma, qua priuat; ergò quando veniale priuat eadem ſpecie rectitudinis, erunt eiuſdem ſpeciei; ſed hoc faciunt ſemper, quando ſunt circa idem obiectum ſpecie; ergò, &c.

Obijcies primò. Peccatum conſiſtit in auerſione à Deo: ſed auerſio venialis differt ſpecie ab auerſione mortali; ergò, &c. Negatur maior, nam conſiſtit in priuatione: auerſio verò eſt ei accidentalis. Replicabis: Mortale ſoluit amicitiã Dei, damnat ad gehennam; ſed veniale hoc non facit; ergò, &c. Reſpondetur, tantum probare, habere effectus diſtinctos ſpecie, quia alterum priuat Dei amicitia, alterum non; ità calor vt octo introducit diſpoſitiuè formam ignis, calor, vt duo non, qui tamen calores non differũt ſpecie. Si velis dicere; mortale ſub ratione tali, quatenus infert mortem differre ſpecie à veniali, quatenus eam nõ infert, non contendo; eodem modo illi duo calores ſpecie differunt, ſicut homo albus, & non albus differunt ſpecie ſecundùm accidens; & hoc in ſenſu credo loquutum noſtrum Vegam: non ergò eſt nobis contrarius,

DOCVMENTVM X.

Et ſi aliqua ſint ex genere ſuo mortalia peccata; aliqua verò venialia, hoc non habent ex natura intrinſeca, & phiſica actuum ſecluſa omni lege.

PRobatur; ſi nulla eſſet lex, nullum eſſet peccatum; ergò ſi nulla eſſet lex obligans ſub pœna mortis æternæ, vel ſub pœna ſtante cum charitate Dei nullũ eſſet mortale, vel veniale: conſequentia probatur; Tùm quia non eſt mortale, aut veniale, quod nullo modo eſt peccatum; Tùm quia obligatio, quam conducit lex, tamen eſt, quantam intendit Legiſlator; ergò ſi non intenderet obligare ſub pœna æterna, nullum peccatum obligaret, &c. Confirmatur, quia conſtat, aliqua quæ aliàs, nec venialia quidem eſſent, nec mortalia, deindè fieri mortalia propter prohibitionem legis, vt cõmeſtio fructus ligni vitati. Dixi ex natura intrinſeca, & phiſica actuum, vt ſciremus, aliud eſſe, peccatum dici ex genere ſuo mortale, vel veniale; aliud verò dici ex natura intrinſeca, & phiſica actus eſſe mortale; benè quidem dantur peccata ex genere ſuo mortalia, & alia venialia, quia hoc non aliud importat, quàm quod in genere moris priuet gratia.

DOCVMENTVM XI.

Omne illud formalitèr, & præcisè eſt peccatum mortale, quod priuat rectitudine ſecundùm legem debita, & ſine qua finis vltimus haberi non poteſt.

PRobatur: Tàm mortale, quàm veniale poteſt eſſe contra finem vltimum, verum etiam contra media ad illum finẽ, nempè contra creaturas: nam furtum graue eſt mortale, leue verò veniale, licèt vtrumque circa creaturas. Item blaſphemia in Deum non benè deliberata eſt veniale, deliberata mortale, licèt vtrumque contra finem vltimum. Similitèr furtum

leue

Digitized by Google

leue mendacium iocoſum; &c. ſunt prohibita, & contra legem, & tamen ſunt venialia, ergò falſum eſt, veniale non eſſe contra præceptum, non eſſe contra finem, & media, ſicut, & mortale; ergò reſtat dicendum differentiam inter veniale, & mortale eſſe illam, quam ſupra aſſignauimus. Sit altera ratio. Tùm quia indè mortale dicitur inducere mortem animæ; priuare vita gratiæ inducere reatum gehennæ, qnia opponitur alicui neceſſariò ad finem, & vitam æternam conſequendam, & per oppoſitum dicendum de veniali. Tùm etiam quia mortale, & veniale conueniunt in eo, quod vtrumq; ſit priuatio rectitudinis debitæ; ergò non poſſunt conuenientius diſtingui, quàm quod vnum ſit priuatio rectitudinis debitæ non de neceſſitate, ſed tantum vtilitate, ſeù debita non de præcepto neceſſariò ad finis conſequutionem; alterum verò de precepto neceſſario.

Dices; punire eſt actus iuſtitiæ legalis; ergò talis lex ſupponit inæqualitatem ex parte culpæ, vt vni poſſit decernere grauem, alteri leuem pœnam; ergò grauitas, vel leuitas in culpa præſupponitur ad legem. Reſpondetur conc. antecedens, & diſting. Conſequens; ergò ſupponit inæqualitatẽ culpæ dependẽtèr à lege prohibẽte, vel præcipiente, concedo Conſeq. independentèr ab huiuſmodi lege negatur vtraque conſequentia ſolum enim ſequitur, grauitatem præſupponi ad pœnam, ſeù ad legem, non tamen independentèr ab omni lege. Replicabis; veniale non impedit ingreſſum Cœli, nec Dei dilectionem, nec reddit inobedientem, nec impedit impletionem legis; ergò non eſt contra legem, & per conſequens non in alio diſcernitur à mortali, quia, quod hoc ſit contra legem, veniale verò minimè. Antecedens probatur ex illo Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata; & Ioannis 20. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & mandata eius non ſeruo, mendax eſt; & Ioannis 3. Qui non obedit Filio, non habebit vitam; ergò non ſeruans legem mortalitèr peccat, & per cõſequens veniale non eſt contra legem. Reſpondetur negando conſequentiam, ad cuius probationem dico, illa loca, intelligi de mandatis lege, & obedientia ad ſalutem neceſſarijs, & ſine quibus finem nõ valemus conſequi, non verò de mandatis, & lege ſtatuentibus aliquid tanquam vtile tantùm. Ratio huius eſt: quia mandata indefinitè ſumpta, accipiuntur pro potiori ſignificato, cuiuſmodi ſunt ea, quę neceſſaria ſunt ad ſalutem, & ſic quamuis venialia ſit contra mandatum, & legem, qui tamen ſeruat mandata in his, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, dicitur abſolutè ſeruare mandata, & obediens Filio.

Propria ergò differentia à priori inter veniale, & mortale eſt, quod differunt in ratione reparabilis, & inreparabilis; quod idem eſt, quod mortale tollit gratiam, & vitam animæ, non autem veniale; & hęc differentia vt veriſſima recipitur, & ex ipſa ratione amicitiæ deduci poteſt; quia amicitia meritò diſſoluitur offenſa graui contra amicum, & ipſius voluntatem, nõ autem offenſa leui, etiamſi ſit contra amici voluntatem, conſtat autem contra Deũ poſſe eſſe, & grauem, & leuem offenſam. Dicitur autem illa differentia à S. Thoma reparabilis, & irreparabilis, ſicut, & infirmitas; mors enim eſt irreparabilis ſecundum ſe, infirmitas eſt reparabilis, ſed vt ſanctus Thomas etiam notat, hæc differentia intelligenda eſt per ordinem ad principium interiùs, quia in ordine ad extrinſecum, vtrumque peccatum reparari poteſt auxilio ſcilicèt Dei, quando autem comparatur ad principium intrinſecum, non intelligas proprias naturæ vires: quia cuiuſcumque peccati remiſſio eſt, eſt gratia Dei, ſed comparari debent ad principium, quod remanet in ipſo homine, quodcumq; illud ſit, & quia mortale tollit gratiam, & vitam animæ, & tantùm in homine remanet principium, quod habet ex vi naturæ, quæ non ſufficit ad delendum peccatum, ideò tantum reparabile eſt per extrinſecum principium ſcilicèt gratiam, mors hæc ſpiritualis, ſicut corporalis. Quia verò cum veniali de ſe poteſt eſſe gratia, & Charitas, quæ ſufficiũt expellere omnem illam animę ſpiritualem infirmitatem, ſicut vita corporalis de ſe eſt ſufficiens principium reparandi infirmitatem corporalem, ideò vtrumq; peccatum comparatum ad principium intrinſecum, quod manet in homine, optimè dicuntur differre, ſicut mors, & infirmitas,

Digitized by Google

tas, & ſicut reparabile, & irreparabile. Sanè diſcrimen iſtud perſpicuè clarè in homine, aut Angelo per gratiam eleuato ad ſupernaturalem finem, & diuinam amicitiam; in puris verò naturalibus, vbi non eſſet propria amicitia cum Deo, nec ius ad beatitudinem ſupernaturalem non ita manifeſtum eſt; adhuc tamen etiã pro illo ſtatu ſufficit prædictum diſcrimen, quia nõ dicimus requiri ad culpam mortalem, quod de facto tollat amicitiam; ſic enim quando homo poſt ſemel amiſsã gratiam per peccatũ mortale, iterùm peccaret mortalitèr, non diceretur committere peccatum mortale; ſufficit ergò, quod ſuaptè natura ità ſeparet ab vltimo fine, vt petat diſſolui amicitiam, ſi illa fortè ſupponitur, & ſic veriſſimè diceretur in puris naturalibus homo odio proſequens Deum, vel aliquid aliud peccatum mortale committens, peccare mortalitèr, nam ità ſe gereret ergà Deum, vt dignus eſſet priuari amicitia, quam cum illa forſitan feciſſet Deus; veniale vero tunc diceretur, quod huiuſmodi difformitatem non haberet. Placet etiam notare, bonum eſſe diſcrimen illud, inter mortale, & veniale, ſcilicèt; quòd mortale, vltimum finem in creatura conſtituat, ità vt dicatur homo, ipſa Creatura tanquam fine vltimò ſimplicitèr frui. Per veniale verò non cõſtituatur, neque illud dicatur homo, creatura ſimplicitèr frui. Hoc diſcrimen lego apud ſanctum noſtrum Bonauenturam in ſecũdo diſt.42.art.2.quæſt.1. ad 6. Fauent Patres dum explicant illud Pauli ad Philippenſes 3. Quorum Deus venter eſt; & quatenus docent, peccatum dominari ipſis peccatoribus, vt ex Diuo Hieronymo in cap.50. Iſaiæ ad illa verba. In iniquitatibus veſtris venditi eſtis; & Diuus Auguſtinus ſatis hanc rem demoſtrat, dum affirmat omnem humanam peruerſitatem in hoc poſitam eſſe, vt fruamur vtendis, & vtamur fruendis, vt patet in lib.83. Quęſtionum, quæſt.30. vbi ait; omnis itaque humana peruerſitas, eſt fruendis vti velle &c. & vtendis frui. Infertur ex pluribus locis Scripturæ; ex Diuo Paulo ad Philippenſes 3. & ad Epheſios 5. vbi auaritiam appellat Idolorum ſeruitutem; quia auari in pecunia ſuum Idolum; Deumque conſtituunt. Ex Ieremia 2. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, &c. & manifeſtè demonſtrauit Chriſtus Dominus Matth.6. per illa verba; Non poteſtis duobus Dominis ſeruire. Accedat ratio Theologica. Illæ, qui mortalitèr peccat, auertitur à Deo vltimo fine, & ſummo bono, & ita conuertitur ad bonum creatum, vt illud plus diligat quàm Deum; ergò qui mortalitèr peccat, adheret Creaturæ tanquã vltimo fini. Antecedens ſuppono. Conſequentia probatur; quia cum talis conuerſio ſit actio humana, non poteſt non eſſe propter aliquem vltimũ finem actum, vel virtute amatum: iſtæ finis non eſt Deus, quia peccator auertitur à Deo; ergò eſt aliquid creatum.

DIFFICVLTAS.

Quo pacto peccans mortalitèr conſtituat vltimum finem in Creatura.

Longam expoſtularet diſcuſſionem iſta à nobis propoſita difficultas, ſed quia alibi ad plenum agimus de ea: hinc breuitati conſulendo, vt reſpondeam, præmitto, quod duobus modis poteſt intelligi peccatorem conſtituere in Creatura vltimum finem vno modo expreſsè, & formalitèr, quod alij vocant ſpeculatiuè; altero modo interpretatiuè, quod alij appellant practicè. Tunc expreſsè, & formalitèr, vel ſi maius ſpeculatiuè illud facit, cum peccator formali iudicio iudicat; in hac re reponẽdus eſt mihi vltimus finis. Tunc verò ſolum interpetratiuè fit, cum à parte rei, diuina ſpreta lege, liberè adheret Creaturæ. Hoc poſito.

Certum eſt Peccatorem priori modo non facere creaturam ſuum vltimum finem (eſſe enim hæreticus, ſi ſummam bonitatem, quæ eſt propria vltimi finis iſto modo tribueret Creaturæ), benè tamen poſteriori modo, quod ſic Probatur; Primò, quoniam ex eo, quod Deo ſpreto & contra Diuinam voluntatem, quam, vt cognoſcit, vel tenetur cognoſcere ad creaturam conuertitur, ſecundum quandam moralem interpetrationem, videtur illud iudicium habere, quæ interpetratio in illo abſque hæreſi conſiderari non poteſt ergò, &c. Confirmatur hæc ratio, primò quia

quia Peccator amat Creaturam non gratia alterius, ſed propter ſe, tanquam ſummum bonum, fruitur enim illa (frui autem ex D. Auguſt. lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 10. & libr. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 4. 5. & 21. non eſt aliud, quàm alicui tanquam vltimo fini adherere), & ſecundum affectum cætera omnia bona in illam refert, ſaltem interpetratiuè; ergò conſtituit in illa vltimum finem. Quod autem peccator creaturæ adhereat, vt sũmo bono, dubitari non poteſt, nam cum bonum illud plus exiſtimet, quàm Diuinum bonum, vtique illud ſua exiſtimatione amat vt ſummum. Quod autem cætera omnia bona ſecũdum præſentem affectum referat in illam, tanquam in ſummum, & vltimum bonum; patet ex locis Diui Pauli ad Philippenſes 3. & ad Epheſios 5. iuxta communem explicationem; nam ideò gulæ deditis, venter eſt ipſe Deus, & Auaro pecunia eſt Idolum, quia illæ in ventrem, hic in pecuniam omnia refert. Quod verò peccator ſecundum præſentem affectum cætera omnia referat in creaturam, cui adheret, non quidem actu, ſed interpetratiuè facilè probatur; quia eo ipſo, quod peccans mortalitèr adheret Creaturæ, vt bono ſecundum ſuã exiſtimationem ſummo, habens ſecũdum moralem conſiderationem affectum interpetratiuum referendi cœtera bona in illã; hæc enim eſt natura ſummi boni, & cœtera bona ſui gratia finalitèr ſint, vt etenim, quod à parte rei conuenit verò ſummo bono, quod exiſtimatur vt ſummum, vnde vt ſic finalizabit finalizatione ſummi boni.

DIFFICVLTAS.

In quo nam Creatura vltimum finem conſtituat peccator, dum mortalitèr peccat; an ſcilicèt in ſeipſo, vel aliquo bono alio creato.

VT ſolutionem demus pręmitto duplicem illã acceptionem finis, ſcilicèt finis cuius, & finis cui; finis cuius, eſt finis, cuius aſſequendi gratia aliquid fit; finis verò cui, eſt illud, in cuius gratiam agens operatur; deindè finis vltimus eſt illæ, qui in nullum alium refertur, & ad quem omnia referuntur hoc poſito.

Dico; Peccatorem, dum mortalitèr peccat, ſeipſum ſibi proponere vt vltimũ finem cui; at verò vltimum finem cuius conſtituit in aliquo bono creato, quod tanquam ſummum bonum ſibi concupiſcit. Aſſertio quoad primam partem communitèr ab omnibus admittitur, & ratio manifeſta eſt; quia peccator in omnibus ſuis actionibus ſeipſum amat amore amicitiæ; igitùr omnia bona, quæ appetit ſibi appetit vt fini cui, & cum ſeipſum non referat in Deum (quia iuxta Doctrinam D. Auguſtini pluribus in locis ità ſe amat vt Deum contemnat) omnia in ſeipſum refert, vt in finem vltimum, in quo diſtinguitur Iuſtus à Peccatore, quia Iuſtus omnia etiam operatur propter ſe, tanquam propter finem cui, vnde ipſam beatitudinem, tàm formalem, quàm obiectiuam ſibi appetit, vt fini cui, attamen non ſibi ea vltimatè appetit; cum ideò ea appetat ſibi, vt in ſeipſo glorificetur Deus.

Prætereà quoad ſecũdam partem probatur noſtrum dictum contra Caietanum prima ſecundæ queſt. 1. art. 5. iuxtà explicationem Sumel queſt. 71. art. 6. diſp. 11. deciſ. 2. qui aſſerunt, peccatorem, dum peccat conſtiture ſeipſum non ſolum tanquam vltimum finem cui, ſed etiam tanquam vltimum finem cuius. Contra hos Auctores ſic probo prædictam ſecundam partem, aduertendo Doctrinam communem, quæ docet, finem cuius, ſiue vltimus ſit, ſiue non, vltimus ſolum amari amore concupiſcentiæ, quia ſemper amatur vt bonum ad alterum, ideſt alicui cõcubitum. Hac ſtante doctrina ità argumentor. Amor ad ſeipſum terminatus nõ poteſt non eſſe amor amicitiæ, cum non terminetur ad bonum ſibi cõcupitum, ſed ad ſeipſum, cui bonum concupiſcit; ſed finis cuius non poteſt amari amore amicitiæ, ſed neceſſariò amatur amore concupiſcentiæ, cum ametur vt bonum alteri; ergò peccator, vt ipſe eſt non poteſt eſſe finis cuius ſui ipſius. Quod autem finis iſtæ ſit aliquod bonum creatum, quód ſibi tanquam fini, cui concupiſcit ipſe peccator, patet ex locis iam relatis ex Diuo Paulo ad Epheſios 5. dum auaritiam vocat Idolorum ſeruitutem, quia ad poſſeſ-

ſionem pecuniæ, tanquam ad ſummum bonum omnia infert Auarus; ad Philippenſes 3. quando ait, quorum Deus venter eſt, ſatis ſignificat vltimum finem delitioſi eſſe ventrem, vtpote exiſtimat in delicijs ſuum bonum eſſe collocatum, & cũ hæc omnia ſibi concupiſcat, & amet, tanquam vltimo fini cui; ſequitur planè ipſum non poſſe, ſe habere vt finem cuius, reſpectu ſui ipſius. Nec admittendi sũt Caietanus, & Sumel, quatenùs docent, Peccatorem, ideò ſeipſum conſtituere vltimum finem ſibi, quia amor proprius ſui ipſius eſt vltimus finis ad quem omnia refert; hæc enim doctrina falſa eſt; Tùm quia perſonã peccatoris, & amorem proprium pro eodem accipit; Tum quia amor proprius non eſt bonum in ſeipſo amatum vt finis cuius, ſed eſt cauſa, quod ipſi peccatori amentur pecunia, & alia bona. Tum denique quia amor proprius, quo quis ſeipſum amat, eſt amor amicitiæ, terminatur enim ad propriam Peccatoris perſonam, cui vult omnia, quæ vult, amor autem non terminatur ad finem cuius, neque ad bonum concupitum, quin potiùs amor proprius affectiuè cauſat omnem amorem concupiſcentiæ, quo finis cuius concupiſcitur; ideò enim, quia meipſum amo, vt amicum, concupiſco mihi ea bona, quæ conuenientia concipio, ob quam rationem ad amorem omnem concupiſcẽtiæ terminatur, ad finem cuius præſupponitur amor proprius. Quomodo igitur in Peccatore amor proprius erit vltimus finis cuius, & vltimum bonũ concupitum. Hæc doctrina manifeſtè eſt Scoti in primo diſtin. 1. quæſ. 5. § ex his ad propoſitas quæſtiones.

Adrianus docet, Peccatorem dum mortalitèr peccat non conſtituere vltimũ finẽ in Creatura; arguit ità cõtra noſtra aſſerta. Primò; quia illi, qui indiſcreto zelo peccant mortalitèr, putantes ſe obſequiũ præſtare Deo, non Creatura, ſed Deus eſt vltimus finis; ergò non omnis peccans mortalitèr cõſtituit vltimũ finem in creatura. Secundò argui ex illis, qui ignorantèr peccant, in quibus, cum ignorantia non poſſit eſſe adheſio in Creatura tãquam in vltimo fine. Tertiò arguit; quia fieri poteſt, vt qui peccat, eo ſit animo, vt pro fide, aut honore Dei vitam perſũdat. Quartò, quia non benè infertur, peccat mortalitèr propter bonum creatum; ergò plus amat bonum creatum, quàm Deum; poteſt enim quis peccare in gratiam amici, ſi propter illum falſum iuret, & tamen minus amare illud, quàm ſe ipſum, nam licèt propter illum periurauerit; non tamen propter illum ſe minimo obijciet periculo. Similitèr poſt Filius in Patrem peccare propter ſeruum, quando illum liberat à morte, quam Pater vult ſeruo inferre; & tamen non plus amat ſeruũ, quam Patrem; igitur eadem ratione poterit quis in Deum peccare propter aliquod bonum creatum, quod tamen non plus diligat, quàm Deum; qui peccat v. gr. propter voluntatem, eo tamen animo vt propter illam non totam ſuam erogaret ſubſtantiam; plus ſuam diligit ſubſtantiam, quàm diligat voluptatem; & tamen poteſt eo animo eſſe, vt totam daret ſubſtantiam, vt fidem conſeruare; ergò ſignum eſt, quod non plus diligat voluptatem, quàm Deum.

Hæc tamen argumenta non ſufficiunt, vt à vera, & communi recedamus ſententia, cum parum vrgeant, & facili negotio ſolui poſſint; vndè ad primum, negamus Deum eſſe vltimum finem illi qui zelo indiſcreto peccat, quod clarè fatetur D. Paulus ad Romanos 10. de Iudæis exemplo legis, Chriſtianos perſequentibus, dũ ait: zelo ſuo illos, non Dei iuſtitiam quæſiuiſſe, ſed ſuam, ſuæque legis, cuius erãt æmulatores, & ità æmulatio illa apparentèr videretur Dei, tamen non erat quoniã voluntariè ignorantes Dei iuſtitiam, quã per ambitionem, & ſuperbiam), vt ait D. Chriſoſtomus) nolebant agnoſcere, volũtariè ſuam iuſtitiam ſtatuebant; ſimilitèr igitur, qui zelo indiſcreto peccat, dum non vult veritatem ſcire, idque propter affectionem, quam habet ad falſitatem, quam defendit, non requirit honorem Dei, ſed ſuum commodum, vnde ſpreto Deo quadam morali interpetratione adheret Creaturæ. Per hoc patet ſolutio ad ſecundum; adhęſio enim Creaturæ, vt fini vltimo, optimè conſtat cum ignorantia affectata; quia ideò vult ignorare, quia interpetratiue vult vltimate Creaturæ adhærere. Ad tertium, aliqui dicunt, peccatorem dum peccat adhęrere quidem illi

Crea-

Digitized by Google

Creaturæ v.gr. voluptati, non tamen ita abſolutè, vt quod omnem aliam rationem bonitatis ſic illi adhæreat, ac proindè fieri poſſe, vt peccator, qui ſecundùm affectum vltimatè huic creaturæ adhæret, ſub alia ratione illam minus æſtimet.

Hæc tamen ſolutio ex his, quæ diximus facilè reijcitur: nam ſi peccator adhæret huic bono, vt ſummo, & vltimo, non poteſt non omnia bona ſaltem interpretatiuè ad illud referre, tamquam ad bonum, cui ſimplicitèr adhæreat. Vndè ad argumentum, dicimus, peccatorem pro tempore, quo peccat, non habere verum animi propoſitum æſtimandi plus bonum fidei, quàm cui adhæret, licèt habere poſſit aliquam velleitatem, fallaxq; propoſitum relinquendi præſens bonum. Ad quartum negatur, quod illa conſequentia non ſit legitima, nam electio illa vnius præ alia, v.g. boni creati præ diuino bono, quæ datur in peccatore manifeſtè arguit maiorem amorem erga bona creata, quod ſatis ſignificauit Ioann. c. 12. dum timore Phariſæorum, ne Chriſtum publicè confiterentur, hanc fuiſſe cauſam, dicit, quia dilexerunt gloriam humanam; magis quàm gloriam Dei, quia potius illa electio arguit Dei contemptum, & minorem illius exiſtimationem.

Ad inſtantiam verò, ſumptam ab eo, qui propter amicum peccat in Deum. Reſpondetur eſſe maximum diſcrimen; hic enim agimus de peccatore in ordine ad Deum, inter quos, hoc reperitur, quod Deus contemnitur, & peccator diligitur, hic autem comparatur peccans cum amico, inter quos non datur amor vnius, cũ contemptu alterius; etenim peccans non diligit amicum cum contemptu ſui ipſius, quin potiùs cum ſui ipſius amore, in illo enim amore peccaminoſo diligit amicum amore amicitiæ, & cum amicus ſit alter ego, ſe ipſum etiam diligit, quare ſi in vtroque caſu ſimilitudo ſeruanda eſt; comparatio potius deberet eſſe inter amicum, qui diligitur, & Deum, qui contemnitur; in qua comparatione abſque dubio diligit magis amicum, quàm Deum, & cum non magis amicum diligat, quàm ſe; nam ſe ipſum diligit in amico, ideò etiam, & ſe ipſum in amico, pluris ęſtimat, quàm Deũ. Ad inſtantiam verò de Filio, eſt etiam diſcrimen, nam filius liberando ſeruum à morte, non præfert bonum ſerui ipſi parenti, ſed malo, quod Pater intendit patrare: vndè non vt offendat Patrem, ſeruum liberat, ſed potius in gratiam Patris, ne peccet in ſeruum, & per conſequens. Patrem plus diligit, quàm ſeruum. Ad quintum Reſpondetur, ſi affectus illæ præſens voluptatis expellatur, plus illam voluptatem æſtimari, quàm totam ſubſtantiam, quamuis à principio ſit tota ſubſtantia eroganda foret, non plus æſtimaretur, vndè non peccaret.

DIFFICVLTAS.

Quid dicendum ſit de illo, qui plura peccata mortalia commiſit, an ſcilicèt habeat plures fines.

OMiſſis pluribus dicendi modis. Reſpondetur, illũ talem nec actu, nec habitu, nec formalitèr, nec interpratatiuè habere plures vltimos fines totales, benè tamen plures partiales conſtituentes vnũ vltimum finem ex pluribus aggregatum, ſuũ ſcilicèt bonum, quod ſibi quærit, tanquam vltimò fini cui; Itaque in peccatore vnus tantum datur finis, cui nempè ipſemet peccator, vnicus item vltimus finis cuius, nempè bonum proprium, quod interdùm erit aliquid vnum, ſi vno tantũ peccato implicatur, interdum erit ex pluribus bonis aggregatum, ità vt quodlibet eorum ſit finis vltimus non totalis, ſed partialis. Tamen poſſet quis contra inſurgere; quia non videtur ſufficientèr aſſignatum diſcrimen; nam per peccatũ veniale conſtituitur etiam à iuſto vltimus finis in creatura: ergò peccatum mortale in hoc non diſtinguitur à veniali; ergò diſcrimen aſſignatum non ſufficit. Antecedens probatur, quia omnis humana operatio habet aliquem vltimum finem; ergò operatio humana, quæ eſt peccatum veniale habet aliquem finem vltimum, ſed non poteſt habere pro vltimo fine Deum, cum veniale peccatum ſit offenſa Dei, quamuis leuis; ergò habet pro vltimo fine creaturam, & ex conſequenti in hoc non diſtinguitur à peccato mortali. Probatur, quia qui adhæret creaturæ per amorem illius,

illius, aut fruitur, aut vtitur illa ex D. Auguſtino 1. de Doctrina Chriſtiana c.3. ſed qui peccat venialitèr adhæret bono creato, & non vtitur illo, tamquam medio ad ipſum Deum; ergò fruitur, ac per conſequens per peccatum veniale conſtituitur bonum creatum, vt vltimus finis, ex quo vlterius fit, quod iuſtus, dum venialitèr peccat, habeat duos fines vltimos Deum ſcilicèt, & creaturam, vt enim iuſtus eſt in gratia habet pro vltimo fine, Deum, in quantum tamen venialitèr peccat, habet pro vltimo fine creaturam; ergò habet duos vltimos fines, quod eſt contra proximè dicta.

Pro ſolutione aduertunt recentiores primò, quod habere creaturam vt vltimū finem; nihil aliud eſt, quàm anteponere illam Deo, & diligere pluſquam Deum (plus inquam non intenſiuè, ſed apprtæiatiuè) nam abſquè peccato intenſiùs poteſt quis diligere creaturam, quàm Deum, vt patet de amore parentum ergà filios, & è contra, tamen abſque peccato non poteſt anteponere creaturam Deo; Deindè aduertunt aliud eſſe amare creaturā pluſquam Deum hoc ſenſu, quo loquimur, ſcilicèt appratiatiuè, aliud verò eſt amare creaturam citra Deum. Obſeruant denique finem vltimum duplicem eſſe, poſitiuum, & negatiuum, ſeù ſimpliciter, & ſecundùm quid. Finis vltimus poſitiuus eſt ille; qui volitus eſt propter ſe, & ratione cuius, alia volita propter illum. Vltimus autem finis negatiuè, eſt ille, qui eſt volitus propter ſe, alia tamen non ſunt volita propter illum. His ſtantibus: Reſpondetur primò, quod qui peccat mortalitèr anteponit creaturam Deo, qui verò peccat venialitèr, diligit creaturam citra Deum, quia eſt amor creaturæ leuis, neque iſtæ anteponit creaturam amicitiæ Dei; ſiquidem per tranſgreſſionem leuem, non tollitur amicitia Dei, nam dilectio illa creaturæ, ſecum patitur Deum à peccatore d iligi ſuper omnia, vndè licet per peccatum veniale diligatur creatura tanquam finis, eo ipſo, quo diligitur propter ſe, vt quando diligitur bonum delectabile, tamen non diligitur vt vltimus finis, eo ipſo, quod non anteponitur Deo, eo ipſo, quod eſt leuis dilectio creaturæ, ſiuè iſta leuitas ſit propter imperfectam de-

liberationem, ſiuè ex obiecto leui, ex paruitate materiæ; nec opus eſt, q omnis actio humana poſitiua referatu aliquem vltimum finem, vt dicebatu probatione antecedentis, ſed ſatis eſt, aliquem finem vltimum negatiuè ref tur, qui dici poteſt vltimus ſecundū q patet exemplo idolatræ, qui & ſi rati ſtatus referatur habitualitèr in Idolu tamen quando benè moralitèr operai non refert illud opus in Idolum, ſed lius intentio fertur, & ſiſtit in fine virtu tamquam in fine vltimo negatiuè: hæ nim eſt noſtræ voluntats libertas, vt p ſiſtere in tali fine, qui non eſt vltimus plicitèr, & poſitiuè, ſed ſecundum qu & negatiuè. Sic contingit in homine ſto venialitèr peccante; licèt enim ra ne ſtatus referatur in Deum, tamen ra ne actionis peccati non tendit in illu ſed in bonum creatum, quod eſt illi f vltimus negatiuè.

Reſpondetur ſecundò. Maiorem ill argumenti, ſcilicet, omnis actio hum eſt propter finem, ſolum veram eſſe i ctionibus, quæ propriè tendunt in fin honeſtum, ſecùs ſi tendunt in finem nialitèr malum. Ratio diſcriminis e quoniam finis honeſtus ex natura ſua referibilis in verum finem vltimum; vn licèt poſſit eſſe vltimus finis negatiuè ſpectu operantis, non tamen reſpectu peris, quia opus ex natura ſua non eſt referibile in vltimum finem, ſed referil le potius, at verò finis proximus venia tèr malus ex ſua natura eſt inreferibilis verum vltimum finem, vndè non ſolu poteſt eſſe vltimus negatiuè ratione op rantis, ſed etiam ratione operis, & in h ſenſu nullum eſt inconueniens dari in e dem homine duos fines vltimos, neq enim vnus alteri repugnat, ſed vterq ſimul amari poteſt, cum vnus minus am tur, quàm altèr, & prætereà non proinc actio iſta venialitèr mala deſinit eſſe hu mana, quia ad rationem humanæ action ſatis eſt, quod habet finem vltimū ſecu dum relationem operantis, nam referib litas operis in vltimum finem non pend ex libera operantis voluntate, ſed ex na tura ipſius operis. Hinc, qui peccat venia litèr, licèt diligat bonum delectabile pro pter ſe, & tanquam finem, quia tamen n

diligit

Digitized by Google

diligit tanquam vltimum (cum non anteponat illud Deo) ideò differt ab eo, qui mortalitèr peccat. Si autem dicas. Si aliquis diligat creaturam propter ſe, & tāquam finem, non tamen tanquam finem vltimum, nec peccat mortalitèr, nec venialitèr, vt patet de illo, qui vult bonum honeſtum, creatum propter ſe, ergò peccatum mortale, & veniale non differunt pœnès hoc; cum hæc ratio cōuenire poſſit operi, quod de ſe nec mortale, nec veniale ſit. Reſpōdetur, aliud eſt loqui quātum ad hoc de bono honeſto, & aliud de bono delectabili; nam creatura rationalis, poteſt, & debet velle bonum honeſtum propter ſe; at verò bonum delectabile nō ita, ſed propter honeſtatem; Vndè eo ipſo quod aliquis vult bonū delectabile propter ſe peccat ad minus venialitèr, vt docuit D. Auguſtinus; peccare eum, qui accedit ad matrimonialem actum propter delectationem, & idem de illo, qui ſumit panem, aut cibum propter delectationem. Ad rem ergò, qui bonum delectabile vult tanquam finem, præferendo illud Deo, peccat mortalitèr, qui verò vult bonum delectabile propter ſe, non tamē præferendo Deo, peccat venialitèr, et ita patet ſolutio ad argumentum; dico enim, quod peccatum veniale poteſt eſſe circa finem creatum, tamen non conſtituendo creaturam vltimum finem, nec præferendo illam Deo.

DIFFICVLTAS.

An ſi ille, qui peccat diligat creaturam non plus, ſed æqualitèr ac Deum, iſte talis peccauerit mortalitèr, an venialitèr?

RESpondetur, peccare mortalitèr. Tū quia Deus præcipit ad ſeruandam amicitiam hominis ad ipſum, diligere Deum pluſquam creaturam: qui autem adæquat Creaturam cum Deo in æſtimatione, non plus diligit Deum, et ita hoc ſolo tollitur amicitia hominis ad Deum. Imò, adde ſecundò; Eo ipſo, quod quis in ſua exiſtimatione, vel appretiatione adæquat creaturam Deo, diligit creaturam pluſquam Deum, quia ipſum Deum minus æſtimat, eo ipſo, quod illi adæquat creaturam, et creaturam anteponit Deo, eo ipſo, quod illam adæquat Deo, cum creatura diligi debeat cum ſubordinatione ad Deum. Ad confirmationem ſupra poſitam reſpondetur; eum qui peccat venialitèr, nec frui, nec vti creatura, ſed abuti. Non fruitur illa, quia ex D. Auguſtino lib. 1. de Doctrina Chriſtiana c. 33. fruitio alicuius rei ex ſua natura infert adhæſionem in bono aliquo tanquam in vltimo fine, et apertè D. Thomas prima ſecundæ quæſt. 88. art. 2. ad tertium inquit: illæ, qui peccat venialitèr, inhæret bono temporali, non vt fruens, quia non conſtituit in eo finem, nec vtitur illo; quia ſecundum D. Auguſt. lib. 83. quæſtionū, quæſt. 30. Vſus ſimplicitèr, & abſolutè verſatur circa fruenda, & ità peccatum mortale iuxtà illud D. Auguſtini dicentis, omnem humanam peruerſitatem in hoc poſitam eſſe, vt quis velit vti fruendis, & vtendis, frui; vndè ſicut non datur fruitio vtendorum ſine mortali peruerſitate, ita etiam nec vſus fruendorum dabitur ſine eadem. Solúm ergò reſtat, quod dicatur, peccator medio peccato veniali abuti, ſeù malè vti creatura, & ita talis inordinata dilectio, non dicitur vtendorum fruitio, ſed malus vſus illorum; quod ſatis apertè ſignauit Seraphicus Doctor quando in 2. diſt. 42. q. 1. ex profeſſo tractans hanc quæſtionem, concludit, in peccato veniali non eſſe ſimplicitèr auerſionem à Deo, neque conſtitui finem in creatura; quia hæc ſonant contemptum Dei, qui proprius eſt peccati mortalis; ſed peccatum veniale quodāmodo auertere à Deo, quatenus retardat, & in illo non eſſe fruitionem, nec vſum creaturæ, ſed tantùm abuſum.

Dices tandem, quomodo fieri poteſt, quod Deus ſit vltimus finis venialitèr peccanti, ſi bonum illud, quod diligit nec refert in Deum, nec diligit propter Deum, & de ratione vltimi finis ſecundū Ariſtotelem ſit, quod cætera referantur in illum? Reſpondetur duplicitèr poſſe cætera eſſe referibilia in finem, vel poſitiuè, vel ſaltem negatiuè. Mala igitur venialia licèt ex natura, & poſitiuè non ſint referibilia in Deum, ſunt tamen negatiuè quatenus ſcilicèt non impediunt aliorum referibilitatem, cum quibus ſunt coniuncta, in quo diſtinguuntur à malis, quæ ſunt

Digitized by Google

ſunt peccata mortalia hæc enim,non modo, non ſunt referibilia in Deum, ſed impediunt, & excludunt aliorum referibilitatem,quare peccata mortalia ſunt inreferibilia, inreferibilitate contraria, venialia autem, ſolùm negatiuè. Iſta Doctrina eſt ad mentem Scoti in 4. diſt. 49. q.10. litt. O; Idemq; fortaſſe intendit D. Thomas, licèt alijs verbis, prima ſecundę q.88. art.1. ad ſecundum, dum ait, quod peccatum veniale habitualitèr refertur in Deum, quod ſic debet intelligi, ſcilicèt, quia ex eo, quod compoſſibile ſit peccatum veniale cum charitate dicitur habitualitèr referri in Deum, licèt non actualitèr,non quia ex charitate moueatur homo ad peccandum venialitèr,vel ad complacendum in veniali, ſed quia homo iuſtus, quatenus retinet habitum charitatis, poteſt propter Deum velle, vt peccatum veniale (ſuppoſito,quod iam commiſſum ſit) occaſionem præferat, & materiam ad diuinam gloriam, mediante punitione, vel alio bono fine.

DOCVMENTVM.

Explicans modum diſcernendi peccatum mortale à veniali.

NOſter P. Vega lib. 14. in Trid.c.14. ſapientèr ſatis, & elegantèr tradidit tres regulas,ad diſcernendũ inter peccata venialia,& mortalia Prima eſt ex auctoritate Scripturæ; vt nimirum illa peccata mortalia ſint, quæ in Scriptura dicuntur abominabilia, execranda, digna morte, excludere à Regno Cælorum. Et quæ vel pœnas æternas, vel ſaltem mortem corporis comminantur; his enim, aut ſimilibus loquutionibus indicatur offenſa grauis, ſicut è contra iudicatur leuis; vel venialis, quando longè mitior ſermo de illa eſt.

Secunda regula eſt auctoritas Eccleſiæ, & doctorum; illa enim peccata, quæ cõmuni conſenſu fidelium, aut Doctorum fuerint grauia, pro talibus ſine dubio reputanda ſunt, è contra pro venialibus, quando cõmuni conſenſu fuerint leuia.

Tertia tandem eſt lumen rationis,quod perſpicuè ſuadet,eſſe aliquas offenſas valdè diminutas, quibus non læditur grauitèr charitas Dei,vel proximi, vt verbu iocoſum, & furtum paruæ quantitatis.

Præter has regulas poteſt etiam ad alia,quando ſcilicet aliquid tanquam va dè graue, & neceſſarium,præcepto aliqu humano grauitèr præcipitur; eius tran greſſio eſt mortalis; itaque requiritur, grauitas materiæ, & legiſlatoris grauit præcipiendi animus, ex legis tenere d ducendus,quod ſic dignoſci poteſt: ſi pe catum eſt prohibitum lege humana,& p ſitiua; aut imponitur pœna aliqua pro t li peccato, aut non; & quidem ſi impon tur pœna, & illa ſit leuis, ſignum eſ quod peccatum, pro quo imponitur ta pœna eſt leue, vt ſi prohibeatur aliqu ſub pœna excommunicationis minori idem dico de aliqua pœna temporali le Quando autem aliquid prohibetur ſ pœna graui, vt videlicèt ſub pœna e communicationis maioris, erit pecc tum mortale transgreſſio illius leui Dixi autem ſub pœna excommunicati nis maioris, & non dixi latæ, aut ipſo f cto incurrendæ; ſufficit enim, quod ſit i currenda,quia tàm grauis pœna,qualis e excommunicatio maior, ſiuè ſit lata, ipſo facto ferenda,aut incurrenda, nõ in ponitur niſi pro re graui. Nec valet,ſi d cas, quod Legiſlator, aut Iudex human poteſt decipi putans rem eſſe grauem,q tamen in ſe ſit leuis, atque ita hanc pœ nam excommunicationis imponere v non debuit. Deindè poteſt illam pone ad terrorem; ergò, &c. Reſpondetur t tum hoc eſſe verum;tamen quando man feſtè non conſtat de errore Legiſlatoris aut Iudicis; præſupponendum eſt pro c pite, & æſtimandum rem eſſe grauem, e ipſo, quod imponitur tàm grauis pœn contra transgreſſores, & iudicandum e eſſe mortale in huiuſmodi tranſgreſſion Præterea dum manifeſtè non conſtat, L giſlatorem, aut Iudicem caruiſſe intentic ne excommunicandi, credendum eſt, judicandum pœnam excommunication eſſe impoſitam pro re graui, ac per conſ quens transgreſſionem illius eſſe morta lem. Quod dictum eſt de pœna excon municationis maioris, eodem modo i telligendum eſt de pœna irregularitat & ſuſpenſionis, quicquid contrarium a

ſerant

ſerunt,quia quando incurrunt ſine peccato,non ſunt pœnæ,ſed inhabilitates quædam; tamen quando iſta imponuntur tanquam pœnę pro peccatis,certè non poſsūt imponi niſi pro peccatis mortalibus, quia ſunt graues pœnæ.

Quando verò ſit materia grauis, & quando leuis, certa regula præſcribi nequit; ſed id prudentis arbitrio relinquendum eſt; duplex autem regula generalis ad id diſcernendum ab aliquibus tradi ſolet; prior eſt materia, quæ multum cōducit ad finem ſubiectionis imponentis præceptum,eſt grauis, & ſufficiens ad cōſtituendam tranſgreſſionem mortalem,ſecus verò quādo parum ad eum finem cōducit, tunc enim materia leuis ad peccatum læthale reputabitur, quare ad grauitatem, & leuitatem materiæ, non eſt materia præcepti ſecundum ſe ſola inſpiciēda,ſed debet etiam attendi finis ad quem à ſuperiore gerente legem, aut præceptum,ordinatur.

Altera regula eſt,quod valdè attendēdæ ſunt circumſtantiæ,ex quibus ſuperior ad imponendum de aliqua materia præceptum ducitur ad iudicium de illa formandum: quia ſæpè contingit vt materia præcepti ſit ſecundum ſe leuis, & obligationis ſub mortali incapax, at ex circumſtantijs bonis communis adiunctis, quas ſuperior intendit ſit grauis, & cadat ſub obligatione ad mortale, vt rationes ſcandali vitandi, etiamſi illud non eſſet ex ſe mortale; aut ratione iacturæ boni cōmunis Religionis, periculi etiā proximi,traſgreſſionis votorum. Ita noſter Alphonſus de Caſtro lib. 1. de lege pœnal.cap.5.doc. 2.Valentia 1.2.diſp.2.qu.5.punc.6.Suarez 5.to.diſp.4.ſeſſ.6. Ex hoc benè infert Valentia,nonnullos decipi exiſtimantes non obligare præceptum Prælati ſub mortali de ſeruando ſilentio hoc,aut illo tempore aut de alio efficiendo, quod ex ſe nō magni momenti appareat;quippè fieri poteſt vt circumſtantia aliqua & materiæ grauitatem agat;quare ait impoſſibile videri in Iure humano ex ſola materia diſcernere præcepta ſub mortali obligantia;cum res, quæ leuis videtur, & ſit talis in ſe cōſiderata; ſit magni momenti attentis circumſtantijs, quas Superior ſpectat, ac Subditi ignorant; quare dicit Suarez ſupra nu.11. debent ſatis certò,& indubitantèr cōſtare leue eſſe materiam, vt iudicemus præceptum,quod aliàs ex verborum tenore ad mortale obligaret non ſic obligare; & rectè quidem dicit; quia in dubio non eſt ſpoliandus Superior ſua poſſeſſione, nec quando non conſtat iniuſtitia præcepti. Tandem quantumcumque vellit Legiſlator ad mortale obligare,ſi materia ſit exigua,attentis circumſtantijs non obligabit ad mortale. Solet etiam alia via diſcerni peccatum mortale à veniali, ratione ſcilicèt diuerſæ deliberationis, quæ ad vtrūq; peccatum neceſſaria eſt, diuerſimodè tamen; nam ad peccatum mortale neceſſaria eſt perfecta deliberatio, ad veniale verò ſufficit imperfecta.

Ad maiorem declarationem ſuppono, ad quamcumque peccati rationem deſiderari aliquam malitiæ moralis conſiderationem; ideſt aduertere, aut teneri aduertere malitiam; quare, & ſi intellectus, quid cogitet, & aduertat delectationem excitari, & ſolam delectabilis, & vtilis rationem attendat, ſi non aduerterit, ſaltem dubitans, aut ſcrupulum concipiens, aut debuerit aduertere id eſſe peccatum; vacabat culpa quantumuis tempore longo duret, & inconſideratio cenſebitur quoad excuſandum à culpa omninò naturalis. Ratio autem eſt, quia ad culpam deſideratur libertas, quæ ſine aduertentia, & rationis deliberatione eſſe nequit; nec debet eſſe qualiſcumque libertas,ſed circa moralem obiecti malitiam, &c. ſed quandiu non ſe offert conſideratio circa malitiam non eſt ſufficiens principium deliberandum de illa,eamque liberè amplectendum; ergò quod attinet ad malitiam cenſebitur motus primò primus, ac naturalis voluntatis, & omni prorſus culpa vacans; imò ad vnius generis malitiam aduertere non ſatis eſt ad malitiam alterius generis contrahendum, ſed oportet ad hanc quoque aduertere, aut debuiſſe aduertere, quia non adfuit principium ſufficiens de hac poſteriori malitia deliberandi, vndè plena conſideratio ad læthalem culpam petita, ſic ab imperfecta, & ſemiplena ad ſolam venialem ſufficienti ſe cernitur, quod hæc contingat, quoties homo ita aliquid eſſe malum aduertit, ſicut illi, qui non dùm plenè à ſomno ex-

ſcitati pollutionis illis contingentis malitiam aduertit, illa verò quando homo plena aduertit inter perfectè à ſomno exſcitatorum, quippè poteſt in vigilia adeò tenuis conſideratio accedere, eo quod intellectus alio trahatur, vt non ſufficiat ad mortale. Huius ratio ea eſt, quia cum diſſolutio Diuinæ amicitiæ, ac æterna pœna deleantur culpæ læthales, non eſt par credere tanto ſupplicio hominem abſque perfecta, & plena conſideratione obnoxium fieri.

Ex quo fit, motus moralitèr prauos imaginationem conſequentes, ſi omnem rationis deliberationis præueniant, culpa prorſus vacare. Si ſolam perfectam, & plenam vacare culpa mortali, non tamen veniali; ſi tamen abſit plena deliberatio culpa mortali affici, & ex eiuſdem libertatis defectu ſolet nullum eſſe peccatum, quãdo licèt Dœmon rem illicitam ſuggerat, & non ſolum appetitus, ſed voluntas etiã illam amplectatur, adhuc tamen non præceſſit in intellectu vlla aduertentia malitię moralis, quæ erat in tali obiecto, quia nullum poteſt eſſe peccatum ſine aliqua cognitione malitiæ obiecti, ſaltem ſub dubio, cum nihil poſſit eſſe volitũ, quin præcognitum, ac proindè non poſſit haberi ſufficiens libertas in volendo obiectũ malum, quando non eſt cognita malitia; & hæc eſt ratio, ob quam motus primò primi ſunt omninò ſine peccato. Legendus eſt Vaſquez diſp. 106. vbi oſtendit auctoritate, & ratione motus primo primos, id eſt qui abſque vlla libertate, & aduertentia in nobis ſentiuntur, nullum eſſe peccatum etiam veniale.

Inferuntur nonnulla corrollaria; primò quod vltra plenam intellectus conſiderationem, conſenſus voluntatis exigitur ad culpam, quia nequit peccatum eſſe, niſi voluntarium, & quãuis ad peccatum veniale ſufficiat imperfectus conſenſus, at tepiditas quædam in prauis motibus exercendis, ſicut, & imperfecta deliberatio; mortale tamen perfectum, ac plenum cõſenſum, ſcilicèt perfectam deliberationem conſiderat.

Infertur ſecundò, qui dubitat, vtrum dormiens, aut vigilans, hoc fecerit, & illud violauerit, aut diſcerit, eo ipſo videtur habere non leue iudicium, quod non plenè vigilauerit; cum quia plena vigilia re[illegible] dit hominem certum ſui, quia præmi[illegible] liberiorem eſſe mentem; & euidentior[illegible] cognitionem circa omnia, etiam circa [illegible] giliam, at verò quando partim ligata cogitatio, nec ſeipſum poteſt, nec ali[illegible] rectè cognoſcere; vnde ille credere [illegible] bet, aut nullam, aut leuem culpam tu[illegible] commiſiſſe. Idem fortè dici poteſt de qui dubitaret, vtrum liberè, vel cap[illegible] ebrietate, aut fræneſi, aut alia infirmit[illegible] fuerit, aut dixerit aliquid.

Infertur tertiò tũc peccari leuitèr, q[illegible] do ſuborta peccatis cognitione, aliqua[illegible] tulum moratur homo, quaſi auſcultan[illegible] id, quod Dœmon, aut inordinata conc[illegible] piſcentia obloquitur, vel quando aliq[illegible] obiter ſenſus delectatione afficitur, vel ea retundenda ſe exibet negligentem; [illegible] enim, & ſimiles motus dicuntur ſecun[illegible] primi nec ſufficiunt ad mortale; quia n[illegible] dum homo abſolutè vult id, quod illi[illegible] ta cogitatio proponit, ſed aduertit neg[illegible] tium, & non ita citò ſe expedit, & qu[illegible] modo quando illud aduertit, non pote[illegible] nõ placere appetiui obiectum malũ, qu[illegible] exſtimatiua proponit, fit conſequent[illegible] hanc delectationem non tribui graui c[illegible] pæ, ſed eſſe veluti obiter permiſſum p[illegible] tius quàm volitum.

Infertur quartò benè dixiſſe D. Thon[illegible] prima ſecundæ quæſt. 44. art. 10. in mo[illegible] bus infidelitatis poſſe eſſe culpam veni[illegible] lem, quando ita ſubitò occurrit aliqu[illegible] contra fidem, vt ſupra id neque conſul[illegible] tur, nequi conſuli poſſit ratio externa; [illegible] gr. occurrit alicui reſurrectio mortuorum vt naturalitèr impoſſibilis, & dum illa[illegible] apprehendit, remittitur veritati fidei, pr[illegible] uſque locum habeat deliberãdi, & aduer[illegible] tendi reſurrectionis veritatem eſſe reue[illegible] latam à Deo, certè non peccat mortali tèr. Tandem concludimus in his, & ſimilibus euentibus non eſſe culpam niſi venialem, & ideò dixiſſe Apoſtolum, quo concupiſcentia cum conceperit parit peccatum, id eſt cum effectum habuerit aliquo modo in noſtra libera volũtate Dœmonis ſuggeſtio, erit quidem aliquid peccatum, ſed non generabit mortem, ide[illegible] erit mortale, donec fuerit conſumatum ſcilicèt per conſenſum plenè deliberatum de alijs vero, quæ ſpectant ad diſcernendum

Digitized by Google

dum plenum conſenſum ab imperfecto & indeliberato, egi diſputando de delectatione moroſa.

Proſequimur idem Documentum.

DOctrina, ſeù difficultas, quam præ-manibus habemus adeò difficilis eſt, vt magnus Pater Auguſtinus lib.21. de Ciuit. Dei cap.vltim. paulò ante finem de ea ſic loquatur: quæ ſint ipſa peccata (& loquitur de venialibus), difficillimum eſt inuenire, periculoſum definire, ego certè vſque adhoc tempus, cum inde ſatagerem ad eorum inueſtigationem peruenire non potui. Et tom. 3. in Enchiridion cap.77. ità legit; quæ ſint leuia, & quæ grauia peccata, non humano,ſed diuino ſunt penſanda iudicio. His in verbis non ſignificat D.Auguſtinus (vt benè aduertit Valentia diſp.6.qu.18.punc.3.)non licere hominibus iudicare vllo modo quę ſint leuia, & quæ grauia peccara, niſi id manifeſtetur ex diuino iudicio, ſed ſolũ ſignificat id non poſſe certò,& infallibilitèr iudicari ab hominibus, niſi ex diuino iudicio conſtet; nihilominùs poteſt etiam iudicio humano probabilitèr diſcerni inter peccata mortalia, & venialia, vbi id non conſtat certò ex diuino iudicio.

Dico ergò: Iſta eſt regula in hac materia; quotieſcumque peccatum charitatem Dei, vel proximi grauitèr lædit eſt mortale ex genere. Ita Diuus Thomas citatus,& ſecunda ſecundæ qu.24.art.12. Azarius lib.4.cap.9. qu.8. Sancius 10. in Decalogum nu.9. qui hinc inferunt blaſphemiam, adulterium, & homicidium eſſe mortalia. Quando autem non læditur Charitas Dei, vel proximi grauitèr erit veniale ex genere, vt verbum iocoſum, riſus ſuperfluus; ſed quando lædatur grauitèr charitas, non eſt mihi regula certa, ſed arbitrio prudentum,& communi Doctorum conſenſu perſcribendùm. Item mortale eſt, quando violatur præceptum humanũ rem grauem prohibens,vel præcipiens; ſed hoc ſufficientèr continetur in regula data. Si verò præceptum non obligat ad aliquid neceſſarium adDei charitatem, vel proximi conſeruandam, eius tranſgreſſio erit tantùm venialis. Ex hoc infert Azorius, peccata contra virtutes Theologicas, iuſtitiam, & caſtitatem,quibus addoReligionem,eſſe mortalia ex genere. Ea verò quæ contra bonum vſum quis committit eſſe venialia,v.gr.rara cogitatio, impatiens reſponſio,otium, multiloquium, nugæ,&c. Conſiderata commeſtio, vel potatio ſuperfluus ornatus, horæ negligentèr diſtæ.&c.

Circa id,quod ait de precibus, certum eſt,quod preces obligatorias requiri attẽtionem ad integrè proferenda verba, vel ad eorum ſenſum, vel ad Deum,aut ad aliquid pium, ſub peccato mortali,docet D.Thom. 2. 2. qu.83. num.1.Seraphicus Bonauentura opuſculo de præcepto Religioſorum lib.7. cap.3.vbi primam attentionem vocat ſuperficialem; ſecundam literalem;tertiam ſpiritualem D.Thom.per ſpiritualem intelligit attentionem adDeũ, vel ad rem petitam,de quoSuarez tom.2. de Religione. Ratio eſt, quia Oratio ſine aliqua attentione exiſtentis non eſſet oratio,& ſic qui tenetur ad orationem,tali recitatione non ſoluit debitũ,quod eſt mortale ex genere. Imò ſecundum Seraphicũ Bonauenturam lib.de perfect. Vitæ; valdè inducens eſt, vt quis quam Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde,negligentia tamen parua in his, eſſet tantùm veniale, &c. Id ergò tantum poteſt eſſe certum de precibus voluntarijs negligentèr dictis, quod præter Azorium multi alij docent. Infertur etiam ex iſto noſtro Documento, peccata contra liberalitatem, veritatem, manſuetudinem,temperantiam,humilitatem nõ eſſe ex genere mortalia. Ratio eſt; nam per hoc,quod contra veniatur his,nõ perditur amicitia cum Deo, vel proximo ſemper, ſi nulla alia virtus violetur. Ex quibus habetur,quæ nam ſint mortalia ex gene re, & quæ nam venialia ex genere. Addo pro explicatione huius regulæ id eſſe mortale, quod communitèr pro tali habetur in communitate,'vel ſocietate aliqua,nam cum conſuetudo ſit optima legum interpres, non eſt verior interpetratio oſtendens,quod peccatum ſit mortale & quod veniale, quàm conſuetudinis. Ità Caietanus ſecunda ſecundæ qu.188. Rodriquez 1.tom.qu.11. & alij.

Dico ſecundò; morale ex genere ſit veniale ex defectu perfectè cõſiderationis

Digitized by Google

malitiæ. Ità communis Doctorum, dicentium motus ſecundò primos eſſe venialia. Legatur Alenſis 2.par.qu.108. membr.5. Probatur primò, quia paruitas materiæ excuſat à mortali ergò, & paruitas conſiderationis. Secundò: cum ea ſit fragilitas humana vt homo ad malitiam obiecti nõ ſemper perfectè attendere poſſit, deducere bonitatem Dei ob peccatum ex imperfecta aduertentia malitiæ ad gehennam damnare. Imperfecta conſideratio, ſeù ſemiplena deliberatio ſimilis eſt ei, quam poſſet habere non plenè à ſomno excitatus de malitia pollutionis ſibi contingentis; perfecta conſideratio eſt quando plenè aduertit malitiam; inſtar perfectè excitati à ſomno; poteſt enim in vigilia adeò eſſe tenuis conſideratio malitiæ, & quod intellectus alio trahatur, vt ſit inſtar illius conſiderationis imperfectæ excitati, & durum eſſet, quod peccatum ex tali conſideratione ſolueret amicitiam cum Deo. Ità hoc explicat Caietanus verbo delectatio, Vaſquez diſp.107.cap.4.

Vt melius rem percipias moneo, quatuor regulas aſſignari pro imperfecta conſideratione. Prima, vt ſi poſita cogitatione ità cras diſpoſitus, vt non exequeris malum, licèt poſſes; ſignum eſt te non cõſenſiſſe, nec cõſiderationem eſſe plenam; quia cum exequutio ſit in poteſtate voluntatis, talis diſpoſitio ſequitur diſſenſum, vel ſaltem imperfectam deliberationem.

Secunda regula; cum ſubitò inſurgit malus motus, & cum plenè aduertis, reſiſtis, ſignum antea non fuiſſet plena conſideratio, nec conſenſus; quia eges tempore communiètr ad deliberandum, cum per diſcurſum agis.

Tertia regula eſt; non omnem negligentiam poſt aduertentiam eſſe ſignum conſẽſus in perſeueratione malorum motuum, nam appetitus eſt ſubditus quoq; voluntati, & non obedit ei, ſicut potentia motiua; hoc admitti, ſi voluntas poſitiuè reſiſtat; ſi tamen merè negatiuè ſe habet non puto excuſari à mortali.

Quarta regula; In dubio de pleno conſenſu in malum, ſi es timidæ conſcientiæ, ſignum eſt, te non conſenſiſſe ex deliberatione; ſecus eſt, ſi malus ſis. Ratio eſt quia abhorres peccatum mortale, & maxime times, ſi illud faceres; ſecus ſi nih illud facis.

DIFFICVLTAS.

An poſita perfecta deliberatione poſſ peccatum eſſe veniale ex imperfectione actus voluntatis.

AFfirmat Sancius ſupra; quia eade ratio eſt de intellectu, & volunt te: dicit ergò, ſi voluntas eo caſu fir eſt, quod non conſentiat merè negati ſe habendo, quod tantùm eſt veniale, idem docent multi, quando voluntas pc talem aduertentiam, non reprimit, n acceptat delectationem de obiecto mc tali. Multos citat Salaz tract.13. diſp. qu.3. & iuxtà hanc oportet dicere, qu delectatio etiam appetitus, modo non a cedat poſitiuus actus voluntatis eſt ta tum veniale. Hæc pars non caret prob bilitate. Moneo tamen non peccari mc taliter, imò nec venialitèr niſi poſita a uertentia portionis, ſuperioris, cuius ferre finalem ſententiam in moribus.

DIFFICVLTAS.

An ad mortale requiratur aduertentia magni peccati.

NEgat Vaſquez diſp.107. oppoſit verius puto. Probatur, quia ad p catum, vt ſic requiritur aduertentia pe cati; ergò ad peccatum magnum aduer tia magni. Secundò tenuitas ex parte c gnoſcentis exſcuſat à mortali; ergò & e guitas eius ex parte obiecti. Tertiò nil volitum, quin præcognitum; ergò ſi n la præceſſit cogitatio de peccato mag non erit mortale. Quartò. Si volui no mentum proximi, & cauſam appoſui; ſucceſſit occiſio, non ſum homicida, nullam habui de homicidio conſiderat nem. leges Salaz tract.9.diſp.45.

DO-

Digitized by Google

DOCVMENTVM IDEM.

MOrtale ex genere fit veniale ex paruitate materiæ, ſi materia ſit capax paruitatis. Fundatur in eo: quia crudele foret hominem damnare ad gehennam ob furtum vnius caroleni, cum Deus puniat citra condignum. Votum dant omnes Doctores huic Doctrinæ. Dixi ſi materia eſt capax paruitatis, quia, quæ verſantur immediatè circa Deum nõ ſunt capacia paruitatis, vt odium, infidelitas periurium, &c. Legatur Suarez lib. 4. cap.3.

DIFFICVLTAS.

Quomodo ſciatur quænam ſit paruitas materiæ non ſufficiens ad mortale.

CRedo circa hanc partem certam regulam præſcribi non poſſe, ſed cõmuni acceptione, & conſenſu Doctorum perſcribendam iuxta varias circumſtantias locorum, & perſonarum. Duæ tamen regulæ ad hoc intelligendum iuuabunt. Prima, ſi materia multum facit ad ſubiectionem præcipientis, grauis cenſeri debet, ſecus ſi è contra; vndè non eſt reſpiciendum ad materiam ſecundum ſe, ſed ad eam, vt ſubeſt intentio à præcipiẽte, quæ ſi grauis eſt, & materia formalitèr grauis. Ità Vaſquez inferens hinc, nõ audire ſacrum diebus feſtis eſſe mortale, quia per hoc præceptum Eccleſia intendit magnum bonum ſpirituale ſingulorum. Secunda regula eſt, attendendas eſſe circumſtantias, quibus mouetur præcipiens, vt materia cenſeatur grauis, licèt ſecundum ſe leuis ſit. Legatur Caſtro de lege pœnali, documento ſecundo.

Obijcies contra Regulas. Auguſtinus in Enchiridion 78. ait; quæ ſunt leuia, atque grauia non humano, ſed diuino ſunt penſanda iudicio; ergò non benè aſſeritur noſtrum dictum. Reſpondetur, tantùm velle non conſtare certò, & infallibilitèr, quod eſt leue, & quod eſt graue peccatũ, niſi id conſtet diuino iudicio, tamen vbi id non conſtat hoc modo poteſt iudicio humano probabilitèr diſcerni. Dico peccatum eſſe mortale colligi ex grauitate pœnæ, & dum dicitur dignam eſſe morte; excludere à Regno. Tandem concludo optimas regulas eſſe ad cognoſcendum mortale diſtinctum à veniali, ſi pro vna parte accedat communis conſenſus Doctorum. De hac regula iam egimus ſupra.

DOCVMENTVM.

Docens modum, quo peccatum veniale poſſit fieri mortale.

SAnctus Thomas docet, quod ne quidem ſucceſſiuè poteſt eſſe veniale, & mortale, & licèt non diſtinguunt an ſit ſermo de actu interiori, vel exteriori, & de actu in genere naturæ, & in genere moris; tamen loqui videtur, tâm de interiori, quàm de exteriori, non in genere naturæ, ſed in genere moris, vt ſcilicèt ſubſunt voluntati; de ipſo verò actu voluntatis etiam in genere naturæ videtur exiſtimare, quod non poſſit ſucceſſiuè eſſe veniale, & mortale, quia ideò dixit de exteriori non poſſe eſſe ſucceſſiuè veniale, & mortale; quia inquit, non dicitur idem actus moralis, niſi ſit ex eadem voluntate, quod ſi voluntas non mutatur, non poteſt veniale fieri mortale. Sentit ergò quod idem actus exterior tantùm in genere moris, non poſſit ex veniali fieri mortale, quamuis poſſet in genere naturæ mutata voluntate, hoc autem non poteſt actus interior ſi idem manet.

Dico primò; Actus imperatus tàm internus, quàm externus, tàm voluntatis, quàm alterius potentiæ poteſt idem numero, tàm in eſſe naturę, quàm in eſſe moris de veniali fieri mortalis; quinimò, & ſimul fieri mortalis, & venialis. Hæc eſt communior apud Modernos, tenet Vaſq. prima ſecundæ diſp. 145. loquendo de identitate in eſſe naturæ; concedit Valẽtia, & fauent omnes illi, qui tenent eundem numero actũ in eſſe naturæ fieri poſſet bonum, & malum ſucceſſiuè; Ita Caietan. Medina 1.2. q.19. art.1. & q.10. art 6. & omnes illi, qui aſſerunt bonum, & malum, morale eſſe differentias accidentales, & ſeparabiles reſpectu actus humani in

ni in genere naturæ conſiderati, vt clarè docet Seraphicus Bonauentura in 2. diſt. 41. art. 1. q. 2. & colligitur ex Alexandro 2. par. quæſt. 104. membro 2. & ex Scoto quolib. 18. art. 3. vt inferius apertiùs videbimus.

Probatur primò de actu exteriori; nam idem furtum poteſt eſſe rei paruæ in principio, & continuari quouſque ſit in magna quantitate, quæ ſufficiat ad mortale. Similitèr idem actus exterior in principio poteſt procedere ex ſemiplena deliberatione, & continuari quouſque ſit perfectè liber, quia in principio non erat aduertentia rationis perfecta, & poſtea fuit perfecta, poteſt ergò idem numero actus exterior in principio eſſe venialis, & continuari quouſque ſit, & fiat mortalis.

De actu interiori imperato voluntatis, & alterius potẽtiæ inde probo, quia eadẽ numero operatio perſeuerans, quæ prius erat venialis, adiuncto fine mortali fiet mortalis. Similitèr concupiſcentia appetitus ſenſitiui, quæ prius propter imperfectum conſenſum rationis, & voluntatis erat venialis accedente pleno conſenſu fit mortalis, quod exemplo probatur: nam eadem viſio omninò manens, ſiue mutatione in ſua naturali entitate poteſt primò ad finem malum venialitèr ordinari, & poſtea ad finem malum mortaliter, ergò &c.

Denique quoad ſecundam partem ſic probo: quia eamdem numero deambulationem, poteſt quis ſimul velle propter vanam curioſitatem, & adulterium. Tunc autem imperabitur à duobus actibus internis, vno veniali, quo velit vanam curioſitatem; altero verò mortali, quo velit adulterium; ergò deambulatio ſimul denominabitur venialis, & mortalis. Si quis etiam diceret ſimplex mendacium propter aliquod peccatum mortale, & propter finem, actus eius habebit malitiã venialem mendacij contra veritatem, & præterea habebit mortalem malitiam ex parte finis.

Dico ſecundò idem numero actus elicitur interior voluntatis poteſt ſucceſſiuè de veniali fieri mortalis ſine aliqua mutatione, & obiecti in eſſe naturæ, non verò abſque omni mutatione, ſaltem accidentali. Ità omnes illi Doctores, qui aſſerũt eumdem actum ex bono poſſe fieri m ſucceſſiuè. Probatur noſtrum dictũ q ad primam partem, quia ſicut bonitas, malitia ſint accidentia actus quantum eſſe naturæ, ſic eſſe mortale, & ven le ſunt accidentia, ſed quia ſunt cidentia bonitas, & malitia moral idem numero actus interior volunta poteſt eſſe bonus, & malus, vt ſi principio actus voluntatis ſit confor ad dictamen rectæ rationis, & poſtea difformis variato dictamine, vt patet vulgari exemplo de illo; qui vult com dere carnes feria quinta, et continuat e dem actum vſque ad feriam ſextam; idem dico de quacumque alia volunt faciendi aliquid non prohibitum cõtin ta, et permanente poſt prohibitionem gis poſitiuæ, vt ſi quis cum debita diſp ſitione vellet celebrare in Eccleſia non interdicta (quæ exemplo vtuntur Dura dus, & Vaſquez,) & poſtea interdicat idque ſciatur, vel culpabilitèr ignoretu illa volitio, quæ erat bona, reddetur m la: ergò idem actus voluntatis elicitus eſſe naturæ poteſt eſſe bonus in principi & poſtea malus; ergò in principio pot eſſe venialis, & poſtea mortalis. Nec v let Reſponſio Corradi dicentis, illam vol tionem mutari in aliam, quia virtualit attingit obiectum prohibitum, quod a tea non attingebat. Hæc inquam non v get; quia vt benè Vaſquez vt ſupra diſ 56. cap 2. attingere illud virtute non to lit, quin formalis effectus idem omnin habeat obiectum, ac proindè omninò ſi & quamuis actus illæ, vt poſſit eſſe pecc tum perſeuerare debeat cum aliqua not tia interdicti, hoc tamen non ſufficit vt va rietur effectus, quia non quæcumque co gnitio efficit nouum effectum, vel muta præcedentem, ſed eadem taxat, quia repræſentatur voluntati nouum obiectum quod proſequatur, aut noua ratio mouẽ in eodem obiecto, quod verò alia occurrat cogitatio de aliã re, aut diuerſa, au contraria, quæ contendat amouere volũtatem à priori affectu, quem habet circ obiectum prius conſideratum, non ſuffici vt mutet aliquo modo affectum priorem, ſed prior ille affectus poterit omninò idẽ continuari ex eodem obiecto, & ex eadẽ ratione in obiecto conſiderato. Ex quo

ſic ſe.

Digitized by Google

ſic ſecundò. Probatur idem noſtrum dictum, quia poteſt eadem numero volitio obiecti continuari manente eadem appræhenſione bonitatis, propter quam obiectum eſt volitum, licèt in principio conſcientia dictet probabilitèr tantum eſſe veniale peccatum, & poſtea accedente conſcientia, ſiuè vera, ſiue erronea dictet eſſe mortale peccatum; ergò in eo euentu idem numero actus voluntatis erit prius peccatum veniale, & poſtea mortale. Antecedens patet, quia manente eadem appręhenſione bonitatis, quæ mouet ex parte obiecti, poteſt manere eadem volitio, quamuis mutetur dictamen conſcientiæ circa grauitatem peccati, quod à fortiori fatendum in doctrina Scoti, qui nullam rationem determinandi intellectui tribuit reſpectu voluntatis, & proindè quantumuis varia proponantur obiecta ab intellectu; ipſa tamen voluntas pro ſua libertate ſe determinat ad primò proſequendum, & amandum hoc obiectum potiùs, quàm aliud, ſimilitèrq; ad continuandum affectum circa hoc potiùs, quàm circa nouum. Confirmatur hoc: quoniam circa vnum, & idem obiectum mortale poteſt vnus, & idem numero actus voluntatis continuari; licèt in principio non pręceſſerit in intellectu ſufficiens deliberatio ad peccatum, & poſteà ſi ſemiplena deliberatio quæ ad veniale ſufficiat, & tandem poſtremo loco plena, quæ ad mortale ſit ſufficiens; ergò poteſt vnus, & idem numero actus voluntatis primò carere omni culpa, deindè habere culpam venialem, et tandem vltimò mortalem. Et hoc idem manifeſtè docet Scotus, licèt alijs verbis, quando quolibeto citato ait in art. 3. eundem numero actum poſſe elici à voluntate, qui prius ſit conformis regulæ rectæ, poſtea verò non, ſicut idem numero motus pro prima ſui parte poteſt eſſe velox, et idem pro ſecunda ſui parte tardus; hoc exemplum adducit Scotus, vt probet bonitatem moralem, idemq; de malitia morali ſe habere, vt accidentia, ſeù vt conditiones, vt ipſe ibi notat, & non vt differentias intrinſecas, & eſſentiales reſpectu actuũ, quamuis talis bonitas, ſeù malitia ab actu non tàm facilè ſecerni poſſit, ex quo actus raptim tranſeat, vel ſi maneat, manet communitèr cum eo ſua rectitudo, verba ſunt Scoti. Denique Confirmatur: Quia poteſt voluntas velle aliquam Creaturam citra Deum, & continuari eadem voluntas inordinatè volendo eãdem creaturam pluſquam Deum; Deindè poteſt in principio velle loqui verbum otioſum, non ordinando illud ad aliquem alium finem, & continuata eadem voluntate vellet ordinare ad fornicandum, vel ad aliquem aliũ finem peccati mortalis; ergò poteſt volũtas in principio peccare venialitèr, & continuare quouſue peccet mortalitèr.

Secunda verò pars, ſcilicèt, quod detur aliqua alia actio accidentalis ſaltem, breuitèr ſic probatur: quia vt actus interior mutetur de veniali in mortalẽ, neceſſe eſt, vel mutari conſcientiam, vel deliberationem, vel eſſe volitam aliquam nouam circumſtantiam, hoc autem contingere non poteſt ſine mutatione actus ſaltem accidentali, quia ſemper additur aliquod obiectum, & diuerſus eſt volitionis modus; ergò, &c. Si autem dicas, eo ipſo, quod detur iſta mutatio, & variatio iam eſt alius eſt; Negatur antecedens, ſicut enim idem homo ſucceſsiuè ſedet, & ſtat, per mutationem, & variationem accidentalem, ita variatur idem actus accidentalitèr, quando ex veniali fit mortalis his modis, quibus diximus, manet tamen idem actus ſecundum ſubſtantiam.

Fx quo infero idem dicendum eſſe de mutatione actus interni in eſſe moris; poteſt enim tranſire de veniali in mortalem ſine mutatione eſſentiali in eſſe moris, non tamen ſi ne aliqua mutatione ſaltèm accidentali; idemq; euenire poteſt in actu externo, & interno imperato à voluntate. Probatur eiſdem fundamentis, quibus præcedens dictum; quoniam in omnibus caſibus, quos ibi poſuimus manet in actu eadem malitia moralis ſecundùm ſpeciem, ergo eadem in indiuiduo ergò manet idem numero actus in genere moris. Prima conſequentia patet, quoniam nulla ratio eſt, cur ſi manet eadem ſpecie, non maneat eadem in iudiuiduo, quandoquidem non mutatur ſubiectum; ex quo etiam conſtat ſecunda conſequẽtia; quoniam actus voluntatis dicitur eſſe idẽ formaliter in genere moris, quatenùs habet tandẽ malitiã, aut bonitatẽ moralẽ.

Acce-

Digitized by Google

Accedat altera probatio: Idem actus elicitus voluntatis, qui prius erat peccatum veniale ex deliberatione, vel paruitate materiæ, redditur mortale peccatum adueniente deliberatione, vel extenſione ad grauiorem materiam, vt eadem numero viſio poteſt fieri clarior,& ad maiorem materiam extendi; ergò idem numero actus in genere moris,poteſt tranſire de veniali in mortalem. Antecedens conſtat. Conſequentia probatur, quia eiuſdem rationis eſt in eſſe moris actus ſemiplenè, & perfectè liber circa idem obiectum.

Quod autem hæc variatio, aut mutatio non fiat ſine aliqua mutatione, ſaltem accidentali, patet, quia vnum ex accidentibus actus in eſſe moris eſt, quod ſit veniale, aut mortale, ſuppoſito, quod actus ſit peccaminoſus; ergò actus moralis, & peccaminoſus manens idem, quantum ad eſſentiam variabitur in eſſe moris, quantum ad accidentia, tranſiens de veniali in mortale. Idem enim numero dicitur illud, quod habet eandem eſſentiam, licet non eadem accidentia.

Ampliorem Doctrinam, qua probatur quot modis peccatum veniale poſſit fieri mortale.

DIco primò. Peccatum veniale ex imperfectione actus, vel ex leuitate materiæ poteſt fieri mortale, perfecta deliberatione, vel additione materiæ, & mutatione conſcientiæ, ſi leuis materia æſtimetur grauis. Deindè peccatum veniale ex genere multiplicitèr poteſt fieri mortale. Primò, quando in obiecto peccati venialis finis vltimus conſtituitur; tunc autem in eo conſtituitur vltimus finis, quando quis ita appretiaret verbum otioſum, aut aliam ſimilem offenſam leuem, vt virtuosè talis appretiationis violaret graue præceptum, ſi id requireretur ad verbum otioſum, vel quid ſimile faciendo ſecundò,quando aſſumitur, vt medium ad peccatum mortale, vt verba laſciua ad fornicationem, tunc enim accipitur, & participat malitiam intentionis, & fit mortale. Tertiò propter mutationem conſcientiæ. Quartò ratione contemptus legis, vel Legiſlatoris; contemptus autem debet eſſe expreſſus, & formalis, qui tunc eſt, quando contempt eſt cauſa eius peccati committendi; nimirum, quia ideò quis præceptum viola quia præceptum eſt, ſeù quia ipſi, aut ſ periori præcipienti ſubjici non vult. Qui tò ratione periculi probabilis incidendi peccatum mortale, vt commercium cu muliere, ſi timeatur conſenſus in ſcrup lum.

Ex intentione autem, vel duratione actus elicitus voluntatis non poteſt fieri veniali mortalis; alioquin qui magna i tentione vellet iocosè mentiri,vel ob d lum iurare, vel imperfecta deliberatio occidere, peccaret mortalitèr, quod abſurdum: Hinc Seraphicus Bonauent ra in 4. diſt. 16. q.2. art.3.q.1. ait, veni le ex genere fieri mortale propter nimia libidinem, & complacentiam, nomine n miæ libidinis, & complacentiæ, non vu intelligere intentionem, vt male intell xit Vaſquez, ſed ſolùm illis verbis vu ſignificare Seraphicus Doctor, quod qu do veniale multum placet, ſæpè iteratu ideòq; inducit aliquod mortale, quia pl ra venialia inducunt ad mortale, non d ſpoſitione neceſſitatis, ſed pronitatis, infrà videbimus; vel ſolùm intendit pec catũ veniale ex genere fieri mortale pr pter nimiam libidinem, quia poteſt ade creſcere libido, & complacentia peccan di venialitèr in verbo otioſo,v.g. vt præ ferat hoc, quod eſt otiosè loqui ipſi De vt tale eſt peccatum mortale.

Ex dictis facilè deduci poteſt ſoluti ad fundamentum primæ ſententiæ, no enim voluntas mutatur de vno actu in a lium niſi mutato obiecto, in ratione obiecti motiui, poteſt autem perſeuerare eadem operatio elicita voluntatis manent eodem obiecto formali; ita vt volunta idem velit ex eodem motiuo, ſeù fine intrinſeco, quamuis varietur finis extrinſecus, vel cernatur de nouo obiectum eſſe prohibitum, aut cernatur in eo alia circumſtantia, quæ antea non cernebatur; quia operatio non variatur ſpecificè, aut numericè, niſi variato obiecto materiali, quod in ſeipſo attingit, vel formali ſub quo, & ratione cuius attingit materiale, quod non cernitur in fundamentis, & in caſibus poſitis.

Sed

Digitized by Google

Sed dices; ergò ſimili modo idem numero actus internus manens idem poterit diuerſas formalitates ſubire. Reſpondetur concedendo (quicquid alij notent,) poteſt enim vnus, & idem numero actus in eſſe naturæ alio tempore ſubire diuerſas formalitates in genere moris, ità vt nunc bonus, & meritorius, poſteà malus, & demeritorius, ſic poteſt etiã actus bonus elicitus, manens humanus, ſeù liber varijs modis bonitatem exuere, & induere malitiam, quod pluribus, & diuerſis modis fieri poteſt præter dictos. Primò quidem poteſt actus manens idem deſinere eſſe bonus non recipiendo malitiam in opinione aſſerente dari poſſe actũ humanum indifferentem in indiuiduo, vt ſi actus aliquis inſpicit erat bonus in indiuiduo, & accidentali circumſtantia finis extrinſeci, illæ ipſæ manens humanus ablata relatione in talem finem ſpoliatur bonitate, nullam inducens malitiam, poteſt autem actus elicitus indifferẽs in ſpecie habere finem, & motiuum extrinſecũ, quo redditur bonus accidentalitèr, ſi homo ad volendã delectationem ſenſibilem, vel honorem in re non prohita ſe applicet ex motiuo charitatis, miſericordiæ, vel alio ſimili. Deindè ſi talem honorem, & delectationem alio actu velit propter ſe ipſum, reddatur accidentalitèr bona ex cõcurſu alterius actus referentis eius obiectum in finem honeſtum, in his ergò actibus auferri poterit ille finis honeſtus, & tunc in opinione aſſerente poſſe dari actum indifferentem in indiuiduo; ille actus manebit indifferens in indiuiduo; in opinione autem negante dari poſſe talem actum indifferentem, ille actus idem, & humanus exuetur bonitate, & inducetur malitia, quod erit verum cum vtraq; opinione ſi actus ipſe elicitus in malũ finem extrinſecè referatur, applicantes voluntatem ad eius productionem ex malo fine, & hic eſt ſecundus modus, quo actus elicitus manens humanus poteſt exui bonitate, & deſinere eſſe bonus.

Tertius autem modus eſt, ſi actus bonus propter ignorãtiam inuincibilem fiat malus ex ignorãtia vincibili ſuperueniente manente eodem actu, vt ſi quis inuincibilitèr putabat rem eſſe ſuam, & ideò illa volebat vti propria auctoritate, poſteà verò id putet vincibilitèr, & culpabilitèr; quia non fecit dilgentiam, ſicut tenebatur, inquirẽdo veritatem in tali caſu idem actus eſt cum habeat idem obiectum, et eaſdem circumſtantias, ex bono autem fit malus, idemq; eſſet ſi eſſet ignorantia inuincibilis, & ſuperueniat ſcientia, & cogitatio vera de malitia obiecti, vel circumſtantiæ, idem ſi inuincibili ignorantiæ ſuperueniat vincibilis aliqua ignorantia, vt ſi quis inculpationem non cogitãs de malitia obiecti, vel circumſtantiæ, aut culpabilitèr non cogitat de tali malitia, neq; illam animaduertat.

Quartus modus eſt, ſi quis videat aliquid ineſſe obiecto, quod reddit ilud malum, & prohibitum, antea verò illud non videbat, quia in eo non erat; vel alia de cauſa; tunc enim actus humanus, qui erat bonus manens humanus fit malus.

Quintus ſi actus elicitus, qui habebat bonum obiectum, bonaſq; circumſtantias imperetur ab alio actu elicito, per illumq; referatur extrinſecè in malum finem.

Sextus modus eſt, ſi ipſemet actus de nouo elicitus prohibeatur, aut prohibitus iudicetur, & tantum continuetur ab homine, idemque erit ſi prohibeatur, aut prohibita cenſeatur eius intentio, aut extenſio, & cum eadem intentione continuetur.

Si autem contra hos modos obijcias. non poſſe permanere eundem numero actum in illis caſibus; Tùm quia mutata cogitatione, ſeù cognitione iam aliud amatur in obiecto principali, & ita neceſſario debet mutari actus; tùm etiam quia cum in intellectu non poſſit dari duplex actus, altè, quo proponatur obiectum, vt proſequendum, vt anteà proponebatur; alter verò quo iudicetur nunc eſſe prohibitum tale obiectum, non poteſt; etiam idem actus prior in voluntate continuari; & permanere; Tunc maximè, quia cum poſt illud iudicium; & cognitionem dari incipiat contemptus legis non poteſt nõ mutari voluntas. Reſpondetur poſſe quidem permanere eumdem numero actum in ſupradictis caſibus, nec rationes in cõtrarium adductæ aliquid vrgent; non prima, quia licèt demus accedente illa cognitione, aliud cognoſci, non ſequitur aliud amari: Siquidem fieri poteſt, vt id,

Digitized by Google

quod cognoſcitur ſit omninò malum, aut ipſa malitia,malum autem,vt malum,aut ipſa malitia, licèt de nouo cognoſcatur, non diligitur in ipſo, imò etiam ſi bonitas aliqua in ipſo obiecto detegatur, non oportet ipſam in ſe amari, & tandem dum mouetur voluntas circa obiectum ſub eadem ratione, quantumuis occurrant graues variæ tentationes, cogitationes, quæ contendunt diuertere affectum, aut retardare, ſemper manet idem affectus. Secunda etiam probatio nihil vrget, quia nihil obeſt, quominus in intellectu ſimul ſit illa duplex cogitatio, & notitia, imò quotidiè ita experimur, nam cum homo peccat, ita habet vnam cogitationem,quæ mouet ratione delectabilis ad peccandum vt ſimul ſit alia, & interdum aliæ, quæ contendunt voluntatem à peccato auertere. Deniquè ad tertiam probationem dicimus priorem voluntatem etiam poſt iudicium illud, & cogitationem poſſe continuari ſine expreſſo contemptu legis, qui conſiſtit in affectu expreſſo opponendi ſe legi, nec enim his expreſſius contemptus ſemper inuenitur, quoties qui ſciens eſſe legem,operatur contra illam, vt ſatis manifeſtum eſt.

DOCVMENTVM.

Docens modos, quibus veniale ſit mortale.

CErtum eſt, veniale ex inconſideratione fieri mortale addita conſideratione, certum eſt etiam, veniale ex paruitate materiæ fieri mortale; ſed hic quæritur, quando veniale ex genere ſit mortale, & hoc contingit pluribus modis.

Dico primò. Veniale fit mortale, ſi in eius obiecto conſtituatur vltimus finis. Ità Doctores, licèt varient in explicando, quomodo ponatur vltimus finis in obiecto veniali; puto tunc poni, quando ità adhæretur ei, vt quis ſe exponat periculo mortali, ne illud omittat; ità explicant Nauarrus perludio 9. num. 19. Sardus libro 2. cap. 13. num. 15. Angles in 2. diſt. 37. q. 9. art. 1. difficult. 3. hoc modo intelligitur Scriptura, cum videtur damnare appetitum honoris inanis gloriæ, &c. & ſimilia vt mortalia, vt Ioannis 5. Quo modo poteſtis credere gloriam ab inuic quæritis? ſcilicèt cum prædicta anim præparatione. Vndè Auguſt. 5. de Ciui 14. ait, vitium inanis gloriæ, tàm inim cum eſſe fidei, ſi maior ſit cupiditas glo riæ, quàm Dei timor, vel amor, vt dixe rit Dominus, Quomodo poteſtis creder &c. Ad hunc modum intelligitur Augu ſtinus cap. 3. dum dicit nullum peccatu eſſe veniale, quod non ſit mortale, du placet ei; & quod ait Bonauentura diſ 16. par. 2. qu. 2. ſcilicet veniale fieri mo tale per libidinem, vel complacentiam

Si quæras vtrum veniale ob rationem vltimi finis factũ mortale ſit alterius ſp ciei. Reſpondeo, ſi quis exponit ſe p riculo mortalis diſtincti ſpecie, ne illu omittat, mutat ſpeciem, ſecùs tantù peccat grauitèr contra eamdem virtutem contra quam eſt veniale, v. gr. plus co medo, quàm requiritur, quod eſt venial & præcipit ſuperior rigidè ne amplius co medam.

Dico ſecundò. Veniale ex contemp redditur mortale. In hoc conueniu omnes cum D. Thoma ſecunda ſecund q. 186. ad tertium, de quo Summiſtæ ve bo contemptus; ſed maxima varietas e in modo explicandi. Salas hic diſt. 16. a lios modos impugnat, & tandem rem in deciſam relinquit. Tria ſunt explicand Primum quotuplex ſit contemptus; ſecu dum, quid eſt peccare ex contemptu; te tium, quando ad mortale ſufficit contem ptus.

Circà primum contemptus eſt duple materialis, & formalis, primus eſt, quan do alter alteri in re poſponitur, licèt di rectè id non intendatur, quo ſenſu om mortali contemnitur Deus, vt notauit D uus Thomas in 4. diſt. 9. ar. 3. quæſtiunc. & hoc modo tranſgreſſio humani præcep vocatur cõtemptus capite honoratus 74 d. quod eſt Gregorij. Formalis eſt, quan do ad hoc tranſgrefferis, vt alterum de ſpicias, vel deſpici intendas; naſcitur e ſuperbia, & ideò inter eius filias ponitu ab Hiſidoro, dicitur inobedientia, qui ex contemptu interno oritur, & miſſus e medium, vt contemptor oſtendat ſe nihi facere ſuperiorem, ſemper enim oritu inobedientia, aut ex ſuperbia, & appetit excel-

Digitized by Google

excellentiæ, aut ex vili, & abiecta exiſtimatione Prælati.

Quoad ſecundum; Tunc peccatur ex contemptu, quando transgreſſio externa oritur ex imperio cõtemptus interni Prę lati formalis. Ita Caietanus verbò contemptus. Ratio huius eſt; quia actus externus accipit malitiam, ſaltem accidentalem ab interno; ideò enim externum furtum eſt contra caritatem, quia exterius voluiſti furari propter Mechiam, ſed tranſgreſſio in re parua, nec in actu externo, neque in interno, quatenùs in illa, ré paruam tendit, habet malitiam moralem; ergò ſi eam habet; ideò eam habet, quia oritur ab actu interno, qui eſt contemptus formalitèr, quo imperatur.

Quoad tertium diſtinguendum eſt cum Caſtro de contemptu Legiſlatoris, & rei præceptæ: ſi ſecundo modo contingat, modo res parua ſit, non contingit mortale, quia nec per ſe fit, nec per ſe intenditur iniuria Legiſlatoris niſi quoad rem paruam; ſi tamen huiuſmodi contemptus inuoluerit errorem in doctrina, mortalis eſſet v. g. ſi contemneretur Concilium Euãgelicum, quia parui illud exiſtimas, vel contemneres veniale, quia exiſtimas non eſſe dignum pœna; at quando contemptus eſt primo modo, tranſgreſſio in re parua; Si Deus ſit Legiſlator, mortalis eſt, & ſic vera eſt communis ſententia. Ratio eſt, quia grauis iniuria eſt nullo ſigno oſtendere condignam de Deo exiſtimationem, etiam ſi opus non eſſet vllo modo præceptum, ſed tantùm ex concilio, nam hoc omittere ne facias, quod beneplacitum eſt Deo graue eſſet peccatũ. Dices illum cõtemptum reſtringi ad rem paruam. Reſpondetur, eſto animo paratus eſſes non contemnere in re magna, (quod vix ſtare poteſt cum illa formali intentione) tamen intentio talis eſt grauis irreuerentia, & quaſi odium Dei; ſecundùm hoc intelligi poteſt illud Auguſtini, nullum peccatum eſt adeò veniale, quod non ſit criminale dum placet.

Idem videtur de contemptu Legiſlatoris humàni, vel Prælati, ſi contemnatur, quo talis. Ratio eſt, quia talis habet vices Dei, à quo poteſtaté habet, & ſi eius contemptus in Deum redundat, iuxta id Lucæ 10. Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Ex quibus ſequitur, malitiam ortam ex contemptu poſſe eſſe diſtinctæ ſpeciei à tranſgreſſione rei paruæ, ſecluſo contemptu; v. g. excedere in commeſtione, veniale eſt contra temperantiam; id tamen facere ex contemptu eſt irreuerentia Dei, vel contra Religionem. Vide de hoc Suarez de legib. lib. 3. cap. 28. Verum quando veniale fit mortale ex augumentatione materiæ, vel deliberationis non mutatur ſpecies, quia tunc contrariatur eidem virtuti.

Dico tertiò. Veniale erit mortale, ſi ſumatur, vt medium ad mortale. Res eſt clara, & idem eſt, ſi id, quod aſſumitur, ſit bonum indifferentèr, quia inficitur malitia finis.

DOCVMENTVM.

Docens, Vtrum idem actus numero, qui eſt veniale, ſuſcipere poſſit malitiam mortalis.

NEgat D. Thomas hic, Corradus, Altiſiodorenſis lib. 2. Sũmæ Tract. 28. cap. 4. q. 2. Alenſis prima parte qu. 19. memb. 8. & alij.

Dico primò. Idem numero actus externos poteſt de veniali fieri mortalis. Ità omnes Doctores: quia idem actus poteſt fieri de nouo malus, & è contra. Ratio eſt, quia mutatur dictamine, ſumit bonitatem, vel malitiam.

Dico ſecundo. Idem numero actus internus poteſt tranſire de veniali in mortalem. Ratio eſt primò; quia actus malus, quem inchoaui cum ſemiplena deliberatione, poteſt continuari cum deliberatione plena. Secundò: Si inchoarem actum ſine vlla malitia, poſita intellectus notitia de præcepto prohibente, poſſem eum cõtinuare, quo caſu fieret de non malo malus; ergò poteſt fieri à fortiori de minus malo, magis malo. Dices ſaltem hic fieri mutationem in eſſe moris; Verum eſt, quia de veniali fit mortalis, ſed mutatur ſpecies moris.

Dico tertiò. Actus internus venialis ex obiecto proprio non tranſit in mortalem per appoſitionem noui finis mortalis. Ratio eſt, quia ille actus iuternus ex ten-

Digitized by Google

dentia in ſuum obiectum proprium, atque adeò ſi mutatur obiectum perit actus, qua ratione ſi volo pœnitere, vt ſatisfaciam Deo pro quanto, ſi muto obiectum formale, muto illud velle, de quo ſupra. Obijcies. Mortale proportionabilitèr excedit veniale; ergò nunquam tranſit in illud. Reſpondetur, veniale, qua tale nũquam fieri mortale, ſed actus creſcere poteſt in libertate, cognitione, & quantitate obiecti, vt ei aduenire poſſit malitia mortalis, & deſinat actualis malitia venialis; ſi verò malitia adueniat à fine extrinſeco, ſimul manebit malitia venialis, vt ſupra tetigi.

DOCVMENTVM.

Docens plura venialia non facere vnum mortale.

SVnt pro noſtro documento D. Thom. hic, Scotus in 4. diſt. 21. Vega 14. in Trid. 11. Vaſquez diſput. 146. Probatur ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. vbi abſolutè ait in iuſto eſſe venialia, quod Patres, & Scriptura teſtantur. Multa eſſe in iuſto, colligitur ex illo; in multis offendimus omnes, & ex illo; Septies in die cadit iuſtus; ergò plura venialia non faciunt vnum mortale. Secundò. Alius teneremur confiteri venialia. Tertiò: Veniale mæretur pœnam finitam; mortale infinitam; ſed finiti ac infinitum nulla eſt proportio, &c. quod dixi de pœna infinita, intellige ſecundum durationem, non autem ſecundum intenſionem. Quartò: ſi certus aliquis numerus venialium faceret mortale cum ſit ignotus nobis, ſequeretur, quod quandocumque poſt primũ, & ſecundum veniale peccaremus, mortalitèr peccaremus, quia exponeremus nos periculo mortalis.

Obijcies malitia peccati mortalis eſt finita; ergò malitia venialis multiplicata adæquabit eam; patet ſequela, quia finiti ad finitum eſt proportio, quando ſũt eiuſdem ſpeciei, & hic: Reſpondetur, licet hæc duo peccata ſint; quandoq; ex obiecto eiuſdem ſpeciei, tamen quatenus mortale ſoluit Dei amicitiam, & damnat ad gehennam, nam improportionabilitèr excedit veniale: ſic calor vt octo, quatenus eſt diſpoſitio ad formam ignis improportionabilitèr excludit calorem, vt quatuor; Ita Seraphicus Bonauentura in 2. diſt. 42. art. 2. quæſt. 2.

Obijcies. Qui furatur ſingulis diebus vnum aſſem, quando ſumma erit notabilis peccat mortalitèr, & tamen ſingula furta erant venialia: Idem eſt de eo, qui vouit quotidie recitare vnum Aue Maria, vel dare vnum carolenum pro eleæmoſyna. Pro ſolutione ſit.

DOCVMENTVM.

Docens, quando peccat mortalitèr, qui multa furta venialitèr facit, vel qui multas paruas eleæmoſynas, vel preces præmiſſas omittit.

DIco primò. Qui furatur magnam quantitatem poſt parua furta mortalitèr peccat. Idem eſt de omittente multas preces, & eleæmoſynas præmiſſas, ſi id intendat; nec refert, quod nulli in particulari inferatur notabile damnũ; aliàs furans viginti aureos à Rege, vel modicum tritici ex immenſo granario nõ peccaret mortalitèr. Quarè fallitur Angeſtus 5. moralium 9. §. 3. quem ſequitur Lorcha Diſput. 60. oppoſitum tenens: quia præbet occaſionem diteſcendi bonis alienis, vtendo falſis ponderibus, & menſuris; contra id Prouerb. 11. Statera doloroſa, abominatio eſt apud Deum.

Dico ſecundò. Qui ſine tali intentione poſt aliqua furta parua accipit aliquid quo completur materia ſufficiens ad mortale, id non aduertens ex ignorantia leui, non peccat mortalitèr. Ita Vaſquez ſupra cap. 2. Ratio eſt, quia materiæ mortalis, acceptio non eſt voluntaria.

Tota difficultas eſt in ſoluendis rationibus in initio poſitis, non eſt enim vna, & eadem ſoluendi ratio, in omni autem ſententia certum ſupponi debet, quod ſi quis furetur rem paruam cum propoſito, aut intentione multoties furandi vſq; ad magnam quantitatem: in tali caſu furtum rei paruæ eſſet mortale, ratione intentionis, & voluntatis, prædictæ. Difficultas igitur

Digitized by Google

igitur ſolum eſt in caſu, quando ſcilicèt ex multiplicatione furti facta eſt materia grauis reſtitutionis ſufficiens ad mortale; hoc in caſu Medina, & cum ipſo Nauarrus in Summa cap. 17. num. 140. dicunt eum, qui ſine animo furandi notabilem quantitatem, paulatim aliquibus furtis minimis deuenit ad quantitatem notabilem, numquàm peccaſſe mortalitèr in furto, deberet tamen ſub peccato mortali reſtituere totam illam quantitatem.

Hic tamen modus dicendi non mihi probatur ſufficiens, quoniam furari,& retinere rem alienam, aut non reſtituere, vnum, & idem numero peccatum eſt continuatum, & contra idem præceptum; ita quod qui furatur, quando non reſtituit non ſolum eſt in peccato per modum habitus, ſed toto illo tēpore actualitèr peccat peccato omiſſionis; ergò vel illud vltimum furtum erit peccatum mortale, (ſiquidem ratione illius tenetur reſtituere, vel iam ex pluribus furtis, quorum ſingula ſunt peccata venialia,) vt hæc ſententia pluribus venialibus coaleſcet vnum mortale.

Secundus modus dicendi eſt, quod in prædicto caſu vltimum furtum, per quod completur materia grauis, ſit peccatum mortale; in quod ſi ſit materia ſufficiens ad mortale, v.gr. vnum ducatum,& furetur quis decem vicibus decem carolenis, vndecimum furtum vnius caroleni erit peccatum mortale; quamuis illud furtum per ſe, ſit rei aliàs leuis, & quæ erat materia peccati venialis, tamen ſuppoſitis alijs furtis, illa materia eſt grauis, & ſufficiens inferre damnum notabile, quia per tale peccatum materia illa conſumatur, & completur, & ad peccatum mortale ſufficit ponere, vel complere, & conſumare materiam grauem. Ita Pater Corduba in ſumma quæſt. 7. Medina eod. de reſtitutione quæſt. 10. Scotus lib. 5. de iuſtitia, & iure quæſt. 3. art.3. ad tertium, & in 4. diſt.22. q.1. ar.2. caſu 3.

Iſte modus magis placet,magiſq; communis eſt, quàm primus, hic admittendus, vt tamen intelligatur, duo ſunt obſeruanda; primum eſt ad hoc, vt ſit peccatum mortale illud vltimum furtum, quod aliàs erat de re leui; requiritur, vt aliquo modo continuetur cum præcedentibus continuatione quadam morali, continuatur autem hoc modo, ſi non ſit facta reſtitutio eius,quod ablatum eſt per priora furta, nam in tali caſu materia vltimi furti ſit grauis, vel propter damnum notabile, quod infertur proximo per illud, vel quia iam eſt acceptio, & retentio rei grauis. Secundò obſeruandum eſt, poſſe contingere extra hos caſus, vt res leuis, quæ aliàs erat materia peccati venialis fiat materia peccati mortalis propter damnum, quod ex illius ablatione infertur vero Domino, v.gr. ſi accipias ab artifice inſtrumentum parui pretij, quod tamen eſt illi neceſſarium ad exercitium ſuæ artis, & ad ſui ſubſtentationem peccat mortalitèr, propterea, quod illi infert damnū notabile per ablationem rei parui pretij. Et idem dicendum eſt in propoſito de illo,qui poſt decem furta miſit vndecimum rei aliàs leuis, tamen quæ complet tunc materiam grauem ſuppoſitis alijs furtis, quia tunc vuult illud retinere cum reliquis, quæ prius furatus fuerat, ac proindè habet animum retinendi notabilem quantitatem inuito Domino, quod ſine dubio eſt mortale. Si autem dicas, quod per hoc, quod multiplicentur verba otioſa, nunquam ſit materia grauis ad hoc, vt verbum otioſum ſit peccatum mortale; ergò idem dicendum eſt de furto. Reſpōdetur negando conſequentiam, quia verbum otioſum, quod vltimò dicitur non continuatur cum præcedentibus continuatione illa morali, quam dicimus; & propterea nunquam ſit verbum otioſum materia grauis, etiam ſi præſupponat alia, quemadmodum ſit materia grauis furti, quæ aliàs, erat leuis, non ſit autem materia grauis per verba otioſa, & ſimilia, quia vt ait Azorius tomo primo, libro quarto cap. 9. quæſtione 22. materia in his non creſcit per partes, quia ſingula peccata per ſe integram materiam, & obiectum habet, cuiuſmodi ſunt mendacia leuia, leues nugæ, riſus immoderatus,ſermo inurbanus, abſurdus ſonus, intempeſtiuus inceſſus.

Pro pleniori tamen prædictæ doctrinæ, & rationis dubitandi ſolutione, aliquas difficultates diſſoluere licet, quibus illa magis explicabitur. Prima eſt, ſi cum homo committit vltimum furtum habet

animum

Digitized by Google

animum citiſſimè reſtituendi, non peccat mortalitèr, quia acceptio rei alienæ non eſt mortalis, quando fit animo reſtituendi illam in cito, vt ratione abdicationis non inferatur Domino damnum alicuius momenti. Altera difficultas eſt, quod ſi cum homò furatur vltimum carolenum,iã conſumpſerit omnia, quæ prius ſurripuerat, nec habet vndè ſoluat, non peccat mortalitèr, dummodo habeat animum reſtituendi, ſi fortè aliquando peruenerit ad ſufficientem fortunam; & probatur, quia in hoc vltimo furto ſolũ poteſt peccari mortalitèr, eo quod inuito rationabilitèr Domino, velit fur retinere ſaltèm ad longum tempus notabilem quantitatẽ; id autem modo prædicto non contingit; nam ipſe in vltimo furto ſolum vult carolenum retinere, & poteſt dolere de furtis præteritis, carolenos autem priores acceptos, non vult retinere inuito rationabilitèr Domino; ipſe non poteſt modo ſoluere, & paratus eſt ad ſoluendum cũ primum poterit; ergò modo non infert proximo grauem iniuriam, ac proindè non peccat mortalitèr. Ex præcedenti doctrina poterit inferri primò (vt benè notauit Læſius 2. de Virtutibus cap.12.dubio 8.) maiorem quantitatem requiri ad peccatũ mortale, quando talis quantitas per magna interualla collecta eſt; vndè ſi ille mortiferè peccat, & ad reſtitutionem ſub mortali tenetur, qui induſtriam ab eodem aufert decem ſimul, vel per partes requirantur quindecim, vel ſexdecim, vt quis ſub mortali teneatur reſtituere, acquiſitũ per minima furta fortuita, præſertim ſi longis interuallibus ſint facta;addunt alij, quod ſi per interualla trium, vel quatuor annorum familiaris, vel extraneus per ſe, vel alijs furta iſta committeret, non peccaret mortalitèr, niſi quantitas eſſet duplo maior, quàm alioquin eſſet ad mortale requiſita.

Præterea, quando quis à pluribus ſurripit magnam quantitatem in furto leui, complente notabilem quantitatem peccat mortalitèr, & tenetur ſub mortali ad reſtitutionem, quod cũ diſcrimine, & limitatione declaranda intelligendum eſt; duplicitèr enim poteſt hoc contingere, vel intendendo per hæc minima furta diteſcere, & acquirere magnam, ſeu notabilem pecuniæ quantitatem, vel ſecluſa hac intentione ſolùm occaſionalitèr curando, de veniendo ad notabilem quantitatem, & in vtroque caſu eſt peccatum mortale, cum diſcrimine tamen, nam in primo ſcilicet quandò quis ſic paulatim curãdo diteſcere intendit, in hoc inquam caſu etiã furta parua ſunt læthalia peccata ſaltem per extrinſecã denominationẽ,quia procedũt ex intentione mortifera,ſuntq;eius exequutiones partiales; ideò enim furta iſta committit, vt paulatim ad magnam quantitatem perueniat, quod autem fit ex intentione mortali, mortale eſt. Notat autem Læſius ſupra dubio 17. in ſingulis non committi nouum peccatum mortale, ſed continuari inceptum, omnes enim illæ acceptiones, & detentiones acceptorũ cenſetur vna continuata exequutio illius prauæ voluntatis, & quamuis quælibet voluntaria acceptio intrinſecè ſit peccatũ veniale, in denominatione extrinſeca eſt peccatum mortale, vndè fieri poteſt, vt his, qui ſic furatur non magis peccet, ac ſi vno actu eandem quantitatem fugaretur, ſed potius minùs ſi cætera ſint paria, iuxta quam Doctrinam ex pluribus peccatis externis intrinſecè,& per ſe nõ mortalibus, ſed venialibus conflatur vnum mortale, quando quodlibet extrinſecè eſt mortale, quia fit intentione conſtituendi ex illo, & alijs vnam notabilem quantitatem. Huic doctrinæ conſonat, quod ait Toletus lib.5. Summæ cap.16. numer.4. ſcilicèt, quod quando is, qui furatur accedit cum animo furandi notabilem quantitatem, & quia paruam inuenit, paruam furatur,eſt peccatum mortale non ratione furti, quia etiam ſi nihil inueniret, eſſet mortale, ſed ratione animi, cum quo accedit, quibus verbis vult Toletus furtum rei paruæ etiam in eo, qui magnam furari intendebat non eſſe mortale in ſe, ſed in ſua intentione, & idem diceret, ſi magnam ſummam inueniſſet, quam paulatim furaretur,ſcilicèt furtũ non eſſe mortale in ſe, ſed in ſua intentione. Alitèr contingit in alio caſu, quando ſcilicèt ſecluſa hac intentione ſolùm occaſionalitèr furatur quis magnam quantitatem, tunc enim ſolum vltimum furtum eſt peccatũ mortale; quia per illud completur quantitas obligans ad reſtitutionem; & hoc

ſiuè

Digitized by Google

ſiuè illud furtum ſit ab vno, ſiuè à pluribus, dummodò non fiat per magna interualla, quando à pluribus fit, quia in tali aduertunt aliqui Doctores maiorem quãtitatem requiri, quando quis à diuerſis minuta furatur, quàm quando ab vno; quia illi diuerſi parùm læduntur, & minus rationabilitèr ſunt inuiti, & parum curant rerum modicarum caſu ſurrepturum reſtitutionem, vndè veriſimile putant non eſſe mortale, ſi quis à magna Ciuitate minùs vno aureo ſic furaretur ſi ſimplex fur eſſet, nam ſi falſato pondere, & menſura furaretur, minor quantitas ſufficit ad mortale, & ad obligationem reſtituendi ſub mortali, quia violator iuſtitiæ, & fidei publicæ eſſet, & rationabilitèr magis eſſent inuiti Ciues de illo furandi modo. Imò addunt alij, (quod egò probabilius puto) quod quando damna illa parua diuerſorũ à ſimplice fure commiſſa per magna interualla temporis ab eodem facta ſunt, licèt notabilem quantitatem conficiant, talem furem non peccare mortalitèr in illo vltimo damno complente notabilem quãtitatem, & idem dicunt in diuerſo genere negotij, vel ex diuerſo fine illata ſunt, quia ex oppoſito innumeri Confeſſariorum, & pœnitentium ſcrupuli orirentur, cum nemo ſit (præſertim artifex) qui ſimilia damna tùm in rebus fortunæ, tùm in fama plurimis non intulerit, quæ ſimul ſumpta notabilem damnum efficerent.

Secũdò infertur, quod ſi quis furaretur leuem rem ab eo, à quo prius alij furati etiam res leues, nihilominus leuis completã eſt grauis materia ſuppoſitis aliorũ furtis; iſte vltimus peccat mortalitèr. Obſeruanda tamen ſunt duo. Primum eſt, ad hoc, quod iſte vltimus peccet mortalitèr debet eſſe conſcius priorum furtorũ. Rurſus, quod ſuppoſitis aliorum furtis, parua quantitas, quam ipſe furatur compleat grauem quantitatem ſufficientem ad damnum notabile proximi. Secundò obſeruandum eſt, quod ad iſtud furtum per accidens eſt, quod præceſſerint alia furta, ſolum requiritur, quod inferatur notabile damnum per furtum iſtius rei, aliàs paruę; vnde etiam ſi nõ præceſſiſſent aliorũ furta, tamen per furtum rei aliàs paruæ fiat notabile damnum proximo peccatũ mortale eſt, vt diximus de illo, qui furatur inſtrumentum parui pretij ab Artifice. Ad rem ergo noſtram ſi præceſſerant alia furta parua ab alijs cõmiſſa, & accedat alius ad furandam etiam rem paruam, ſciens, aut ſcire debens, quod per ablationem illius rei paruæ ſuppoſitis alijs furtis compleatur damnum notabile, iſte peccat mortalitèr.

Tertiò quid dicẽdum erit in caſu, quod plures accedant ſimul ad furandum, quorum quilibet furetur in parua quantitate, tamen ex omnibus fiat notabile damnum? Reſpondeo, quod in iſto caſu, ſi fiat communi concilio, & ex certa ſcientia, quilibet illorum peccat mortalitèr, & tenetur ſub mortali totum, ſeù inſolidum reſtituere, ſi alij non reſtituant, quia quilibet tunc eſt cauſa totius damni; idem eſſet, ſi quis nihil per ſe acciperet, ſuo tamen pręcepto, vel conſilio alios ad damnum notabile per modicas partes inferendum, induceret, ſiuè eodem tempore, ſiuè diuerſo, ſecùs verò eſt, ſi id caſu fiat, vt alter alterius non ſit conſcius, tunc enim nemo mortalitèr peccat, nec ſub mortali tenetur ad reſtitutionem, quia nemo eſt cauſa faciens, aut ſcientèr, aut cum ignorantia notabilitèr culpabili conſumans notabile damnum. Tandem, quando plures furantur ſimul, aut ſucceſſiuè, quorum vnus accipit notabilem quantitatem, & aliud accedit, qui furantur rem paruam, quamuis priores peccent mortalitèr, quia ſinguli illorum accipiunt quãtitatem ſufficientem ad mortale, tamen ille alius accipiens quãtitatem paruam peccat venialitèr, dummodò non adiuuet alios ad maiora furta, idemque dicendum, quando vnus non fuit cauſa, vt cæteri damnum inferrent.

Sed cõtra noſtrum corrollarium inſurgit Salas prima ſecundę to.2.par.13.diſp. 16. ſeſſ. 27.diffic.6.dec.3.quia ſi illud eſſet verum, ſequeretur, quod qui carolenũ furaretur à Rege, à quo multi magna furãtur, mortalitèr peccaret, maximè quãdo dubitaret, an illo leui furto aliquod notabile damnum Regi conſumaretur, ex multis, quæ illi inferuntur; ſed illæ cum alijs infert notabile damnum; ergò ſimilitèr quãdo alij per ſe non inferunt notabile

bile damnum, ſed partem eius, hic, qui parum furatur, non peccat mortalitèr. Confirmatur hæc ratio, quia aliorum peccatum, cuius ego non fui cauſa, mihi nocere non debet, eo quod illud nouerim: ſed ſi mihi non innotuiſſet peccatum alterius, præſens præteritum, vel futurum non peccarem mortalitèr in illo modico furtu nec tenetur ſub mortali reſtituere; ergò nec cum innotuit, maximè ſi damnum nō ſibi illatum, ſed inferendum alijs, tunc enim non ego, ſed illi conſumarunt notabile damnum, ego autem illud inchoaui.

Hæc tamen nihil ſunt, quominus veritas prædicti Corrollarij tenuatur. Reſpōdetur ergò negando inſtantiam poſitam in maiori, ſimilitèr etiam negatur minor, & ex conſequenti paritas, quam intendit: ratio autem, eſt diſcrimen, quod inter hæc reperitur, nam ille, qui carolenum furatur à Rege, à quo multi magna furantur, ſolum peccat venialitèr, quia talis non ſe habet, vt cauſa partialis reſpectu notabilis damni furtorum præcedentium, & materia illius venialis, nequit cū materia præcedentium mortalitèr continuari; cum vna ſit materia peccati mortalis, altera verò venialis, nec in hoc poteſt aliquis rationabilitèr dubitare; ſecus verò ſe habet res, quando quis furatur ſciens ſuo furto etiam paruo conſumari, & compleri materiam grauem ſuppoſitis alijs furtis leuibus, tunc enim vult alteri damnum notabile inferre, & tale etiam furtum cenſetur mortalitèr continuari cum præcedētibus. Per quod patet ad confirmationem, ex eo enim, quando ego ſciam per meum furtum damnum notabile proximo inferri, ſiuè conſequentèr ad alia furta, neceſſariò teneor non cooperari tali furto, quod prædicti damni cauſa eſt; alitèr enim; vt concauſa cum alijs ad prædicta furta, & damna cōcurrere, & ita tamen ab inchoatione, ſicut à conſumatione talis damni, debeo abſtinere.

Petes, an doctrina tradita, tantùm ſit vera in materia iuſtitiæ, v.g. in furto? Reſpondetur etiam in alijs materijs eſſe veram, v.g. in materia temperantiæ; poteſt enim contingere, vt commeſtio rei paruę ſit peccatum veniale, quia leue nocumentū inferat ſaluti; nihilominus tamen poſt multas commeſtiones intemperatas, poteſt eſſe aliqua, quæ quamuis ſit rei aliàs paruæ, & quæ poteſt non nocere ſaluti; tamen ſuppoſita alijs, illa vltima notabilitèr noceat, & in tali caſu erit peccatum mortale, ſicut dictum eſt de vltimo furto, aliàs paruo. Hoc ipſum magis conſtat, & declaratur in tranſgreſſione ieiunij; certū enim eſt, eſſe peccatum mortale ſępiùs in ieiunijs die modicum quid comedere, quia cum ſit eademmet dies, continuantur moralitèr illæ commeſtiones; ita vt efficiant vnam notabilem; ſecus autem eſſet, ſi in diuerſis diebus ieiunij parū quiſpiam ſingulis diebus illis comedet: quia materiæ illæ paruæ tunc non continuantur, atque idem eſſet, ſi efficerent, vt diuerſi comederent in die ieiunij parum, tamen ſinguli, & omnium quātitas eſſet notabilis; non enim peccaret mortalitèr, quia deficit vnius materiæ cum alia modica continuatio. Similitèr etiam philoſophari licèt in feſtorum obſeruatione; ſi quis enim diſtinctis vicibus eadēmet feſti die ſeruilia exerceat, ità vt ſingulis vicibus parum temporis conſumat, & totum tempus ſit notabile, peccabit lethalitèr, ſecus ſi in diuerſis diebus, etiamſi habeat propoſitum ſingulis diebus paruo tempore laborandi ob eandem dictam rationem. Idem tandem dico de illo, qui vouit dare quotidiè paruam eleæmoſynam, aut recitare ſalutationem Angelicam; poſt multas enim omiſſiones, aut tranſgreſſiones illorum votorum, peruenire poteſt ad aliquā, quæ ſit peccatum mortale. Sotus tamen libro 7. de iuſtitia, & iure quæſt. 2. articulo primo columna 4. Aragon ſecunda ſecundæ quæſt. 88. art. 3. concluſ. 3. inter vtrumque votum diſtinguunt, & dicunt nō eſſe mortalem, omiſſionem longam illius modicæ orationis, ſecus verò de illo modicæ eleæmoſynæ voto; quod diſcrimen ex eodem deducunt, quia oratio vno die prætermiſſa, non eſt neceſſariò alio die implenda; ſecùs de eleæmoſyna, ideòq; preces omiſſæ non coadunantur, benè tamen eleæmoſynæ, hoc tamen non obſtat, quominùs idem in vtroque voto dicendum ſit, oportet enim diſtinguere; nam ſi vota illa quotidie recitandi modicum, aut modicæ eleæmoſynæ quotidiè erogādæ, ſint facta in honorem Dei, & tempo-

ris,

ris, tunc non eſt mortale, etiam ſi vota hæc ſemper violenta, at ſi non ſint in Dei honorem, ſed tantùm dies præfigatur, vt terminus, ne vltra illum exequutio voti differatur: tunc licitè ſingulis diebus ſit omiſſio venialis, tanquam in modicæ ommiſſio; attamen dum notabilem orationis, aut eleæmoſinæ omiſſio, quantitatem attingit erit mortale; & ratio eſt, quia in priori caſu ſingulorum dierum lapſa extinguitur obligatio pro illis diebus, ac pro indè ille voti modicæ omiſſæ non extinguitur, ſed ſemper tranſit in alium, & alium diem, donec actum impleatur, quare materiæ illæ omiſſæ, tanquam adhuc debitæ, continuantur, ac proindè cum materia omiſſa notabilis euaſerit, erit culpa læthalis.

Ex dictis facilè deduci poteſt regula certa ad dignoſcendum, quando plures materiæ paruæ ita in vnam coniungantur, & coaleſcant, vt materia grauis euadat, & ità peccati mortalis ſufficiens materia conſtituatur, quotieſcunque enim parua poſtremi venialis materia, nequit cum præcedentium materia moralitèr cōtinuari ita effectus relicti continuari moralitèr poſſunt, tunc multiplicatio trangreſſionum præcepti in materia parua nō conſtituit materiam grauem, & culpam læthalem. Secus verò, quando materiæ paruæ, aut effectus ab eis relicti moralitèr continuantur; Ratio eſt, quia cum in priori euentu omnes illæ materię diuerſæ ſint, nec in vnam coaleſcant, nec effectus ab eis producti nequeunt conflare grauem materiam, ſed ſingulæ diuiſæ manebunt, & ita paruæ, at cum in poſteriori caſu materiæ, vel effectus vniantur, notabilis materia euadet.

Ex eatenùs dictis patet ſolutio ad rationes dubitandi. Ad tertiam ex D. Auguſtino, & Gloſſa deſumptum comunis eſt reſponſio, Diuum Auguſtinum ſolum intēdere venialia neglecta, & multiplicata ſolere per modum cauſæ diſpoſitiuæ efficere, ſeu inferre aliquod mortale; & hanc eſſe eius mentem planè colligitur ex illo loco, maximè tamen ex libro pœnitentiæ Medina cap. 2. & 3. & de vera; & falſa pœnitentia cap. 2. & 8.

DOCVMENTVM.

Diſputans de paruitate materiæ.

HÆC eſt materiæ, paruitatis vis (inquit Sanchez lib. 1. Summæ cap. 4. num. 1.) vt quodcumque mortale ex genere faciat in veniale tranſire; quippe vbi locum habet paruitas materiæ, ibi eſſe nequit, niſi modica offenſio.

Paruitatem materiæ in odio Dei, in eiuſdem contemptu, & infidelitate in periurio aſſertorio, in ſimonia, alijſque ſimilibus, quibus adde caſtitatem, paruitatem materiæ non reperiri, ſuppono eo quod quomodocumque in his peccetur, ſemper habetur maxima, vel rerum ſpiritualium, vel Dei, infinitè tùm amabilis, tum obſeruabilis, tùm veracis irreuerentia, vt optimè ex Nauarro Suarez, & Vgolino notat Sanchez. At in iniuſta acceptione, tum rerum temporalium retentione, non inuenitur ratio, cur ſedem nō habeat paruitas tàm materiæ, ratione cuius regularitèr loquendo, qui iniuſtam retentionem, ſeù acceptionem fecerit, ſolùm venialitèr peccet, qua etiam ratione teneatur ad reſtitutionem ſub veniali ſolum. Scitum volo, me notantèr dixiſſe (regularitèr loquendo, quia ex circūſtantijs poteſt iniuſta aliqua materiæ leuis acceptio eſſe culpa mortali; caſus eſſet, cū quis à paupere Sartore ſurriperet acum, indèq; ſequeretur, vt per diē à ſuæ artis exercitio vacās, quantitatem aliquā pecuniæ non lucraretur ſufficientem ad ipſius manutentionē. Tùm etiam, quia vna leuis materiæ acceptio, ſi non ſemel fiat, quinimò talitèr replicetur quoad vnam notabilem materiā, multæ leues materiæ conficiant tunc vltima materiæ leuis acceptio, qua ad materiam grauē pertingitur, culpa erit mortalis; etenim, etſi, quando materiæ leues nequeunt moralitèr, neque inter ſe, neque in effectu, quem relinquunt, coniungi, nunquam poterit ex multiplicata tranſgreſſione in materia leui committi culpa mortalis: eo quod ſingulæ tranſgreſſiones in ſe diuerſæ ratione materiæ ſint leues, & cum non poſſint coniungi ad cōſtituendam materiam grauem, ſemper manent leues, vt notat Vaſquez par. 2. q. 146

 cap. 2.

Digitized by Google

cap.2. num.3. & 4. Tamen cum ita coniungantur, vt ratione effectus, quem reliquerunt, vel materiæ, quam conſtituunt, grauitas aliqua habeatur, non erit leuis, aut venialis culpa, ſed grauis, & mortalis, vt etiam Vaſquez loco citato, ex cuius doctrina Sanchez à nu. 10. multa deducit in materia intemperantiæ, obſeruationis feſtorum,voti,iuramenti,paupertatis religioſæ, & furti.

Primò infert grauitèr peccare contra temperantiam, qui in eodem die ieiunij ſæpiùs modicum quid comederet, ita vt ad grauem materiam perueniret; non tamen ità, quando in id diuerſis operaretur diebus, & ſi ſint omnes dies ieiunij; vel quando in vna die faceret, vt multi magnam quantitatem inſumerent cibi,ità tamen, vt ſinguli modicum quid comederent. Ratio indè eſt petenda,quia in primo caſu modicæ illæ ſumptiones moralitèr coniunguntur,& conſtituunt materiam notabilem,& notabilitèr reficiunt ſumentem; at verò in reliquis caſibus ratione diuerſitatis,vel dierum,vel hominum comedentium ſumptiones illæ moralitèr nõ coniunguntur, ideòq; ſemper remanent, ſicut ſunt ab inuicem diuerſæ, nimirum materiæ leues,& conſequentèr culpæ veniales.

Secundò monet, mortalem incurrere culpam, qui in vno die feſto, ſæpius diſtinctis vicibus ad opera ſeruilia ſe applicat, ita vt ad opus notabile aſcendat; ſecus enim ſi in diuerſis feſtiuis diebus modicum quid in ſingulis diebus talia opera exerceret, vel eius imperio pro eodem die feſto multi ſimul per tempus modicũ laborarent. Inſuper monet, nec peccaret mortalitèr ille,cui eſſet propoſitum laborandi in ſingulis diebus modicũ quid, eo quod per tale propoſitum finis pręcepti notabilem non indueret offenſionem; quippè finis præcepti,obſeruationis feſtorum eſt, vt Deo vacemus, qui autem ſingulis feſtis modicum per tempus ad opera ſeruilia ſe applicaret, à fine præcepti minimè aberraret notabilitèr.

Inſuper concedit,eum, qui habens votum, ſeù iuramentum, vel ſingulis diebus vnam Salutationem Angelicam dicendi, vel ſingulis diebus erogandi pecuniã pro eleæmoſyna non in honorem Dei læthalem induere maculam cum peruenerit ad omiſſionem notabilis quantitatis, vel pecuniæ erogandæ, vel faciendæ orationis; non vult tamen eum induere lethalẽ maculam, ſi iurauerit, vel votum fecerit recitare Salutationem Angelicã, vel modicam ſingulis diebus in honorem Dei eleæmoſynam erogare. Talis aſſerti, eſt ratio, quia quando fit votũ, vel iuramentum Angelicam recitandi Salutationem, & in Dei honorem erogãdi eleæmoſynã tranſacta die ceſſat obligatio pro illa die & conſequentèr recitationis omiſſio nõ eſt ſatis ad conſtituendam materiam grauem pro peccato mortali, & continuari cum omiſſionibus aliorum dierum ſequẽtibus, hinc non peccabitur mortalitèr, ſicut nec mortalis habetur tranſgreſſio, cum quis obligatus voto in honorem Dei ſtatuit ſe nunquam Salutationem Angelicam velle recitare orationem: quia proponit facere pluries tranſgreſſionem in leui materia, quæ multiplicitas numquam coaleſcit in vnam, ad vnam grauem conſtituendam materiam. Si verò ſolus dies, vt terminus apponitur,ſcilicèt ne exequutio voti, aut iuramenti vlterius differatur, tranſlata die, in qua Angelica Salutatio minimè fuerit recitata, vel non erogata modica eleæmoſyna,perſeuerat viua obligatio recitandi, & erogandi, & conſequentèr coniũgitur cum ſequentibus omiſſionibus ex quarum ad inuicem copula, materia graui conſtituta,læthalis habebitur tranſgreſſio.

DIFFICVLTAS.

Vtrum quis mortalem induat maculam, quando centum v. gr. omiſſis votis in ſingulis, quorum ſpopondit ſingulas Angelicas recitare Salutationes deſignato aliquo die.

VOcamus in dubium; an iſte peccet mortalitèr, ſi recitare omittat in tali die omnes Salutationes, vel magnum earumdem numerum. Sances loco citato num. 16. votum dat pro parte affirmatiua, ea motus ratione; quod cum cunctæ Salutationes ſint recitandę ex voto,ſi omnes omit-

omittuntur, peccabitur in materia notabili contra vnam, & eandem virtutem Religionis. Mihi de hac re amplius dicendum ex conſilio grauiſſimorum Doctorũ. Accedit etiam, quia cum ſingulæ Salutationes Angelicæ ſint recitandæ ex ſingulis, & diſtinctis votis, apparent diſtinctorum obiecta, vndè vnius omiſſio minimè apparet coniuncta, cum alterius omiſſione. Adde, quod aliàs Sacerdos, cui eſt obligatio recitandi in vna, eademq; die canonicas horas facere Sacramentum, dicere Pſalmos Pœnitentiales, aliaq; opera ad Religionis virtutem ſpectantia mortalem induceret culpam, ſi in ſingulis omitteret leuia multa, quæ ad inuicem copulata notabilem conficerent quantitatem; an verò hoc concedendum ſit, dicant Theologi.

Vnum certiſſimum mihi eſt ex cõmuni conſenſu Theologorum pro argumenti ſolutione, videlicèt eum, qui per minuta furta accepit quantitatem notabilem, teneri ſub mortali ad reſtitutionem faciendam, eademq; mihi eſt ratio, de Religioſo, qui ſingulis acceptionibus ſingula minuta ſibi vſurpans votum paupertatis frãgit. Moueor: quia per multas illas paruas eorum furtorum, materia conficitur notabilis; damnum notabile infertur vero Domino, & Reipublicæ. Vt pleniorem huius rei habeamus intelligentiam. Sit.

DIFFICVLTAS.

Quænam ſit paruitas materiæ minimè ſatis ad incurrendam maculam mortalẽ.

TOT ſunt ſententiæ in hac parte, quot Doctores. Legatur Leſſius libro 2. cap. 12. dubio 6. Pater Nauarrus in manuali cap. duodecimo num. 4. eſt opinatus dimidium regalem, eſſe quãtitatem notabilem. Rigoroſa nimis huius Doctoris opinio. Toletus lib. 5. cap. 16. & Bartholomæus Medina parte ſecunda, quæſt. 8. art. 4. alia incedunt via; Toletus vnum, aut duos regales reſpectu cuiuſcumq; etiam ditiſſimi, dicit materiam eſſe notabilem; Medina verò ſimplicitèr duos regales, mitior eſt Sotus lib. 5. de Iuſtitia quæſt. 3. art. 3. ad quartum docens materiam notabilem eſſe vnum, aut duos aureos; apud Leſſium lego nonnullos putantes materiam notabilem, præciſo quocumq; incommodo extrinſeco eſſe centũ aureos. Valentia diſp. 5. q. 10. puncto 5. affirmat quantitatem ad mortale ſufficientem æſtimandam fore ex nocumento, quod per ſe loquendo, quantum eſt, vel ex quantitate rei, vel circumſtantijs perſonæ, infertur perſonæ ex eo, quod ei eripiatur res, quidquid ſit de perſonæ æſtimatione actuali, vel inopia, aut copia. Si enim à perſona ſolum, & non à quantitate rei, quæ eripitur, & etiam à circumſtantijs, alijſq; &c. metiendum eſſet, dicit Valentia, valorem habere ea nocumenta, & abſurda notata à Nauarro; ſcilicèt, quod furari à Rege centum aureos, non eſſet peccatum mortale, quod furari à mendico vnum obolum, ſemper haberet in ſociam maculam mortalem, Leſſius relatis ſententijs aliorum, ſtudet pro conciliatione adductarum opinionum (ſi vnam tamem demas de centum aureis) quam damnat: quia fures Regnum Dei non poſſidebant ex teſtimonio Scripturæ, & hoc quia peccant mortalitèr; nemo autem eſt, quem lateat ex furibus multos eſſe, qui tantã ſummam minimè ſurripiant; cum dicat vnum aureum, etiam ſi auferatur à Rege materiam notabilem eſſe, quia licet vnus aureus non ſit res notabilis reſpectu magnificentiæ Regiæ tamen induit notabilẽ materiam reſpectu onerum Regis; reſpectu verò aliorum diuitum eſſe quatuor regales: cum ad victum talium perſonarum per vnum diem, ſufficientes reputentur: reſpectu mechanicorum duos regales, cũ iſti ſint merces operis communitèr pro vno die mechanico aſſignata, & eidẽ mechanico ſint ſatis pro victu vnius diei: reſpectu pauperis vnum regalem cũ dimidio: quippè reſpectu pauperis, ea quantitas reputatur magnum quid. Tandem cum Bartholomęo Medina reſoluit quãtitatem notabilem eſſe duos regales. Ad corroborationẽ ſui diſcurſus obſeruat ex Nauarro ſolitum eſſe in quibuſdam Epiſcopatus ferri excommunicationem contra eos, qui duos regales furati eſſent, & altera ex parte certum eſt excommunicationem maiorẽ neceſſariò ſupponere peccatum mortale; quamquam Petrus Nauarrus lib. 3. cap. 1. aſſerat in his Epiſco-

patibus mandatum fuiſſe excommunicationem minimè ferendam pro re mitioris valoris duorum regalium, non verò in ijs excommunicationem ferri ſolitã pro duobus ablatis regalibus.

Si liceat hac in parte me meam proponere ſententiam dicerem non recedendũ à Valentia. Et in hunc modum diſcurrere ex his, quæ quamlibet materiam, vel leuem, magnam, ſeu paruam in quacumq; re dignoſcendam tradit Sances cap. 4. numer 17. & 18.

Materia poteſt eſſe notabilis in ſe, ſcilicèt abſolutè conſiderata præſcindendo illam à quocumque reſpectu ad aliud extra ſe, & poteſt eſſe materia leuis in ſe, ſcilicèt abſolutè conſiderata; attamen notabilis reſpectiuè, ſi perpendatur in ordine ad aliud, nimirum in ordine ad circũſtantias, ſeù ad Legiſlatoris finem; Hinc mille Salutationes Angelicæ conſideratæ abſolutè in ſe ſine vllo ordine ad aliud, clauduntur ſub materia notabili; ſic etiam tertia pars vnius horæ diurnæ, v.g. tertiæ, vel ſextæ, eſt leuis in ſe; notabilis verò reſpectiuè ad horam diurnam ; quia tertia pars alicuius, eſt pars notabilis illius; hac ratione ſilentium præceptũ à prælato, clauditur ſub linea rei leuis in ſe, & vt ſic incapax eſt obligationis ſub mortali; poteſt autem induere rationem materiæ grauis ex circumſtantijs, & obligare ſub mortali. Hoc accidit cum præcipitur, vt vitetur graue ſcandalum; ne incurrat iacturam, ſeù periculum fractionis votorum. Hinc auditio ſacri præcepta pro qualibet die Religioſis, ſub mortali obligat ad obſeruantiam illos: quia eſt præcepta ob finem grauem; ſcilicèt propter bonum animæ, & ſpiritualem profectum. Quod ſi eadem ſacri auditio eſſet præcepta ab Nandemicis alicuius ſæcularis vniuerſitatis; tunc minimè haberet in ſociam inſeparabilem illam obligationem: quippè foret præcepta ad rectam collegij manutentiam, quæ quoad hoc non diceret aliquam grauitatem, vt notat Vaſqu. parte ſecunda diſp. 158. num. 60. ſic extrahere ab Regno Neapolitano magnam aliquam quantitatem frumenti, vel pecuniæ, ſeu vendere panem coctum contra pragmaticam de non extrahendo, ſeu de non vendendo eſt peccatum mortale, etiãſi per talem hanc præciſam extractionem, ſeù venditionem, damnum notabile non inferatur. Non me latet oppoſitum legi apud Margaritã in ſuis quæſtionibus moralibus, fol. 146. & nonnullos apud Nauarrum relatum à Sanchez num. 7. ratio eſt, quia ſatis eſt, vt materia extracta, ſeu vendita, ſit magna, & notabilis in ſe: alioquin finis legis fruſtraretur: cum numquam accidat quempiam tantam pecuniã, ſeu frumentum extrahere, vt indè graue damnum ſequatur ex tali præciſa extractione Reipublicæ, ſeu Regno.

Putamus ergò quatuor, aut quinque carolenos (ſumo iſtos moralitèr nõ phyſicè, neque enim facit rem, quod duo, aut tres aſſes deficiant) inquit Petrus Nauarrus loco citato nu. 37. eſſe materiam notabilem in ſe abſolutè illos conſiderãdo; quia ex præcedenti æſtimatione à nemine contemnuntur; cum ad non leuia bona comparanda, & ad commodam ſubſtentationem vnius diei, cuicumque perſonæ ſufficiant; vnus enim, vel duo argentei ſunt leuis materia in ſe; reſpectiuè verò conſiderati, in ordine ad pauperem, ſunt materia notabilis; quia qui à paupere illos aufert, magnum infert illi damnum. Cum ergò ſemper, cũ quis deficit in materia notabili, modo ſimus in defectu ex ſuo genere mortali, ſiuè materia ſit notabilis ex ſe, ſiuè notabilis ex reſpectu ad aliud, ſemper peccet mortalitèr, vt communitèr tradunt DD. Hinc eſt, vt ſicut peccat mortalitèr, qui habens obligationem recitandi centum Salutationes Angelicas, eas conſultò omittit; idque ſiuè tales centum Salutationes ſint totum, quod debet recitare, ſiuè ſint pars notabilis, aut leuis totius ſummæ Salutationum, quas debet recitare ex obligatione, quia ſemper ſunt aliquod notabile in ſe, ita peccabit mortalitèr, qui furatur quatuor, vel quinque argenteos, idque, ſiue furetur à paupere, ſiuè ab homine ditiſſimo, cui leue damnũ per tale furtum infertur; quia ſcilicèt tales argentei ſemper ex prudenti hominũ æſtimatione ſunt aliquod notabile in ſe; & ſicut peccat mortalitèr, qui obligatus ſub mortali ad recitandam vnam horam diuinam, omitteret tertiam partem illius: quia licet hæc tertia pars in ſe ſit exigua, tamen in ordine ad totam horam, quam

tenetur

Digitized by Google

tenetur ſub mortali recitare, eſt pars grauis, & notabitis, vt habetur apud Nauarrum in cap. quando de conſecratione d.1. cap.10. num.44. Azorium tomo primo libro decimo cap.7. q.3. ita peccabit mortalitèr, qui vnum, aut duos argenteos pauperi ſurripiet: quia obligatus ſub mortali ad non damnificandum notabilitèr proximum, verè oblatione horum argenteorum damnificat pauperē reſpectu cuius, vnus, aut duo argentei ſunt materia notabilis, licet in ſe ſint materia leuis. An verò dicendus ſit iſte talis peccare peccato mortali furti dicant Doctores. Non me latet Nauarrum cap. 27. numer. 7. & Leſſium, &c.

DIFFICVLTAS.

Quomodo, & quando peccetur mortalitèr in minimis furtis.

DE hac difficultate diximus ſup. Aliquid in præſenti addemus. Pūctus ergò difficultatis in eo ſtat, quomodo ſcil. quādo quis peccet mortalitèr in minimis furtis, v. g. in quinque acceptionibus, quarum ſingulis, ſingulos argenteos accepit, & peruenit ad quantitatem notabilem. Petimus ergò; an ne ex eo quod accipiat quintum argenteum, an verò ex eo, quod omnes ſimul argenteos retineat, & nō reſtituat. Scio Hieronymum ab angeſto putaſſe cap.6. moralium, cum, qui aufert vnum argenteum ab vno, & alium ab alio, & ſic deinceps vſque ad quintum, ſeu ad materiam notabilem, non peccaret mortalitèr, & ſublata, iam materia notabili per minutas acceptiones à diuerſis, nec teneri ſub mortali ad reſtitutionem; & ſi iā indè à prima acceptione ſemper acceperit vnum argenteum, cum intentione accipiendi alium argenteum ab alio, & ſic deinceps ab omnibus. Indè mouetur; quia ille mortalitèr peccat peccato furti, qui vel cupit inferre per intenſionem, vel re ipſa per iniuſtam acceptionem infert alicui damnum notabile, quod tenetur ſub mortali reſarcire; ſed ille talē habens intentionem accipiendi, ſeu re ipſa auferens à ſingulis ſingulos argenteos, nemini, nec cupit inferre, nec re ipſa infert damnum notabile, cum vnicuique leuem materiam vnius ſolum argentei, vel cupiat auferre, vel actu auferat: ergò, &c. Adde, quod nemo ad mortale, vel ad reſtitutionem faciendam ſub mortali condemnabit pauperem; qui tempore meſſis, vel vindemię modicum hinc frumenti, vel vini modicū indè auferens, magnam copiam vini, vel frumenti ad ſuos vſus ex alienis ſibi congregaſſet. Accedit, quod ſi quis multa minima à multis auferens obligaretur ad reſtitutionem ſub mortali, teneretur ad aliquod moralitèr impoſſibile (cum moralitèr ſcire nequeat, cui tantum frumenti, cui verò tantum vini reſtituere deberet.

Nauarrus cap.17. nu. 139. putat eum, qui furatur minima furta, & peruenit ad ſurripiēdam per minutas acceptiones materiam notabilem, ſiue ab eodem, ſiuè à diuerſis non peccare mortalitèr ſurripiendo, ſed peccare mortalitèr nō reſtituendo, motiuum iſtius Doctoris ſtat in eo, quod iſte talis ſemper dum arripit, accipit materiam leuem ſine intentione accipiendi materiam grauem; igitur accipiendo ex defectu materiæ; numquā peccabit mortaliter: peccabit tamen mortalitèr retinendo, ſeu non reſtituendo: quippè non reſtitueret materiam notabilem debitā proximo. & per conſequens per talem retentionem damnum notabile proximo inferat. Adde; quia vel talis fur ſupponitur in ſingulis acceptionibus materiæ leuis habere intentionem ſurripiendi materiam grauem, vel non ſupponitur talem habere intentionem. Si primum: ergò in prima acceptione etiam ſi ſit materia leuis, peccabit mortalitèr ex intentione, neque ad hoc, vt dicatur induere peccatum mortale, erit expectanda acceptio quinta: imò, quot numero habebit acceptiones materiæ leuis cum tali intentione, tòt numero committet peccata mortalia. Si ſecundū dicatur: ergò in quinta acceptione non peccabit mortalitèr ratione acceptionis, etenim acceptio quinta, eſt materiæ leuis ſicut fuit prima; reſtat ergò ſolum peccare ratione retētionis, quia quinta ſupponens materiam ablatā per quatuor antecedentes acceptiones. Crederem tamen non eſſe recedendum à cōmuni opinione Doctorum

ctorum, quæ vt teſtatur Sairus lib.9. Theſauri cap.5. docet huiuſmodi furãtem per minuta furta peccare mortalitèr per acceptionem illius materiæ leuis, quæ coniuncta cum acceptionibus præcedentibus, facit, vt perueniatur ad accipiendam materiã grauem, & hoc, ſiue ab eodẽ ſemper accipiat, ſiuè ſingulis vicibus à diuerſis; ea tamen lege, vt in vltima acceptione; fur aduertat ſe aliàs fuiſſe habuiſſe præcedentes acceptiones: non reſtituiſſe, nec habuiſſe propoſitum reſtituendi. Peccat ergò mortalitèr, qui quintã acceptionem quinti argentei, facit, aduertens ſe quatuor alias acceptiones feciſſe, quatuor ſingulis, ſingulos argenteos arripuit vel ab eodem, vel à diuerſis, eoſque non reſtituerit, vel reſtituere non propoſuerit. Ratio eſt: quia talis fur in vltima quinta acceptione non aufert ſimplicitèr vnum argenteum; ſed aufert vnum argenteum, qui eſt quintus, & ipſemet fur aduertit eſſe quintum, igitur cum accipitur talis argenteus continuatur, & vnitur cum alijs quatuor antecedentibus acceptis, cũ quibus conſtituit materiam notabilem: ſed qui accepit materiã notabilẽ: peccat mortalitèr cum accepit: quia tunc infert proximo, ſeù Reipublicæ damnum notabile, ergò, &c. Monet Valentià tomo 3. diſp.5. quæſt.10. puncto 5. rem explicari exemplo illius, qui pluribus percuſſionibus leuibus hominem occideret: his enim peccaret per vltimam leuẽ percuſſionem eſſe peccato homicidij, etiamſi tali peccato non ſupponatur peccaſſe, cum intulit primam percuſſionem leuem.

Satis fit motiuis Hieronymi ab Angeſto.

ILle, qui ſingulis auferendo ſingulos argenteos peruenit ad auferendam notabilem materiam, infert damnum notabile, non quidem alicui homini ſingulari, ſed toti Reipublicæ, imò toti generi humano: etenim (obſeruatio eſt Petri Nauarri lib.3. cap. primo num. 56.) faceret, vt artes, & honeſta exercitia mitterentur in exilium: cum ſine vllo labore, & induſtria, minima ſemper aduerſis accipiendo, facilè poſſet quiſpiam, nedum abundè viuere. quinimò, & diteſcere. Obſeruat Corduba cap.5. deduci ex opinione Angeſti, quod poſſet depoſitarius communis alicuius Ciuitatis, ſeù regiminis, & communibus bonis magnam, & notabilem quantitatem ſurripere ſine peccato mortali; ex tali enim acceptione ſub omnibus, quod ſingulis, quorum ſunt illa bona, non niſi leue damnum inferret. Id autem, vel ex eo putant Valentia loco citato, & Leſſius libro ſecundo cap. 12. dubio 7. graue damnum communitati, & Reipublicæ inferre, quod ex ſumma notabili, & minutis furtis confecta, poſſet in aliquo caſu notabilitèr Reſpublica iuuari, ſoluendo nimirum eius debita, vel ſtipendium militibus. Ad confirmationem autem, & ſi Medina doceat pauperem non peccare mortalitèr, quando modicũ hinc, modicum indè ſurriperet, non in fraudem legis. Tamen monet Pater Leſſius tum hanc doctrinam ſubſiſtere poſſe, cum conſtat tempore meſſis, & vindemiæ eos, à quibus pauper ſurripit paruas illas quantitates, non eſſe inuitos, & veluti tacitè donare: alitèr enim talis pauper peccaret mortalitèr, vt docet Pater Nauarrus, & teneretur reſtituere; reſtitutio facienda eſſet ſiuè mediatè, ſiuè immediatè Dominis, quãdo illorum eſſet certa ſcientia; ſi verò ſint incerti; pauperibus: vel ſi Domini ſunt certi, & illis reſtitutio neq; mediatè, neq; immediatè fieri poſſint periculo infamiæ; tunc pauperibus facienda eſt teſte Patre Leſſio. Puto tamen non teneri talem pauperem reſtituere ſub mortali totam quantitatem ſublatam, quidquid in contrarium dicant Corduba, & Medina relati a Petro Nauarro. Requireretur ergò tantum, vt id, quod retinetur; reſtet in linea materiæ leuis: hoc enim ſatis eſt, vt damnum notabile proximo illatum reſarciatur; vt verò debent ſemper Confeſſarij ſuadere, vt tota materia ſublata reſtituatur, tum vt plenius proximis ſatisfiat, tum ad maiorem ſecuritatem, inquit loco citato Valentia. Cum non ita conſtet apud Doctores, quę ſit materia leuis in furto, ſic aduertant neceſſe eſt eos, qui pluries ſurripuerunt quinque argenteos non ſatisfacere ſi pro ſingulis vicibus reſtituèt

duos

Digitized by Google

duos,vel tres angenteos: poſita enim tali reſtitutione adhuc retinerent materiam notabilem alienam,quę ſine peccato mortali retineri non poteſt.

Soluuntur motiua Nauarri.

CVm fur aufert in vna acceptione vnũ argenteum, aduertens ſe quatuor alios accepiſſe, & conſequentèr aduertens ſe tunc accipere quintum, iam aduertentèr aufert actu materiam notabilem, atq; adeò peccat in tali vltima acceptione mortalitèr; qua ratione non peccauit in reliquis acceptionibus antecedentibus, eo quod in illis reuera materiam notabilem non ſurripuerit. Nec eſt ratio cur ad hoc vt fur peccet mortalitèr Doctores cõmunitèr expoſtulent, vt fur aduertat ſe ſurripuere argenteum non ſimplicitèr, vt vnũ, ſed vt quintum, & quod non reſtituerit, nec propoſitum fuerit reſtituendi alios quatuor præcedentes acceptiones ſublatas; ſine enim tali aduertentia, & ſine defectu, vel reſtitutionis, vel propoſiti reſtituendi, non poſſet vltimus argenteus, qui ſurripitur, ſurripi, vt quintus, & conſequentèr non poſſet continuari,& moralitèr vniri reliquis quatuor anteà acceptis, & conſequentèr non haberetur materia notabilis neceſſariò requiſita ad commiſſionem peccati mortalis.

Ex dictis deduco cũ P.Leſſio,vt qui poſt quintam acceptionem quinti argentei accipit aduertentèr alium argenteum, qui eſt ſextus, & cum eadem aduertentia alium, qui eſt ſeptimum, & ſic conſequentèr, &c. non committere nouum peccatũ mortale, ſed ſolum facere, vt peccatum mortale factum ratione grauioris materiæ creſcat, & fiat grauius: tales enim acceptiones contineantur per modum vnius; vndè ſicut ſi quis vna vice totam materiã auferret, vnico ſolum peccato mortali peccaret, & hoc eſſet grauius, vel minùs graue iuxta grauitatem maiorem, vel non adeò maiorem materiæ; ita vnico etiam peccato mortali peccabit,qui pluribus acceptionibus, quæ continuantur, & ſunt vnum moralitèr, materiam notabilem aufert, & erit peccatum grauius, vel minus graue iuxta maiorem, vel non adeò iuxtà maiorem grauitatem materiæ, quæ ſurripitur. Secus enim eſſet, ſi quis quintum argenteum acciperet facta reſtitutione,vel propoſitio reſtituendi alios quintos antea acceptos, tunc enim non peccato mortali peccabit: cum aduertentèr accipiet decimum;quia tunc perueniet ad auferendum dè nouo nouam aliam materiam notabilem,atq;hoc aduertant Cõfeſſarij neceſſe eſt,vt poſſint ſcire quot numero peccata mortalia commiſerit; ſicut etiam ne facile aliquem arguãt culpæ mortalis,aduertere debent ad tempus:an ſcilicet breue, vel longum ſit illud ſpatiũ intra quod per plures acceptiones materia aliqua ſublata eſt. Ratio eſt: quia acceptio alicuius materię facta intra longum aliquod tempus, moralitèr non tanti æſtimatur, quanti æſtimatur cum ſit, vel tota ſimul, vel intra breue tempus: vndè inquit Leſſius:Eſto quis peccet mortalitèr accipiendo, vel ſimul quatuor, vel per partes quinque argẽteos infra breue tempus, nõ peccabit mortalitèr,ſi per partes quinque argenteos infra longum tempus accipiat: ad hoc enim, vt peccet mortalitèr infrà longum tempus requireretur, vt accipiat ſeptem, aut octo,ſeu etiam decem argenteos. Collige etiam ſeruos, ſeu famulos auferentes à ſuis Dominis modò vnum, modò alium nummum peccare mortalitèr cum poſita aduertentia, de qua diximus perueniunt ad ad materiam notabilem.

Notantèr exemplificaui hoc famulorũ furtum in pecunia; neque enim puto eos peccare mortalitèr, cum paulatim accipiendo exculeuta, ſeù pæculenta, ad materiã notabilem perueniunt, quia cũ Domini ſciant huiuſmodi res à ſeruis ſurripi, & non impediant, rationabilitèr concludi poteſt illis non diſplicere, neque eos eſſe inuitos,quod tales res à ſeruis conſumentur, ſed ſolum,quod occultè accipiantur, vt aduertunt Caiet. in ſumm. & Nauarr. in Nauali cap.4. ita vt diſplicentia Dominorum optimè dicatur; non cadere ſupra ſubſtantiã; ſed ſolum ſupra modũ. Secus autem eſſet ſi famuli talia exculenta, vel copulenta venderent; tunc enim peccarẽt mortalitèr, cũ ad notabilem materiã peruenirent:etenim facerent id Dominis inuitis, nõ ſolum de modo, ſed etiã de ſubſtantia, nolunt enim, vt tales res ad alios

per

Digitized by Google

per venditionem transferantur. Documẽtum hoc eſt ponderandum. valet enim ad diſcernendum, quando peccant mortalitèr filij, vel vxores auferentes bona Patris, aut mariti: etenim non peccant mortalitèr, cũ auferunt ad eum vſum, ad quem Pater, vel maritus cõcederet, vel deberet cõcedere: peccat autem mortalitèr cum auferunt ad vſum, quem Pater, vel Mater non cõcederet, vel non deberet concedere: hinc peccat mortalitèr filius aũferens bona paterna ad ludendum, ad epulandum cum meretricibus, alioſq; ſimiles vſus.

DIFFICVLTAS.

An, & quomodò peccent, & teneantur plures fures cum ſimul ab vno, & eodem auferunt materiam grauem; ſinguli verò leuem, vt accideret v.gr. cũ plures totam vindemiam vnius vineæ deprædantur, ſinguli enim paucos racemos ſurripiunt.

HAC in re ſicut conuenit inter Doctores in hoc, quod ſcil. quiſq; peccet mortalitèr, & omnes teneãtur inſolidũ reſtituere totã vindemiã, ſi iſti plures cõiunctim ita concurrerent ad deprædationem, vt vnus ſine alio damnificationem nõ feciſſet, quia poſito tali concurſu quilibet fuiſſet cauſa totius damnificationis, adeò quod quilibet deberet per reſtitutionem illam reſarcire: & ſicut inter eoſdem Auctores etiam conuenit, quod nemo ex iſtis pluribus peccaſſet mortalitèr, nec ſub mortali teneretur aliquod reſtituere, ſi quilibet minimè cõſcius de damno illato, ſeu inferendo ab alijs paucos ſolùm racemos abſtuliſſet, eo quod nemo intuliſſet damnũ notabile, neq; per ſe, neq; per aliud vt notat Nauar. c. 17. n. 113. Ita diſconuenit inter eos in eo caſu, quando ſcilic. quis ſciens alios furatos eſſe materiam leuem, v.g. tres argẽteos furatur ab eodem quartum, vel quintum argenteum, quo peruenitur ad ſubtrahendum ab eodem materiã grauem, & notabilem; etenim Petrus Nauarrus loco citato num. 48. citans pro ſe Couarruuiam, Cordubam, & alios, putat iſtum talem, qui conſcius de aliorum furtis aufert ab eodem vnum argenteum, qui eſt quartus, vel quintus peccare mortalitèr, & teneri ſub mortali ad reſtitutionem quia ſciens, infert vni homini damnum notabile, quod damnum talis vnus homo non pateretut, ſi ille talis vnus argenteus, qui eſt quartus, vel quintus non auferetur.

Scotus in 4. diſtin. 22. & Leſſius loco citato dubio 9. indubitantèr ſentiunt oppoſitum; & hoc quia iſte talis auferens illum vnum argenteum, qui eſt quartus, vel quintus, non eſt cauſa per ſe damni notabilis, cum per ſe ſolùm auferat vnum argenteum; & ex eo, quod ſupponatur ſcire alios tres, vel quatuor argenteos ab alijs eidem ablatos eſſe, nõ indè fit, vt fuerit cauſa damni, quod illatum eſt per ſurreptionem illorum trium, vel quatuor argenteorum; cum ad talium trium, vel quatuor argenteorum ſurreptionem per talem ſcientiam nullo modo concurrerit. Falsò igitur ſupponebat Petrus Nauarrus hunc tale damnum notabile inferre per ſurreptionem quinti argentei; ſicut falsò quis diceret, facere alicui donationem notabilis vtilitatis eum, qui donat alteri vnum argenteum ſciens ab alijs datos eſſe eidem alios quatuor.

Nec eſt abſurdum, inquit loco citato Leſſius, aliquem notabile damnum recipere à pluribus, & neminem ex his pluribus illud inferre: nam poteſt quis à pluribus notabilem vtilitatem recipere, licet nemo ex illis talem vtilitatem notabilem affert: poſſunt namque ſinguli modicum quid ſolum dare. Non negauerim tamen, quod ſi feratur excommunicatio contra eos, qui totam vindemiam abſtulerunt, deberent ſinguli ſub mortali reſtitutionem facere eius partis, quam acceperunt: (niſi fortè eſſet adeò breuis, vt reputaretur nihil) non quidem ratione furti; furando enim quilibet, ratione leuitatis materiæ peccauiit venialitèr; ſed ratione excommunicationis, quæ illos obligat ſub mortali: poſſe autem Iudicem Eccleſiaſticum talem excommunicationem ferre ad damnum graue reparandum, quod paſſus eſt Dominus vineę: tradunt Toletus libro primo cap. octauo num. 2. Leſſius loco citato

num. 54. & antè ipſos Sotus in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1.

Ponderandum tamen damnum illatum non debere eſſe quomodocumque graue, ſed non vulgare, vt loquitur Tridentin. ſeſſion. 25. de Reform. cap. 3. vt propterea optimè Sairus libro nono Theſauri, cap. 15. num. 20. dicat, materiam grauem ſufficientem ad peccandum mortalitèr in furto, non ſatis eſſe ad excommunicationem iuxta ferendam; & ſubdit à prudentibus Epiſcopis, ſeù Vicarijs non ferri, niſi pro furto ad minus 50. argenteorum, quod ſi ferretur pro furto quinq; argenteorum, peccaret Epiſcopus, vt notat Salonius ſecunda ſecundæ, q. 66. articulo ſexto, ſed excommunicatio eſſet valida, & grauitèr peccaret, qui non obediret: ſi enim propter furtum quinque argenteorum quis iuſtè eijcitur à Deo à Regno Cælorum, validè etiam eijcietur à Regno Eccleſiæ ab Epiſcopo.

Hæc pro nunc ſint dicta quantum facit ad Tractatum de Venialibus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX DISPVTATIONVM,

Et Propoſitionum, quę in hoc Volumine continentur.

DISPVTATIO PRIMA.

De Pœnitentia Virtute. pag. 2.

Difficultas. *Quoddam ſit ſubiectum habitus temperantiæ, & fortitudinis, & omnium virtutũ, quæ ad has reuocari ſolent.* 6.

Propoſitio j. *Pœnitentia quocunq; modo ex dictis quatuor conſiderata, eſt virtus vera.* 7.

Propoſitio ij. *Pœnitentia, prout importat vindicare peccatum à ſe commiſſum, ſeù pro illo voluntariè ſibi applicare pœnam, eſt actus virtutis.* 8.

Propoſitio iij. *Pœnitentia prout importat vindicare in ſe peccatum cõmiſſum non eſt actus virtutis ad hunc modum, quod ſemper eliciatur à virtute præexiſtente.* 8.

Propoſitio jv. *Pœnitentia, vt dicit deteſtationẽ peccati à ſe commiſſi, eſt actus virtuòſus.* 8.

Propoſitio v. *Pœnitentia, vt ſignificat gratantèr acceptare pœnam inflictam pro peccato, & etiam prout ſignificat patientèr & placato animò tolerare pœnam, ſunt illi actus virtuoſi.* 9.

Propoſitio vj. *Pœnitentia prout dicit habitum inclinantem ad elicitionem actuum enumeratorum, eſt virtuoſus.* 9.

Propoſitio vij. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta ſuadentia pœnitentiam non eſſe virtutem.* 9.

Prop. viij. *Aliud argumentum.* 11.

Propoſitio jx. *Aliud argument.* 11.

Propoſitio x. *Aliud argumentũ.* 12.

Propoſitio xj. *Aliud argumentũ.* 12.

Propoſitio xij *Aliud argumen.* 13.

DISPVTATIO II.

Diſputatur vtrum Pœnitentia ſit virtus ſpecialis. 14.

Propoſitio j *Si Pœnitentia ſumatur in ea ſignificatione, vt idem ſit, quod vindicare peccatum à ſe commiſſum, eſt virtus ſpecialis.* 15.

Propoſitio ij. *Pœnitentia, vt dicit deteſtationem, & odium peccatorum non eſt actus alicuius ſpecialis virtutis, ſed cuiuſcumque virtutis moralis quatenus omnes exercere valẽt Pœnitẽtiã.* 15.

Propoſitio iij. *Deteſtari peccatum malum noſtrum, vel proximi, quod indè punit, aut propter bonum, quod importat, non eſt ex virtute ſpeciali pœnitentiæ, ſed de illis, quibus proſequimur bonum noſtrum vel proximi.* 16.

Propoſitio jv. *Pœnitentia, vt dicit determinationem peccatorũ, non ſecundum propriam rationem deteſtatinis cuiuſcumque peccati, ſed ſecundùm commu-*

nem rationem deteſtationis omnium peccatorum, iſte actus eſt ſpecialis virtutis. 16.

Propoſitio v. *Pænitentia eſt virtus ſpecialis, etiamſi reſpiciat omnia peccata.* 17.

Difficultas. *Quodnam ſit ius proprium virtutis pænitentiæ.* 17.

Propoſitio j. *Altiſſimum ius, quod Deus ea ratione, qua eſt prima rectitudo, habet in actus noſtros vt illi conformētur eſt propriū, & formale motiuum virtutis Pænitentiæ.* 17.

Propoſitio ij. *Actus pænitendi non eſt Theologica virtus.* 19.

Propoſitio iij. *Actus pænitendi non eſt in rigore virtus moralis, quinimò eſt media, ſcilicèt habens aliquid de virtute Theologica, & aliquid de virtute morali.* 19.

Propoſitio jv. *Actus pænitendi, ſiuè accipiatur pro velle vindicare peccatum, ſiuè pro actu deteſtatiuo illius, nō eſt virtus intellectualis, vnus ſcilicet ex quinque habitibus intellectualibus, qui ſunt intellectus, ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars, ſed erit virtus moralis, ſcilicet voluntatis, ſedem habens in voluntate, eamq; dirigens in ſua operatione.* 20.

Propoſitio v. *Falluntur, qui ſibi perſuadent actum pænitendi eſſe actum virtutis amicitiæ.* 20.

Propoſitio vj. *Pænitentia non eſt actus virtutis, quæ dicitur charitas, nec eſt actus alicuius alterius virtutis Theologicæ.* 21.

Propoſitio vij. *Pænitentia non eſt virtus Religionis.* 22.

DISPVTATIO III.

Examinatur, vtrum virtus pænitentiæ ſit ſpecies Iuſtitiæ, & vtrum inter Deum, & creaturas dari valeat vera Iuſtitia. 24.

Propoſitio j. *Declaratur nomen Iuſtitiæ.* 24.

Propoſitio ij. *Declaratur nomen Iuris.* 26.

Propoſitio iij *Obiectum iuſtitiæ propriè ſumptæ, eſt Ius vltimo modo.* 26.

Propoſitio jv. *Iuſtitia communitèr partitur in legalem, diſtributiuam, & commutatiuam.* 29.

Propoſitio v. *Iuſtitia diſtributiua diſtingitur eſſentialitèr, & ſpecie à commutatiua, & non ſolum materialitèr.* 30.

Difficultas. *An Iuſtitia vindicatiua contineatur ſub his duabus.* 31.

Propoſitio j *Iuſtitia vindicatiua, quæ eſt in Principe, vel Iudice, non ſolum quatenus reſpicit bonum commune Reipublicæ, ſed etiam quatenus reſpicit bonum particulare partis læſæ, quia nimirum nititur illam leuare iniuriam, & grauamen, eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ.* 32.

Propoſitio ij. *Hic actus vindictæ, quatenus eliciatur à commutatiua, imperatur tamen à legali, ſi referatur in bonum commune Reipublicæ.* 33.

Propoſitio iij. *Si ille, qui petit vindictam de iniuria ſibi illata, & reſtitutionem famæ, & honoris, ſit perſona publica, aut alia, cuius honor, & fama redundat in bonum Reipublicæ, ex quo ſequitur ipſum teneri ex iuſtitia*

Digitized by Google

iuſtitia curare honorem ſuum, neque alia via poſſit recuperare ſuum honorem, niſi per Iudicem, & vindictam iuridicam, tunc perſona illa petens hanc vindictã petit ex iuſtitia vindicatiua. 33.

Propoſitio jv. *Petitio vindictæ exercendæ per Iudicem in alijs perſonis priuatis, quarum fama non eſt neceſſaria alijs, non eſt actus Iuſtitiæ, de qua hic agimus, quæ vocatur Iuſtitia Cardinalis, ſed eſt actus cuiuſdam virtutis, quæ eſt pars potentialis iuſtitiæ Cardinalis, & vocatur à Philoſophis moralibus Iuſtitia vindicatiua.* 33.

DE DOMINIO.

Propoſitio j. *Dominium tribus potiſſimùm modis ſumitur.* 34.

Prropoſitio ij. *Dominium à Soto lib. 4. de iuſt. & iure q. 1. a. 1. & Ledeſma 2. p. q. 18. ar. 1. dubio 1. ita diffinitur: eſt ius, ſeù facultas propria cuiuſcumque in rem, quam in ſuum commodum vſurpare poteſt quocumq; vſu lege permiſſo.* 35.

Propoſitio iij. *Titulus, & Dominium diſtinguuntur.* 36.

Propoſitio jv. *Vſus eſt facultas tantum vtendi re, ſalua ſubſtantia: Vſusfructus eſt ius vtendi, & fruendi re, ſalua ſemper ſubſtantia.* 36.

Examinatur difficultas illa principalis. Vtrum inter Deum, & Creaturam poſſit interuenire recta iuſtitia. 36.

Propoſitio j. *Deus ſuppoſito peccato, & ipſius promiſſone remunerandi iuſtorum opera meritoria, tenetur ex vera iuſtitia; vnde inter Deum, & creaturam verſatur vera iuſtitia.* 36.

Propoſitio ij *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta ſuadentia non dari in Deo iuſtitiam reſpectu Creaturæ.* 39.

Propoſitio iij. *Proponitur alterum medium ſoluendi difficultatem.* 41.

Propoſitio iv. *Altera reſponſio ad argumenta.* 43.

Propoſitio v. *Alia argumenta.* 43.

Propoſitio vj. *Alia argumenta.* 45.

Propoſitio vij *Altera reſponſio.* 45.

Propoſitio viij. *Peccator facit iniuriam veram Deo, quandocumque peccat; hinc peccatum ex ſe continet veram iniuſtitiam, & Creatura non ſolum de poſſibili, quinimò etiam de facto obligatur Deo ex iuſtitia.* 46.

Propoſitio ix. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta in contrarium.* 48.

Propoſitio x. *Proponuntur, & ſoluuntur alia argumenta.* 50.

Propoſitio xj. *Pænitentia differt eſſentialitèr à iuſtitia humana commutatiua, & diſtributiua.* 51.

Propoſitio xij *Pænitentia eſt pars quædam poteſtatiua iuſtitiæ.* 51.

Propoſitio xiij. *Pænitentia eſt virtus vindicatiua, ſeù punitiua, qua Pænitens punit in ſe peccatum.* 52.

Propoſitio xiv *Pænitentia melius reducitur ad iuſtitiam commutatiuam, quam ad diſtributiuã.* 52.

DISPVTATIO IV.

De ſupernaturalitate Virtutis Pænitentiæ. 52.

De cõceptu ſupernaturalitatis in ſe. 52.

Propo-

Propoſitio j. *Conceptus ſupernaturalitatis non eſt deſumendus ex connexione cum gratia ſanctificante.* 54.
Propoſitio ij. *Supernaturalitas non conſiſtit in participatione Diuinæ eſſentiæ, & Diuinarũ perfectionum, vt in Deo ſunt.* 55.
Propoſitio iij. *Supernaturale nõ eſt dicendum per immediatam attingentiam ſupernaturalis finis obiectiui, qui eſt Deus.* 56.
Propoſitio iv *Ens ſupernaturale non eſt appellandum id, quod indebita eſt omni entitati ſubſtantiali creatæ, & accidentibus ipſi debitis.* 57.
Impugnatur hæc opinio circa primam conditionem. 57.
Impugnatur quantum ad ſecundam conditionem. 57.
Quod omne indebitum ſupernaturale non ſit. 58.
Fallitur etiam iſta opinio; dum ait ſupernaturale eſſe ſupra capacitatem ſubiecti. 58.
Supernaturalitatem non eſſe deſumendam ex parte ſubiecti, demonſtratur. 58.
Propoſitio v. *Supernaturale non indè dicẽdum, quod habeat connexionem cum Deo, vt Trino; naturale verò, quod ordinetur ad Deum, vt vnum.* 59.
Propoſitio vj *Errant aſſerentes, id eſſe ſupernaturale, quod ſolum Deum agnoſcit ſui productiuum.* 60.
Propoſitio vij *Errant dicentes ſupernaturale id eſſe, cui repugnat Viribus naturæ produci, & cognoſci, vndè dicunt illud eſſe ſupernaturale, quod eſt ſupra vires naturæ, tàm actiuas, ſiuè Phyſicas, quã intentionales.* 61.
Propoſitio viij. *Sententia Patris Briſenij proponitur.* 61.
Fallitur hic Doctor. 61.
Propoſitio ix. *Aliorum ſententia proponitur.* 62.
Errant iſti Doctores. 62.
Opinio Scoti. 62.
Propoſ. j. *Supernaturalitatis conceptus deſumendus eſt penes reſpectum ad agens extrinſecum ſupernaturalitèr cauſans.* 63.
Propoſitio ii *Ens ſupernaturale eſt tripartitum, ſcilicet in ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & in ens ſupernaturale quoad modum.* 64.
Propoſitio iii *In ſupernaturalitate dantur gradus.* 64.
Propoſitio iv *Ad mentem Scoti dantur entia ſupernaturalia in ſubſtantia.* 65.
Propoſitio v *Proponuntur argumenta pro ſententia docente ſupernaturalitatem eſſe deſumendam ex parte principij paſſiui, & ſoluuntur.* 66.
Propoſitio vj *Proponuntur argumenta ſuadentia ſupernaturalitatem deſumi penès ordine ad Deum Trinũ, & ſoluuntur.* 68.
Propoſitio vij *Proponuntur argumenta pro ſententia defendẽte ſupernaturalitatem eſſe deſumendam ex cõnexione cum gratia ſanctificante, & ſoluuntur.* 69.
Propoſitio viij. *Proponuntur argumenta pro ſententia volente ſupernalitatem cõſiſtere in participatione Diuinæ naturæ Diuinorum attributorum, &c. & ſoluuntur.* 69.

Propo-

Digitized by Google

Propoſitio ix. *Proponuntur argumenta pro ſententia docente ſupernaturalitatem, eò quod ſupernaturale ſuperet vires potentiæ creatæ intellectiuæ, & ſoluuntur.* 70.

Propoſitio x. *Proponuntur argumenta contra noſtram ſentẽtiam, & ſoluuntur.* 71.

Difficultas. *Vtrum Deus ſit ſubſtantia ſupernaturalis.* 72.

Propoſitio j. ii. iii. iv. v. & vi. 72.

Propoſitio vii. *Proponuntur argumenta probantia Deum eſſe intrinſecè formalitèr ſupernaturalem, & ſoluuntur.* 73.

DISPVTATIO V.

De inſufficientia liberi arbitrij ad actum virtutis Pœnitentiæ eliciendum. 74.

Propoſitio i. *Docebit hæc propoſitio nonnulla documenta ad difficultatis ſolutionem, & diſputabit: Vtrum humanæ uires in ſtatu naturæ, abſque originali iuſtitia ualidiores fuiſſent, quã ſunt poſt deperditam originalẽ iuſtitiam.* 74.

Propoſitio ii. *Declaratur ſtatus innocentiæ.* 74.

Propoſitio iii *Originalis iuſtitia diſtinguitur realitèr à gratia ſanctificante.* 77.

Propoſitio iv. *Declaratur ſtatus naturæ lapſæ, ſeu peccati.* 78.

Propoſitio v. *Agitur de Statu puræ naturæ.* 79.

Propoſitio vi. *Vires humanæ, quales erant in ſtatu innocentiæ, per peccatum imminutæ ſunt.* 79.

Propoſitio vij. *Vires humanæ per peccatum gratuitis ſpoliatæ fuerunt.* 79.

Propoſitio viii. *Vires humanæ per peccatum, quoad naturalia uulneratæ ſunt.* 79.

Propoſitio ix. *Vires humanæ mentis, ſi fierent in puris naturalibus, perſpicaciores eſſent, quàm poſt peccatum.* 80.

Diſcurritur de diuerſitate concupiſcentiæ ex peccato procedente, & de ſe ipſa concepta in homine exiſtente in puris naturalibus. 82.

Proponitur difficultas contra iſtã doctrinam. 84.

Demonſtratur quomodo naturalis filius Adæ eſſet longè deterior, quantùm ad potentias corporales homine conſtituto in puris naturalibus 85.

Difficultas *Quæ, & qualis interceſſiſſet differentia quantum ad eorum impeccabilitatem inter homines antè, & poſt illorum confirmationem in iuſtitia, & ſanctitate.* 86.

Difficultas. *An primus Parens meruerit iuſtitiam originalem.* 89.

Difficultas. *An Adam fuerit caput morale ſuorum poſterum, quantùm ad exhibitionem originalis iuſtitiæ.* 89.

Notantur nõnulla de peccato originali ad pleniorem intelligentiam eorum, quæ diximus. 91.

Proponuntur difficultates contra iſta afferta. 92.

Deducitur noſter diſcurſus ex Scoto. 93.

Propoſitio x. *Vires humani arbitrij poſt originale peccatum infirmiores ſunt, quàm vires intellectus.* 95.

Propo-

Propoſitio xj. *Viator in peccato mortali, eleuatus habitu fidei infuſæ in baptiſmo, poteſt ſine habitu gratiæ ſibi inexiſtentis conſiderare peccatum, vt offenſiuum Dei, vt auerſiuum à Deo, vt Diuinæ legi contrarium, vt impeditiuum præmij, & inductiuum ad ſupplicium, & ſub conſimilibus rationibus.* 96.

Propoſitio xij. *Viator ſine habitu fidei infuſæ poteſt conſiderare peccatum, vt contrarium legi Diuinæ, & vt auerſiuum à Deo.* 96.

Propoſitio xiij. *Voluntas Viatoris baptizati ſine habitu charitatis infuſæ poteſt deteſtari peccatum ſibi oblatum ab intellectu, quatenus auerſiuum à Deo.* 97

Propoſitio xiv. *Sine ſpeciali Dei auxilio poteſt uoluntas in ſtatu naturæ lapſæ aliquod bonū opus ex circumſtantijs operari.* 97.

Propoſitio xv. *Præmittuntur nonnulla pro declaratione noſtræ ſententiæ.* 89.

Propoſitio xvj *Poſſe hominem ſolis naturæ viribus efficere aliquod opus bonum morale ex circumſtantijs probatur.* 102.

Propoſitio xvii. *Vt aliquod opus ſit bonum morale non eſt neceſſarium, vt ab operante referatur actu, vel virtute in Deum, ſed ſufficit, vt referatur in finem honeſtum.* 104.

Propoſitio xviii. *Alijs rationibus confirmatur noſtra Propoſitio, & examinatur opinio P. Vaſquez.* 105.

Propoſitio xix. *Non videtur negandum voluntati poſſe habere ſimplicem affectionem boni honeſti, ſeu finis oſtenſi.* 80 1.

Propoſitio xx. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta contra noſtras propoſitiones.* 109.

Propoſitio xxi. *Ad omnes operationes honeſtas ex obiecto, & reliquis circumſtantijs, vrgentibus motiuis atrocibus in contrarium, neceſſarium eſt auxilium ſpeciale* pro hoc ſtatu. 112.

Propoſitio xxii. *Ad ſuperandam aliquam valdè grauem, & difficilem tentationem, eſt neceſſarium auxilium ſpeciale Dei.* 113.

Propoſitio xxiii. *Docebit iſta Propoſitio, Vtrum impoſſibilitas iſta ſit tantummodo moralis, vel etiam phyſica.* 114.

Propoſitio xxiv. *Impoſſibilitas iſta non eſt phyſica, ſed moralis.* 114.

Propoſitio xxv. *Adiutorium gratiæ, quod requirunt Concilia, & Patres, non poteſt ſeruari in ſola cogitatione congrua honeſti.* 115.

Propoſitio xxvj. *Voluntas ſine auxilio ſpeciali Dei, non poteſt deteſtari peccatū, ſicut oportet.* 117.

Propoſitio xxvii. *Proponitur ſententia Pelagij.* 118.

Propoſitio xxviii *Ex his verbis contra Pelagium dictis elicio infraſcripta dicta.* 118.

Propoſitio xxix *Proponitur ſententia Catholica.* 118.

Propoſitio xxx. *Proponitur ſententia Scoti circa diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem in peccatore.* 119.

Propoſitio xxxi. *Oſtenditur ſententia Scoti concordare cum doctrina Concilij Tridentini.* 120.

Propoſitio xxxii. *Notantur, & ſoluuntur fundamenta aduerſariorum*

ſariorum contra noſtrum Scotū. 121.

DISPVTATIO VI.

De Valore Virtutis Pœnitentiæ. 123.

Propoſitio j. *Diſpoſitio, quam dicimus præcedere peccatorum remiſſionem, & impij iuſtificationem, eſt meritoria de congruo.* 124.

DISPVTATIO VII.

De quidditate, & conditionibus pœnitentiæ Chriſtianæ. 130.

Propoſitio j *Agitur de cōtritione.* 130.

Propoſitio ii *Definitur Contritio.* 131.

Propoſitio iij. *Contritio non eſt dolor, aut triſtitia, ſed actus voluntatis, quem pœnitens exercet circa ſuum proprium peccatū.* 133.

Propoſitio jv. *Regularitèr requiritur contritio ſecundum propriam, & formalem deteſtationem ad conſequendum remiſſionem peccati mortalis.* 134.

Propoſitio v. *Sine vlla expreſſa peccati deteſtatione, per ſolum charitatis actum formalem, aliquando de lege communi peccata condonantur.* 134.

Propoſitio vj. *Multum probabile eſt, quod homo memor ſuorum peccatorum, iuſtificetur ſine formali deteſtatione peccatorum, quorum memoriam habet, ſi formalem dilectionem Dei ſuper omnia habet.* 138.

Propoſitio vij. *Securior, & verior ſententia eſt, extra caſum obliuionis naturalis, vel inconſiderationis numquam remitti peccatum mortale ſine formali actu pœnitentiæ.* 139.

Propoſitio j. *Conſcientia, & ſynterelis non ſunt in volumen, ſed in intellectu.* 140.

Propoſitio ij. *Conſcientia non conſiſtit in habitu.* 141.

Propoſitio iij *Probabilius eſt aſſerere, quod conſcientia ſit ipſe actus intellectus, quo quis iudicat hic, & nunc aliquod eſſe appetendum, vel fugiendum.* 141.

Propoſitio jv. *Syntereſis habitualitèr ſumpta eſt habitus intellectus inclinans ad aſſentiendum generalibus principijs.* 142.

Propoſitio v. *Docebit hæc Propoſitio diuiſiones conſcientiæ.* 142.

Propoſitio vj. *Bonitas interni actus dependet à lege æterna.* 144.

Propoſitio vij. *Inſtruet hæc Propoſitio, quomodo licitè operetur homo cum conſcientia erronea.* 145.

Propoſitio viij. *Tenemur non agere contra conſcientiam errantem inuincibilitèr, & proponentem obiectum, vt licitum, vel illicitum.* 145.

Propoſitio jx. *Actus conformis conſcientiæ inuincibilitèr erranti eſt bonus.* 146.

Propoſitio x. *Conſcientia inuincibilitèr erronea obligat hominem ad ſe conformandum illi, quamdiù ducat.* 147.

Propoſitio xj. *Proponit, & ſoluit argumenta pugnantia contra Propoſitiones ſupra poſitas.* 147.

Propoſitio xij *Subſequuntur, & ſoluuntur alia argumenta.* 148.

Propoſitio xiij. *Conſcientiam errantem vincibilitèr, iudicantem aliquod eſſe bonum, quod verè eſt turpe, non licet ſequi.* 149.

Propoſitio xjv. *Conſcientiæ ex ignorantia vincibili dictanti aliquod eſſe præceptum, vel faciendum, quod vere eſt prohibitum, non licèt ſe cōformare, quinimò*

nimò ſe conformare eſt peccatũ. 150.
Propoſitio xv. *Quando conſciẽtia erronea vincibilis dictat aliquod eſſe bonum, vel licitum, quod reuera aliqua lege ſubmortali eſt prohibitum: tunc grauius peccatum eſt ſequi conſcientiam, quàm non.* 151.
Propoſitio xvj. *Quando quis ex vincibili errore conſcientiæ peccat, vbi nulla eſt obligatio à parte rei: tunc malitia peccati non minuitur ex eo, quod non ſit lex conſequentèr ille homo tunc tantum peccat, ac ſi eſſet lex tunc obligans.* 151.
Propoſitio xvij *Agitur de conſcientia probabili.* 151.
Propoſitio xviij. *Proponitur opinio Subtiliſſimi Scoti.* 152.
Propoſitio xjx. *Iudex non poteſt ferre ſententiam contra propriã opinionem, quam ipſe poſt ſtudium arbitratur eſſe probabiliorem.* 154.
Propoſitio xx. *Confeſſarius non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur abſoluere pænitentem cõtra propriam opinionem, ſi pænitens velit iuxta ſententiam aliam probabilem operari.* 155.
Propoſitio xxj *Confeſſarius ſaltẽ in aliquibus caſibus debet contra propriam opinionem abſoluere pænitentem, qui iuxta aliam ſententiam probabilem vult operari.* 155.
Diſcurſus de Aduocatis. 157.
Propoſitio vnica. *Hæc diſtinctio Scoti non probatur.* 157.
Diſcurſus de Medicis. 158.
Diſcurſus de conſcientia dubia. 158.
Propoſitio i. *Vt voluntas ſit bona, oportet intellectum non eſſe practicè dubium, ſed debet determinatè iudicare hic, & nunc eſſe agendum.* 160.
Propoſitio ij *Qui operatur cum hac dubitatione practica, peccat peccato eiuſdem ſpeciei, cum eodem, quo dubitat.* 160.
Propoſitio iij. *Quando quis practicè dubitat: an aliquid ſit licitum, & ex altera parte credit, vel opinatur, vel certò ſcit omittere illam actionem, vel aliam exercere, non eſſe malum, debet omittere illam actionem, de qua dubitat an ſit licita, vel ad illam exercendam teneatur. & agere id, quod ſcit licitè poſſe fieri.* 160.
Propoſitio jv. *Quando aliquis eſt ita dubius, vt quidquid agat, dubitet an ſit peccatum: v. g. ſi Prælatus iubeat, ne dent panem ei, de quo dubito, an ſit in extrema neceſſitate, aut ſi dubitem, an id, quod præcepit, ſit contra Legem Dei?* 161.
Diſcurſus de Subdito. 161.
An ſubditus contra propriam opinionem, & in dubio debeat parere Superiori. 161.
Propoſ. vnica. *Agitur de obedientia ſubditorum,* 162.

DISPVTATIO VIII.

De quantitate doloris ad validitatem veræ contritionis requiſita, vbi de cæteris ad eiuſdem valorem neceſſarijs etiam agitur. 166.
Propoſitio j. *Non requiritur certa temporis duratio ad perfectam contritionem.* 166.
Propoſitio ij. *Dolor, ac deteſtatio peccati, ſeù contritio perfecta*

non debet habere certam aliquā intentionem, ad hoc, vt remiſſionem, & iuſtificationem conſequatur, dummodò ſit ſuis circumſtantijs alijs perfecta. 168.

Propoſitio iij. *Deteſtatio peccati mortalis debet eſſe ſumma appretiatiuè actu, vel virtute.* 169.

Propoſitio jv. *Ad contritionem veram multorum peccatorum, quorum vnum eſt grauius alio, neceſſe eſt, vt peccator plus doleat de eo, quod eſt deterius.* 170.

Prima Difficultas. *An de ſingulis peccatis ſingulos dolores habere debeamus, ita vt quot ſunt ſpecie, & numero peccata, tot ſint numero conditiones.* 171.

Secunda Difficultas. *An ad veram contritionem neceſſariam ſit vt quis diligentiam adhibeat in reuocandis ad memoriam peccatis, vt ſingula expreſſim deteſtetur, quamuis vna deteſtatione ante iuſtificationem (ſi commodè poteſt) vel ipſa, aut poſt ipſam.* 171.

Tertia Difficultas. *An hoc propoſitum debeat eſſe explicitum, & formale: an ſufficiat virtuale.* 172.

DISPVTATIO IX.

De eſſentia, conuenientia, & diſcrimine formali attritionis, & contritionis. 172.

Propoſitio j. *Dolor de peccatis, & deteſtatio eorumdem, ſi ſit attritio propriè dicta, non eſt diſpoſitio proxima ad remiſſionem eorumdem, & infuſionem gratiæ ſine Sacramento.* 172.

Propoſitio ij. *Hic modus dicendi non eſt admittendus.* 173.

Propoſitio iij. *Hic modus dicendi non eſt admittendus.* 173.

Propoſitio iv. *Hic quoque modus dicendi haud eſt admittendus.* 174.

Propoſitio v. *Attritio iſta rigoroſè ſumpta poteſt aliquo modo fieri contritio virtute Sacramēti pœnitentiæ.* 174.

Propoſitio vj. *Hæc doctrina minimè valet.* 174.

Propoſitio vij. *Doctrina iſta nobis non probatur.* 175.

Propoſitio viij. *Explicatur verus modus dicendi.* 175.

DISPVTATIO X.

In quo genere cauſæ cōtritio remittat peccata. 176.

Propoſitio j. *Contritio ex charitate elicita non remittit peccata formalitèr, ſed diſpoſitiuè.* 177.

Propoſitio ij. *Alia datur ratio probans noſtram propoſitionem.* 178.

Propoſitio iij. *Adducitur altera probatio.* 180.

Propoſitio jv. *Conſiderantur motiua deſumpta ex Tridentino à P. Vaſquez verſus noſtra aſſerta.* 182.

Propoſitio v. *Proponuntur, & ſoluuntur motiua impugnantia noſtram Propoſitionem: Initium ſit à primo.* 184.

Propoſitio vj. *Contritio, quam ſupra demonſtrauimus inſufficientem ad reddendum animam ſanctam, & filiam Dei adoptiuam, non eſt ex ſe potens ab anima expellere peccatum; quinimò non eſt diſpoſitio ex propria natura, ſed tantum ex ordinatione Diuina.* 188.

Propoſitio vij. *Adducuntur, & ſimul ſoluuntur ea, quæ noſtrā impu-*

Digitized by Google

impugnant propoſitionem. 190.

Propoſitio viij. *Contritio non producitur ab habitu gratiæ ſanctificante.* 192.

DISPVTATIO XI.

De effectu Pænitentiæ in ordine ad remiſſionem peccati mortalis. 194.

Propoſitio j. *Formale peccati non conſiſtit in aliquo poſitiuo, ſcilicet in ſubſtantia actus.* 196.

Propoſitio ij. *Adducuntur aliæ rationes probantes rationem formalem peccati minimè conſiſtere in aliquo reali poſitiuo.* 199.

Propoſitio iij. *Subſequuntur aliæ probationes.* 201.

Propoſitio iv. *Adducuntur probationes ex authoritatibus.* 202.

Propoſitio v. *Peccatum non conſiſtit in aliquo conflato ex poſitiuo, & priuatiuo, tamquam ex partibus eſſentialibus.* 203.

Propoſitio vj. *Formale conſtituentium peccati commiſſionis non poteſt eſſe poſitiuum morale ſuperadditum actui.* 204.

Propoſitio vij. *Adducuntur aliæ rationes pro noſtra propoſitione.* 205.

Propoſitio viij. *Ratio formalis peccati conſiſtit in priuatione rectitudinis.* 206.

Proponuntur argumenta probantia malitiam moralem non poſſe cõſiſtere in priuatione, & ſoluuntur his ſubſequentibus Propoſitionibus. 208.

Propoſitio j. 208.

Propoſitio ij. 210.

Propoſitio iij. 212.

Propoſitio iv. *Proponitur ſolutio Patris Erreræ.* 213.

Propoſitio v. *Proponitur alter modus ſoluendi argumentum.* 214.

Propoſitio vi. *Aliud argumentũ* 216.

Propoſitio vij. *Aliud argumentũ.* 217.

Propoſitio j. *Peccatum habituale non conſiſtit formalitèr in priuatione gratiæ ſanctificantis.* 220.

Propoſitio ij. *Proponitur altera ſententia.* 222.

Propoſitio iij. *Sententia Scoti de peccato habituali explicatur.* 225.

Propoſitio iv *Proponuntur argumenta probantia peccatum habituale conſiſtere in priuatione gratiæ ſanctificantis, & ſoluuntur.* 229.

Propoſitio v. *Nullum eſt adeò graue, & enorme peccatum, de quo homo pænitere non poſſit in tota ſua vita, & veniam conſequi per Pænitentiam.* 229.

DISPVTATIO I.

De ſacramento Pænitentiæ. 231.

Propoſitio i. *Datur Pænitentiæ Sacramentum.* 231.

Propoſitio ii. *Sacramentum Pænitentiæ eſt diſtinctum à Sacramento Baptiſmi.* 232.

Propoſitio iii *Proponuntur motiua contraria noſtræ Propoſitioni.* 233.

Propoſitio iv. *Notantur nonnulla ſcitu digna.* 233.

Propoſitio v. *Notans in quo conueniat, & differat Pænitentiæ virtus, & Pænitentiæ Sacramentum.* 234.

DISPVTATIO II.

De ſpectantibus ad eſſentiam Sacramenti Pænitentiæ. 235.

Propoſitio j. *Scotus omninò eſt alienus à ſententia hæreticorum, nec contra fidem quidpiam ſentit.* 236.

Propoſitio ij. *Sacramenti Pænitentiæ partes propriæ dictæ, nul*

Digitized by Google

la ſunt: & actus pænitentis, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, non poſſunt dici propriè partes pænitentiæ. 238.
Propoſitio iii *Proponitur ſententia contraria.* 239.
Propoſitio iv *Non ſufficit volūtas confitendi, & recipiendi abſolutionem, etſi peccator nullum actum habeat, quo formalitèr, vel virtualitèr peccato adhæreat.* 240.
Propoſitio v. *Accedenti ad Sacramentum Pænitentiæ non eſt neceſſarius verus, & perfectus motus contritionis.* 242.
Propoſitio vi. *Vt aliquis licitè ad Sacramentum Pænitentiæ accedat, non requiritur, vt habeat contritionem excitatam virtute Sacramenti Pænitentiæ.* 243.
Propoſitio vii. *Accedentē ad Sacramentum Pænitentiæ nō oportet attritionem, quam habet de peccato, reputare contritionem, vt effectus conferatur.* 243.

DISPVTATIO III.

De neceſſitate Confeſſionis. 245.
Propoſitio i. *Lex naturalis non cōſiſtit formalitèr in æterna iuſſione Diuinæ voluntatis.* 247.
Propoſitio ii *Lex naturalis non conſiſtit in actu intellectus Diuini.* 248.
Propoſitio iii. *Lex naturalis non eſt ipſa natura rationalis in ſe conſiderata.* 248.
Propoſitio iv. *Lex naturalis conſiſtit in propoſitione obiectiua practica, qua ſine poſitiua depēdentia à lege extrinſeca aliquid denunciatur verè eſſe ſub obligatione.* 249.
De Lege æterna. 250.
Propoſitio i *Lex æterna non eſt actus Diuini intellectus, quo cognoſcit res eſſe debitas, vel indebitas.* 250.
Propoſitio ii. *Lex æterna non eſt actus Diuinæ voluntatis.* 250.
Propoſitio iii. *Lex æterna ſunt ipſamet res, cum tali, vel tali veritate, & entitate Vndè lex æterna eſt ipſamet bonitas obiectiua, vel malitia, quam habēt res in ſeipſis ex ſeipſis.* 251.
De Lege Poſitiua, & quid ſit. 252.
Propoſitio i. *Lex Poſitiua conſiſtit in actu voluntatis.* 254.
Propoſitio ii *Lex Diuina Euangelica eſt nobilior Moſayca, præceptorum paucitate, gratiæ abūdantia, ſpe cæleſtis promiſſionis; quia eſt lex amoris, altera verò timoris.* 255.
Propoſitio iii. *Lex Euangelica adeò eſt obſeruandum facilis, vt non ſolùm ſit poſſibilis, ſed de facto obſeruetur.* 257.
De lege Eccleſiaſtica. Lex Eccleſiaſtica eſt, quæ à Prælatis, & Principibus Eccleſiæ inſtituitur pro pace, & regimine Eccleſiæ; obligatoq; in conſcientia, & ſub peccato. In hoc differt Eccleſiaſtica lex à Diuina, quod lex Dei immediatè à Deo ſit, lex verò Eccleſiæ, quamuis dictante Spiritu Sācto fiat, tamen immediatè ab homine inſtituitur, vndè ab eo tanquam immediato Legiſlatore dicitur humana, differtq; à Diuina, quod lex Dei omnia ſua præcepta præferat immediatè in Deum, Deiq; gloriam, & ad meritū vitæ æternæ, lex verò

Digitized by Google

Eccleſiaſtica, etſi habeat quadã præcepta eiuſdem generis, non tamen omnia. 259.

De lege Ciuili. Lex Ciuilis, ſeu politica eſt, quæ à Principe, ſeu Magiſtratu terreno ſuis imponitur ſubditis, pro eorum pace, & bono, & obligat in conſcientia. Soli Anabaptiſtæ ſibi perſuadent illicitum eſſe Chriſtianis Magiſtratum, atq; dominium, vndè, & negant licere Chriſtiano Principi leges cõdere: Catholici verò credunt huiuſmodi leges ciuiles obligare in conſcientia, nam reliqui falſi Chriſtiani volunt huiuſmodi leges nequaquam ligare in conſcientia, ſed dumtaxat ad pœnam temporalem impoſitã tranſgreſſoribus. 261.

De Neceſſitate Confeſſionis. 262.

Propoſitio j. *Confeſſio Sacramentalis non cadit ſub præcepto iuris naturalis; ita Scotus cum ſuis, & Angelicus Magiſter cum ſuis diſcipulis.* 263.

Propoſitio ii. *Confeſſio occultorum peccatorum non eſt contra ius naturæ.* 263.

Propoſitio iii. *Confeſſio nõ eſt inſtituta in lege naturæ, in qua antè legem ſcriptam fuerunt aliqua præcepta poſitiua.* 263.

Propoſitio iv. *Confeſſio non fuit inſtituta in veteri lege.* 263.

Propoſitio v. *Confeſſio auricularis, & ſacramẽtalis eſt præcepti, medij finis omnimoda neceſſitate neceſſaria peccatori quærenti remiſſionem ſuorum peccatorum, & fuit inſtituta à Chriſto in lege Euangelica.* 265.

Propoſitio vi *Examinantur nonnulla, quæ videntur infirmare fundamentum principale noſtræ iſtius propoſitionis,* 267.

Propoſitio vii. *In qua proponuntur, & ſoluuntur pugnantia contra noſtram propoſitionem.* 270.

An Eccleſia potuerit præcipere confeſſionem Sacramentalem. 270.

Propoſitio i. *Eccleſia non habet, nec vnquam habuit poteſtatem præcipiendi, vel prohibendi actus merè internos.* 271.

Propoſitio ii. *Non ſolum actus interni, qui ſunt per ſe principia actuum externorum ſecundum eſſe materiale, & phyſicum cadunt ſaltem indirectè ſub materia legis Eccleſiaſticæ, ſed etiam illi actus interni, qui neceſſarij ſunt ad ſubſtantiam actus externi in genere morali, & virtutis.* 271.

Propoſitio iij *Eccleſia nec habet, nec habere poteſt poteſtatem præcipiendi confeſſionem omnium peccatorum etiam interiorum, quomodo nunc in Eccleſia vſurpatur confeſſio.* 274.

Difficultas. *An qui confeſſus eſt, & abſolutus legitimè, poſſit aliquo præcepto, vel lege compelli ad aliqua peccata deindè confiteri.* 275.

Ad ſecundam difficultatem: An ſcilicèt poſſit condi particulare aliquod ſtatutum ad certum genus hominum, quò compellantur iterùm confiteri. 276.

Propoſitio jv. *De iure Diuino Infideles non tenentur ad confeſſionem Sacramentalem.* 276.

Propoſitio v. *Omnes fideles tenen-*

tur ad obſeruantiam huius præcepti. 277.

Propoſitio vj. *Tenentur qui in Confeſſione præcedenti valida, omiſerunt aliquod peccatum, vel ex obliuione, vel ex alia rationabili cauſa, illud confiteri ſi recordentur.* 278.

Propoſitio vij. *Tenentur qui dubitant ſe habere aliquod peccatum mortale.* 278.

Propoſitio viij. *Non tenetur quis ratione peccatorum, à quibus eſt ſemel ſacramentalitèr abſolutus* 278.

Propoſitio ix. *Qui non tenentur confiteri, hi nec ſunt capaces confeſſionis ſacramentalitèr.* 279.

Propoſitio x. *Ratione peccatorum ante baptiſmum commiſſorum quis eſt hic incapax confeſſionis.* 279.

Propoſitio xi *Ratione peccatorum aliàs ritè in confeſſione adductorum, eſt quis capax alterius confeſſionis.* 279.

Propoſitio xij *Ratione vniuerſalitũ eſt quis capax abſolutionis.* 280.

DISPVTATIO IV.

De tempore, quo homo teneatur confiteri ex præcepto Diuino. 281.

Propoſitio i. *Non tenetur homo iure Diuino ſtatim poſt peccatũ commiſſum confiteri.* 281.

Propoſitio ii *Tenemur confiteri in articulo mortis.* 282.

Propoſitio iii. *Tenetur quando occurrit probabile periculum, quod tempore quo tenetur ad cõfeſſionem, occurrat ſibi aliquod graue impedimentum.* 282.

Propoſitio iv. *Non tenetur homo, propter periculum obliuionis, confiteri ſtatim ſua peccata.* 283.

Propoſitio v. *Tenemur confiteri noſtra peccata ante ſumptionem Euchariſtiæ.* 283.

Propoſitio vj. *Non tenetur quis ad confeſſionem, quando ſuſcipit alia Sacramenta, aut exercet alia munera exigentia gratiam.* 283.

DISPVTATIO V.

De Obligatione confitendi, orta ex præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis. 284.

Propoſitio i. *Præceptum confeſſionis in aliquo determinato tempore non eſt ſimplicitèr Diuinũ.* 284.

Propoſitio ii. *Confeſſionis annuæ præceptum, non eſt ſimplicitèr Eccleſiaſticum, ſed Diuinum ab Eccleſia, determinatum.* 284.

Propoſitio iii. *Si nulla eſſet determinatio præcepti Diuini facta ab Eccleſia, nulla eſſet obligatio confeſſionis, præter caſus enumeratos in propoſitione ſupra.* 285.

Propoſitio iv. *Hoc præceptum obligat ad mortale, eſt communis Theologorum, & Iuriſtarum.* 285.

DISPVTATIO VI.

Ad quid obligat hoc præceptum cũ annua determinatione. 286.

Propoſitio i. *Non obligat, vt cõfeſsio fiat certo anni tempore, ſcilicèt in Quadrageſima, vel circa dies Paſchæ.* 286.

Propoſitio ij. *Non eſt aliquo alio nouo iure introducta confeſsio, vel obligatio in Quadrageſima, vel circa dies Paſchæ.* 286.

Difficultas. *Quando debeat computari hic annus.* 287.

Propoſitio i. *Qui non ſunt confeſſi antè annum, tenentur ſtatim habita opportunitate confiteri.* 287.

Propoſitio ij. *Qui confeſſus eſt omnia peccata, quorum habuit*

notitiam

notitiam, ſi poſtea alicuius peccati recordetur, non tenetur iterum eodem anno confiteri. 287.

DISPVTATIO VII.

Vtrum in Eccleſia ſit poteſtas pœnitùs abrogandi præceptum Cōfeſsionis, aut ſaltem in eo diſpēſandi: veritatem docebunt, quæ ſubſequuntur propoſitiones. 288.

Propoſitio j. *In Eccleſia non eſt poteſtas pœnitùs tollendi hoc præceptum.* 288.

Propoſitio ii. *Summus Pontifex non poteſt legitimè omninò tollere determinationem huius diuini præcepti.* 288.

Propoſitio iii. *In Eccleſia non eſt poteſtas diſpenſandi in hoc præcepto, quoad id, quod eſt iuris Diuini.* 288.

Propoſitio jv. *In Eccleſia eſt poteſtas variandi hanc determinationem.* 289.

Propoſitio v. *In Eccleſia eſt poteſtas diſpenſandi quoad illud, quod eſt iuris humani,* 289.

DISPVTATIO VIII.

De Circumſtantijs. 289.

Quæ circumſtantiæ peccatorum in confeſsione ſint aperiendæ. 289.

Documentum i *Omnes circumſtantiæ morales quomodolibet ad conſtitutionem actus humani [illegible]entes, & ipſum ponentes in aliqua ſpecie determinata moris, non ſunt accidentia quinimò conditiones eſſentiales actus, in genere moris: at circumſtantiæ, quæ vel dant ſecundam ſpeciem, vel potiùs intra eădem ſpeciem augent, vel minuunt bonitatem, vel malitiam actus in genere moris, ſunt accidentia actus moralis, & propriam retinent rationem circumſtantiæ.* 291.

Documentum ii. *Ad hoc, vt aliqua circumſtantia moralitèr efficiat actum humanum, primò requiritur, quod poſita tali circumſtantia in actu, & comparata ad rectam rationem, mutet habitudinem ad illam in cōformitate maiori, vel minori, vel diſconformitate.* 291.

Documentum iii. *Actus humanus præter bonitatem obiectiuā, quam habet ex obiecto, ſiuè ex materia circa quam verſatur; deſumit etiam ſpecificam bonitatem ex circumſtantijs, ſine quibus non eſt completè, & ſpecificè bonus.* 292.

Documentum iv. *Actus humanus interdum ſuſcipit nouam bonitatem, & malitiam ex noua circumſtantia ſuperaddita; & interdum ſuſcipit accidentale argumentum, vel decrementum intra eamdem ſpeciem.* 293.

Documentum v. *Proponuntur nonnulla contra ſuperiora documenta.* 293.

Documentum vi. *Bonitas moralis quatenus conſurgens ex materia, & circumſtantijs eſt ſimplicitèr compoſita, & quatenus talis diuiſibilis eſt.* 294.

Documentum vii *Si conſideretur bonitas moralis, quatenus præciſè conſurgit ex ſolis conditionibus requiſitis ſecundum regulā prudentiæ, ſcilicet ex materia, & circumſtantijs; in hoc ſenſu poteſt dici quodammodo indiuiſibilis ſecundum eſſe ſpecificum.* 295.

Docu-

Digitized by Google

Documentum viii. *Loquendo de bonitate actus, deſumpta ex circumſtantijs non ſimpliciter neceſſarijs ad eſſe ſpecificum actus, ſed tantum ad melius eſſe: ex hac parte bonitas ſpecifica eſt materialitèr diuiſibilis.* 295.

Documentum ix *Actus interior voluntatis, vt ſit ſimplicitèr bonus, ideſt ſecundum completum eſſe ſpecificum, requiritur neceſſario præter bonitatem obiecti aliquas circumſtantias ſecundum regulam prudentiæ.* 296

Documentum x. *Actus interior voluntatis interdum ſumit aliquam bonitatem, & malitiam ex circumſtantijs, tàm obiectiuis, quàm ſe tenentibus ex parte ipſius actus.* 297.

Difficultas. *Quomodo circumſtantiæ obiectiuè debeant eſſe volitæ, vt tribuant bonitatem actui interiori.* 298.

Documentum xi. *Vt circumſtātiæ obiectiuæ conferant bonitatem actui interiori, requiritur neceſſariò, quod ſint in ſe directè volitæ, & intenſæ, quatenus honeſtæ ſunt.* 298.

Propoſitio i. *Circumſtantiæ ſpeciem mutantes ſunt confitendæ.* 300.

Propoſitio ij. *Pœnitens tenetur reuelare perſonam complicis, quādo non poteſt alitèr integrè confiteri ſua peccata, non obſtante periculo infamiæ, aut ſiniſtræ opinionis, quod pateretur complex apud Confeſſarium.* 300.

Propoſitio iij. *Adducuntur aliæ rationes.* 301.

Propoſitio iv. *Proponuntur, & ſoluuntur quæ noſtram impugnant propoſitionem.* 301.

Propoſitio v. *Aliæ rationes contra noſtram propoſitionem, & reſoluuntur.* 302.

Propoſitio vj. *Diſputans, an confiteri debeamus circumſtantias ſpeciem peccati non mutantes, ſed eius turpitudinem notabilitèr aggrauantes.* 303.

Propoſitio vij. *Opinio docens tantùm eſſe confitendas circumſtātias augentes, ſeù aggrauantes; non autem minuentes, non eſt amplectenda.* 203.

Propoſitio viij *Valdè probabilis eſt opinio docens non eſſe neceſſarium detegere in confeſſione circumſtantias aggrauantes ſolum, & augentes malitiam peccati, quæ non mutant ſpeciem.* 304.

Propoſitio jx. *Probabilior ſententia, docens aperiendas eſſe in confeſſione circumſtantias notabilitèr aggrauantes, aut minuentes peccatum.* 305.

Propoſitio x *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta contra ſententiam docentem non eſſe confitendas circumſtantias non minuentes ſpeciem.* 306.

Propoſitio xj. *Proponuntur, alia argumenta, & ſoluuntur.* 307.

Propoſitio xij. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta, probantia non eſſe neceſſariò cōfitendas circumſtantias nō mutantes ſpeciem.* 308.

DISPVTATIO IX.

De reuiuiſcentia bonorum operum per pœnitentiam, & reditum peccatorum per ſubſequens peccatum. 309.

Propoſitio j. *Delentur per pœnitentiam*

tentiam

ſentiam peccata, ita vt reuiuiſcere non poſsint de potentia Dei ordinaria. 309.

Propoſitio ij. *Quando Deus non abſolutè, ſed ſub conditione iſta (ſi homo, non in nouum incidat peccatum) Remitto peccatum; ſi autem dixiſſet, Remitto peccatum ea lege, ne amplius peccet, & iterato peccando, volo redire, peccatum rediret.* 310.

Propoſitio iij. *Merita per peccatum mortale mortificata reuiuiſcunt per ſubſequentem pœnitentiam.* 311.

Propoſitio jv. *Proponuntur, & ſoluuntur nonnulla argumenta.* 311.

DISPVTATIO X.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ. 312.

Propoſitio i. *Poteſtas ordinis, quæ nihil aliud eſt, quàm ipſum Sacerdotium, neceſſaria eſt volenti miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ.* 313.

Propoſitio ij. *Poteſtas iuriſdictionis neceſſariò debet coniungi cũ ordinis poteſtate, vt ſit valida abſolutio, quam iuriſdictionem, partim à Deo, partim ab Eccleſia habuit Miniſter pœnitentiæ.* 314.

Propoſitio iij. *Proprius ſit, aut legitimus pœnitentis Confeſſor, qui eſt Miniſter Sacramenti pœnitentiæ.* 315.

Propoſitio iv. *Scientia debet eſſe in Confeſſore maxima, qua cuiuſcumq; peccati naturam, vel deformitatem agnoſcat: Ius Canonicum non ignoret: caſus reſeruatos, exploratos habeat, quæ peccata habeant annexam reſtitutionem, certò ſciat.* 315.

DISPVTATIO XI.

Diſputatur de poteſtate Clauium Eccleſiæ. 316.

Documentum j. *Agens de origine Iuriſdictionis ſæcularis.* 318.

Documentum ij. *Deſputatur de origine iudiciorum, eorumque cauſa efficienti, & formali.* 319.

Propoſitio i & ii. 319.

Documentum iij. *Diſputans de ſpeciebus, & diuiſionibus iudiciorum.* 320.

Documentum iv. *Diſputatur de diuiſione Iudiciorum ex perſona Iudicis.* 320.

Documentum v. *Agitur de iudicio competenti, & incompetenti.* 320

Propoſitio i. & ij. 320.

Propoſitio iii. & iv. 321.

Notantur aliqua Corrollaria. 322.

Propoſitio i. ii. & iii. 325.

Documentum vi. *Quis, & quotuplex ſit arbiter.* 326.

Documentum vii. *Agens de obligatione, quam habet arbiter, vel arbitrator in procedẽdo, vel in ſententiando.* 327.

Propoſitio i. ii. & iii. 327.

Documenrum viii. *Agens de obligatione partium compromittentium.* 329.

Propoſitio i. ii. iii. & iv. 329.

Propoſitio v. *Poſt ſententiam latam, tenentur partes illi obedire.* 329.

Propoſitio vi. *Quando in compromiſſo eſt appoſita pœna contra eum, qui non ſtat ſententiæ: poteſt pars ſoluendo pœnam liberari ab obligatione de ſtando ſententiæ.* 229.

Propoſitio vii *Quando compromiſſum vallatum eſt iuramẽto, & al-*

Digitized by Google

& altera pars eſt manifeſtè grauata, tunc poteſt appellari etiã ſine abſolutione iuramenti. 329.

Propoſitio viij. *Quando promiſerunt non appellare, etiam ſi ſint grauatæ, tunc non poſſunt appellare, niſi prius obtenta abſolutione à iuramento.* 330.

Propoſitio. *In Eccleſia non eſt tantum vna poteſtas, ſed neceſſario ſunt conſtituendæ duæ supremæ poteſtates: altera ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, altera temporalis, & Regia.* 330.

Propoſitio. *Proponuntur, & ſoluuntur impugnantia noſtram poſitam propoſitionem.* 331.

Difficultas. *Quænam ſit dignior ex his duabus poteſtatibus? Reſpondemus poteſtatem Eccleſiæ, quæ ſpiritualis eſt, eſſe longè præſtantiorem, ac perfectiorem poteſtate laica, & temporali Regis, vel Imperatoris.* 334.

Propoſitio ij. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta contra noſtram propoſitionem.* 336.

Difficultas. *Quo iure ſit introducta poteſtas Eccleſiaſtica, & quotuplex ſit; quomodo ſit in Eccleſia, & in quibus.* 337.

Propoſitio j *Poteſtas ſpiritualis Eccleſiæ, ſiue ſit poteſtas Ordinis, & conſecrationis, ſiuè poteſtas iuriſdictionis in foro animæ, & conſcientiæ, non eſt à iure humano, nec à iure poſitiuo, ſed à ſolo iure Diuino.* 338.

Propoſitio ij. *Poteſtas Ordinis, & conſecrationis ex æquo eſt in omnibus Sacerdotibus, ſed poteſtas iuriſdictionis non eſt æqualitèr in omnibus.* 338.

Propoſitio iij. *Poteſtas iuriſdictionis in foro animæ, & conſcientiæ eſt poteſtas Clauium.* 339.

Propoſitio jv. *Claues nõ ſunt datæ, niſi ſolis Sacerdotibus, non veteris teſtamenti, ſed ſolum noui teſtamenti.* 340.

Propoſitio v. *Poteſtas iuriſdictionis diſtinguitur realitèr à poteſtate conſecrandi.* 340.

Propoſitio vj. *Poteſtas clauium operatur remiſſionem culpæ.* 340.

Propoſitio vii. *Examinantur aliquorum Theologorum placita circa hanc rem.* 342.

Propoſitio viij. *Proponitur aliquorum Catholicorum alter modus dicendi.* 342.

Propoſitio ix. *Sacerdotes veram habent poteſtatem remittendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ.* 343.

Propoſitio x. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta contra noſtra aſſerta,* 343.

Propoſitio xi *Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis non accipit iuriſdictionem, ſeu poteſtatem proximam abſoluendi à peccatis, ſed ſolum ab ipſa Eccleſia.* 345.

Propoſitio xij. *Proponuntur, & ſoluuntur, quæ militant contra noſtra dicta.* 347.

Propoſitio xiii. *Claues, quas Chriſtus D. Petro, eiuſq; Succeſſoribus Summis Pontificibus dedit, nobiliores ſunt clauibus datis alijs Eccleſiæ Prælatis,* 348.

Propoſitio xiv. *Poteſtas Clauium ſolis Sacerdotibus eſt data.* 349.

Propoſitio xv. *Proponuntur, & ſoluuntur, quæ contra noſtram militant propoſitionem.* 350.

Digitized by Google

DISPVTATIO XII.

Diſputatur de abſolutione Sacramentali. 351.
Propoſitio j. Conuenientiſſima, & apta forma huius Sacramenti cōſiſtit in iſtis verbis, Abſoluo te 353.
Propoſitio ij. Hæc ſola verba: Ego te abſoluo, ſunt de eſſentia formæ huius Sacramenti. 354.
Propoſitio iij. Illa verba, A peccatis non ſunt de eſſentia formæ. 354.
Examinantur nonnullæ difficultates cōtra noſtras propoſitiones. 355.
Propoſitio jv. Forma per modum deprecationis, vel impetrationis, inualida eſt, & inſufficiens. 357.
Propoſitio v. Abſolutio ſub conditione de futuro nulla eſt. 358.
Propoſitio vi. Conditio de futuro, neceſſariò, & infallibilitèr certa, nō impedit valorē Sacramēti. 359.
Propoſitio vij Abſolutio Sacramentalis non poteſt dari perſonæ abſenti, & ſi detur nulla erit. 363.
Propoſitio viij. Neceſſaria ſunt verba propriè dicta ad formam Sacramenti Pœnitentiæ, ita vt nec ſcriptura, nec ſignum aliquod ſenſibile exprimens intentionem de abſoluendo, ſufficiat ad hoc Sacramentum. 365.
Difficultas. Vtrum abſolutio informis ſit valida. 366.

DISPVTATIO XIII.

Diſputatur de Satisfactione. 368.
Explicatio vocum. Satisfactio eſt redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti. 368.
Documentum j. Volenti non fit iniuria. 470.
Documentum ij. Iniuria formalis ex parte agentis, ſeù inferentis, debet neceſſariò eſſe voluntaria, ſed non oportet, vt ſit expreſsè, directè volita, vel intenta. 372.
Difficultas. De quibus bonis facienda eſt reſtitutio. 372.
Documentum i Si quis abſtulit alteri bona ſpiritualia naturalia, vel temporalia, tenetur illa reſtituere quantum poteſt ex vi iuſtitiæ commutatiuæ. 373.
Documentum ii. Ille, qui mala voluntate, & ſtudiosè conduxit alium in peccatum, propter quod amiſit bona ſpiritualia ſupernaturalia, grauiùs peccauit, quam ſi ipſum occidiſſet. 373.
Documentum iii Qui inducit alium iam paratum ad peccandum v.g. meretricem iam paratam non tenetur curare illius emendationem maiori vinculo charitatis, quam aliorum, quos videt peccare. 374.
Documentum iv. Qui errorem grauem docet etiam in ſpeculabilibus; ſiuè grauitas terroris ſumatur intenſiuè, ſiuè extenſiuè, tenetur ad reſtitutionem ratione grauis iniuriæ, 374.
Documentum v. Qui vi, vel fraude alterum induxit ad peccandum, peccat contra iuſtitiā, & obligatur ad reſtitutionem. 375.
Documentum vi. Qui ſine vi, & metu, ac fraude alterum induxit ad peccatum: quod in materia ipſius iuſtitiæ nō verſetur; non peccat contra iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem per ſe loquendo, ſi peccatum, eſt commiſsum, nec eſt periculum alteriùs peccati vi inductionis cō mittendi. 376.
Proponuntur, & ſoluuntur obie-

ctiones

Digitized by Google

ctiones in contrarium. 377.

Documentum. *Diſputans de iniuria, & obligatione reſtituendi in eo, qui volentem ingredi Religionem, ab illa retrahit, vel ingreſſum extrahit.* 378.

Propoſitio i. *Quando quis reuocatur à Religione, ſiuè ſit iam nouitius, ſiuè adhuc non ſit: ſi ſine dolo, aut fraude, vel animo nocendi, ſed ſolum ob vtilitatem illius, qui auocatur, vel auocantis, vel quia iudicatur ineptus ad Religionem, vel quia Religio eſt labefactæ diſciplinæ, vel quia non iudicatur bona pro illo, ille, qui auocat aliquem à Religione, ad nihil tenetur.* 379.

Propoſitio ij. *Qui Nouitium, aut alium volẽtem ingredi Religionem, retrahit abſq; vi, & fraude, & animo nocendi: aut qui alium profeſſum, tali modo ex Religione extrahit, non tenetur ex iuſtitia aliquid reſtituere ipſi, aut Religioni.* 379.

Propoſitio iij. *Qui vi, vel fraude profeſſum, aut volentem ingredi Religionem, à Religione abduxit, tenetur ex iuſtitia vim, & fraudem tollere, & Religioni reſtituere.* 380.

Propoſitio jv. *Qui nouitium, aut profeſſum, vi, aut fraude à Religione abduxit eo nolẽte intrare; non tenetur ipſe intrare Religionem, aut ex iuſtitia alium ſubſtituere; ſed tenetur reſtituere Religioni emolumenta tẽporalia, quæ Religio omiſit ratione abductionis, iuxta æſtimationem ſpei acquirendi huiuſmodi emolumenta, & habita ratione expenſarum, quas Religio factura eſſet in alendo eo, qui abductus eſt.* 381.

Documentum. *Diſputans de iniuria famæ, eiuſque debito reſtituendi.* 383.

Præmittũtur nonnulla de ſuſpicione, & de iudicio temerario. 383.

Propoſitio j. *Quando adeſt ſufficiens, & rationabilis cauſa ſuſpicandi, vel dubitandi; tunc ſuſpicari, vel dubitare nullum eſt peccatum.* 383.

Propoſitio ij. *Quando non adeſt ſufficiens, & rationabilis cauſa ſi ſuſpicio ſit leuis, & repentina in quacumque materia, & de quacumque perſona, eſt tantum peccatum veniale, ſi eſt peccatũ.* 384.

Propoſitio iij. *Suſpicio ex leuibus inditijs orta, ſi habeat in homine cauſam experimentalem eſt peccatum veniale; ſi verò paruos, & modicos mores ſuſpicantis, vel odium, aut inuidiam, eſt peccatum mortale.* 384.

Propoſitio iv. *Suſpicio, aut dubitatio deliberata, & voluntaria ex leuibus indicijs, eſt ex ſuo genere peccatum mortale; ideò ſi ſit in materia graui, præcipuè circa perſonas honeſtas, & habentes in pretio ſuam æſtimationem; eſt ſemper peccatum mortale.* 384.

Notantur nonnulla Corollaria. 385.

De iudicio temerario purè mentali. 385.

Propoſitio i. *Iudicare aliquid malè de altero, quando adſunt cauſæ huius iudicij ſufficientes; nullum eſt peccatũ, quodcumq; malum ſit illud, quod indicamus,*

mus, & quæcumque perſona, de qua iudicamus. 385.

Propoſitio ij. *Iudicium temerarium ex leuibus indicijs, & cauſis profectum in materia graui, eſt peccatum mortale ex ſuo genere; non ſolum ſi habeat certitudinem, quam requirit Caietanus, ſed etiamſi habeat leuem aliquam dubietatem, quam ponit Sotus, quæ in moralibus nihil reputatur.* 386.

Difficultas. *Quæ materia dicatur grauis ad hoc, vt iudicium ſit temerarium.* 386.

Accipe ergo hæc Corollaria. 387.

Difficultas. *Quæ indicia ſint ſufficientia, vt iudicium non ſit temerarium.* 388.

Documentum i. & ii. 388.

Difficultas. *An & quomodo debemus interpretari dubia in meliorem partem.* 389.

Propoſitio j. *Ex ſuppoſitione, & ad cautelam, & remedium poſſumus dubia in peiorem partem interpretari.* 390.

Propoſitio ij. *Si feramus iudicium non de perſona, ſed de operatione iuſta ſecundum ſe, quod ſe habeat modo quodam ſpeculatiuo, non debemus illam interpretare in meliorem partem, nec etiam in contrarium, ſed debemus iudicare, vt eſt in ſe.* 390

Propoſitio iij. *Oblata occaſione rei dubiæ, ſi iudicium feratur de perſona ipſa, tenemur illam interpretari in meliorem partem negatiuè eo modo, quo docet Caietanus.* 391.

Propoſitio iv. *Ex ſuppoſitione dubia eſſet in meliorem partem interpretanda.* 391.

Propoſitio v. *Simpliciter, & abſolutè loquendo non videtur neceſſarium elicere actum poſitiuũ iudicij in meliorem partem de bonitate proximi, ſed ſufficit negatiuè ſe habere.* 392.

Vt reſpondeamus ad ſextum. 393.

Propoſitio j. *Certum eſt, ſi ille, qui refert malum alterius, ſit vir honeſtus, & fide dignus, alius verò improbus, & qui ſoleat ſimilia perpetrare, non eſſe temerarium credere id, quod ille narrat.* 394.

Propoſitio ij. *In caſu aſſignato ſi poſſumus ſuſpendere iudicium, nihil omninò iudicando, aut de veracitate dicentis, nec de probitate alterius, melius eſt hoc facere, quàm declinare in alteram partem. Quod ſi non poſſumus ſuſpendere iudicium, & omnia ſunt paria, poſſumus dubitare de probitate alterius.* 394.

Difficultas. *Licet me negare ſuffragium poſtulanti aliquod officium, vel beneficium, quando de moribus, & de bonitate illius dubitamus.* 395.

De Detractione. 395.

Difficultas. *quænam requirantur ad hoc, vt detractio ſit peccatum mortale.* 395.

Difficultas. *Quænam poſſunt eſſe legitimæ cauſæ huius rei?* 396.

Difficultas. *An reuelare peccatum vni viro graui, qui tenebit illud ſecretum, ſit peccatum mortale contra iuſtitiam.* 397.

Difficultas. *Quænam conditiones requirantur, vt detractor teneatnr ad reſtitutionem famæ.* 398.

Diffi-

Difficultas. *Vtrum ſit peccatum mortale audire detractionem, & ſeipſum infamare.* 402.
Propoſitio j. *Peccat mortalitèr contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem audiens detractorem, & aliquo modo mouens eundem, & incitans ad detrahendum proximo in materia graui lædente famam.* 402.
Propoſitio ij. *Qui ſe ipſum infamat, non peccat mortalitèr, per ſe loquendo contra iuſtitiam, aut etiam contra charitatem.* 403.
Examinantur nonnullæ difficultates. 404.
Prima Difficultas. *Vtrum ex iuſtitia teneatur Prælatus euitare ſuam infamiam, propter quã redditur ineptus ad regendum ſubditos, quibus ratione muneris obſtruta eſt fama Prælati.* 404.
Alia Difficultas. *An ille, cuius infamia redundat in alios, ſicut infamia Patris proditoris, & alios ſimili crimine infectos redundat in filios, quo redduntur inhabiles ad officia, & dignitates; præterea adulterium vxoris redundat in infamiam mariti, & infamia Religioſi redundat in infamiam Religionis, aut Congregationis, cuius eſt membrum.* 404.
Difficultas. *An liceat alicui, cum ſui infamia imponere ſibi falſum crimen, aut crimen verum fateri ad euitanda tormenta,* 405.
Propoſitio j. *Licitum eſt reo coram Iudice fateri crimen ſuum verum occultum, propter quod morte, aut mutilatione ſit puniendus.* 406.
Propoſitio ii. *Non peccat mortalitèr, qui ad euitanda prauia tormenta imponit ſibi crimen falſum, ex quo præuidit mortem ſibi certò inferendam.* 406.
Difficultas. *An teneamur aliquando reſtituere pecuniam cũ damno famæ, vel famam cum damno vitæ.* 407.
Propoſitio i. *Certum eſt regularitèr, & ordinariè bona Superioris Ordinis non eſſe exponenda pro bonis inferioris.* 407.
Propoſitio ij. *Verum eſt, quod Doctores primæ opinionis docent: valorem alicuius boni non eſſe conſiderandum meta, ſcilicèt ſecundùm naturas præciſas rerum, ſed mortalitèr ſecundùm id, quod exiſtimantur ab hominibus.* 408.
Propoſitio iii. *Certum eſt poſſe etiam nos ſi volumus exponere famam ad reſtituendam pecuniam, vel etiam vitam ad reſtituendam famam.* 408.
Propoſitio jv. *Eſt valde probabilis ſententia Caietani, nos nunquam teneri reſtituere pecuniam cum detrimento famæ, vel famam cum detrimento, vel periculo vitæ.* 408.
Propoſitio v. *Videtur valdè probabilis, & fortè magis vera ſententia, docens in aliquo caſu particulari, teneri hominem reſtituere pecuniam cum periculo, & amiſſione aliqua famæ, & interdum, & famam cum periculo vitæ.* 408.
Difficultas. *In quem cadat obligatio reſtitendi famam.* 409.

Propo-

Propoſitio j. *Non ſolùm principalis infamator, ſed etiam quiuis alius in effectum concurrens iniuſtè formalitèr, aut materialitèr ad alterius infamiam, tenetur ad famæ reſtitutionem, deficiente principali infamatore.* 409.

Propoſitio ij. *Hæredes infamatoris, quando ipſe non reſtituit, non contrahunt obligationem reſtituendæ famæ, contrahunt tamen obligationem reſtituendi pro damno ex infamia ſequuto.* 410.

Propoſitio iij. *Reus accuſatus de crimine occulto, prætermiſſo iuris ordine non peccat contra iuſtitiam, nec tenetur ad reſtitutionem famæ faciendam accuſatori, cuius famam læſit per negationem criminis.* 410

Difficultas. *Quis modus ſit ſeruandus in reſtitutione famæ.* 411.

Propoſitio j. *Quando aliquis falsò infamauit alterum, tenetur retractare, quod dixerat.* 411.

Propoſitio ij. *Dicimus ſecundò.* 412.

Propoſitio iij. *Quando nullo modo verbis poſſumus reſtituere famam propter peruiciã, vel malitiã eorum, quibus cum agimus.* 412.

Documentum. *In quo diſputatur de iniuria in bonis corporis.* 413.

Propoſitio j. *Secluſa Diuina authoritate numquam licitum eſt ſeipſum ex intentione directa occidere.* 413.

Propoſitio ij *Non licet homini propria authoritate ſe mutilare, niſi ſit pro conſeruatione totius.* 414.

Propoſitio iij. *Mutilare, & occidere ſeipſum, per ſe loquendo, non eſt peccatum contra iuſtitiam, ſed contra charitatem.* 414.

Propoſitio jv. *Multi dantur caſus, in quibus ob iuſtam cauſam licitum eſt homini permittere ſe occidi, aut mutilari; imò, & aliquam actionem facere, ex qua certò præuidetur mors ſequutura.* 415.

Propoſitio j. *Licitum eſt authoritate publica occidere malefactores etiam fures, quando eorum furtum, redundat in detrimentum boni communis.* 419.

Propoſitio ij. *Non licet authoritate priuata interficere delinquentes, niſi in caſu iuſtæ defenſionis.* 420.

Propoſitio iij. *Non licet interficere innocentes directè, & ex intentione, etiam pro conſeruatione Reipublicæ.* 421.

Documentum. *In quo agitur de iniuria, & obligatione reſtituendi ratione ſolius rei acceptæ:* 412.

Propoſitio i. *Qui rem alienam poſſidet bona fide, exiſtimans eſſe ſuam; ſi poſteà à bona fide cadat, alienam eſſe comperiens, tenetur illam Domino reſtituere.* 422.

Propoſitio ij. *Quando res aliena durante bona fide conſumpta fuit; ita vt res in ſeipſa non perſeueret, id ſolum reſtitui debet, in quo poſſeſſor ditior effectus eſt.* 422.

Propoſitio iii. *Poſſeſſor bonæ fidei fructus induſtriæ ſuos facit, quantumuis res aliena concurrat, eaq; propter illos, ſiuè extantes, ſiuè conſumptos reſtituere nõ tenetur; imò idem quoad hoc eſſe debet de malæ fidei poſſeſſore.* 423.

Propo-

Digitized by Google

Propoſitio jv *Poſſeſſor bonæ fidei, & à fortiori poſſeſſor malæ tenetur reſtituere Domino cum re ipſa fructus rei naturales extãtes.* 424.

Circa fructus bona fide conſumptos. 425.

Difficultas. *An emptor bonæ fidei poſſit rem emptam reddere furi, vt pretium recuperet.* 426.

Propoſitio j. *Poteſt emptor bonæ fidei reddere rem furi, vt pretium recuperet, alioquin non recuperandum.* 427.

Soluuntur argumenta impugnantia noſtras propoſitiones. 430.

Documentum, *Diſputans de iniuria, & obligatione reſtituendi ratione iniuſtæ acceptionis.* 430.

Propoſitio j. *Ratione iniuſtæ acceptionis tenetur malæ fidei poſſeſſor reſtituere rem ipſam, & reparare damna ex ablatione iniuſta, Domino illata, lucrumque ipſi Domino ex re percipiendum, ipſiquè propter iniuſtam rei ablationem ceſſans: ſi autem res, iſtaq; omnia perierunt, illorum pretium reſtituere tenetur.* 430.

Difficultas. *Si res aliena apud malæ fidei poſſeſſorem perijt, ſimiliter apud Dominum peritura: vtrum nihilominus reſtitutio facienda ſit Domino.* 431.

Propoſitio ii *Si res aliena perijt in poteſtate furis dolo ipſius, & iniuria tenetur ad reſtitutionem quamuis res foret etiam in poteſtate Domini peritura, ſi ablata non fuiſset.* 431

Difficultas. *Vtrum ex acceptione ob turpem cauſam oriatur obligatio reſtituendi.* 432.

Sequuntur nonnulla Corrolaria. 434.

Subſequuntur alia Corrolaria. 434.

Difficultas. *Vtrum ex acceptione propter cauſam debitam ex iuſtitia oriatur obligatio reſtituendi.* 437.

Diſcurritur pro re alijs ex virtutibus debita. 439.

Propria ſententia. 439.

Documentum. *Diſputatur de iniuria, & de obligatione reſtituendi orta ex ſola iniuſta acceptione rei alienæ.* 441.

Propoſitio j. *Iniuſtus damnificator totum damnum iniuſtè illatum reparare tenetur.* 441.

Petes: An deſtructor reſtituere teneatur, quod res valebat tempore deſtructionis, an verò quod erat poſtmodum valitura: v.gr. combuſſi incipientes ſegetes, vitulos, aut agnos, reſtituere ne debeo, quod tempore combuſtionis valebant; an verò quod poſtmodum maturo tempore creſcentes valerent. 441.

Deducuntur nonnulla Corrollaria. 442.

Difficultas. *An qui dat operam rei illicitæ teneatur reſtituere damnum indè ſecutum.* 443.

Propoſitio j. *Qui rem illicitam exercens præuidit proximi damnum indè ſequuturum, tenetur ex iuſtitia ad ſecuti damni reſtitutionem.* 443.

Propoſitio ij. *Quando quis dat operam rei illicitæ non præui*

Digitized by Google

dens damnum indè proximo inferendum, etiamſi poſtea damnum per accidens ex illo opere ſequatur, non tenetur ad damni reſtitutionem. 444.

Inferuntur nonnulla Corrollaria. 444.

Difficultas. Quid dicendum, quando prior actio erat iniuſta, non ſolum circa eandem perſonam, ſed etiam circa eandem materiam, quæ poſtmodum damnificata eſt. 445.

Documentum. Agens de iniuria, & de obligatione reſtituendi orta, ex impedimento iniuſto lucri alieni. 445.

Propoſitio j. Quando aliquis habet dominium, & ius perfectum in re, vel ad rem cum fructibus; tunc qui illum ab aſſecutione boni talis impediuit, tenetur ad damni reſtitutionem. 446.

Propoſitio ij. Quando bonum Petro non debetur ex iuſtitia, tunc qui Petro impedit aſſecutionem boni ſolis blanditijs, & conſilio, ſine vi, & dolo, non tenetur ad damni reſtitutionem. 447.

Propoſitio. Quando impedis Petro conſecutionem boni reſpectu cuius prædictum ius commutatiuæ iuſtitiæ non habet, tamen boni conſecutionem impedis vi, aut minis, fraudibus, & mendacijs, tunc damnum Petro illatum reſtituere teneris. 448.

Difficultas. Vtrum reſtituere teneatur, qui ſine vi, & dolo; ex odio tamen, & animo nocendi, electori, vel teſtatori ſuadet ne Petro hæreditatem, legatum, donum, aut beneficium Eccleſiaſticum conferat. 449.

Difficultas. An damnum reſtituere tenearis, ſi procuratorem abſque vi, & fraude inducis, vt rem Petri: v.g. officium, aut beneficium ex iuſtitia Petro non debitum, cuius procurandi curam ſuſceperat. 449.

Difficultas. Vtrum teneatur reſtituere damnum, qui iniuſtè literas aperuit, quibus de beneficio vacante Petrus admonebatur. Poſtmodum autem literas iterum ſigillatas Petro remittit ſine mora, tamen Petri diligentiam præuenit, & beneficium impetrat? 450.

Documentum. Diſputans de iniuria, & obligatione reſtituendi ex cooperatione ad damnum iniuſtum. 452.

Difficultas. Quid requiritur, vt cauſa damni iniuſti reſtituere debet. 452

Obſeruantur nonnulla Corrollaria. 453.

Documentum. De cooperantibus ad damnum iniuſtum. 455.

Diſputatur primò de Mandante, & Iubente. 455.

Notantur nonnulla Corrollaria. 455.

De Conſulente. 457.

De Conſentiente. 460.

De Adulatore, & Receptatore. 462.

De Participante. 463.

Difficultas. De concurrentibus negatiuè ad damnum. 466.

Propoſitio j. Tenentur ad reſtituendum damnum, quando non impedierunt, qui ad illud impediendum

Digitized by Google

diendum ratione officij, vel contractus ex iuſtitia tenebatur; huiuſmodi ſunt Gubernatores, publici Miniſtri, Cuſtodes, Medici, Procuratores, Aduocati, Tutores, & Curatores; idque quamuis iniuſti officium ſuſceperint: quia hæc munera, præcipuè cum ſuo lucro, ſuam afferunt obligationem iuſtitiæ. Tum ratione muneris, tum etiam ratione contractus, præcipuè ſi cum ſtipendio dentur. & vbi eſt obligatio iuſtitiæ, iniuſta eſt omiſſio impedimenti debiti. 466.

Propoſitio ij *Quando ex ſola charitate teneris damnum alterius impedire non debes reparare damnum, quod non impediuiſti.* 466.

Documentum. *Diſputatur de ordine, quo reſtituere tenentur iniuſti cooperatores damni.* 467.

Difficultas. *Quis teneatur priori loco reſtituere.* 467.

Notantur nonnulla Corrollaria. 468.

Ex dictis explicantur nonnulla difficultates. 470.

Documentum. *Diſputatur de iniuria, & obligatione reſtituendi, orta ex mora iniuſta.* 471.

Difficultas. *Quæ mora inducat obligationem reſtituendi.* 471.

Propoſitio j. *Tunc diſcontinuatio non eſt notabilis in ordine ad confeſſionem, neque inducit obligationem aperiendi pluralitatem peccatorum, quamuis realitèr detur, ſed ſufficit explicare peccatum, vt vnum; quando videlicet diſcontinuationem actuum ipſe operans non notat, nec diſcernit.* 472.

Propoſitio ii. *Quando diſcontinuatio talis eſt, quam ipſe operans notat, & cognoſcit; tunc eſt notabilis, & inducit obligationem aperiendi in confeſſione pluralitatem, quam notat. Ratio eſt, quia tunc bis, aut ter peccauit, preterea id benè notat, & euidentèr cognoſcit: ergò id exprimere in confeſſione tenetur: cum teneatur exprimere numerum peccatorum, quorum poſt ſufficiens examen, memoriam, ſeu conſcientiam habet, vt definit Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. & Canone 7. Confirmatur, quia nulla alia ratione tenetur quis confiteri ſe bis conſenſiſſe in homicidium, adulterium, vel furtum, niſi quia verè conſenſit, & ita eſſe cognoſcit. Video hanc poſtremam noſtræ explicationis partem ſtrictiorem quidem eſſe, ſi aliarum ſententiarum latitudinem attendas; quas ſanè probabiles eſſe, non nego, tamen noſtram eſſe veram propoſita ratione moueor; nec propterea obligandi ſunt fideles ad ſcrupuloſos voluntatis actus numero tantum diſtinctos, qui in aliquo peccato exterius conſumato repetuntur: vt plures conſenſus, qui in vnico actu adulterij, vel furti interuenire ſolent. Ratio eſt: quia omnes illi conſenſus ſola adulterij declaratione comprehenduntur: cum omnes illi tali*

Digitized by Google

opere externo adiuncti per ſe, ſint, neque ſine illis actio externa committi ſoleat. 472.

Propoſitio j. *Damnum creditoris eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.* 474.

Propoſitio ii. *Damnum notabile tertiæ perſonæ, eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.* 474.

Propoſitio iij. *Damnum notabile debitoris eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.* 474.

Propoſitio iv. *Impotentia debitoris eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitionem.* 475.

Propoſitio v. *Ceſſio bonorum eſt cauſa ſufficiens ad differendam reſtitutionem.* 476.

Propoſitio vi. *Cauſæ, quæ ſufficiunt ad omittendam omninò reſtitutionem notantur.* 476.

Documenrum. *In quo agitur de ſatisfactione Sacramentali.* 477.

Propoſitio j. *Satisfactio eſt neceſſaria cuilibet peccatori ad reconciliandum ſe Deo, & ad receptionem gratiæ, & ad remiſsionem peccati mortalis.* 479.

Propoſitio ij. *Oppoſita ſententia mihi probatur.* 480.

Propoſitio iij. *Probabile eſt peccatorem non poſſe ſatisfacere pro pœna debita ſuis peccatis, operibus aliàs debitis, & præceptis.* 481.

Propoſitio iv. *Proponuntur, & ſoluuntur, quæ noſtram tertiam impugnant propoſitionem.* 481.

Propoſitio. *Homo purus, ideſt non unitus Verbo, de Dei potentia abſoluta poteſt ſatisfacere Deo peccato, &c.* 484.

Propoſitio. *Proponuntur, & ſoluuntur Aduerſariorum motiua.* 490.

Propoſitio. *Satisfactio quandoque poteſt conſiſtere in aliquo actu bono non pœnale.* 493.

Propoſitio. *Non cuilibet peccato propria correſpondet ſatisfactio, vel pœnale opus ſatisfactorium.* 494.

Propoſitio. *Ad hoc ut ſit ſatisfactio totalis non diminuta pro pluribus peccatis requiritur, ut quantitati virtuali excedat aliam, quæ eſſet pro una tantum peccati eiuſdem rationis.* 494.

Propoſitio. *Uni, & eidem culpæ poſſunt correſpondere plures ſatisfactiones, vel totales, vel partiales.* 495.

Propoſitio. *Satisfactio ſi ſit totalis reconciliat ſatisfacientem ipſi, quem offendit.* 495.

Propoſitio. *Poteſt aliquis actualitèr ſatisfacere ſatisfactione propria ſufficiente uni peccato, non ſatisfaciendo alteri, quantum ad effectum, ſed bene quantum ad effectum.* 496.

Propoſitio. *Opera ſatisfactoria in peccato facta, non perdunt ex ſuperueniente peccato virtutem diminuendi pœnam Purgatorij.* 497.

DISPVTATIO XIV.

Diſputatur de Sigillo Confeſſionis Sacramentalis.

Propoſitio j. *Confeſſarius iure*

naturali

naturali tenetur ſeruare ſigillum confeſſionis, reticendo ea, quæ in Confeſſione manifeſtata fuere. 502.

Propoſitio ij. *Iure Diuino tenetur Confeſſarius ad ſigillum Cõfeſſionis ſeruandum.* 503.

Propoſitio iij. *Hoc ſigillum comprehendit omnem Sacerdotem audientem Confeſſionem, & eum etiam, qui licet verè non ſit Sacerdos, tamen vt talis creditur à Pœnitente, vt etiam Superiorem, quando petitur ab ipſo licentia in ordine ad peccata reſeruata.* 504.

Propoſitio jv. *Hoc ſigillum obligat etiam Interpretem,* 504.

Propoſitio v. *Hoc ſigillum obligat eum, cui Sacerdos illicitè Confeſſionem reuelauit, & quemcumque alium, qui quouis modo ex Confeſſione aliquod peccatum cognoſcit.* 504.

Propoſitio vj. *Nec de licentia Pœnitentis poteſt Confeſſarius reuelare Confeſſionem.* 505.

DISPVTATIO XV.

De Remiſſione Peccatorum Venialium.

Documentum j. *Peccatum veniale conuenienter diuiditur à mortali.* 508.

Documentum ij. 508.

Documentum iij. *Differentia peccati mortalis, & venialis eſt ex natura rei.* 509.

Documentum jv. *Peccatũ mortale, & veniale non differunt in hoc, quod mortale eſt circa vltimum finem, veniale autem circa ea, quæ ſunt ad finem.* 511.

Documentum v. *Pecatum veniale aliquo modo eſt contra legem; non ergò differt mortale à veniali, quia illud ſit contra legem, hoc tantum contra conſilium.* 514.

Documentum vj. *Mortale non differt à veniali, quod hoc non ſit ſimpliciter peccatum, nec offenſa; illud ſit.* 515.

Documentum vij. *Peccatum mortale non differt à veniali, per hoc, quod mortale relinquat maculam in anima, veniale verò non.* 515.

Documentum viij. *Peccatum mortale de per ſe non differt à veniali, quia illud intrinſecè, & neceſſariò priuet gratia, hoc verò non.* 515.

Documentum jx. *Peccatum mortale, & veniale non diſtinguuntur ſpecie, quando obiectum eſt idem.* 516.

Documentum x. *Et ſi aliqua ſint ex genere ſuo mortalia peccata; aliqua verò venialia, hoc non habent ex natura intrinſeca & phyſica actuum ſecluſa omni lege.* 516.

Documentum xj. *Omne illud formalitèr, & præciſè eſt peccatum mortale, quod priuat rectidine ſecundum legem debita, & ſine qua finis vltimus haberi non poteſt.* 516.

Difficultas. *Quo pacto peccans mortalitèr conſtituat vltimum finem in creatura.* 518.

Difficultas. *In quanam Creatura vl-*

ra vltimum finem conſtituat peccator dum mortalitèr peccat; an ſcilicet in ſeipſo, vel aliquo bono alio creato. 519.

Difficultas. *Quid dicendum ſit de illo, qui plura peccata mortalia commiſit, an ſcilicet habeat plures fines.* 521.

Difficultas. *An ſi ille, qui peccat, diligat creaturam non plus, ſed æqualitèr ac Deum, iſte talis peccauerit mortalitèr, an venialitèr.* 523.

Documentum. *Explicans modum diſcernendi peccatum mortale à veniali.* 524.

Proſequimur idem documentum. 527.

Difficultas. *An poſita perfecta deliberatione poſſit peccatum eſſe veniale ex imperfectione actus voluntatis.* 528.

Difficultas. *An ad mortale requiratur aduertẽtia magni peccati.* 528.

Documentum idem. 529.

Difficultas. *Quomodo ſciatur quænam ſit paruitas materiæ non ſufficiens ad mortale.* 529.

Documentum. *Docens modum, quo peccatum veniale poſſit fieri mortale.* 529.

Ampliorem doctrinam, qua probatur quot modis peccatum veniale poſſit fieri mortale. 532.

Documentum, *Docens modos, quibus veniale fit mortale.* 534.

Documentum. *Docens, Vtrum idem actus numero, qui eſt veniale, ſuſcipere poſſit malitiam mortalis.* 535.

Documentum. *Docens plura venialia non facere vnum mortale.* 536.

Documentum. *Docens, quando peccat mortalitèr, qui multa furta venialitèr facit, vel qui multas paruas eleæmoſynas, vel preces præmiſſas omittit.* 536.

Documentum. *Diſputans de paruitate materiæ.* 541.

Difficultas. *Vtrum quis mortalem induat maculam, quando centum v. gr. omiſſis votis in ſingulis, quorum ſpopondit ſingulas Angelicas recitare Salutationes deſignato aliquo die.* 542.

Difficultas. *Quænam ſit paruitas materiæ minimè ſatis ad incurrendam maculam mortalem.* 543.

Difficultas. *Quomodo, & quando peccetur mortalitèr in minimis furtis.* 545.

Satisfit motiuis Hieronymi ab Angeſto. 546.

Soluuntur motiua Nauarri. 547.

Difficultas. *An; & quomodò peccent, & teneantur plures fures cum ſimul ab vno; & eodem auferunt materiam grauem; ſinguli verò leuem, vt accideret v. gr. cum plures totam vindemiam vnius vineæ deprædantur, ſinguli enim paucos racemos ſurripiunt.* 548.

F I N I S.

Digitized by Google